A mone de Pœnit. & Confess. Ambros. Serm. 91. & 93. Ephrem de laudibus SS. Mart in fine. August. l. qui super Exod. c. 149. l. 16. de Ciuit. Dei c. 36. ac l. 18. c. vlt. l. item de Cura pro mort. c. 5. & l. 1. de cons. Euangel. c. 10. Paulinus Nat. 8 Felicis, Lucianus presbyt. epist. ad vniuers. Eccl. Maximus Serm. de Nazar. & Celso, Sophron. ad Serm. de Assumpt. B. Mariæ, & Leo Papa. 1 Serm. 1. & 3. de ieiunio mens. Sep. Neque vero etiam scripturæ desunt. Inter quas occurrit imprimis illa Hebr. 13. Talibus enim hostiis promeretur Deus. & Ecclesiast. 16. Omnis misericordia faciet locum vnicuique, secundum meritum suum. Atqui meritum correspondere mercedi supra ex Varrone dictum ca. 11. num. 75. Eodem pertinet vox Græca εὐαρεστεῖ. siue εὐαρεστεῖται, vbi legitur loco citato Eccles. 16. ἕκαστος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει, quæ promereri significat A qua etiam deriuatur vox, qua vtitur Apost. Hebr. 13. τοιαύταις, inquiens, γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ θεός. Sufficiunt hæc contra eos, qui merita Martyrum aut bonorum operum negant, quia charta deficiet, si quis omnia tum sacræ scripturæ, tum Patrum loca eo pertinentia velit producere. Quid? quod & milites (inquit Isidor. Etym. lib. 10.) vt stipendia accipiant, mereri dicuntur. Quare recte Auctor infra cap. 15. Quantum, inquit, patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem.

83. adlaboret.] Adlaborandi verbo (inquit Rhen.) Horatius quoque vsus est Odarum lib. 1.

B Simplici myrtho nihil adlabores.

84. vtpote quæ ab ipso Domino, &c.] In prima editione non aliud legebatur quam: vtpote quæ ab ipso Domino in Apostolis sustinendo vicerit; neque etiam aliud legunt 3. Vaticani codices. Verum ex vetusto codice quæ deerant, suppleuit Gagnæus sua editione per lineas 24. quæ etiam gnnuina esse Tertulliani stylus satis indicat, tum etiam quod nullus sit sensus in verbis illis prioribus, & probe constet sententia, quum legitur: vtpote quæ ab ipso Domino in corporis quoque virtute edita est, & sub finem huius Appendicis iterum in hæc verba: quæ prophetæ, quæ Apostoli sustinendo vicerunt. Sunt autem voces hæ & phrases Tertullianicæ: negotiatio Patientiæ, adflictatio carnis; squalore septenni; altiores gradus patiẽtiæ digerere: sanctitati procurat, virginem adsignat, incommoda militat, aliaque de quibus nostræ subyciuntur Adnotationes. Est interim adhuc Hyperbaton, & corruptus seu mutilus locus, vbi legitur initio huius Adpendicis: siquidem rector animus facile communicat spiritus inuecta cum habitaculo suo.

85. Hæc & viduam tenet.] De viduarum continentia infra libris duobus ad Vxorem. S. Cyprianus de Bono Patient. capit. 9. sic mentem Auctoris expressit: in viduis laboriosam castitatem, in virginibus turbatam integritatem. Atque hoc est, quod subiungitur.

86. & virginem adsignat.] Similiter infra cap. 15. exomologesin adsignat. Est autem adsignare etiam vox Iureconsultis vsitata. Sic enim adsignare libertum Modestinus vsurpat de Verb. signific. quamquam vti videtur paulo alia significatione. Atqui de virginum continentia infra lib. de Virginibus velandis.

C

87. voluntarium spadonem ad regna cœli leuat.] De continentia spadonum voluntariorum, seu virorum Ecclesiasticorum, infra lib. Exhortat. ad castit. Tom. 5. & latius infra li. de Cultu fœm. c. 9. n. 51.

88. Si fuga vrgeat, &c.] Cum hic fugam in persecutione non improbet, patet scriptum hunc librum ante hæresin, atque adeo ante eius tituli librum, quem habemus, infra Tom. 5. vbi ea de re latius.

89. ad occasionem secundæ intinctionis.] Ita Baptismum sanguinis seu Martyrium nuncupat, de quo libro de Baptismo Tom. 3. vbi eadem phrasi illud circumscribit.

90. ad ipsum diuinæ sedis ascensum.] Simile est illud S. Cypriani Epist. 52. ad Antonian. vbi Martyres dicit ad gloriam peruenire, statim fidei & virtutis accipere mercedem, omnia peccata passione purgare, statim à Domino coronari. Idque iuxta illud Apostoli supracitatum cap. 9. Cupio iam recipi, & esse cum Christo. Adnotatu profecto digni loci ad diluendum, quod auctori quidam impingunt, quasi senserit, animas Martyrum non ante iudicium in cœlum recipi. de quo latius inter eius errores in nostris Prolegomenis.

D 91. aduersus omnem subuertendæ fidei vel puniendæ paraturam.] Sic omnino legendum censeo pro eo quod erat: paratum; quod Auctori frequentissima sit vox paratura, pro apparatu, quemadmodum alibi latius.

CAP. XIV.

92. His patientiæ viribus secatur Isaias.] Inscriptionem capitis hanc ipse contextus innuit: De exemplis patientiæ Isaiæ, Stephani & Iob Atqui quod Isaias secatus sit, testantur Epiphanius, Dorotheus, & Isidorus de Vitis Prophetarum.

93. Lapidatur Stephanus, &c.] Locum hunc imitatus S. Cyprianus libr. de Bono patient. cap. 6. sicuti & apud Rhenan. tacito citatur nomine: Non poteris (inquit) ista perferre, nisi tolerantiæ & patientiæ teneas firmitatem. quod factum videmus in Stephano, qui quum à Iudæis vi & lapidibus necaretur, non sibi vindictam, sed interfectoribus Veniam postulabat, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Sic esse oportuit primum Martyrem Christi, qui Martyres sequuturos gloriosa morte præcurrens, non tantum Dominicæ prædicator esset passionis, sed & patientissimæ lenitatis imitator.

94. O fœlicissimum illum quoque, &c.] De Iob haud dubie loquitur, vti manifestum est ex S. Cypr. vbi supra.

95. Quale in illo viro feretrum, &c.] Inter instrumenta triumphi (inquit Rhenan.) feretrum est in quo pompa fertur. Intellige in quo diabolus triumpharetur, Deo trophæum statuente. Nam Iob per diuinam gratiam diabolum vicit, impatientiæ neutiquam succumbens; quasi dicat: Quale trophæum de diabolo Deus erexit? Olim circumferebantur arma deuictarum gentium in pompa, mox suspendebantur. Apte ergo sequitur: Quale vexillum. E

96. distringereret.] Basiliens. editio. destringeret. Perinde est, vtrum legas, quum vtrumque abradere significet. Alludit enim ad illud Iob 2. quod testa saniem radebat.

97. quum erumpentes bestiolas, &c.] Mirum est, vnde hoc habeat Tertullianus. nam in libro Iob. de bestiolis non alia mentio, quam quod habetur cap 17. Putredini dixi: Pater meus es mater mea, & soror mea vermibus. Existimo autem hoc exemplo motum S. Franciscum; de quo simile quid legitur, quale hic narrat Auctor. Atqui recte meo iudicio restituit Rhenan. foraminosæ, pro eo erat aut refossæ aut reforatæ; magis enim refert phrasin Africanam.

98. Etsi filiosquoque restitui voluisset, &c. Si vnquam alias, certe hic est in Auctore ἁμάρτημα μνημονικόν: aut non vidit extremam partem vltimi capitis. nam ibi in editione non Latina modo, sed & Græca & eiusdem versione, manifeste legitur, fuisse Iob filios septem & filias tres, & quod viderit filios suos & filios filiorum suorum in quartam generationem. Verum de hoc latius inter errores eius in Prolegomenis. F

CAP. XV.

99. Adeo satis idoneus, &c.] Inscripsimus hoc caput: Quod omnibus Dei mandatis interueniat, ac de effigie patientiæ. In cuius priori parte Auctorem S. Cypr. imitatur capite 9. & similiter Prudentius in Psychomachia his verbis:

Omnibus vna comes virtutibus associatur,
Auxiliumque suum fortis patientia miscet.
Nulla anceps luctamen init virtute sine ista:
Virtus nam vidua est, quam non patientia format.

100. patientia sequester.] Elegantissime (inquit Rhenan.) dictum à viro vndequaque doctissimo. Sequester est, Modestino Iureconsulto definiente, apud quem plures eandem rem, de qua controuersia est, deponunt: sic dictus, auctore Lauinio, quem citat Aulus Gellius, quod eius vtraque pars fidem sequatur. Eandem significationem indicat etiam Auctor lib. de Resurr. car. infra Tom. 3. Sequester (inquit de Christo loquens) Dei & hominum appellatus, ex vtriusque partis deposito commisso sibi.

101. omnibus mandatis eius interuenit, &c.] Simile (inquit Rhenan.) Patientiæ Encomium non omisit æmulator Tertulliani S. Cyprian. lib. de Bon. Patient. Patientia est (inquit) quæ nos Deo & commendat, & seruat. Atqui de vocibus: Exomologesi, & inculcat, pro conculcat, vide lib. de Pœnitentia. G

102. infirmum non extendit, valentem non consumit.] Quum Impatientia infirmitates præ cholera soleat augere, & valetudinem bonam consumere, eo certe Auctor videtur alludere: Patientia infirmum non extendit, hoc est non prorogat eius infirmitatem, & valentem non consumit, id est, recte valentem non consumit.

103. Age iam si & effigiem, &c.] Locum hunc partim imitatus est Psychomachia sua Prudentius, dum impugnat Patientia & Ira, sic illam describit.

Ecce modesta graui stabat Patientia vultu,
Per medias immota acies, variosque tumultus,
Vulneraque, & rigidis vitalia peruia pilis
Spectabat defixa oculos, & lenta manebat.

104. quem tertio vidit Helias.] Quandoquidem agit Metaphoricῶs de throno Patientiæ posito, non in turbine aut nubilo, sed qui sit teneræ serenitatis, apertus & simplex, videtur mihi alludere ad nubem lucidam, quæ obumbrauit Christum, Moysen & Heliam in transfiguratione Domini, Matth. 17. idque eo magis, quod ibi de Christi passione, qui Patientiæ primarium fuit exemplar, sermocinarentur. Atqui tertio vidisse nubem talem Helias dicitur, quia primum. 3. Reg. 18. legitur puero suo ostendisse nubeculam paruam quasi vestigium hominis ascendentem de mari, deinde 4. Reg. 2. per turbinem in nube ignea raptus in cœlum, tertio denique cum Christo in nube lucida serena, aperta & simplici apparuit. H

105. Si nos cum spiritu, &c.] Hic (inquit Rhen.) variis alias coniecturis distracti sumus. Verum simplicius videtur, si pro: non legamus: nos, hoc modo: Si nos cum spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper. Aut si cum spiritu. Nam pro: morabitur, legere: inorabitur, pro in extremitate versabitur, ab hora deducto verbo prorsus durum & absurdum videtur, quamquam in lib. de Resurr. carn. sic loqui videtur. At enim & calix bene sibi conscius, & de diligentia ministerii commendatus, coronis quoque potatoris sui inorabitur, pro eo quod est, in ora siue extremitate cingetur, vt illic indicauimus. Vti autem illa placet restitutio, ita cum omnibus excusis retineo illud. solus sustinere non poterit, eo quod ad spiritum id referatur, non autem (vti Rhenan. opinatur) ad patientiam, vtpote de qua sequitur: carens instrumento sustinendi.

CAP. XVI.

106. Hæc patientiæ ratio, &c.] Caput vltimum insigniuimus hoc titulo: De falsa ethnicorum Patientia, de qua & supra aliquid

A

dixit cap. 1. & latius etiam additis ſcripturis tractat S. Cypr. initio ſui libri de Bono Patientiæ 7.

107. hæc opera cæleſtis & vera.] *Hic iterum non placet coniectura Rhenani, qua legendum cenſet:* veræ *&* opera, *neutro genere in plurali accipit; quia vox, vel ipſo teſte, frequenter:* opera *fœminino genere & ſingulari numero à Tertulliano pro opere accipitur, vti ipſe adnotauit ad illud libro adu. Hermog.* Vbi & opera, & operæ operator.

108. Domino diabolus æmularetur.] Æmulari (*vti rectè adnotauit Rhenan.*) *cum Datiuo conſtruit. Iuſtinus libr. 7. Siquidem amiſſo cui* æmulari *conſueuerant, in ſegnitiem torporemque reſoluti. Sic & Fabius loquitur. Sic etiam dixit libr. de Præſcript. adu. hæreſ.* æmulæ fidei, *& lib. adu. Marc. 5.* Chriſto æmulæ, *& lib. de Coron. mil. capite 11.* ſignum æmulum Chriſto.

109. magnitudinis par.] *Tres quidem mſs. legunt:* magnitudine. *verum (vti ante me adnotauit Rhenan.)* par *cum Genitiuo iungereſolet. Sic in libr. de Præſcript. adu. hæret.* A diabolo, ſcilicet (*inquit*) cuius ſunt parés. *& adu lib. 5.* Dicimus (*inquit*) circumferri ab Apoſtolo aut creatorem, aut (quod nolit Marcion) parem creatoris. *Id in pleriſque vocibus adiectiuis facit, pro Datiuo Genitiuum vſurpans. Similiter dixit libr. adu. Marc.* par creatoris, *ac:* quorum & ipſe par ſit. *Item libr. 5.* parem creatoris.

B

110. lenociniis negotiantes.] *Etiam hæc phraſis eſt Iureconſultorum. nam teſte Vlpiano, de ijs qui notantur infamia. l. Athletas:* lenocinium facit, *qui quæſtuaria mancipia habuerit, ſed & qui in libris (adde ex ſententia auctoris vxorem) hunc quæſtum exercet.*

111. Quæ aucupandis orbitatibus.] *Notat (inquit Rhenanus) teſtamentorum captatores, quos Satyra 12. redarguit Iuuenalis: contra quos etiam alicubi, maxime clericos. S. Hieronymus.*

112. quæ ventris operarios, &c.] *Appellat (inquit Rhenanus)* operarios ventris, *quum paraſitos & alienarum menſarum aſſeclas, quibus nihil aliud magis eſt curæ quam vt ventri ſatisfiat; tum eos qui ſe in diuitum clientelam tradunt, quibus illi poſtea abutantur. Nam* contumelioſorum patrociniorum *nomine, patronos contumelioſos intelligit, quibus tamen ob ventrem replendum clientes, imo propudioſa mancipia, nuſquam non obſequantur. Huiuſmodi partim ſatyra quinta, partim nona notat Iuuenalis. Ordinabis ſic verba:* Quæ, *ſubaudi Patientia*, operarios ventris addicit gulæ, *hoc eſt, venundat, ſiue in nexum dat gulæ (nam vtrumque ſignificat* addicere) ſubiectione libertatis contumelioſis patrociniis, *hoc eſt, ſubijciendo libertatem contumelioſis patrociniis. Paraſitos & ventris mancipia Græci* γαστρὶ δουλεύοντας *appellant; & in Sympoſiacis Plutarchus, non minus eleganter quam vere,* τῇ γαστρὶ, ᾧ τῇ ψυχῇ συνδιάπνους *vocat.*

C

113. Sed viderint ſuam.] *Sic ex coniectura Dn. Latinij, patientiam namque. Atqui de vſu verbi illius:* viderint, *&* viderit, *vide Adnot. noſtras in S. Cypr. epiſt. 2. num. 53.*

114. ſui Præſides.] Sui (*inquit Rhenan.*) *dixit pro:* eorum.

115. quam patientia ſubter ignis exſpectat.] Quam (*inquit Rhenan.*) *ſubaudi patientiam Gentilium,* ſubter, *id eſt, in inferno*, patientia ignis exſpectat, *id eſt, æterna damnatio.*

116. quam pro nobis ipſe dependit.] *Ex coniectura Ioannis Harriſii Angli, & Dn. Latini Latinij Itali, ſubſtituimus:* dependit, *pro:* defendit; *eo quod alibi quoque ſic loquatur Auctor:* cum caro & anima dependitur.

ARGVMENTVM LIBRI DE SPECTACVLIS PER IACOBUM Pamelium.

D

QVum iam anno 12. Seueri Romæ indicti eſſent Ludi (de quibus latius in vita auctoris) ſeculares octaui, quos & imitari ſolebant reliquæ prouinciæ, atque adeo & apud Carthaginem ſuperſtitioſa illa (quorũ meminit Auctor Scorpiaco aduerſus Gnoſticos) certamina Græcarum religionum & voluptatum iam celebrari inciperent, in quibus omnis generis Spectacula exhiberi conſueuerant, ne aut ignorando aut diſſimulando quis peccaret, librum hunc ea occaſione ſcripſiſſe videtur Tertullianus.

I.

Primum autem recenſet ethnicorum argumenta duo, tum quod nihil dicebant religioni obſtrepere oculorum ſolatia, cuius contrarium maxime ſe demonſtrare paratum; tum etiam quod Chriſtianus Spectaculis eruditetur, quo facilius vitam contemneret, quaſi vero pigeret propter Deum mori.

II.

Item & iis reſpondet, qui prætendebant, omnia à Deo inſtituta, & bona omnia, atque adeo & ea, ex quibus Spectacula inſtruuntur; nempe non hoc ſolum reſpiciendum, quo omnia ſint inſtituta, ſed à quo interpolatore, diabolo nempe in corruptelam conuerſa; alioqui omnes malorum ſpecies, quum ex operibus Dei conſtent, prohibendas non eſſe.

Iam vero & ad ſuorum argumentum reſpondet, qui per ſcripturas non nominatim denuntiari dicebant hanc Spectaculorum abdicationem, ad hanc ſpeciem pertinere primam illam Dauid vocem: Fœlix qui non abiit in concilium impiorum, &c. E III.

Ne quis autem argumentari illum putet, conuertitur ad principalem auctoritatem ſignaculi noſtri, cum aquam ingreſſi & Chriſtianam fidem in legis ſuæ verba profeſſi, renunciaſſe nos diabolo & pompis & angelis eius ore noſtro conteſtamur; eo quod ex idololatria vniuerſa Spectaculorum paratura conſtet. IV.

Quod comprobat, primum ex Ludorum origine, qui religionis nomine inter cæteros ritus ſuperſtitionum inſtituti ſint, & diebus feſtis & templis Deorum reputabantur. V.

Deinde ex eorum titulis, per quos ſignatum eſt, cui idolo & cui ſuperſtitioni vtriuſque generis Ludi notarentur, tum ſacri, tum funebres. VI.

Ex Apparatibus item eorundem, maxime Circenſium; præcedente pompa, de ſimulacrorum ſerie: de imaginum agmine, quos præcedant etiam, intercedant, ſuccedant ſacra & ſacrificia, in quibus moueantur collegia, ſacerdotia, officia. VII. F

Ex locis denique, quippe quum Circus ſoli principaliter conſecratus ſit, & ſingula ornamenta eius, ſingula templa ſint; Non quidem quod loca nos contaminent, atque adeo extra Spectaculorum tempus adiri poſſint, ſed quæ in locis fiunt. VIII.

Nunc ſiparticulatim Circenſes ludos quis diſcutiat, Diis deputari, vel elementis; & vero etiam elementorum damnatam idololatriam. IX.

Theatri etiam Apparatibus, qui ad Scenam ſpectant, à templis ac aris auſpicari, & Veneris ædem à Pompeio ſuperpoſitam; itaque & Liberi domum eſſe: qua vero voce, modis, organis & lyris tranſiguntur, Apollines, Muſas, Mineruas, Mercurios habere mancipes. X.

Agones & pſos ſacros, vel funebres, aut Diis Nationum, aut mortuis fieri; apparatus item illorum idololatria conſpurcari. Stadio Circum æmulari, & Gymnicas artes Caſtorum eſſe, Herculum, Mercuriorum. XI. G XII.

Munus denique ab officio dictum, quod mortuis faciebant, quos humano ſanguine propitiari creditum erat, quum impietatem poſtea placuit voluptate adumbrare; poſtea prouecti ad tantam crudelitatem, vt & feris humana corpora diſſiparentur, in quorum idolis dæmonia conſiſtebant. Acerbioribus item Amphitheatrum conſecrari dæmonibus.

Non quod idolum ſit aliquid, ſed quod quæ faciunt, dæmonibus faciant, atque adeo cum & mortui & Dij vnum ſint, vtraque idololatria abſtinere debere Chriſtianos. XIII.

Atqui non ſolum idololatriæ, ſed & concupiſcentiæ ſeculi nomine, interdici Spectacula. XIV.

Deinde ſpiritui lenitatis non poſſe cum ſpectaculis conuenire, vbi per æmulationem, furor, bilis, ira & dolor. XV.

Furorem enim maxime in Circo præſidere, populo iam de ſponſionibus concitato, vnde & in diſcordias itur. XVI.

Impudicitiæ etiam conſiſtorium, quam amoliri iubemur, eſſe Theatrum, in quo etiam Tragœdiæ, & Comœdiæ, ſcelerum & libidinum nutrices. XVII.

Stadium etſi in ſcripturis nominetur, quæ in eo geruntur, indigna conſpectui noſtro, & diaboli negotia eſſe. XVIII. H XIX.

Amphitheatri denique repudium de ſcripturis peti, ſi ſæuitiam, impietatem, feritatem conſideremus. XX.

Atque ita reſponſum illis, qui abſtinentiam Spectaculorum ſpecialiter in ſcripturis non determinari argumentantur, ſicuti & illis, qui à ſole & Deo Spectacula conſpici argumentantur, nec contaminari, quum alioqui in illum ſcelus damnatum cenſeretur.

Aliam eſſe ethnicorum rationem, qui pro libidine interpretantur alibi bonum, quod alibi malum, & econtrario. XXI.

Atque adeo ab ipſis Auctoribus Spectaculorum manifeſte artifices damnari capitis diminutione, & arceri honoribus omnibus. XXII.

Quanto magis diuina iuſtitia in huiuſmodi artifices animaduertet, maxime quum faciant, quæ ſcripturæ fieri vetant. XXIII.

Sed & præterquam quod in baptiſmo pompam diaboli eiurauimus, ipſorum ethnicorum teſtimonio Spectacula Chriſtianis XXIV.

inter-

A

XXV.

XXVI.

XXVII.

XXVIII.

XXIX.

XXX.

B

interdicta esse, eo quod Christianum factum intelligant ex repudio eorundem.

Neque vero de Deo cogitare posse illic vbi nihil est de Deo, & quale est de Ecclesia Dei in diaboli Ecclesiam tendere? illas manus quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare? ex ore quo Amen protuleris, gladiatori testimonium reddere? εἰς ἀῶνας alii dicere, nisi Deo & Christo?

Atque adeo non mirum esse, si eiusmodi dæmoniis penetrales fiant vti duobus exemplis comprobat.

Cum illic nomen Dei blasphemetur, illic quotidiani leones in Christianos expostulentur, inde persecutiones decernantur.

Saginentur itaque voluptatibus ethnici, lugeant Christiani, quorum voluptas non in seculo, sed in cælo esse debeat.

Neque vero etiam hic voluptatibus carere Christianos multo iucundioribus; Quibus pro Ludis Circensibus intueri liceat seculi cursum, pro scenica doctrina satis sit canticorum, pro pugillatu & luctatu agones, quibus coronantur, sanguis denique Christi, si sanguinis aliquid velint.

Postremo, quale Spectaculum Aduentus Domini in proximo, cum tanta seculi vetustas vno haurietur, tot Reges cum ipso Ioue in imis tenebris congemiscentes cernentur; item Præsides persecutores sæuioribus quam ipsi sæuierunt flammis liquescentes; deniq; qualia illa, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.

Ceterum libri huius nominatim meminit ipse Tertullianus lib. de Habitu muliebri. Nam (inquit) & omnes istæ prophanæ Spectaculorum secularium voluptates, sicut de ipsis suum volumen edidimus, ipsa etiam idololatria ex rebus Dei constat. Non tamen ideo Circi furoribus, aut harenæ atrocitatibus, aut Scenæ turpitudinibus Christianum adfici oportet; quia Deus & Equum & Pantheram, & vocem homini dedit. Sic etiam lib. de Coron. militis, non Latino modo, sed & Græco stylo, se de Spectaculis scripsisse disertis verbis significat, quæ in Tomum quintum differimus. Hinc est, quod Abbas Trithemius, & si non vidisset, alioqui initium libri sicuti aliorum descripturus, tamen inter opera Tertulliani librum hunc recenset. Et tam olim ex illo multa descripserunt B. Isidorus Etymol. lib. 18. cap. 16. 27. 28. 29. 34. 35. 37. 42. 43. 53. ac 61. Hrabanus noster De Naturis rerum. Quare optime de Republ. meritus est Gagnæus, qui primus in editione Parisiensi in lucem edidit; quippe quum ad intellectum faciat liber iste omnium priscorum Auctorum, non sacrorum modo, sed & prophanorum, sicubi de Spectaculorum aliquo genere mentionem faciunt. Castigatus fuit deinde per Sigismundum Gelenium multis in locis ex Lælandi Britannico codice, denique nunc postremum emendatur, partim ex Isidoro & Hrabano & coniecturis quibusdam Latinii, in totum autem ex codice Anglico, piæ memoriæ Dn. Doct. Ioannis. Clementii, viri longe eruditissimi Adiectis nunc primum & Argumento & Adnotationibus nostris, quibus illustrantur obscuriores loci quamplurimi; vsque adeo vt alio de Spectaculis commentario præter librum hunc posthac non sit opus.

C

D

E

F

G

H

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE SPECTACVLIS LIBER.

Cap. I.

QVI [2] status fidei, quæ ratio veritatis, quod præscriptum disciplinæ inter cetera secularium errorum etiã spectaculorum voluptates adimat, Dei Dei serui cognoscite, qui cum maxime ad Deum acceditis, recognoscite, qui iam accessisse vos testificati & confessi estis, ne aut ignorando aut dissimulando quis peccet. Tanta est enim vis voluptatum, vt ignorantiam protelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationẽ, aut vtrunque. Adhuc forsan alicui opiniones ethnicorum blandiuntur, quæ in ista causa aduersus nos ita argumentari consueuerunt: Nihil obstrepere religioni in animo & conscientia tua tãta solatia extrinsecus oculorũ vel auriũ: nec vero Deũ offendi oblectatione hominis, qua, saluo erga Deũ metu & honore, suo in tempore & suo in loco frui scelus nõ sit. Atquin hoc cũ maxime paramus demonstrare, quemadmodũ isthæc non competant veræ religioni & vero obsequio erga Deũ verum. Sunt qui existiment Christianum expeditum mortis genus ad [4] hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri, quo facilius vitam contemnant, amputatis quasi retinaculis eius, ne desiderent, quam iam supervacuam sibi fecerint: vt hoc consilio potius & humano prospectu non diuino præscripto definitum existimetur. Pigebat scilicet etiam perseuerantes in tantis voluptatibus propter Deum mori. Quanquam & si ita esset, tam apto consilio, tantæ obstinatio disciplinæ debebat obsequium. [5] Iam vero nemo est, qui non hoc quoque prætendat, omnia à Deo instituta, & homini attributa (sicut prædicamus) & vtique bona omnia, vt boni auctoris: inter hæc deputari vniuersa ista, ex quibus spectacula instruuntur, Circum verbi gratia, & [6] leonem, & vires corporis, & vocis suauitates. Igitur neque alienum videri posse, [7] neque inimicum Dei, quod de conditione constet ipsius: neque cultoribus Dei vitandum, quod Dei non sit inimicum, quia nec alienum. Plane & ipsæ extructiones locorum, quod saxa, quod cæmenta, quod marmora, quod columnæ Dei res sint, qui ea ad instrumentum terræ dedit: sed & ipsi actus sub cœlo Dei transiguntur. Quam sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana, præsertim cum aliquid eiusmodi de gaudiis & de fructibus seculi metuit amittere. Plures denique inuenias, quos magis periculum voluptatis quam vitæ, auocet ab [8] hac secta. Nam mortem etiam stultus vt debitam non extimescit, [9] voluptatem etiam sapiens vt tantam non contemnit, cum alia non sit & stulto & sapienti vitæ gratia, nisi voluptas. Nemo negit, quia nemo ignorat quod vltro natura suggerit, [10] Deum esse vniuersitatis conditorem, eamque vniuersitatem tam bonam quam homini mancipatam. Sed quia non penitus Deum norunt, nisi naturali iure non etiam familiari, de longinquo, non de proximo, necesse est ignorent, qualiter administrari aut iubeat aut prohibeat quæ instituit, simul quis sit æmulus ex diuerso adulterandis vsibus diuinæ conditionis: quia neque voluntatem, neque aduersarium noueris eius, quem minus noueris. Non ergo hoc solum respiciendum est, quo omnia sint instituta, sed à quo conuersa. Ita enim apparebit, cuius vi sint instituta, si appareat, cuius non sint. Multum interest inter corruptelam & integritatem, quia multum interest inter institutorem & interpolatorem. Ceterum omnes species malorum, quæ etiam ethnici indubitate & prohibent & defendunt, ex operibus Dei constant: Vis homicidiũ ferro, veneno, [11] magicis deuinctionibus perfici. Tam ferrum Dei res est quam herbæ, quam angeli. Nunquid tamen in hominis necẽ auctor ista prouidit? Atquin omnem homicidii speciem vno & principali præcepto interemit: *Non occides.* Proinde aurum, æs, argentum, ebur, lignum, & quæcunq; fabricandis idolis materia captatur, quis in seculo posuit, nisi seculi auctor Deus? Nũquid tamen vt hæc aduersus ipsũ adorentur? Atquin summa offensio penes illũ idololatria est. Quid nõ Dei est, quod Deũ offendit? sed cũ offendit, Dei esse

Exod. 20.

A desiit; & cum desiit, offendit. Ipse homo, omnium flagitiorum actor, non tantum opus Dei, verum etiam imago est: & tamen & corpore & spiritu desciuit à suo institutore. Neque enim oculos ad concupiscentias sumpsimus, neque linguam ad maliloquium, & aures ad exceptaculum maliloquii, & [12] gulam, ad gulæ crimen, & ventrem ad gulæ satietatem, & genitalia ad excessus impudicitiæ, & manus ad vim, & gressus ad vagam vitam, [13] aut spiritus ideo insitus corpori, vt insidiarum, & fraudum, & iniquitatum cogitatorium fieret, non opinor. Nam si omnẽ malignitatem, & si tantam malitiã excogitatã Deus exactor innocentiæ odit, indubitate quæcunque condidit, non [14] in exitum operum constat condidisse quæ damnat, licet eadẽ opera per ea quæ condidit administrentur, quando hæc sit tota ratio damnationis peruersa administratio conditionis à conditis. Nos igitur qui Domino cognito etiã æmulum eius inspicimus, qui institutore cõperto etiã interpolatorem vna deprehendimus, neq; mirari neq; dubitare oportet, cum ipsum hominẽ opus & imaginẽ B Dei totius vniuersitatis possessorẽ illa vis interpolatoris & æmulatoris angeli ab initio de integritate deiecerit, vniuersam substantiam eius pariter cum ipso in peruersitatem demutatam aduersus institutorem: vt quã doluerat homini cõcessam non sibi, in ea ipsa & hominem reum Deo faceret, & suam dominationem conlocaret. CAP. III. [15] Hac conscientia instructi aduersus opiniones ethnicorum, conuertamur magis ad [16] nostrorum detractatus. Quorundam enim fides aut simplicior, aut scrupulosior, ad hanc abdicationem speculatorum de scripturis autoritatem exposcit, & se in incertum constituit, quod non significanter neq; nominatim denũcietur seruis Dei abstinentia eiusmodi. Plane nusquam inuenimus quemadmodum aperte positum est, [17] *Non occides, non idolum coles, non adulterium, non fraudem admittes*: ita est certe definitum, non in Circum ibis, non in theatrum, agonem, munus non spectabis. Sed inuenimus ad hanc quoque speciem pertinere illam primam vocem Dauid, *Felix*, inquit, *qui non abiit in concilium impiorum, & in via peccatorum non steterit, & in cathedra pestiũ non sedit.* Nam etsi iustum illũ videtur prædicasse, quod in concilio & in consessu Iudæorum de Deo denegando consultantium nõ communicauit, late tamen semper scriptura diuina diuiditur, vbicunq; secundũ præsentis rei sensum etiam disciplina munitur, vt hic quoque non sit aliena vox à spectaculorum interdictione. Si enim pauculos tunc Iudæos impiorum conciliũ vocauit, quanto magis tantum cõuentum ethnici populi: ni pii ethnici, minus peccatores, minus hostes Christi, quam tunc Iudæi, quo & cetera congruunt. Nam apud spectacula & in via statur. [18] Vias enim vocant cardines balteorum perambitum, & discrimina popularium per procliuum. [19] Cathedra quoq; nominatur ipse in anfractu ad consessum situs. Itaque e contrario infelix qui in quodcunque conciliũ impiorum abierit, & in quacunque via peccatorum steterit, & in quacũq; cathedra pestium sederit, generaliter dictum intelligamus, cum quid etiam specialiter interpretari capit. [20] Nam & specialiter quædam pronunciata, generaliter sapiunt. Cũ Deus Israelitas admonet disciplinæ vel obiurgat, vtique ad omnes habet: cum Ægypto & Æthiopiæ exitium comminatur, in omnem genten peccatricẽ præiudicat. Sic omnis gens vocatur Ægyptus & Æthiopia, à specie ad genẽ. Quemadmodũ etiã de origine spectaculorũ omne spectaculũ conciliũ vocat impiorũ, à genere ad speciẽ. CAP. IV. [21] Ne quis argumentari nos putet, ad principalem auctoritatem conuertar ipsius signaculi nostri. Cum aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renunciasse nos diabolo & pompæ & angelis eius, ore nostro contestamur. Quid erit summũ ac præcipuũ, in quo diabolus & pompæ & angeli eius censeantur, quam idololatria? ex qua omnis immundus & nequam spiritus vt ita dixerim, quia nec diutius de hoc. [22] Igitur si ex idololatria vniuersam spectaculorũ paraturam constare constiterit, indubitate

Exod. 20.

Psal. 1.

C

D

Exod. 12. Isai. 14. & alibi.

præiudicatũ erit, etiã ad spectacula ptinere renũciationis nostræ testimoniũ in lauacro, quæ diabolo & pompæ & angelis eius sint mancipata; scilicet per idololatriam. Commemorabimus origines singulorum, quibus incunabulis in seculo adoleuerint: exinde titulos quorundam, quibus nominibus nuncupentur: exinde apparatus, quibus superstitionibus instruantur: tum loca, quibus Præsidibus dicentur, tum artes, quibus auctoribus deputentur. Si quid ex his non ad idolum pertinuerit, id neque ad idololatriam, neque ad nostrã eierationem pertinebit. [23] De originibus quidem vt secretioribus & ignotis penes plures nostrorum altius, nec aliunde inuestigandum fuit, quam de instrumentis ethnicarum litterarum. [24] Exstant auctores multi, qui super ista re commentarios ediderunt. Ab his Ludorũ origo sic traditur. [25] Lydos ex Asia transuenas in Hetruria consedisse, vt [26] Timæus refert, duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat regni contentione. Igitur in Hetruria inter ceteros ritus superstitionum suarum, spectacula quoque religionis nomine instituunt. [27] Inde Romani accersitos artifices mutuantur, tempus, enunciationẽ, [28] vt ludi à Lydis vocarentur. [29] Sed & si Varro ludos à ludo, id est, à lusu interpretatur, [30] sicut & Lupercos ludos appellabant, quod ludendo discurrant: tamen eum lusum inuentum & diebus festis, & templis, & religionibus reputat. Nihil iam de causa vocabuli, cum rei causa idololatria sit. Nam & [31] cum promiscue ludi Liberalia vocarentur, honorem Liberi patris manifeste sonabant. Libero enim à rusticis primo fiebant ob beneficium quod ei adscribunt [32] pro demonstrata gratia vini. [33] Exinde ludi Consualia dicti, [34] qui initio Neptunũ honorabant. Eundẽ enim & Consum vocabant. [35] Dehinc Equiria Marti Romulus dixit: [36] quanquã & Consualia Romulo defendunt, quod ea Conso dicauerit, Deo, vt volunt, consilii: eius scilicet, quo tunc Sabinarũ virginũ rapinam miltibus suis in matrimonia excogitauit. Probũ plane consilium, & [37] nunc quoq; apud ipsos Romanos iustũ & licitũ, ne dixerim, penes Deũ. facit etenim ad originis maculam, ne bonũ existimes, quod initium à Malo accepit, ab impudentis violẽtiæ alio Deo, à [38] fratricida institutore, à filio Martis: & nunc [39] ara Conso illi in Circo defossa est ad primas metas sub terra, cum inscriptione huiusmodi, CONSVS CONSILIO, [40] MARS DVELLO. [41] IARES COMITIO POTENTES. Sacrificant apud eam nonis Iuliis [42] sacerdotes publici, xij. [43] Kalen. Septembres [44] flamen Quirinalis, & virgines. Dehinc idem Romulus [45] Ioui Feretrio ludos instituit in Tarpeio, [46] quos Tarpeios dictos & Capitolinos Piso tradidit. [47] Post hunc Numa Põpilius Marti & Robigini fecit. Nã & Robiginis deã fixerunt. [48] Dehinc Tullus Hostilius. [49] Dehinc Ancus Martius, & ceteri quoque per ordinem. Et quibus idolis ludos instituerunt, positum est [50] apud Suetonium Tranquillum, vel à quibus Tranquillus accepit. Sed hæc satis erunt ad originis de idololatria reatũ. [51] Accedit ad testimoniũ antiquitatis subsecuta posteritas, formã originis de titulis huius quoq; temporis præferẽs, per quos signatũ est, cui idolo, & cui superstitioni vtriusq; generis ludi notarentur, [52] Megalenses & [53] Apollinares, itẽ [54] Cereales & [55] Neptunales, & [56] Latiares, & [57] Florales in cõmune celebrantur: reliqui ludorũ, de natalibus & solenitatibus regũ, & publicis prosperitatibus & [58] municipalibus, fastis superstitionis causas originis habent. Inter quos etiã priuatorum memoriis legatarię editiones parentant, id quoque secundum institutionis antiquitatẽ. Nã & à primordio bifariam ludi censebantur, [59] sacri & funebres, id est, diis Nationũ, & mortuis. Sed de idololatria nihil differt apud nos, sub quo nomine & titulo, dũ ad eosdẽ spiritus perueniat, quibus renunciamus, licet mortuis, licet diis suis faciant. Proinde mortuis suis vt diis faciant, vna cõditio partis vtriusq; est, vna idololatria, vna renunciatio nostra aduersus idololatriã. [60] Communis igitur origo ludorum vtriusq; generis, cõmunes & tituli, vt de cõmunibus causis, proinde apparatus cõmunes habeãt

E

CAP. V. Vnde ludi dicti.

F

G

CAP. VI. De Titulis.

H

CAP. VII. De Apparatibus.

necesse

A

neceſſè eſt de reatu generali idololatrię conditricis ſuæ. 61 Sed Circenſium paulo pompatior ſuggeſtus, quibus proprie hoc nomen, *pompa*, præcedit, quorũ ſit in ſemetipſa probans, de 62 ſimulacrorũ ſerie, de imaginũ agmine, de 63 currib. de thenſis, de 64 armamaxis, de ſedib. de coronis, de exuuijs, quanta pterea ſacra, quãta ſacrificia præcedant, intercedant, ſuccedant, quot collegia, quot ſacerdotia, quot officia moueãtur, ſciũt homines 65 illius vrbis, in qua dęmoniorũ conuentus cõſedit. Ea ſi minore cura per prouincias pro minorib. virib. adminiſtrantur, tamen omnes vbiq; Circenſes illuc deputãdi, vnde & petuntur, inde inquinentur, vnde ſumũtur. Nã & riuulus tenuis ex ſuo fonte, ſurculus modicus ex ſua fronde, qualitatem originis cõtinet. Videri ambitio ſiue frugalitas eius quo Deum offendit, qualiſcunque pompa Circi, & ſi pauca ſimulacra circunferat, in vno idololatria eſt: & ſi vnam thenſam trahat, 66 Iouis tamẽ plauſtrum eſt: quæuis idololatria ſordide inſtructa, vel modice locuples, ſplendida eſt cẽſu criminis ſui. [67 Vt & de locis ſecundum propoſitũ exequar, 68 Circus Soli principaliter cõſecratur: cuius ædes medio ſpatio, & effigies de faſtigio ædis emicat, quod non putauerint ſub tecto conſecrandũ, quẽ in aperto habent. 69 Quod ſpectaculũ primũ à Circe habent. Soli patri ſuo, vt volunt, editum adfirmant: ab ea & Circi appellationẽ argumẽtantur. Plane venefica eis vtique negotium geſſit hoc, nomine quorũ ſacerdos erat, dæmonijs & angelis ſcilicet. Quot igitur in habitu loci ipſius idololatrias recognoſcis, ſingula ornamenta Circi, ſingula templa ſunt. 70 Ouã honori Caſtrorum adſcribunt, qui illos ouo editos credendo de cygno Ioue non erubeſcũt. 72 Delphinos Neptuno vouent, 73 columnas ſeſſias à ſementationibus, meſſias à meſſib. tutelinas à tutelis fructuũ, ſuſtinent. ante has tres aræ trinis dijs parẽt, magnis, potentibus, valentib. Eoſdem 74 Samothracas exiſtimãt. 75 Obeliſci enormitas, vt Hermateles adfirmat, Soli ꝓſtituta: ſcriptura eius, vnde & cenſus de Ægypto ſuperſtitio eſt. Frigebat dæmonum concilium ſine ſua 76 matre magna: ea 77 itaq; illic præſidet Euripo. Conſus (vt diximus) apud metia ſub terra deliteſcit. 78 Murtias quoq; idolum fecit. Murtiam n. deam amoris volũt, cui in illa parte ædẽ vouere. Animaduerte Chriſtiane, quot nomina immũda poſſederint Circũ. Aliena eſt tibi religio, quã tot diaboli ſpiritus occupauerũt. de locis quidẽ locus eſt retractandi ad præueniendã quorundã interrogationem. Quid n. inquis, ſi alio in tempore Circum adiero, periclitabor de inquinamento? Nulla eſt ꝓſcriptio de locis. Nã non ſola iſta conciliabula ſpectaculorũ, ſed ẽt templa ipſa ſine periculo diſciplinæ adire ſeruus Dei poteſt vrgente cauſa ſimplici dũtaxat, quæ nõ pertineat ad proprium eius loci negotium vel officium. 79 Ceterum & plateæ, & forum, & balneæ, & ſtabula, & ipſæ domus noſtræ ſine idolis omnino non ſunt, totum ſeculum ſatanas & angeli eius repleuerunt. Non tamen quod in ſeculo ſumus, à Deo excidimus, ſed ſi quid de ſeculi criminibus attigerimus. 80 Proinde ſi Capitoliũ, ſi Serapeũ ſacrificator & adorator intrauero, à Deo excidam: quẽadmodũ Circũ vel theatrũ ſpectator. Loca nos non contaminant per ſe, ſed quę in locis fiũt, à quibus & ipſa loca contaminati altercati ſumus: de contaminatis contaminamur. Propterea autem commemoramus quib. eiuſmodi loca dicentur, vt eorum demonſtremus eſſe, quæ in his locis fiunt, quibus ipſa loca dicantur. [81 Nunc de artificio, quo Circenſes exhibẽtur. 82 Res equeſtris retro ſimplex de dorſo agebatur, & vtique communis vſus reus non erat. Sed cum ad ludos coactus eſt, tranſiit à Deimunere ad dæmoniorum officia. 83 Itaq; Caſtori & Polluci deputatur hæc ſpecies, quib. equos à Mercurio diſtributos & Steſichorus docet. 84 Sed & Neptunus equeſtris eſt, quem Græci ἵππιον appellant. De 85 iugo vero quadrigas ſoli, bigas lunæ ſanxerunt. Sed &

86 *Primus Erichthonius currus & quatuor auſus*
Iungere equos, rapidiſque rotis inſiſtere victor.

Erichthonius Mineruæ & Vulcani filius, & quidem de caduca in terram libidine, portentũ eſt dæmonicum, imo diabolus ipſe, nõ cõluber. Si vero 87 Trochilus Argiuus auctor eſt currus, 88 primo Iunoni id opus ſuum dedicauit. Si Romæ Romulus quadrigam primus oſtẽdit, puto & ipſe inter idola cõſcriptus, ſi 89 idẽ eſt Quirinus. Talibus auctoribus quadrigæ productæ, merito & aurigis coloribus idololatriam veſtierunt, & ab initio duo ſoli fuerunt, 90 albus & ruſſeus. Alb' hyemi, ob niues candidas: ruſſeus æſtati, ob ſolis ruborem voti erãt. Sed poſtea tam voluptate, quam ſuperſtitione prouecta, 91 ruſſeum alij Marti, alii 92 album Zephyris cõſecrauerunt: 93 Praſinum vero terræ matri vel verno: Venetum cœlo & mari, vel autumno. Cum autem omnis ſpecies idololatriæ damnata ſit à Deo, vtique etiam illa damnatur, quæ elementis mundialibus profanatur. [94 Tranſeamus ad ſcenicas res, quarum & originẽ cõmunem, & titulos pares ſecundum ipſam ab initio ludorum appellationem & adminiſtrationem coniunctam cum re equeſtri iam oſtendimus. Apparatus etiam ex ea parte conſortes, quæ ad ſcenam ſpectat? nam à tẽplis & aris, & illa 95 in fœlicitate thuris & ſanguinis 96 inter tibias & tubas itur, duobus inquinatiſſimis arbitris, funerum & ſacrorũ, 97 deſignatore & haruſpice. Ita cum de originib. ludorũ ad Circẽſes tranſimus, inde nunc ad ſcenicos ludos dirigimus, à loci vitio. 98 Theatrum proprie ſacrarium Veneris eſt. Hoc denique modo id genus operis in ſeculo euaſit. 99 Nam ſæpe cenſores renaſcentia cum maxime theatra deſtruebant, moribus conſulentes, quorum ſcilicet periculũ ingens de laſciuia prouidebant, vt iam hinc ethnicis in teſtimonium cedat ſententia ipſorum nobiſcum faciẽs, & nobis in exaggerationem diſciplinæ etiam humanæ prærogatiua. 100 Itaque Pompeius Magnus ſolo theatro ſuo minor, cum illam arcem omnium turpitudinũ extruxiſſet, veritus quandoq; memoriæ ſuæ cenſoriam animaduerſionem, 101 Veneris ædem ſuperpoſuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum ſed Veneris templum nuncupauit, cui ſubiecimus, inquit, gradus ſpectaculorum: ita damnatum & damnandum opus templi titulo prætexuit, & diſciplinã ſuperſtitione deluſit, ſed Veneri & Libero conuenit. Duo iſta dæmonia conſpirata & cõniurata inter ſe ſunt, ebrietatis & libidinis. Itaque theatrum Veneris, Liberi quoq; domus eſt. Nam & alios ludos ſcenicos Liberalia proprie vocabant, prẽter quam Libero deuotos, 102 quod ſunt Dionyſia penes Græcos, etiam à Libero inſtitutos. Et eſt plane in artibus quoque ſcenicis Liberi & Veneris patrociniũ, quæ priuata & propria ſunt ſcenæ, de geſtu & corporis fluxu. Nã mollitiẽ Veneri & Libero immolant: illi per ſexum, illi per fluxũ, diſſoluti. 103 Quæ vero voce & modis & organis & lyris tranſigũtur, 104 Apollines & Muſas & Mineruas & Mercurios mãcipes habent. oderis Chriſtiane, quorũ auctores non potes non o iiſſe. Iam nũc volumus ſuggerere de artibus, & de his quorum auctores rn nominib. execramur. Scimus nihil eſſe nomina mortuorũ, ſicut nec ipſa ſimulacra eorũ. Sed non ignoramus, qui ſub iſtis nominibus & inſtitutis ſimulacris operentur & gaudeant & diuinitatem mentiantur, 105 nequam ſpiritus ſcilicet dæmones. Videmus igitur, etiam artes eorum honorib. dicatas eſſe, qui nomina incolunt auctorum earum, nec ab idololatria vacare, quarũ inſtitutores ẽt ꝓpterea dii habentur: Imo ꝙ ad artes pertinet, altius ꝓſcripſiſſe debemus, dæmonas ab initio proſpicientes ſibi inter cetera idololatriæ etiã ſpectaculorũ inquinamenta, quibus hominẽ à Deo auocarent, & ſuo honori obligarẽt, eiuſmodi quoque artiũ ingenia inſpiraſſe. Neq; enim ab aliis præoccupatũ fuiſſet, ꝙ ad illos peruenturũ eſſet. Nec per alios tunc homines edidiſſent quam per ipſos, in quorũ nominib. & imaginib. & hiſtoriis fallaciã conſecrationis, ſibi negotiũ acturæ cõſtituerãt. [106 Vt ordo peragat' ineamus etiam agonum retractatum. Origo iſtis de ludorum propinquitate eſt. Inde & ipſi ſacri vel funebres inſtituti, aut dlis nationum aut mortuis fiunt. 107 Proinde Tituli 108 Olympia Ioui, quæ ſunt Ro-

E

Cap. X. De Theatro, & artibus Scenicis.

F

G

H

Cap. XI. De Agonibus.

Cap. VIII. De Loco. B

C

D

Cap XIX. De arte Circi.

A

mæ capitolina. Item [109] Herculi Numæa, [110] Neptuno Isthmia, ceteri mortuorum varii agones. Quid ergo mirum, si apparatus agonum idololatria conspurcat de coronis profanis, de [111] sacerdotalibus Præsidibus, de collegiariis ministris, de ipso postremo boum sanguine, vt de loco suppleam. vt de loco cõmuni pro collegio artium musicarũ & minerualium, & apollinarium, etiam martialium, per duellum, per tubam, [112] vt stadio Circũ æmulentur, quod vtiq; templum est, & ipsum eius idoli, cuius solennitates agit. [113] Sed & gymnicas artes Castorum & Herculum & Mercuriorum disciplinæ prodiderunt. [114] Supereſt illius insignissimi spectaculi acceptissimi recognitio. Munus dictũ est ab officio: [115] quoniam officium etiam Muneris nomen est. Officiũ autem mortuis hoc spectaculo facere se veteres arbitrabantur, posteaquã illud humaniore atrocitate temperauerunt. Nam olim quoniam animas defunctorũ humano sanguine propitiari creditũ erat, [116] captiuos, vel malo ingenio seruos mercati in exequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos parauerant armis, quibus tunc & qualiter poterant eruditos, tantũ vt occidi discerent: mox edicto die [117] Inferiarum apud tumulos erogabant: Ita mortẽ homicidiis consolabantur. Hæc muneris origo, sed paulatim prouecti ad tantam gratiam, ad quantã & crudelitatẽ, quia ferrum voluptati satis non faciebat, [118] nisi & feris humana corpora dissiparentur. [119] Quod ergo mortuis litabatur, vtique parentationi deputabatur. Quæ species proinde idololatria est, quoniam & idololatria parẽtationis est species, Tam hęc quã illa mortuis ministrat. In mortuorum autem idolis dæmonia consistunt, vt & titulos consideremus: licet transierit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viuentium, [120] quæsturas dico & [121] magistratus, & [122] flamina & sacerdotia: cum tamen nominis dignitas idololatriæ crimine teneatur, necesse est, quidquid dignitatis nomine administratur, communicet etiam maculas eius, à qua habet causas. Idem de apparatibus interpretabimur in ipsorum honorũ suggestu deputandis, [123] quod purpuræ, quod fasciæ, quod vittæ, quod coronæ, quod deniq; [124] conciones & edicta, & [125] pultes pridianę sine pompa diabuli, sine inuitatione dæmonum non sunt. Quid ergo de horrido loco perorem, quem nec periuria sustinent? pluribus enim & asperioribus nominibus [126] amphitheatrum consecratur, quam [127] capitolium omniũ dæmonũ templum est. Tot illic immundi spiritus cõsidunt, quot homines capit. Vt & de artibus concludam, [128] Martẽ & Dianã vtriusq; ludi Præsides nouimus. [129] Satis, opinor, impleuimus ordinẽ, quot & quibus modis spectacula idololatriã committãt, de originibus, de titulis, de apparatibus, de locis, de sacrificiis, quo certi sumus, nulla ex parte competere nobis ea, qui idolis renunciauimus: Nõ quod idolũ sit aliquid (vt Apostolus ait) sed quod quæ faciunt, dæmoniis faciunt, consistentibus scilicet in [130] consecrationibus idolorũ siue mortuorum, siue (vt putant) Deorũ. Propterea igitur, quoniam vtraq; species idolorũ conditionis vnius est, dum mortui & dii vnum sunt, vtraq; idololatria abstinemus: nec minus templa, quã monumenta despuimus: neutrã aram nouimus, neutram effigiem adoramus: nõ sacrificamus, non parentamus, sed neque de sacrificato & [131] parentato edimus, quia nõ possumus cœnã Dei edere, & cœnam dæmoniorum. Si ergo gulam & ventrem ab inquinamentis liberamus, quanto magis augustiora nostra, oculos & aures ab [132] idolothytis & necrothytis voluptatibus abstinemus, quæ non intestinis trãsiguntur, sed in ipso spiritu & anima digeruntur: quorũ munditia magis ad Deum pertinet, quam intestinorum. [133] Nunc interposito nosse de idololatria, quod solũ subiectum sufficere deberet ad abdicationẽ spectaculorũ, alia iam ratione tractemus ex abundanti: propter eos maxime qui sibi blandiuntur, quod non nominatim abstinentia ista præscripta sit, quasi parum etiam de spectaculis pronuncietur, cum [134] concupiscentiæ seculi damnantur. Nam sicut pecuniæ, vel dignitatis, vel gulæ, vel libidinis, vel gloriæ: ita & voluptatis concupiscentia est. Species autem voluptatis etiam spectacula (opinor) generaliter [135] nominatæ concupiscentię continent in se & voluptates: Æque generaliter intellectæ voluptates specialiter & in spectacula disseruntur. Ceterum retulimus supra de locorũ conditione, quod nõ per semetipsa nos inquinent, sed per ea quæ illic geruntur, per quæ simul inquinamentum combiberint, tunc & in alteros respuũt. [136] Viderit ergo, vt diximus, principalis titulus idololatriæ, reliquas rerum ipsarum qualitates contrariis omnes feramus. [137] Deus præcepit, spiritum sanctum, vtpote pro naturæ suæ bono tenerũ & delicatum, tranquillitate & lenitate, & quiete & pace tractare, non furore, non bile, non ira, nõ dolore inquietate. Huic quomodo cum spectaculis poterit conuenire? Omne enim spectaculum sine concussione spiritus non est. Vbi enim voluptas, ibi & studiũ, per quod scilicet voluptas sapit. Vbi studium, ibi & æmulatio, per quam studium sapit. Porro & vbi æmulatio, ibi & furor & bilis, & ira & [138] dolor, & cetera ex his quæ cum his non competunt disciplinæ. Nam & si qui modeste & probe spectaculis fuitur, pro dignitatis, vel ætatis, vel etiam naturæ suæ conditione: non tamen immobilis animi est sine tacita spiritus passione. Nemo ad voluptatem venit sine adfectu, nemo adfectum sine casibus suis patitur. Ipsi [139] casus incitamenta sunt adfectus. Ceterum si cessat adfectus, nulla est voluptas, & est reus iã ille vanitatis eo conueniens, vbi nihil cõsequitur. Puto autem, etiam vanitas extranea est nobis. Quid, quod & ipse se iudicat inter eos positus, quorũ se similẽ nolens vtique detestatorem confitetur? Nobis satis non est, si ipsi nihil tale faciamus, nisi & talia facientibus nõ conferamur. *Si furem*, inquit, *videbas, concurrebas cum eo.* Vtinam ne in seculo quidem simul cum illis moraremur: sed tamen in secularibus separamur, quia seculum Dei est, secularia autem diaboli. [140] Cum ergo furor interdicitur nobis, ab omni spectaculo auferimur, etiam à Circo, vbi proprie furor præsidet. Aspice populum ad id spectaculum iam cum furore venientem, iam tumultuosum, iam cæcum, [141] iam de sponsionibus cõcitatum. [142] Tardus est illi Prætor, semper oculi in vrna eius cum sortibus volutantur. Dehinc ad signum anxii pendent, vnius dementiæ vna vox est. Cognosce dementiã de vanitate: Missi [143] dicunt, & nunciant inuicẽ quod simul ab omnibus visum est. Teneo testimonium cæcitatis, non vident missum quid sit, mappam putant: sed est diaboli ab alto præcipitati figura. Ex eo itaq, itur in furias & animos & discordias, & quidquid non licet sacerdotibus pacis. Inde maledicta, conuicia sine iustitia, odii etiam suffragia sine merito amoris. Quid enim consecuturi suum illic agunt, qui sui non sunt? nisi forte hoc solum, per quod sui non sunt: de aliena infelicitate contristantur, de aliena felicitate lętantur. Quidquid optant, quidquid abominantur, extraneum ab illis est. ita & amor apud illos ociosus, & odium iniustum. Et forsitan sine causa amare liceat, quam sine causa odisse. Deus certe etiam cum causa prohibet odisse, qui inimicos diligi iubet. Deus etiam cum causa maledicere non sinit, qui maledicentes benedici præcipit. Sed Circo quid amarius, vbi ne [144] principibus quidem aut ciuibus suis parcunt? Si quid horum quibus Circus furit [145] alicubi competit sanctis, etiam in Circo licebit. Si vero nusquam, ideo nec in Circo. [146] Similiter impudicitiam omnem amoliri iubemur. Hoc igitur modo etiam à theatro separamur, quod est priuatum consistorium impudicitiæ, vbi nil probatur, quã quod alibi non probatur. Ita summa gratia eius de spurcitia plurimum cõcinnata est, [147] quam Atellanus gesticulator, [148] quam Mimus etiã per mulieres repræsentat, sexũ pudoris exterminans, vt facilius domi quam in scena erubescant. Quã [149] deniq; Pantomimus à pueritia patitur in corpore, vt artifex esse possit. Ipsa etiam prostibula publicæ libidinis hostiæ in scena proferũtur, plus miseræ in præsentia fœminarum, quibus solis latebant, perq; omnis ætatis, omnis dignitatis ora transducũtur, locus, [150] sti-

pes,

A Cap. XII. De munere.
B
C Cap. XIII.
D Cap. XIV.
1. Cor. 8.
Actor. 20.
1. Cor. 10.
1. Ioan. 2.
E
F
G
H
Cap. XI. Ephes. 4.
Psal. 49.
Cap. XVI.
Matth. 5. Marc. 7. Rom. 13.
Cap. XVII.

pes, elogium, etiam quib. opus non est, prædicatur. Taceo de reliquis, ea quæ in tenebris & in speluncis suis delitescere decebat, ne diem cõtaminarent. Erubescat senatus, erubescãt ordines omnes. Ipsæ illæ pudoris sui interemptrices de gestib. suis ad lucem & populum expauescentes semel anno erubescunt. Quod si nobis ónis impudicitia exercãda est, cur liceat audire, quæ loqui non licet? Cum etiam scurrilitatem & omne vanũ verbum iudicatum à Deo sciamus, cur eq; liceat videre, quæ facere flagitium est? Cur quę ore prolata communicant hominem, ea per oculos & aures admissa nõ videantur hominem cõmunicare: 151 cum spiritui appareant aures & oculi, nec possit mundus præstari, cuius apparitores inquinantur? Habes igitur & theatri interdictionẽ, de interdictione impudicitiæ. [152 Sin & doctrinam secularis litteraturæ, vt stultitiæ apud Deũ deputatam, aspernamur, satis præscribitur nobis & de illis speciebus spectaculorum, quæ seculari litteratura 153 lusoriam vel agonisticam scenam dispũgunt, quod sint tragœdiæ & comœdiæ scelerum & libidinũ auctrices, cruentæ & lasciuæ, impiæ & prodigæ. Nullius rei aut atrocis, aut vilis commemoratio melior est: quod in facto reiicitur, etiã in dicto nõ est recipiendum. 154 Quod si & stadium contendas in scripturis nominari, sane obtinebis. Sed quę in stadio geruntur, indigna conspectui tuo nõ negabis, pugnos & calces & colaphos & omnẽ petulantiam manus, & quamcunque humanioris, i d est, diuinę imaginis depugnationem. 155 Non probabis vsquã vanos cursus & iaculatus & saltus vaniores, nusquam tibi vires aut iniurioſæ aut vanæ placebunt, sed nec cura factitii corporis, 156 vt plasticã Dei supergressæ propter ocium Græciæ altiles homines oderis. Et 157 palæstrica diaboli negotium est. 158 Primos homines diabolus elisit. Ipse gestus, columbina vis est tenax ad occupandum, tortuosa ad obligandum, liquida ad elabẽdum. Nullus tibi coronarum vsus est, quid de coronis voluptates aucuparis? [159 Expectabimus nunc, vt & Amphitheatri repudiũ de scripturis petamus. Si 160 sæuitiam, si impietatem, si feritatem permissam nobis cõtendere possumus, eamus in amphitheatrũ: Si tales sumus, quales dicimur: delectemur sãguine humano. Bonum est, cum puniuntur nocentes. Quis hoc nisi nocẽs negabit? Et tamen innocens de supplicio alterius lætari non potest, cum magis cõpetat innocenti dolere, quod homo par eius tam nocens factus est, vt 161 tam crudeliter impendatur. Quis autem mihi sponsor est, nocentes semper vel ad bestias vel ad quodcunq; supplicium decerni, vt non innocentiæ quoque inferatur, aut vltione iudicantis, aut infirmitate defendẽtis, aut instãria quæstionis? Quam melius ergo est nescire, cum mali puniuntur, ne sciam & quum boni pereũt, si tamen bonum sapiunt. 162 Certe quidem gladiatores innocentes in ludum veniunt, vt publicæ voluptatis hostiæ fiant. Etiam qui damnantur in ludum, quale est vt de leuiore delicto in homicidas emendatione proficiant. Sed hęc ethnicis respõdi. Ceterum absit vt de istius spectaculi auersione diutius discat Christianus: quanquam nemo hæc omnia plenius exprimere potest, nisi qui adhuc spectat. malo non implere quam meminisse. [Quam 163 vanã igitur, immo desperata argumentatio eorum, qui sine dubio tergiuersationem admittendæ voluptatis obtẽdunt. Nullam eius abstinentiæ mentionem specialiter vel localiter in scripturis determinari, quæ directo prohibeant eiusmodi conuentibus interesse seruum Dei: Nouã proxime defensionem 164 suauiludij cuiusdam audiui. Sol (inquit) imo etiã ipse Deus de cælo spectat, nec contaminatur. Plane sol & in cloacã radios suos defert, nec inquinatur. Vtinam autẽ Deus nulla flagitia hominum spectaret, vt omnes iudiciũ euaderemus: Sed spectat & latrocinia, spectat & falsa, adulteria, & fraudes, & idololatrias, & spectacula ipsa. Idcirco ergo nos non spectabimus, ne videamur ab illo, qui omnia spectat. Compares homo reũ & iudicem: reum, qui quia videtur, reus est: iudicem, qui quia videt, iudex est. Nũquid ergo & extra limites circi furori studemus, & extra cardines theatri impudicitię intendimus, & insolentię extra stadium, & immisericordiæ extra amphitheatrum, quod Deus etiã extra cameras, & 165 gradus, & 166 aptias oculos habet. Erramus, nusquam & nunquam excusatur, quod Deus damnat. Nusquam & nunquam licet, quod semper & vbique non licet. Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo & æqualitas timoris, & fides obsequij, nõ immutare sententiam, nec variare iudicium. Non potest aliud esse, quod vere quidem est bonum seu malum. Omnia aũt penes veritatẽ Dei fixa sunt. [167 Ethnici quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis Deus, malum ac bonũ pro arbitrio ac libidine interpretãtur, alibi bonum, quod alibi malum, & alibi malum, quod alibi bonum. Sic ergo euenit, vt qui in publico vix necessitate vesicæ tunicam leuet: idem in circo aliter non exultet, nisi totum pudorem in faciem omnium intẽtet. & qui filiæ virginis ab omni spurco verbo aures tuetur, ipse eam in theatrum ad illas voces gesticulationesque deducat, & qui in plateis litem manu agẽtem aut compescit, aut detestatur, idem in stadio grauioribus pugnis suffragium ferat. Et qui ad cadauer hominis communi lege defuncti exhorret, idem in amphitheatro deroſi & dissipata, & in suo sanguine squalentia corpora patentissimis oculis desuper incumbat. Imo qui propter homicidæ pœnam probandam ad spectaculum veniat, idem 168 gladiatorem ad homicidium flagellis & virgis compellat inuitum. Et qui insigniori cuique homicidæ leonem poscit, idem gladiatori atroci 169 petat rudem & pileum præmium conferat. Illum vero confectũ etiam amoris spectaculo repetat, libentius recognoscens de proximo, quem voluit occidere de longinquo, tanto durior si noluit. [170 Quid mirum de inæquata illa hominum miscentium & commutantium statim boni & mali per inconstantiam sensus & iudicij varietate? 171 Etenim ipsi auctores & administratores spectaculorũ, quadrigarios, scenicos, xysticos, harenarios illos amantissimos, quib. viles animas fœminæ, aut illi ẽt corpora sua substernunt, propter quos in ea cõmittunt, quæ reprehendunt, ex eadem parte quam magnificũt, deponunt, & deminuunt, imo 172 manifeste dãnant ignominia & 173 capitis minutione, 174 arcentes curia, rostris, senatu, equite, ceterisq; honorib. omnib. simul ac ornamentis. Quibus quanta peruersitas? Amant quos multant, depreciant quos probant. Attẽ magnificant, artificem notant. Quale iudiciũ est, vt ob ea quis offuscetur, per quæ promeretur? Imo quanta confessio est maiæ rei, quarum auctores, quum acceptissimi sint, sine nota non sint? [175 Quum igitur humana recordatio etiam obstrepente gratia voluptatis damnandos eos censeat ademptis bonis dignitatum in quendam scopulum famositatis, quanto magis diuina iustitia in eiusmodi artifices animaduertit? An Deo placebit auriga ille tot animarum inquietator, tot furiarum minister, tot statuum, vt sacerdos coronatus: vel 176 coloratus vt leno, quem curru rapiendum diabolus aduersus Heliam exornauit? Placebit & ille, qui 177 vultus suos nouacula mutat infidelis erga faciẽ suam, 178 quam non contentus Saturno & Isidi & Libero proximam facere, insuper 179 contumelijs salaparum sic obiicit, quasi de præcepto Domini ludat? Docet scilicet & diabolus verberandam maxillam patienter offerre: 180 Sic & tragœdos cothurnis extulit, quia nemo potest adiicere cubitum vnum ad staturam suam, mendaceem facere vult Christum. Iam 181 vero ipsum opus personarum, quæro, an Deo placeat, qui omnem similitudinem vetat fieri, quanto magis imaginis suæ. Non amat falsum auctor veritatis: adulterium est apud illum omne quod fingitur. Proinde vocem sexus, ętatis mentientem, amores, iras, gemitus, lacrymas adiecerantem non probabit, qui omnem hypocrisin damnat. Ceterum cum in lege præscribit, 182 maledictum esse qui muliebribus vestietur, quid de Pantomimo iudicabit, qui etiam muliebribus curatur? Sane & ille artifex pugnorum impunitus ibit? Tales enim cicatrices

cæstuum,

A B C D E F G H

Ca. XVIII. Gen. 3. Cap. XIX. Sen. 9. Exod. 20. Matth. 6. Cap. XX. Cap. XXI. Cap. XXII. Ca. XXIII. Matth. 5. Luc. 12. Exod. 20. Deut. 22.

A

cæstuum, & callos pugnorum, & [183] aurium fungos à Deo cum suo plasmate accepit. Ideo illi oculos Deus plasmauit, vt vapulando deficiant. Taceo de illo, qui hominem leoni præ se opponit, ne parum sit homicida, quam qui eundem postmodum iugulat. [184] Quot adhuc modis perorabimus, nihil ex his quæ spectaculis deputantur, placitum esse, aut congruens Dei seruis, quod Domino placitum non sit. si omnia propter diabolum instituta, & ex diaboli rebus instructa monstrauimus: nihil enim non diaboli est, quidquid Dei non est, vel Deo displicet: hoc erit pompa diaboli, [185] aduersus quam in signaculo fidei eieramus. Quod autem eieramus, neque facto, neque dicto, neque visu, neque prospectu participare debemus. Ceterum nonne eieramus & rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius? Nunquid ergo supereſt, vtab ipsis ethnicis responsum flagitemus? Illi iam nobis renuncient, an liceat Christianis spectaculo vti. Atquin hinc vel maxime intelligunt factum Christianum, de repudio spectaculorum. Itaque negat manifeste, qui per quod agnoscitur, tollit. Quid autem spei supereſt in huiusmodi homine? nemo in castra hostium transit, nisi proiectis armis suis, nisi destitutis signis & sacramentis principis sui, nisi pactus simul perire. [186] An ille recogitabit eo tempore de Deo, positus illic vbi nihil est de Deo? pacem opinor habebit in animo contendens pro auriga, pudicitiam ediscet, attonitus in mimos. Imo in omni spectaculo nullum maius scandalum occurret, quã ipse ille mulierum & virorum accuratior cultus: ipsa consensio, ipsa in fauoribus aut conspiratio aut dissensio inter se de commercio [187] scintillas libidinum conflabellant. Nemo denique in spectaculo ineundo prius cogitat, nisi videri & videre. Sed tragœdo vociferante exclamationes ille alicuius prophetæ retractabit. Inter effœminationis modos Psalmum secum comminiscetur, & cum athletæ agent, ille dicturus est repercutiendum non esse, poterit & de misericordia moueri defixus in morsus vrsorum, & [188] spongias retiariorum. Auertat Deus à suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem. Quale est enim de ecclesia Dei in diaboli ecclesiam tendere? de [189] cœlo (quod aiunt) in cœnum? illas [190] manus quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare? ex [191] ore, quo Amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere, εἰς αἰῶνας alii omnino dicere, nisi Deo Christo? [Cur 192] ergo non huiusmodi etiam dæmoniis penetrabiles fiant? Nam & exemplum accidit, Domino teste, eius mulieris quæ theatrum adijt, & inde cum dæmonio rediit. [193] Itaque in exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem adgredi: constanter & iustissime quidem (inquit) feci, in meo eam inueni. Constat & alii linteum in somnis ostensum eius diei nocte, qua tragœdum audierat, cum exprobratione nominato tragœdo, nec vltra quintum diem eam mulierem in seculo fuisse. Quo vtique & alia documenta cesserunt de his, qui cum diabolo apud spectacula cõmunicando à Domino exciderunt. Nemo enim potest duobus dominis seruire. Quid luci cum tenebris? quid [194] vitæ & morti? [195] Odisse debemus istos conuentus & cœtos ethnicorum, vel quod illic nomen Dei blasphematur, illic [196] quotidiani in nos leones expostulantur, inde persecutiones decernuntur, inde tentationes emittuntur. Quid facies in illo suffragiorum impiorum æstuario deprehensus, non quasi aliquid illic pati possis ab hominibus, nemo te cognoscit Christianum, sed recogita quid de te fiat in cœlo. Dubitas enim, illo momento, quo in diaboli ecclesia fueris, omnes angelos prospicere de cœlo, & singulos denotare', quis blasphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures diabolo aduersus Deum administrauerit? Non ergo fugies sedilia hostium Christi, illam cathedram pestilentiariam, ipsumque aerem, qui desuper incubat sceleſtis, vocibus constupratum? Sint dulcia licet & grata & simplicia, etiam honesta quædam. Nemo venenum temperat felle & elleboro, sed conditis pulmentis & [197] bene saporatis, & plurimum dulcibus id mali iniicit: ita & diabolus letale quo conficit, rebus Dei gratissimis & acceptissimis imbuit. omnia illic seu fortia. seu honesta, seu sonora, seu canora, seu subtilia, proinde habe ac si stillicidia mellis de [198] libaculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum. [199] Per suauitatem saginentur eiusmodi dulcibus conuiuæ sui & loca & tempora & inuitator ipsorum est. Nostræ cœnæ, nostræ nuptiæ, nondum sunt: non possum cum illis discumbere, quia nec illi nobiscum. Vicibus disposita res est. Nunc illi lætantur, nos conflictamur. *Seculum* (inquit) *gaudebit, vos tristes eritis.* Lugeamus ergo, dum ethnici gaudent, vt, quum lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es, Christiane, si & in seculo voluptatem concupiscis, immo [200] nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. [201] Philosophi quidem hoc nomen quieti & tranquillitati dederunt, in ea gaudent, in ea auocantur, in ea etiam gloriantur. Tu mihi [202] metas & scenas & puluerem & harenas suspiras. Dicas velim. Non possumus viuere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? Nam quod est aliud votum nostrum, quam quod & Apostoli, exire de seculo, & recipi apud Dominum? Hæc voluptas, vbi & votum. [203] Iam nunc si putas delectamentis exigere spatium hoc, cur tam ingratus es, vt tot & tales voluptates à Deo contributas tibi satis non habeas, neque recognoscas? Quid enim iocundius, quam [204] Dei patris & Domini reconciliatio, quam veritatis reuelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retro criminum venia? quæ maior voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis, quam seculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conscientia integra quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus. [205] quod calcas deos Nationum, quod dæmonia expellis, quod medicinas facis, quod reuelationes petis, quod Deo viuis? Hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita: in [206] his tibi ludos Circenses interpretare, cursus seculi intuere, tempora labentia dinumera, metas consummationis expecta, societates Ecclesiarum defende, ad signum Dei suscitare, ad tubam angeli erigere, ad martyrii palmas gloriare. Si [207] scenicæ doctrinæ delectant, satis nobis litterarum est, satis versuum est, satis sententiarum, satis etiam canticorum, satis vocum, nec fabulæ, sed veritates, nec strophę, sed simplicitates. Vis [208] & pugillatus & luctatus? præsto sunt, non parua, sed multa. Aspice impudicitiam deiectam à castitate, perfidiam cæsam à fide, sæuitiam à misericordia contusam, petulantiam à modestia obũbratam & tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur. Vis [209] autem & sanguinis aliquid? habes Christi. [210] Quale autem spectaculum in proximo est aduentus Domini iam indubitati, iam superbi, iam triumphantis? Quæ illa exultatio angelorum, quæ gloria resurgentium sanctorum? quale [211] regnum exinde iustorum? qualis ciuitas noua Ierusalem? At enim supersunt alia spectacula, ille vltimus & perpetuus iudicii dies, ille nationibus insperatus, ille derisus, cum tanta seculi vetustas, & tot eius natiuitates vno igne haurientur. Quæ tunc spectaculi latitudo? quid admirer? quid rideam? vbi gaudeam, vbi exultem, spectans tot ac tantos Reges, qui in cœlum recepti nuntiabantur, cum ipso Ioue & ipsis suis testibus in imis tenebris cogemiscentes? item Præsides, persecutores Dominici nominis sæuioribus, quam ipsi, flammis sæuierunt, insultantibus contra Christianis, liquescentes? quos præterea sapientes illos philosophos coram discipulis suis vna conflagrantibus erubescentes, quibus nihil ad Deum pertinere suadebant, [213] quibus animas aut nullas, aut non in pristina corpora redituras adfirmabant, etiam poetas [214] non ad Rhadamanthi, nec ad Minois, sed ad inopinati Christi tribunal palpitantes? Tunc magis tragœdi audiendi, magis scilicet vocales in sua propria calamitate. Tunc histriones cognoscendi solutiores multo per ignem: tunc spectandus auriga, in flammea rota

totus

Ca. XXIV.

Matth. 5.

Cap. XXV.

Cap. XXVI.

Matth. 6. 2. Cor. 6. Eccles. 33.

CAP. XXVII.

Psal. 1.

Ca. XXVII.

Ioan. 16.

Philip. 1. CAP. XIII.

CAP. XIII.

totus rubens: tunc xysticī contemplandi non in 215 gymnasiis, sed in igne iaculati, nisi quod nec tunc quidē illos velim visos, vt qui malim ad eos potius conspectum insatiabilē conferre, qui in Dominū desæuierūt. Hic 216 est ille (dicam) fabri aut quæstuarii filius, sabbati destructor, Samarites & dæmonium habens. Hic est, quem à Iuda redemistis, hic est ille arundine & colaphis diuerberatus, sputamentis dedecoratus, felle & aceto potatus. Hic est, quem clam discentes subripuerunt, vt resurrexisse dicatur, vel 217 hortulanus detraxit, ne lactucæ suæ frequentia commeantium læderentur. Vt talia spectes, vt talibus exultes, qui tibi Prætor, Consul, aut Quæstor, aut sacerdos de sua liberalitate præstabit? & tamen hæc iam quodammodo habemus per fidem, spiritu imaginante, repræsentata. Ceterum qualia illa sunt *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt*? Credo, Circo & 218 vtraque cauea & omni stadio gratiora.

ANNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM DE Spectaculis.

1. DE SPECTACVLIS.] *Vti ne sæpius infra eadem repetenda sint, initio tum de ijs quæ* Spectaculis *omnibus communia sunt, tum de* Spectaculorum *variis generibus præfari visum est operæpretium, quod fiet, vt reliqua ei fiant dilucidiora, qui hæc memoriæ suæ inculcauerit. Imprimis autem Auctori sunt eadem* Spectacula, Ludi, Certamina, *in genere. Deinde ad omnis generis* Spectacula *referuntur, quæ cap.* V. VI. VII. & VIII. *tractat de* Ludorum Origine, Titulis, Apparatibus, & Locis. *Item ad omnia generatim pertinet, quam c.* XIV. *impugnat*, concupiscentia, vel pecuniæ, vel dignitatis, vel gulæ, vel libidinis, vel gloriæ aut voluptatis. *Præterea illud cap.* 15. vbi voluptas est, ibi & studium; vbi studium, ibi & æmulatio; porro vbi æmulatio, ibi & furor, & bilis & ira, & dolor; denique (*vti addit cap. sequ.*) amor ociosus, & odium iniustum.

Atqui quatuor genera Spectaculorum *improbantur, non à Tertulliano tantum, sed & à BB. Cypriano, Epiphanio, Isidoro & Hrabano; nempe* Ludi Circenses in Circo, Artes scenicæ in theatro, Agones in stadio, & Munera, Venationes, seu gladiatorij Ludi in Amphitheatro. *De quibus quidem singulis Tertull. singulariter eodem ordine tractat c.* IX. X. XI. & XII. & *rursum* XVI. XVII. XVIII. *ac* XIX. *Verum alibi quicquid in illis quatuor fieri solet, vno quidem fasce & eadem serie coniungit, exceptis tribus locis, quos ad eundem ordinem eduximus, idque non modo in hoc libro, sed & in Apologetico, & lib. ad Martyr. ac adu. Marcionem, quos hic adnotandos duximus, quia magnopere ad intellectum totius libri faciunt. Loci sunt isti libri huius, c.* 2. Circum (*inquit*) *verbi gratia*, vocis suauitates, vires corporis, & leonem. *Cap.* 3. *Non in* Circum *ibus, non in* theatrum; Agonem, munus *non spectabis. Cap.* 20. *Nunquid ergo* extra limites Circi furori *studemus*, extra cardines theatri impudicitiæ, insolentiæ extra stadium, immisericordiæ extra amphitheatrum? *Cap.* 21. *Sic ergo euenit*, vt in Circo totum pudorem in faciem omnium intenter, filiam in theatrum ad voces gesticulationesque deducat; in stadio grauioribus pugnis suffragium ferat; in Amphitheatro derosa & dissipata, & in suo sanguine squalentia corpora patientiss. oculis desuper incumbat. *Cap.* 22. Quadrigarios scenicos, xysticos harenarios. *Cap.* 23. *An Deo placebit* Auriga curru rapiendus? *sic* & Tragœdos cothurnis extulit; *sane & ille artifex* pugnorum *illæsus abibit? taceo de illo* qui hominem leoni præsepponit. *Cap.* 25. *pacem opinor habebit in animo* contendens pro Auriga, Tragœdo vociferante *exclamationes alicuius Prophetæ retractabit*; cum Athletæ agent, *ille dicit non esse repercutiendum, poterit & de misericordia moueri* defixus in morsus vrsorum & spongias retiariorum. *Cap.* 28. *Tu mihi* Metas, scenas, puluerem, & harenas *suspiras. Cap.* 29. *In hu tibi* Ludos Circenses *interpretare*: si Scenicæ doctrinæ *delectant*: vis pugillatus & luctatus: *vis autem* & sanguinis aliquid? *Cap. vltimo. Tunc spectandus* Auriga *in flammea romphæa totus rubens*: histriones *cognoscendi multo* solutiores *per ignem.* Xystici *contemplandi non in* gymnasiis, *sed in igne iaculati: nec tunc quidem illos velim visos*, qui in Dominum desæuierunt. *Denique ibidem in ipsa calce libri*: Credo (*inquit*) Circo & vtraque cauea (*theatro nempe & Amphitheatro*) & stadio gratiora. *Item Apologet. cap.* 38. *Nihil nobis est, inquit, cum* insania Circi, cum impudicitia theatri, cum xysti vanitate, cum atrocitate harenæ. *Et ijsdem pene verbis lib.* 1. *aduersus Marc. Nihil est nobis dictu, visu, auditu* cum insania Circi, &c. *vt prius. Postremo libro ad Martyras cap.* 2. *Non* clamoribus Spectaculorum, *vel* impudicitia, *vel* furore, *vel* atrocitate *celebrantium caderis. Haud absimiliter* D. *Cyprianus* quatuor *enumerat* Spectaculorum *species libro, quo Auctorem imitatur de Spectaculis, & de singulis eorum singula habet capita, nempe* III. IIII. V. & VI. *sed alio ordine. Primum enim reprehendit* cruenta Spectacula, ad quæ rabida fera nutritur in deliciis ad pœnam hominis; *deinde* Circensia certamina, lites in coloribus, contentiones in curribus, *inde* scenæ sales inuerecundos, &c. *denique* Græca certamina, & fœda illa luctamina. *Quorum duo*, Gladiatorios & scenicos Ludos, *etiam redarguit epist.* 2. *ad Donatum, & postremum Epistol.* 62. *ad Histrionem. Nec dissentit Epiphanius, qui sub finem operis aduersus hæreses: Ecclesia, inquit, prohibet* Ludos equestres, Theatra, Musicos *item* & Venatores. *Eodem pertinent quæ ipsis Tertulliani verbis habet Isidorus vbi supra cap.* 62. *Proinde, inquit, nihil debet esse Christiano cum* Circensi insania, cum impudicitia theatri, cum Amphitheatri crudelitate, cum atrocitate hærenæ, cum luxuria ludi (*seu sicut legendum censeo*, xysti.) *Quæ ipsa cap.* 16. *clarius explicans*: Ludus autem, *inquit, aut* Circensis *est, aut* Scenicus, *aut* Gymnicus, *aut* Gladiatorius. *Et eadem repetit Hrabanus vbi supra.*

Porro deferuente illo priori feruore Christianissimi, quum vbique fere vanitatem xysti *appellet Auctor dumtaxat, & apud Græcos propter numerum Olympiarum, quæ dicebantur à Agonibus Olympiis quinto quoque anno celebratis, tolerandum videtur tertium illud genus spectaculorum; posteriores scriptores, Arnobius, Lactantius, Hieronymus tres tantum reliquas species impugnarunt, fortassis retento quarto illo, vti iuxta Apostolum exemplo eorum sic currerent Christiani, vt apprehenderent, & meminissent, quod, nisi legitime certauerint, coronari non possint, & quod multi currunt, vnus autem accipit brauium, maxime sublatis vti videntur impudicis illis in* xysto *meretricum colluctationibus. Arnobius quidem de* Amphitheatris *lib.* 2. *paulo post medium, in quibus, inquit, mundi homines cernerent & bestiarum laniatibus dissipari, interficere se alios nullius ob meriti causam, sed ingratam voluptatem confessorum; ipsosque illos dies, quibus tantum committeretur nefas, in gaudiis communibus ducerent, & festa hilaritate sacrarent. Idem de* Circensibus, *quum aliquid adtigisset lib.* 4. *tractat de origine eorundem latissime lib.* 7. *aliquot ante finem paginis. Denique de* Theatralibus ludis *sub finem lib.* 4. *aduersus Gentes. Lactantius vero latissime de singulis horum trium generum verbis infra citandis tractat lib.* 6. *cap.* 20. *ita tractatum suum concludens: Et primitus quidem* venationes, quæ & Munera vocantur. *Saturno adtributa sunt*; Ludi autem Scenici *Libero*; Circenses *Neptuno; paulatim vero & ceteris dijs idem honos tribui cœpit, singulique Ludi eorum nominibus consecrati sunt, sicut* Sisinnius Capito in libris Spectaculorum *docet. Cui similia repetuntur Epitome eiusdem ca.* 6. *B. Hieronymus denique partim Tertullian. imitatus in vita Hilarionis: Non, inquit*, Circi furoribus, *non* theatri luxuria, *non* harenæ sanguine *delectabatur. Et ad Marcellam: Habeat sibi Roma suos tumultus*, Circus insaniat, theatra luxurient, harena sæuiat.

Ex quo adeo loco constat, etsi (Eusebio lib. 4. *de vita eiusdem ca.* 28. *& Zozom. lib.* 1. *histor. Eccles. testibus) Constantinus* Gladiatorios ludos *lege lata sustulerit, quæ exstat lib.* 2. *Cod. de Gladiatoribus, adhuc tamen Romæ non in vniuersum abolitos fuisse. Quod ipsum satis etiam constat ex libr.* 2. *de Gladiat. Cod. Theodosiani per Constantium lata, qua* Munerarios *prohibet esse Auctoratos milites, aut Palatina præditos dignitate. Item ex libr.* 2. *de Spectacul. eiusdem Cod. Theodosiani, vbi inter cetera dumtaxat interdicitur Magistratibus per Gratianum, Valentinianum & Theodosium, alio tempore* ferarum cuibus vacare, *quam quo die aut nati aut Imperij sceptra Principes susceperint. Rursum ex B. Augustino lib.* 6. *Confess. cap.* 8. *vbi meminit Gladiatorij ludi Romæ in sua adolescentia celebrati. Denique ex Prudentio ad finem lib.* 2. *ad Symmachum, qui Honorium Imperatorem hortatur vti illos tollat his verbis:*

> Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari,
> &c.

Qui certe tantum profecit, vt omnino Gladiatorum ludum interdixerit occasione cuiusdam Telemachii Monachi, quiquum Amphitheatrum ingressus pugnantes separare miteretur, à populo lapidibus fuit obrutus, quemadmodum à Theodoreto memoriæ proditum est Eccles. hist. lib. 5. *c.* 26.

Verum enimuero permissa sunt reliqua duo Spectaculorum *genera à Cæsaribus, quamuis Christianis, quantumuis repugnantibus Episcopis, ne (vti loquuntur Arcadius & Honorius) nimia tristitia in populo generaretur, interdictæ dumtaxat* Maiumæ *fœdo & obscœno spectaculo. vti patet ex l. vlt. ff. de* Maiuma. *in Cod. Theodos. Vnde & multos subinde subortos tumultus docent historiæ Ecclesiasticæ Aurigarum Agitatorumque factionibus. Hinc factum, vt BB. Chrysostom. & Augustinus, dum frequentissime aduersus Spectacula scribunt, non tam aliorum meminerint, quam eorum, quæ in* Circo *aut* Theatro *fiebant. Chrysostomus quidem* Circensium *homil.* 31. *in Ioan.* Scenicorum *homil.* 2. 6. & 69. *in Matth. & vtrorumque in Psal.* 50. *& hom. de Kalendis. Augustinus vero lib.* 2. *de Symbolo cap.* 2. *& lib.* 2. *de Ciuit. Dei cap.* 6. Circensium. *Lib. vero* 1. *de consensu Euangelist. cap.* 37. *& dict. lib.* 1. *de Ciuit. Dei cap.* 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 12. 13. *ac* 14. Scenicorum. *Hoc interim effecerunt suis Declamationibus sancti illi viri, vt saltem omnis* Theatrorum *atque* Circensium *voluptas per vniuersas vrbes prohibita sit Dominicis diebus, & Festis Natalis, ac Epiphaniæ Domini, Paschæ item & per totam Pentecosten. lib. Dominico de Spectaculis. in Cod. Theodos. quæ data est Kalend. Februarii, Constantinopoli, Theodos.* XI. & *Valentiniano Cæsar. Coss.*

vti recte ante me adnotauit quisquis Auctor est libri Obseruationum diuini & humani iuris, à quo non parum hac in re me adiutum ingenue fateor. Qui interim recte & illud adnotauit Constantinopoli postea inoleuisse Ludos illos Gladiatorios, ex eo quod exstet lex vlt. Cod. De feriis, qua Zeno Imperator interdicit (non simpliciter, sed Dominico dumtaxat die) Scenam Theatralem, Circense certamen, & ferarum lacrymosa spectacula. *Ego vero existimo aut non permissa nisi de Maleficis, qui ad bestias subinde condemnabantur, aut certe non nisi ferarum inter se certamina, quæ tamen subinde lacrymosa facta sunt, si quando (vt Tertulliani verbis vtar li. ad Martyras)* feræ in mediis ciuitatibus elapsæ caueis, homines deuorauerunt. *Certe etiam* Circense, *aut aliquod aliud Spectaculum Dominico die fieri interdictum est 6. Synodi in Trullo celebratæ, can. 66. Quod vtinam etiamnum obseruaretur, quum videamus, plerumque Dominicis & Festis diebus Spectacula exhiberi, nec modo Comœdiarum aut Tragœdiarum veterum honestiorum dramata, sed & ludicra subinde & pudenda, etiam ad mediam noctem vsque.*

Ceterum post absolutas dudum huius libri Adnotationes, vti Lector æquus facile colliget, tandem nactus Circi Maximi descriptionem Romæ à Bolognino Zalterio formis editam, auctore Pyrrho Ligorio Pictore Neapolitano, eandem à nobis subinde castigatam nouis formis excusam, in Lectorum gratiam simul edi, & superiori folio adiungi iussimus.

Cap. I.

2. Qui status fidei, quæ ratio veritatis, &c.] *Præter Præfatiunculam quandam hoc caput hanc meretur inscriptionem:* De responso ad duo ethnicorum argumenta pro Spectaculis. *Atqui scriptum hunc librum non ad iam Christianos tantum, sed & Catechumenos, quos Auctor* Audientes *solet nuncupare, patet tum ex verbis istis:* Dei serui cognoscite, qui maxime ad Deum acceditis, *quæ ad Catechumenos, tum ex illis:* recognoscite qui iam accessisse vos testificati & confessi estis, *quod ad iam Baptizatos, qui fidei testificationem in Baptismo reddiderant, pertinet, vti infra lib. de Baptismo latius.*

3. saluo erga Deum metu & honore.] *Hoc ipsum argumentum in causa simili dilutum reperire est lib. de Pœnitent. cap. 5. Quantum autem præstiterit Gelenius, vel ex hoc licet deprehendere, vbi recte legit:* nec vero Deum offendi, *pro:* nec verbo; & qua, *pro:* quo. *item paulopost:* definita, *pro:* descripta.

4. ad hanc obstinationem.] *Familiarus est Auctori vox* obstinatio *in bonam partem, pro constantia, sicuti & apud Tacitum li. 19.* obstinatio *fidei. quare non placet quod paulopost pro:* obstinatio disciplinæ, *ms. codex Anglicus habet:* obseruatio. *Atqui ex coniectura Latinii legimus:* quam iam superuacuam sibi fecerint, *pro:* superuacuum.

Cap. II.

5. Iam vero nemo est, &c.] *Titulum similem huic capiti dedimus:* De tertio ethnicorum argumento, quod ideo permissa sint Spectacula, quia ex rebus constent à Deo institutis & homini attributis, *Quod in simili iterum soluit Auctor infra li. de Habitu muliebri, haud procul à fine, quemadmodum ex verbis supra in Argumento allegatis constat.*

6. Leonem.] *Auctor loco citato* Pantheram *recenset, pro eo quod hic* leonem; *non enim* leones *dumtaxat, sed &* Pantheras *omnis generis in Amphitheatrum adduci ad venationem solitas ex Plinio manifestum est, hist. nat. lib. 8. cap. 16. & 17.* Leonum, *inquit, pluriù pugnam princeps Romæ dedit Q. Scæuola Pisilius in Curuli Ædilitate. Centum autem iubatorum primus omnium L. Sylla, qui postea Dictator fuit, in Prætura. Post eum Pompeius Magnus in Circo DC. in ijs Iubatorum CCCXV. Cæsar Dictator DCCC. Vbi certe Circus pro Amphitheatro Pompeij accipiendus, de quo infra.* De Pantheris *vero Senatusconsultum, inquit, vetus fuit, ne liceret Africanas in Italiam aduehere. Contra hoc tulit ad populum Cn. Ausidius Tribunus plebis, permisitque Circensium gratia importare. Primus autem Scaurus Ædilitate sua varias* CL. *vniuersis dedit; dein Pompeius Magnus* CCCCX. *Diuus Augustus* CCCCXX.

7. inimicum Dei.] *Sic ex ms. cod. pro:* Deo; *nam Tertullianicum est, vt Adiectiua cum Genitiuo construat, adnotauimus vlt. c. l. de Patient. & mox idipsum etiam in excusis legitur. Ex quo etiam restitui:* neque cultoribus Dei vitandum, *pro eo quod corruptissime legebatur* putandum.

8. ab hac secta.] *Rursum in bonam partem accipitur* secta *pro Christiana religione.*

9. voluptatem etiam sapiens vt tantam non contemnit.] *Locus obscurus & fortasis corruptus, quia Lactantius, vbi supra, tum ex Cicerone in Catone maiore, tum aliunde, adstruit, Philosophos* voluptatem *oculorum sustulisse, dicentes multo præclarius esse cælum, quam cælata intueri: ad quod etiam Spectaculum adhortatur B. Cyprian. vlt. c. lib. de Spectac.*

10. Deum esse vniuersitatis conditorem.] *Zenonis & aliorum Philosophorum sententias hac de re videre est apud Iustinum Martyrem, Apol. 2. & Anaxagoram eiusdem argumenti l. Item supra Apol. c. 21. qui* vniuersitatis artificem & factitatorem Deum *seu Rationem dicunt, de quo latius Lact. l. 4. verbis ibidem citatis, num. 310. & 311. Pro eo autem quod erat:* quæ sit æmula ex diuerso, *legimus, & melius,* quis sit æmulus, *quia mox sequitur:* aduersarium, *& interpolatorem, & postea:* æmulum.

11. Magicis deuinctionibus.] Deuinctiones *accipi pro ligaturis, de quibus latius l. de Anima. Et hic vero pulcra est Gelenij castigatio:* in hominis necem Auctor, *pro:* in nece est auctor. *Ex ms. paul. post lego:* flagitiorum actor, *pro:* auctor; *neque enim homo, sed Diabolus interpolator illorum est auctor.*

12 gulam ad gulæ crimen.] Gulæ crimen *solummodo Ecclesiasticis notum pro* gulæ *intemperantia seu gulositate, prophanis non item. Similiter dixit l. de Ieiunio:* Adam salutem gula vendidit, *& l. 1. adu. Marc.* comitibus gulæ, libidini scilicet atque luxuriæ. *Siue autem legas:* gulæ satietatem *cum excusis, siue* societatem *cum ms. perinde est.*

13. aut spiritus ideo insitus corpori.] *Videtur hoc pertinere ad eius errorem de* anima traduce, *de quo inter Prolegomena.*

14. non in exitum operum constat condidisse quæ damnat.] *Locus adnotandus contra Caluinum, qui Instit. l. 3. c. 22. 23. & 24. astruit, quod Deus creauit maximam partem mundi ad damnationem & perditionem simplici decreto voluntatis suæ, quemadmodum ipsi ab Heluetico obiectum est. Verum de hoc latius l. de Habitu virginum. Hic sufficiat quod subiungit:* quando hæc sit tota ratio damnationis, peruersa administratio conditionis à conditis. *Legimus autem:* neque mirari neque dubitare, *ex coniectura Ioan. Harrisii Angeli, pro:* dubitari, *& cum Gagnæo:* illa vis interpolatoris & æmulatoris angeli ab initio de integritate deiecerit, *pro eo quod irrepserat:* illi interpolatoris, &c. deiecerint.

Cap. III.

15. Hac conscientia instructi, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* Quod etsi non expresse, tacite saltem in Scripturis Spectacula prohibeantur. *In quo Auctorem imitatur B. Cypr. l. de Spect. c. 1. & Chrysost. hom. 62. ad popul. Antioc. vbi de Spectac. interpretatur illud Psalmi primi:* Fœlix, qui non abiit in concilium impiorum, &c.

16. ad nostrorum detractatus.] *Similiter l. Ad vxorem 2.* detractata & exerta sententia est; *vbi Rhenanus: Nouus (inquit) huius verbi Vsus:* detracto. *Sic & de Virgin. velandis:* Nec detractamus, quare non & puerum nominarit. *Compositum pro simplici. Atque legimus iterum cum Gagnæo:* ad hanc abdicationem spectaculorum, *pro:* ab hac abdicatione. *Est autem etiam hæc Iureconsultorum vox.*

17. Non occides, non idolum coles, &c.] *Non fuit hic ordinis curiosus Auctor; nam alioqui oporteret coniungere, sicuti alibi facit:* Non occides, non adulterium, non fraudem facies, *& præponere illud:* Non idolum coles, *quod ipsum Paraphrastis citat. Verum de his latius alicubi adu. Marc.*

18. Vias enim vocant cardines balteorum per ambitum, &c.] *Facit ad huius loci intellectum, quod habet Nonius Marcellus. Neutro, inquit, genere nempe, Varro rerii diuinarum l. 11. Tragica vincula* Baltea *sunt. Accius διδυσκαλικῶν lib. 8. Auctoribus manuleos,* baltea, *macharas. Dicit itaque Auctor,* vias vocari cardines, *id est, qua patebat ingressus,* balteorum *siue cingulorum è corio bullis ornatorum (nam ita* balteum *definit idem Varro l. 4. de ling. Lat.) quibus theatrum concludebatur. Alludere autem videtur ad* Theatra duo *pensilia C. Curionis, qua (teste Plinio hist. natur. lib. 36. cap. 10.)* fecit amplissima *ex lingo* cardinum singulorum, *versatili suspensa libramento. In quibus vtrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter se auersis, ne inuicem* obstreperent Scenæ *& repente circumactis, vt contra starent; prostremo iam die descendentib. tabulis & cornibus inter se coeuntibus faciebat Amphitheatrum, & Gladiatorum Spectacula edebat; ipsum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Quid enim miretur quisque in hoc primum? inuentorem, an inuentum? artificem, an auctorem? ausum aliquem hoc excogitare, an suscipere? parere, an iubere? Super omnia erit populi furor, sedere ausi tam infida instabilique sede, & paulopost. Ecce populus Romanus Vniuersus velut duobus naulgijs impositus* binis cardinibus sustinetur, *& seipsum depugnantem spectat, periturus, mouente aliquo laxatis machinis. Variauit (inquit paulopost) hanc suam magnificentiam fessis turbatisque* cardinibus, *& Amphitheatri forma custodita, nouissimo die duabus per medium scenis* Athletas *edidit, raptisque e contrario repente pulpitis, eodem die victores è Gladiatoribus suis produxit. Vide infra cap. 8. num. 68. verba Cassiodori huc pertinentia, & totius Circi descriptionem Catagraphicam, quam Adnotationibus huius libri ad maiorem intellectum vna excudi supra iussimus.*

19. Cathedra quoque nominatur ipse in anfractu ad consessum situs.] Anfractum, *siue, vt legit Varro lib. de ling. Latin.* amfractum, *intelligit theatri totius circuitum flexuosum. Est autem & illa phrasis Tertullianica:* interpretari capit, *de qua latius li. 5. aduers. Marc.*

20. Nam

20. Nam & specialiter quædam pronunciata, generaliter sapiunt.] *Regula ad intellectum scripturæ sacræ adprime vtilis. Atqui quod hic dicit, omnibus dictum, quod Israelitis dicebatur, non vno in loco adnotauit B. Hieronymus in Prophetas; quod addit de Ægypto & Æthiopia, ijsdem pene verbis habes supra lib. adu. Iud. c. 9. & infra lib. 3. adu. Marc. (vbi de hoc latius) præterquam quod vtatur his vocibus:* omnis gens, *pro eo, quod ibi:* totus orbis.

Cap. IV.

21. Ne quis argumentari, &c.] *Inscriptio capitis huius hæc est:* Quod in baptismo cum Diabolo & pompæ & angelis eius renuntiauimus, etiam Spectaculis renuntiauerimus. *In quo etiam Auctorem imitatur B. Cyprianus lib. de Spectaculis, cap. 2. & ipsum repetit Auctor infra cap. 5. & 24. Eodem pertinet quod habet Isidorus Etymol. lib. 18. cap. 62. Deum, inquit, negat, qui talia præsumit: fidei Christianæ præuaricator effectus est, qui id denuo appetit, cui (ita enim lego, pro:* quod) *in lauacro iam pridem renuntiauit: id est, Diabolo, pompis, & operibus eius. De qua* renunciatione *etiam latius infra Tom. 3. lib. de Baptismo, sicut &* de Christianæ fidei in eo professione.

22. Igitur si ex idololatria, &c. *Iisdem pene verbis B. Cyprian. Omnia ista spectaculorum genera, inquit, damnauit, quando* idololatriam *sustulit, ludorum omnium matrem, &c. quæ compendij gratia omittimus. Atqui de hac Metaphora Auctorus,* quibus incunabulis adoleuerit, *vide lib. præcedent. de Patientia, cap. 5.*

Cap. V.

23. De originibus quidem, &c.] *Veterem titulum huius capitis retinuimus, sed ad marginem reiecimus:* Vnde ludi dicti, *pro quo ms. etiam non male:* De origine ludorum. *Cuius ipsa verba pleraque repetuntur ab Isidoro Etymol. lib. 18. cap. 17. & quædam etiam à B. Cypriano c. 2. vbi supra.*

24. Existant Auctores multi, &c.] Auctores, *qui de Spectaculis scripserint, citantur hic ab Auctore, Timæus, Varro, Piso, Suetonius Tranquillus, Hermateles & Stesichorus, de quibus infra latius: at vero à Lactantio vnicus Sisinnius, seu Sisinnius Capito.*

25. Lydos ex Asia transuenas in Hetruria consedisse, &c. *De hoc ita Plinius li. 3. c. 5. Patet ora Liguriæ inter amnes Varum & Macrum CCXI. M. pass. Adnectitur septimæ, in qua est* Hetruria *ab amne Macro ipsa, mutatis sæpe nominibus; Inde Vmbros exegere Pelasgi, hos* Lydi; *à quorum Rege* Tyrrheni, *mox à sacrificij ritu lingua Gracorum* Thusci *sunt cognominati. Eodem pertinet quod habet Auctor l. de Pallio c. 1. de Toga à Pelasgis ad* Lydos, *à* Lydis *ad* Romanos, *de quo ibi in Adnot. nostris num. 14.*

26. vt Timæus refert.] Timæus *Siculus Historicus recensetur à Plutarcho in Nicia & à Diodoro Siculo, & à Cicerone lib. 2. de Orat. & Epist. ad Luceium lib. epist. 12.*

27. Inde Romani accersitos artifices, &c.] Ludiones (*inquit Liu. lib. 7. Decad. 6.*) ex Hetruria aciti *ad tibicinum modos saltantes.*

28. vt ludi à Lydis vocarentur.] *Huc pertinet, quod habet Nonius Marcellus:* Ludios *Romani* Lydios *vocabant, vt est in l. 1. Varronis de vita populi Romani.*

29. Sed etsi Varro Ludos à ludo, &c.] *Quum priorem sententiam ex modo citatis verbis videatur M. Varro secutus, nec etiam reperiatur hodie apud Varronem de ling. Latina; fortassis non ad M.* Varronem, *sed ad* Varronem Atacinum, *quem sæpe citat Plinius, referendum, aut certe in libris Varronis de Scenicis originibus, qui non exstant, id legebatur. Certe* Varroni *etiam istud adscribit Isidorus vbi supra.* Varro *autem, inquit, dicit* Ludos *à* Lusu *vocatos, seu potius* Lusu, *quemadmodum hinc est castigandus.*

30. sicut & Lupercos ludos, &c.] Lupercalia *dicta (inquit Varro de ling. Lat. l. 5.) quod in* Lupercali Luperci *sacra faciunt. & paulopost: Nam &* Lupercalia *Februario, vt in Antiquitatum libris demonstraui. Atqui ijs festis etiam* ludos Lupercos *exhiberi solitos alibi idem Varro testatur, in quibus nudi discurrebant iuuenes, idq. in honorem primum Panis, qui &* Lupercus *ab Arcadibus, deinde à Romanis in honorem Lupæ Romuli matris. Vide item Adnot. nostras in Apolog. c. 26. nu. 419.*

31. & cum promiscue ludi Liberalia vocarentur, &c.] *Idipsum repetitur infra cap. 10. Pertinet autem eodem, quod supra ex Lactantio citauimus,* Ludos Scenicos Libero attributos; *quod ipsum etiam repetit, vbi supra, Isidorus, & Alexander ab Alexandro, Genial. dier. lib. 6. cap. 19. Apertissime autem B. Cyprian. Ceterum cum vrbem fames occupasset, ad aduocationem populi acquisiti sunt* Ludi Scenici, *&* Cereri *&* Libero *dicati; qui per agros fiebant Athenis mense Posideone.*

32. pro demonstrata gratia vini.] *Quod demonstrator vini dum taxat* Liber *fuerit, non inuentor, dixit Auctor supra Apo. c. 11. vbi vide Adn. nostras nu. 167.*

33. Exinde ludi Consualia dicti, &c.] Consualia (*inquit Varro de ling. Lat. lib. 5.*) *dicta à* Conso, *quod tum feriæ publicæ ei Deo, & in Circo ad aram eius ab sacerdotibus fiant* Ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ.

34. qui initio Neptunum honorabant, &c.] *Hunc imitatus Lactantius,* Neptuno *attributos scribit ludos Circenses, vbi supra Nam eundem &* Consum *vocatum tradunt Liuius, Dionys. & Plutarchus (quem infra cap. 9. huius libri Auctor* Neptunum equestrem *dicit,) cuique fuerit templum ædificatum ab Arcadibus ante Romulum & Remum, Halicarnasseus interim videtur lib. 6. eam magis probare sententiam, quod* Ludi equestres Neptuno *fiebant, at ara constructa fuerit alteri Genio arcano, quem* Consum *ab arcanis consilijs nuncuparunt.*

35. Dehinc Equiria Marti Romulus dixit.] Equiria (*inquit Varro, vbi supra*) *ab equorum cursu. Eo enim die currunt equi in campo Martio. & ijsdem Auctoris verbis Festus (ex quo adeo desumpsisse videtur)* Equiria ludi, quos Romulus Marti instituit *per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur. Ea autem (vti adnotauit Gyraldus, hist Deorum synt ag. 17.) duplicia Ouidius commemorat Martio & Aprili mensibus.*

36. quamquam & Consualia Romulo defendunt.] *Præterquam quod apertissime id habeat B. Cypr. & lib. de Idol. vanitate, & l. de Spectaculis, idipsum habent Auctores mox citati, quippe qui scribunt, eius Dei consilio vsum Romulum in rapiendis Sabinis. Certe etiam Arnobius lib. 3. & August. l. 4. de Ciuitate Dei cap. 11.* consilii Deum, Consum *nuncupant, & latissime historiam recenset Liuius lib. 1.*

37. & nunc quoque apud ipsos Romanos, &c. licitum &c.] *Ironia est; nam multis legibus ante Christianæ fidei notitiam, raptus virginum, vel ipso Auctore teste alicubi, fuere est prohibitus. Lego autem:* ab impudentis violentiæ alio Deo, *pro* impudentia, *vt correspondeat ei, de quo prius, Consilij Deo,* Conso *nempe, qui etiam* violentiæ Deus *sit, aut loquitur de ipso Romulo: nam &, vti inquit B. Cypr. libr. de Idol. vanitate, Romulus peierante Proculo Deus factus est; de quo ibi Adnot. nostris nu. 19.*

38. à fratricida institutore, à filio Martis.] *Sic Romulum nuncupat, quod fratrem Remum interfecerit, sicuti passim narrant historiæ. Et teste Quintiliano l. 3. c. 7. Romulus* Martis filius, *educatusque à Lupa dicitur.*

39. & nunc ara Conso illi in Circo defossa est, &c.] Aræ Consi *fit mentio apud Varronem lib. 5. de ling. & Dionys. Halicarnasseum lib. 2. Plutarchus in Romulo, dicit repertam ab eo* aram conditam sub terra in Circo, *eique Deo nomen indidisse* Conso, *à consilio,* aramque *ipsam reliquis latere temporibus, in equestribus vero certaminibus aperiri. Quod postremum videtur quidem prima facie repugnare cum eo quod dicit infra ca. 8.* Consus, vt diximus, Deus apud Metas sub terra delitescit; *sed quum hic ipsam inscriptionem* Aræ *recitet, quæ videri non potuit, nisi aperiretur, consentire cum Plutarcho videtur. Atqui de Metis infra latius ca. 28. Porro habes etiam* Aram Consi consilii Dei *in Circi descriptine* apud Metas *à parte Septentrionali; cui etiam P. Victor adsentitur.*

40. Mars dvello.] Duellum (*inquit Varro. l. 6. de ling. Lat.*) *id postea bellum; ab eadem causa ficta* Duellona Bellona. *Idem itaque hæc vetus inscriptio significat, quod aliis dicitur* Mars Bellipotens.

41. Lares comitio potentes.] *De* Laribus *vide Adnot. nostras in Apolog. c. 13. nu. 188. Atqui an propterea* Comitio potentes, *quod ædes Larium ab Æmilio Rugillo Prætore dedicata fuerit in campo Martio in quo fiebant* comitia, *an vero legendum* Compitalitio potentes, *quippe in quorum honorem celebrari soleant Compitalitij ludi. Habes &* Larium aram *in Circi descriptione, iuxta* Metas, *item &* Aras potentium ac valentium Deorum. *De quibus, etiam infra n 74.*

42. sacerdotes publici.] *Quod Varro, vbi supra, ad* Sacerdotes *in genere refert, Auctor restringit ad* sacerdotes publicos *Quod verisimile interim facit ibidem Varro, qui mox subiungit, quod Opeconsiua die in Dea Opeconsiua (forte ab Ope & Conso in vnum idolum conflata) sacrarium præter virgines Vestales &* sacerdotem publicum *introeat nemo.*

43. xii. Kal. Septembres.] *Quum Gyraldus scribat, vbi de Cõso agit, raptas fuisse Sabinas* xvii. Kal. Septembres, *forte ita & hic legendum, nisi apud illum numerus correctione indigeat, vtpote qui nullum Auctorem citet.*

44. Flamen Quirinalis.] Flamines *dicti (teste Varrone li. 4. de ling. Lat.) quod licio in apice velati erant semper, ac caput cinctum habebant fico. Qui quum omnes sint à singulis Deus cognominati (vti idem inquit l. 6. in quibusdam apparent Etyma, vt cursic Martialis, Quirinalis, &c. in aliis latent origines.*

45. Ioui Feretrio ludos instituit, &c.] *Post pompam triumphi (inquit Dionys. Halicarnass li. 2. hist.) & sacrificium, Romulus exstructo templo in vertice montis Capitolini (qui & antiquitus Tarpeius dicebatur)* Ioui, *quem* Feretrium *Romani vocant, Centenesium in eo Regis sua manu interfecti spolia consecrauit.*

46. quos Tarpeios dictos & Capitolinos Piso tradidit.] Ludos Capitolinos *recensetetiam Alexander ab Alexand. Genial. dier. l. 6. c. 19.* L. Pisonis *autem de Annalibus libros frequenter citat Plinius, ad quem alludisse Auctorem est verisimile vel ex loco infra citato.*

47. Post hunc Numa Pompilius Marti & Robigini fecit, &c.] Robigalia (*inquit Varro de ling. lat. l. 5.*) *dicta ab* Robigo. *Secundum segetes huic Deo sacrificatur, ne rubigo occupet segetes. Atqui & fœmino genere* Robiginem *appellat Lactantius l. 1. c. 20. item August. de Ciuit. Dei l. 4. c. 22. Nec Dea (inquit)* Robigo. *Atqui Plinium hic imitatur Auctor, qui l. 18. c. 29.* Rubigalia (*inquit*) Numa constituit *anno regni sui xi. quæ nunc aguntur ad vij. Kal. Maij. quoniam tunc fere segetes rubigo occupat. In iis igitur & ludos institutos Auctor adfirmat.*

48. Dehinc Tullus Hostilius.] L. Piso (*inquit Plinius l. 18. c. 2.*)

A primo Annalium, auctor est, Tullum Hostilium Regem ex Numæ libris, eodem quo illum sacrificio, Iouem cœlo deuocare conatum, quoniam parum rite fecisset quædam, fulmine ictum; quod refert B. August. de Ciuitate Dei lib. 3. cap. 15. Attribuit autem huic etiam ludos quosdam ad imitationem Numæ sui prædecessoris.

49. Dehinc Ancus Martius, & ceteri quoque per ordinem.] Quos ludos Ancus Martius instituerit, nondum reperire licuit. A Seruio Tullio vero institutos Ludos Compitalitios, & postmodum renouatos per dictum Lucium Pisonem, auctor est, vbi supra, Alexander ab Alexandro. Macrobius item Satur. l. 1. narrat. restitutos fuisse Laribus & Maniæ ludos Compitalitios à Tarquinio Superbo ex responso Apollinis, cum sacrificio, quo pueri mactabantur; quod Iunius Brutus Cos. pulso Tarquinio, mutarit in capita papaueris pro capitibus puerorum.

50. apud Suetonium Tranquillum.] Videtur librum peculiarem de ludis scripsisse Suetonius Tranquillus. idem cuius exstant historiæ Cæsarum, & libri de Claris Grammaticis & Oratoribus.

CAP. VI.

51. Accedit ad testimonium antiquitatis, &c.] Etiam hic titulum veterem seruauimus, ad marginem tamen: De titulis ludorum. Atqui dum dicit; vtriusque generis ludi, refert ad Scenicos & Circenses; quippe de quibus solis egit ca. præcedi.

B 52. Megalenses] Megalesia (inquit Varro l. 5. de ling. Lat.) dicta à Græcis, quod ex libris Sibyllineis accersita ab Attalo Rege Perganos Pessinunte, vbi Megalesion templum eius Deæ (magnæ, inquam, matris Deum) vnde aduecta Romam. Hinc & Ludi Megalenses, de quibus in hæc verba B. August. de ciuit. Dei l. 2. c. 4. Veni bamus nos etiam aliquando adolescentes ad spectacula ludibriaque sacrilegiorum, spectabamus arreptitios, audiebamus symphoniacos, ludis turpissimus, qui Diis Deabusque exhibebantur, delectabamur. Cœlesti virgini & Berecynthiæ matri Deorum omnium talia per publicum cantitabãtur à nequissimis Scenicis, qualia non dico matrem Deum, sed matrem quoruncumque Senatorium, vel quorumlibet honestorum virorum, immo vero qualia nec matrem ipsorum Scenicorum deceret audire. Liuius l. 29. dicit celebrari solitos pridie idus Apriles, & l. 35. primos scenicos hos fuisse scribit, à Marco Iunio Bruto primum exhibitos. Alludit ad eosdem Auctor Apolog. c. 15. his verbis: Cybele pastorem suspirat fastidiosum, non erubescentibus vobis. & paulo post: Vidimus aliquando castratum Atyn illum Deum ex Pessinunte, de quo latius ibi Adnotat. nostrarum n. 121.

53. & Apollinares] De Apollinaribus ludis infra latius l. de Baptis.

54. item Cereales.] Cerealia (inquit Varro l. 5. de ling. lat.) à Cerere: C ita & ludi Cereales, quos factos narrat Liuius 16. anno secundi belli Punici ex Senatusconsulto à Dictore Cn. Seruilio Gemino, & Magistro Equitũ Ælio Pæto. Deinde primus Ædilitatis initæ caussa eosdem C. Memmius Ædil. Cur. fecit in Circo celebrari. Neq; tamen propterea ijdem sunt cum Circensib. in quo hallucinantur Politianus & Alexander ab Alexand. quippe multo antiquiores à Romulo primum instituti. & in honorem (vti infra Auctor c. 4.) Neptuni equestris, non Cereris.

55. & Neptunales.] Neptunalia (inquit Varro, vbi supra) à Neptuno: eius enim Dei feriæ. Neptunales autem ludos eosdem esse existimo cum Circensibus, Neptuno equestri sacris.

56. & Latiares.] Quod Latinus Rex (inquit Festus in Oscillo) prælio, quod ei fuit aduersus Mezentium Cæritum Regem, nusquam apparuerit, iudicatusque sit Iupiter factus Latiaris, itaq; per sex eos dies feriatos, liberos seruosque requirere eum, non solum in terris, sed etiam qua videretur cœlum posse adiri per oscillationem, &c. quæ compendij gratia hic omittentes, Lectorem remmittimus ad Adnotat. nostras in li. de Pallio cap. 1. nu. 17. Hi ergo sex dierum Auctori ludi Latiares dicti, Macrobio vero: Latiar, quod in honorem fierent Iouis Latiaris seu Latialis, vti legunt Lactantius & Minutius locis citatis Apologet. 8. ca. nu. 126. vbi Auctor: Ecce in illa religiosissima vrbe Æneadarum piorum est Iupiter quidam, quem ludis suis humano proluunt sanguine. Sed bestiarii, inquitis. Hoc opinor minus quam hominis, &c. Ex quo loco patet, fuisse hos Gladiatorios ludos.

D 57. & Florales.] De Flora (quam meretricem vocat Minutius in Octauio, & Tatianus aduersus Gentes) florum, vti loquebantur, Dea, tractat Lactantius lib. 1. c. 20. Augustin. de Ciuit. Dei l. 4. c. 8. vbi adnotat Viues, quibusdam eandem esse Floram, quæ Acca Larentina, matrem Romuli Floralia autem (teste Plinio lib. 18 ca. 29.) IV. Kal. Maias instituerunt, vrbis anno 516. ex Oraculis Sibyllæ, vt omnia bene deflorescerent. Hunc diem Varro determinat (inquit ibidem Sole Tauri partem quartamdecimam obtinente. Atqui de Ludis Floralibus in hæc verba B. August. de consens. Euangel. lib. 1. capite 37. Cicero, inquit, sibi Floram matrem Ludorum celebritate placandam ait. In quibus Ludis tanta turpitudo exhiberi consueuit, vt in eorum comparatione ceteri honesti sint.

58. & municipalibus Fastis superstitionis.] Sic denuo cum Gagnæo, pro eo, quod erat mendose, superstitionibusque Quemadmodum enim Fastorum superstitionis Romanæ scripsit 12. libros (quorum sex perierunt) Ouidius, sic & singula Municipia suos Fastos habebant. Fastos autem circa forum in albo propositos à Flauio scribit Liuius prope finem li. vt quando agi lege posset, sciretur.

59. sacri & funebres.] Sacri erant, de quibus paulo ante Magnæ matri Deum, Apollini, Cereri, Neptuno, Latiari, Ioui, & Floræ dicati: funebres vero, de quibus infra ca. 12.

CAP. VII. E

60. Communis igitur Ludorum origo vtriusq; generis, &c.] Nihil etiam hic in titulo immutauimus, sed caput hoc ad marginem inscripsimus: De apparatibus Ludorum. Atqui placet magis illud excusorum cod. de reatu generali, quam quod habet ms. genitali.

61. Sed Circensium paulo pompatior suggestus.] Suggestus pro apparatibus vel ornamentis frequenter accipitur ab Auctore. eleganter autem pompatior nouam vocem formauit à pompa, nam & sequitur: quibus proprie hoc nomen pompa præcedit. Ac si dicat proprie pompam dici Circensium ludorum, ac inde etiam ad vsum communem venisse. Hinc Varro lib. 4. vnam reddit rationem, cur Circus dicatur, quod ibi circum Metas pompa, feratur. Huc pertinet illud Ciceronis li. 1. Offic. Cauendum, ne tarditatibus vtamur ingressu mollioribus, vt pomparum ferculis similes esse videamur; & illud Ouidij Fastorum supradictorum li. 4.

Circus erit pompa celebris.

62. de simulacrorum serie, de imaginum agmine.] Ad intellectum facit, quod citatur à Gyraldo hist. Deorum, syntag. 7. ex Plutarcho de simulacro Apollinis Heliopolitani: Vehebatur, inquit, ferculo, veluti deuehebantur in pompa Ludorum Circensium imagines Deorum. F

63. de curribus, de thensis.] Currus, prophana, thensæ, sacra erant vehicula. Thensam enim (teste Festo) ait vocari Sinnius (seu, vti legendum ex Lactantio patet, Sisinnius) Capito vehiculum, quo exuuiæ Deorum ludicris Circensibus in Circum ad puluinar vehuntur, & ex ebore, vt apud Titinium in Barbato, & ex argento. Quæ ipsa Festi verba maluimus ponere, quam quod habebat Rhenanus partim ex illo partim ex Pædiano in illud Tertulliani lib. de Coron. milit. quas (nempe coronas, de quibus ibi latius) ad deducendas thensas cum palmatis togis sumunt. Ex quo interim illud Ciceronis etiam adnotandum: Omnesque Dij, qui vehiculis thensarum sollemnes cœtus ludorum ire iussistis.

64. de armamaxis.] ἁρμάμαξα, vehiculi genus, de quo Herod. li. 7. ἐκ τοῦ ἅρματος ἐς ἁρμάμαξαν, quod vertit interpres, ex curru in essedum. Valla putat esse virorum vehiculum, ὡς ἀνδράμαξα. sed pro curru. quo mulieres vehuntur, clausis vndique tabernaculis, accipit Plutarchus in Themistocle, Plinius libro 34. capite 13. narrat esseda, vehicula, petorita etiam argento ornari solere, quod ad pompam Circensium pertinere puto.

65. illius vrbis, &c.] Recte in margine Gagnæus adnotauit, Romam intelligi. Est autem de vinea intelligendum quod dicit: & surculus modicus ex sua fronde, neque enim ex frondibus aliarum arborum, sed ex trunco aut radice surculi oriuntur. G

66. Iouis tamen plaustrum est.] Quum Deorum omnium exuuiæ (vti mox diximus) thensa veherentur, maxime certe, Iouis Deum patris supremi. Ceterum ex coniectura Latinij omissa particula; sed legimus in huius capitis calce: vel modice locuples, splendida est censu criminis sui.

CAP. VIII.

67. Vt & de locis secundum propositum exequar, &c.] Retinuimus etiam hic titulum priorem ad marginem: De ludorum locis. Multa autem ex hoc capite descripsit Isidor. lib. 18. Etymol. ca. 28. & post eum Hrabanus, vbi supra.

68. Circus Soli principaliter consecratur, &c.] Primus (teste Cassiodoro Variarum lib. 3. Epist. 51.) hoc spectaculum apud Helidem Asiæ ciuitatem OEnomanus fertur edidisse. Quod postea Romulus in raptu Sabinarum necdum fundatis ædificijs ruraliter ostentauit Italiæ. Deinde (Liuio teste li. 1.) Tarquinius Priscus Romæ Circum primus instituit, in quo ludos opulentius instructiusque, quam ceteri Reges, fecit. Postea mundi dominus (inquit ibidem Cassiodorus) ad potentiam suam opus extollens, mirandam etiam Romanis fabrica in H valle Martiam tetendit Augustus, vt immensa moles firmiter præcincta montibus (Palatino nempe & Auentino, iuxta Pomponium Letum de Antiquit. Rom.) contineret, vbi magnarum rerum iudicia clauderentur. Bissena quippe ostia ad duodecim signa posuerunt. Hæc ab Hermulis, funibus demissis (quo alludit haud dubie supra Auctor, quum loquitur de cardinibus balteorum per ambitum) subita æqualitate panduntur. Quod sic explicat sua descriptione Pyrrhus Lygorius, ac si vnico ictu ostia duodecim panderentur. Rationem autem reddit Auctor, & post eum Isidorus (cum quibus etiam conuenit Circi catagraphica sæpe dicta descriptio) quod ædes Solis medio spatio Circi, & effigies de fastigio ædis emicet. In eo autem, quod habet Auctor, Solem non sub tecto fuisse consecratum, sed in aperto, imitatur Vitruuium, vbi de templorum situ tractat. Qui, Ioui fulguri, inquit, & cælo & soli & lunæ ædificia sub diuo hypætraque construuntur. horum enim deorum & species & effectus, in aperto mundo & lucenti præsentes videmus. Quamquam tamen ille ibidem Herculi, non Soli, ædem ad Circum collocari iubeat, vbi non fuerint gymnasia neque amphitheatra. Est autem Circus (teste Isidoro) omne illud spatium quod circuire equi solent. Atqui quum Varro lib. 4. de ling. Lat. faciat mentionem Circi maximi, Circi intimi, & Circi Flaminii: videtur primum, iuxta quod habet Isidorus dicti lib. cap. 27. locus ille idem, qui Circus dicitur

ensibus duntaxat circundari solitus, deinde & balteis per ambitum conclusus (vti supra cap.3. Auctor subindicat) postremum spectaculis (vti Varro loquitur) circumædificatis. Et intimus Circus, id est, interior pars ad Murtium vocatus, siue à Murcis, quod is locus esset inter figulos, siue à Murteto, siue à sacello Murtiæ Veneris, de qua paulopost Auctor. Deinde quum amplior factus esset, Circus Maximus appellatus sit. Nam (inquit Plin. lib.36.cap.15. Circum Maximum à Cæsare Dictatore exstructum longitudine stadiorum trium, latitudine vnius, sed cum ædificiis iugerum quaternûm, ad sedem CCLX. millium inter magna opera dicimus. Postremum & Circus Flaminius dicitur, qui ædificatus circa campum Flaminium, qui an idem sit, an alius, dispiciant alij. Existant interim diuersæ quidem vtriusque descriptiones, sed quæ in multis consentiant.

69. Quod spectaculum primum à Circe habent.] *Ad concordiam huius loci cum Varrone, faciunt verba hæc Isidori, vbi supra. Romani, inquit, dictum putant à circuitu equorum, eo quod ibi circum metas equi currant. Græci vero à* Circe, filia Solis, *quæ patri suo hoc genus certaminis instituit, asserunt nuncupatum, & ab ea Circi appellationem argumentantur. Fuit autem* Maga & venefica & sacerdos dæmonum, *in cuius* habitu & *opere Magicæ artes & cultus* idololatriæ recognoscuntur. *Atqui quintum hunc* Solem *fuisse, qui Colchus Æetam & Circen procreauerit, testatur Cicero l. 2. de nat. Deorum, ad quem alludit Arnob. l. 4. adu. Gentes: Quintus (inquit)* Sol *Scythici Regis & versipellis habetur,* Circes *pater nempe.*

70. Oua] *Spatia curriculorũ in Circo* ouis *notata fuisse ex Liuio, Dione, & Cassiodoro primus adnotauit Alciatus l.4. Parergon, c. vlt. Quo etiam alludit Varro de re Rustica l.1.c. quum dicit apud illum Agrius: Non modo illud* ouum *sublatum est*, quod Ludis Circensibus nouissimi curriculi finem facit quadrigis, *sed nec illud* ouum *vidimus, quod in Cereali pompa solet esse primum. De his ita, vbi supra, Cassiodorus: Nec illud irritum putetur, quod* Metarum circuitus ouorum erectionibus *exprimatur; quando actus ipse, multis superstitionibus grauibus,* oui *exemplo, geniturum se aliqua profitetur. Atqui ad huius loci intellectum etiam facit dicta descriptio. Vide etiam num.72.*

71. honori Castorum adscribunt.] *Explicatius paulo Isidorus:* Castoris & Pollucis, *quippe qui nomine* Castorum *antiquitus vocentur. Hinc apud Trebellium Pollionem & Capitolinũ, Ædes* Castorum. *Arnobius similiter.* Tindaridæ Castores *(inquit) vnus equos domitare consuetus, alter pugillator bonus.* Castori *interim singulari numero vsurpat etiam Auctor infra lib.4 aduers. Marc. vbi de eorum patre latius, & cap. sequent. Itaque Castori & Polluci deputatur hæc species.*

72. Delphinos Neptuno vouent.] *Gagn.* Delphines. *Perinde est.* Delphinos *autem vocat Auctor* columnas Delphinis inscriptas, *de quibus citat Alciatus loco citato Dionem lib. 49. qui tradit Marcum Agrippã, quum in* ἱπποδρόμῳ *(quod nos* Circum *dicimus) videret plerosq; errantes in numero, dum duorum stadiorũ circuitionem cursumque minus recte obseruarent, iussisse fieri* τοὺς τε δελφῖνας καὶ ὠοειδῆ δημιουργήματα *(pro quo interpres vertit machinas seu phalas in oui formam: quas Metas dicimus,) quibus viarum circuitus demonstrarentur. Atque eo alludere Iuuenalem hoc versu:*

Consulit ante Phalas, Delphinorumque columnas.

Atqui tum ad has, tum ad eas quæ sequuntur columnas, *refertur illud Seueri & Antonini hac tempestate rescriptum: Si* columnas *Circensibus promisisti, &c. lib. 1. §. denique. de pollicit. Atqui comprobatur Auctoris sententia, quod habet Higinus in* Delphino: Qui Neptuno *(inquit) simulachrum faciunt,* Delphinum *aut in manu aut sub pede eius constituere videmus, quod Neptuno gratissimum esse arbitrantur. Atque adeo in dicta descriptione super Columnas Delphino sacras oportet superius adscu'pi,* Delphini.

73. columnas sessias à sementationibus, messias à messibus, tutelinas à tutelis fructuum.] *Religione veteri constitutum fuit (si Cælio Rhodigino Antiq.lect.li. 1.c.30. creditur) vt qui* Salutem Semoniam, Setiam Segestam, Tutelinam *inauspicato nominasset, is ferias obseruasset. Quod habere illum ex Macrobio testatur Turnebus Aduer. libr. 20. cap. 36. vbi & citat locum Plinij similem libr. 18 cap. 2.* Seiam *(inquit) à serendo,* Segestam *à segetibus appellabant, quarum simulacra in* Circo *sunt, tertiam ex ijs nominare sub tecto religio est. Hanc postremam Macrobius lib.1. Saturn. cap.16. vocat quemadmodum & hic Auctor,* Tutelinam. *Atque adeo quum adnotet Turnebus in ms. Plinio legi: Seriam, ego ex vicinitate litterarum puto legendum* Setiam, *quamquam interim Macrob.* Seiam *vocet; & eandem recte adnotat Turneb. hic vocari* Sessiam. *Ego vero etiam existimo eandem esse Plinij* Segestam, *Macrobij* Segetiam, *& Tertulliani* Messiam. *Quæ tria explicatius distinguuntur à Petro Crinito de honest. discipli. lib. 25. cap.11. & B. August. de Ciuit. Dei lib. 4. cap. 8.* Seia *(inquit) quæ satis frumentis opitulatur, antequam è solo existant;* Seietia, *cui segetes ipsæ commendantur;* Tutulina *collectis atque reconditis, seu potius (vti apud Varronem & Nonium Marcellum & omnes scriptores) legendum censeo quod à* Tutela *deriuetur,* Tutelina. *fuit namque ei & ara dicata, in Auentino, ad tutelam populi Romani. Habes* Columnas Sessias, Messias & Tutelinas *etiam in dicta descriptione.*

74. Eosdem & Samothracas existimant.] *Imitatur hic Auctor Varronem lib. 4. de ling. Lat. Terra enim (inquit) & cælum, vt* Samothracum *initia docent, sunt Dei Magni, & hi, quos dixi multis nominibus. Nam neque quas* Samothracia *(sic enim lego, pro eo quod alij Ambracia, vel Imbrasia) duas viriles species aheneas Dei Magni, neque, vt vulgus putat, hi* Samothracii *Dii, qui Castor & Pollux; sed hi mas & fæmina, & hi quos Augurum libri scriptos habent sic:* Diuipotes *(hoc est enim, quod addit Auctor:* potentibus, valentibus *& sunt pro illis, qui in* Samothrace θεοὶ δυνατοί. *Habes, vbi supra, etiam* Aras, Deorum potentium & valentium, *de quibus & n. 41.*

75. Obelisci enormitas, vt Hermateles adfirmat, &c.] *De hoc Plinius lib.36.cap.9. Is autem* Obeliscus, *inquit, quem Diuus Augustus in Circo magno statuit, excisus est à Rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti quinque pedum & dodrantis præter basim eiusdem lapidis. Is vero qui est in campo Martio, nouem pedibus minor, à Sesostride. Inscripti ambo, rerum naturæ interpretationem Ægyptiorum (atque hinc est, quod addit Auctor:* Scriptura eius, vnde & census, de Ægypto superstitio est) *opera Philosophiæ continent. An autem legendum sit cum Gelenio:* Hermateles, *an cum Gagnæo:* Termateles, *poterit iudicare Lector, vbi aliquid de alterutro Auctore inuenerit. Atqui Cassiodorus vbi supra duos in Circo* Obeliscos *ponit:* Obeliscorum *(inquit) prolixitates ad cœli altitudinem subleuantur: sed potior Soli, inferior Lunæ dicatus est. Vbi sacra priscorum Chaldaicis signis (pro eo quod Tertull. & Plinius* de Ægypto*) quasi litteris indicantur. Eosdem reperire est in supradicta descriptione.*

76. matre magna.] *Ita Tellurem nuncupatam manifestum est, ex eo quod infra cap. sequ.* Terræ matri *(inquit) quæ* Euripo præsidebat, *sicuti ex dicta descriptione constat, leoni insidens, iuxta illud:*

Sedibus in curru biiugos agitare leones.

77. ea itaque illic præsidet Euripo.] *Plinius similiter lib.8. cap. 7. post Suetonium, vbi de Elephantis agit, qui ne erumperent, circundati erant clathris, seu, vti alii legunt, clostris ferreis. Qua de causa, inquit, Cæsar Dictator postea simile spectaculum editurus,* Euripis harenam circundedit, *quos Nero Princeps substulit. Super quo loco Hermolaus;* Euripi, *fossæ in ludis circundatæ pro sepibus, quorum loco temporaria prius clostra fuerunt. Eodem pertinet, quod habet Spartianus in Heliogabalo:* Euripis *vino plenis nauales Circenses exhibuit. De eodem Cassiodorus in hæc verba, vbi supra. Euripus maris vitrei reddit imaginem, vnde illuc* Delphini *æquorei aquas interfluunt.*

78. Murtias quoque idolum fecit. Murtiam enim, &c.] *Sic omnino legendum, non* Mortiam, *tum quod præcedit* Murtias, *tum quod omnes veteres Auctores* Murtiam, *seu* Murceam, *hanc Deam nuncupent. Atqui quod apud* Metas *coleretur, indicat illud Apuleii lib.6 cum dixit* Metas Murtias, *tum quod P. Victor in* XI. *regione vrbis Ædem* Murtiæ *constituit, sicuti & Circum. Quod autem* Murtia *Dea amoris vocata sit, patet ex Plinio li. 15. Quin, inquit, & ara vetus fuit Veneri* Myrteæ, *quam nunc* Murtiam *vocant. Aliunde interim deriuat eam hic Auctor à* Murtia, *qui idolum primus fecerit. Plinio partim consentit Varro de ling. Lat. lib.4. loco supra citato, deriuans aut à Murteto, seu Myrteto, vt Plinius, in quo sacellum erat ædificatum* Murtiæ Veneri, *aut à Murcis, id est, figulis. Atqui in dicta Circi descriptione visitur etiam* Ædes Murtiæ.

79. Ceterum & plateæ, & forum, & balneæ, & stabula, & ipsæ domus nostræ sine idolis non sunt.] Platearum, *siue Compitalitios Deos supra cap.5. Lares esse diximus. Mercurio Vitruuius in* foro *templum construi vult. In balneis & in stabulis & in domibus Dii penates constitui solent. Eodem pertinent, de quibus libro sequ. Ostiorum dii.*

80. Proinde si Capitolium, si Serapeum.] *De* Capitolio *infra cap.12.num.127.de* Serapeo *supra Apolog. cap.18.num.271.*

Cap. IX.

81. Nunc de artificio, quo Circenses exhibentur, &c.] *Caput hoc ad marginem adnotauimus eodem titulo, quo prius:* De arte Circi. *quod integrum fere descripserunt Isidorus & Hrabanus, vbi supra.*

82. Res equestris retro, &c.] *Hunc locum ad verbum pene transcripsit Isid.lib.18.cap.27.de ludis Circensibus, vbi quod Actor,* retro, *dicit, ipse:* antea. *item* & vtique communis vsus huius reatus non erat, *pro:* communis vsus reus non erat; & translatus est, *pro eo quod Auctor:* transiit *iuxta ms. non enim recte legebatur* transiti. *Recte autem Tertullianus; nam & ab equis Hippodromos Græcis* Circus *dicebatur.*

83. Itaque Castori & Polluci deputatur hæc species.] *Isidorus:* deputantur hæ species; *sed illud placet, eo quod præcedat:* res equestris de dorso agebatur. *Huc autem pertinet imprimis, quod habet Arnobius lib. 8. Testes equestrium fratrum in lacu sicut se ostenderant, statuæ consecratæ; qui anheli spumantibus equis atque fumantibus de Perse victoriam eadem die, qua fecerant, nuntiauerunt. Ad quod alludit Prudent. adu. Symmachum his verbis:*

Nocturnique equites, celsæ duo Numina Romæ.

Legit etiam Isidorus: quibus equos à Mercurio distributos historiæ docent, pro eo, quod nos Stesichorus docet; *qui si exstaret, aliquid hac de re adnotari posset. Fortasse id habet libro, quem scripsit de vituperatione Helenæ, de quo* Stesichoro, *inquam, Poeta insigni, Quintilian.lib.16.cap.1. & Horatius lib.4.Carm.*

84. Sed & Neptunus equestris, &c.] *Vicissim hic castigandus est Isidorus omissa voce* ludus, *& ita vt legatur* ἵππιον, *non Hippon. At-*

A *qui de* Neptuno equestri *latissime Gyraldus histor. Deorum syntag. 5. ex Dionysio Halicarnassæo, Pausania in Achaicis & Arcadicis Diodoro Siculo, Valerio Probo, Festo, Phurnuto, Artemidoro 1. Oniroticon. Qui fere in hoc consentiunt, quod equitationis inuentor fuerit, vt fabulas omittamus, quodque primus equos domuerit. Atqui Isidorus hic addit*: Sed & Marti & Ioui in ludis equi sunt consecrati. *cui respondet, quod legatur etiam Hippius Mars, & Hippia Iuno quare videtur apud illum potius legi debere* & Iunoni, *quum nusquam Iupiter Hippius legatur aut equestris.*

85. De iugo vero quadrigas Soli, bigas Lunæ, &c.] *Isidorus, vbi supra, cap. 36. de equis, quibus currunt* Quadrigæ, *inquit, &* Bigæ *& trigæ, & seiugæ, à* numero equorum *&* iugo *dictæ. Ex quibus* Quadrigas Soli, Bigas Lunæ, *trigas inferis, seiugas Ioui, desultores Lucifero & Hespero sacrauerunt.* Quadrigas *ideo* Soli, *quia per quatuor tempora annus vertitur, ver, æstatem, autumnum, & hyemem.* Bigas Lunæ, *quoniam, sic enim lego, pro: quo, gemino cursu cum* Sole *contendit, siue quia nocte videtur & die; iungunt enim vnum equum nigrum, alterum candidum. Vide infra latius num.* 90.

86. Primus Erichthonius currus & quatuor ausus Iungere equos, rapidisque rotis insistere victor, &c] *Ita hunc locum restituimus, iuxta quod admonuit Harrisius, tum ex Virgilio Georg. 3. ex quo sumpti sunt hi versus; tum ex Isidoro, vbi supra, cap. 34. qui addit,* Erichthonium, *quod res est, Athenis regnasse, & legit* portentum dæmoniacum. *pro eo quod excusi Tertulliani cod.* dæmonicum. *sed istud placet, eo quod & Lactantio* dæmonicæ *fraudes appellentur. Atqui ad huius loci intellectum facit. quod habet in dictum Virgilii locum Seruius: Vulcanus, inquit, impetrato à Ioue Mineruæ coniugio, illa reluctante, effectum libidinis proiecit in terram. Inde natus est puer draconteis pedibus, qui appellatus est* Erichthonius, *quasi de terra & luto procreatus. Hic ad tegendam pedum fœditatem iunctis equis vsus est curru. Porro his consentit etiam Plinius lib. 7. cap. 56.* Bigas, *inquit, primum iunxit Phrygum natio,* Quadrigas Erichthonius.

B

87. Trochilus Argiuus, &c.] *Hinc ita castigandus & supplendus Isidorus:* Si vero Trochilus Archiuus auctor est currus, primo, *sic enim & hic lego, pro eo, quod erat,* primæ, Iunoni currum dedicauit, *Lego enim iuxta emendationem Leopardi. lib. 1. cap. 15.* Trochilus, *pro eo, quod hic antea erat* Acrophilus, *iuxta Gelenium & Gagnæum, aut* Prophilus *in margine apud Gagnæum. Adducitur autem auctoritate Theonis in hæc verba* οἱ δὲ μυθολόγοι τὸν ἡνίοχον λέγουσιν εἶναι εἴδωλον ἢ βελλεροφόντου, ἢ τροχίλου τῆς καλλιθέας παιδὸς *&c. Item Pausaniæ in Atticis* ὕστερον *(inquit)* δὲ τρόχιλον τὸν ἱεροφάντην φυγεῖν ἐξ ἄργους *&c. quare eodem modo etiam legendum est apud Eusebium in Chronicis: Primus quadrigas iunxisse fertur* Trochilus, *non autem, vti hactenus:* Arogilus, *seu* Proclytus, *vt apud Higinum. Nonnulli etiam, qui de syderibus scripserunt, hunc natione Argeum,* Trochilum *(non autem* Orsilochum) *nomine primum inuentorem quadrigarum esse dixerunt, & pro inuentione syderum locum possedisse.*

C

88. primo Iunoni id opus suum dedicauit.] *An quia* Argiua Iuno, *an vero quod dedicator eius currus, quo de more ad sacra perficiunda pergebat, duobus fratribus currum subeuntibus, vti narrant Palæphatus in Incred. hist. Herodotus & Valerius Maximus, si creditur Gyraldo, vbi supra, syntag. 3.*

89. si idem est Quirinus.] *Vide Adnotat. nostras in Cypr. libr. de Idol. vanit. nu* 19. *& supra cap. 6. nu. 37.*

90. albus & russeus.] *Pro eo quod hic, & bis postea:* russeus *legitur, Gagnæus legebat & similiter Isidorus:* roseos. *verum nostram veram esse lectionem patet vel ex his verbis* russeus æstati ob Solis ruborem. *Quum enim duo Soli adscribantur equi à Martiali, Xanthus & Æthon. &* ξανθὸς *Græce* ruseum *significet flauum, & proinde etiam* russeum. *Eodem pertinent fere quatuor nomina equorum apud Ouidium, Pyrois, Eous, Æthon, & Phlegon, & quæ sunt apud Fulgentium Mythol. lib. 1. Erythræus, Actæon, Lampos, & Philogeus. Nam Pyrois & Erythræus,* russeum *etiam significat, si Græcam deriuationem spectemus. Certe etiam Cato Orig. lib. 7.* russea *facie dixit, de qua latius lib. de Hab. mulieb. Similiter castigandus Cassiodorus lib. 3. Variarum Epist. 34.* Colores *autem in vicem temporum quadrifaria diuisione funduntur.* Prasinus *virenti* verno; Venetus *nubilæ hyemi,* Russeus *æstati flammeæ,* Albus *pruinoso autumno dicatus est.*

D

91. russeum alii Marti.] *Etiam hinc confirmatur dicta lectio Q. enim Calaber Paralip. in Homer. lib. 8. inter quatuor Martis equos, Phlogium etiam enumerat, ab igne, cuius color est* russeus.

92. album Zephyris.] *Imprimis Phœnicem Vsonem Taauto templa posuisse, & illi sacra fecisse narrat Eusebius libr. de Præparat. Euang. vbi de Phœnica theologia tractat, si Gyraldo creditur syntag. 5. Virgilius vero Æn. 8 inducit pecudem albam Zephyris fœlicibus immolasse. Reddit rationem Isidorus, vbi supra, cap. 42. quia sereni fere Zephyri.*

93. prasinum terræ matri.] *Huius rationem reddit etiam ibidem Isidorus, quia terra viridis; & similiter Veneti, quod mari tribuebatur, quia cærulei est coloris.*

CAP. X.

94. Transeamus ad Scenica, &c.] *Hic ex tribus titulis in vnum caput coniectis, vnicum huius in margine adnotauimus:* De Theatro & Artibus Scenicis. *imitatur autem etiam hic, & quædam ad verbum describit, vbi supra, Isidorus cap. 43. cuius hoc ad intellectum huius capitis & 7. facit:* Scena, *inquit, erat locus infra* Theatrum *in modum domus constructa cum pulpito, qui pulpitus orchestra dicebatur, vbi* cantabant Comici, Tragici; *atque* saltabant Histriones & Mimi. *Dicta autem* Scena, *Græca appellatione, eo quod in speciem domus erat instructa: vnde & apud Hebræos Tabernaculorum dedicatio à similitudine domiciliorum Scenopegia dicebatur. In Orchestra autem (vti addit. c. 44.) etiam* Poetæ, Comœdi & Tragœdi ad cantum conscendebant, *hisque canentibus alij gestus edebant.* Officia Scenica, Tragœdi, Comœdi, Themelici, Histriones, Mimi & Saltatores.

E

95. infœlicitate thuris & sanguinis.] *Vide Adnotat. nostras in Apolog. cap. 30. num.* 442. *&* 444.

96. inter tibias & tubas.] Tibiæ *(inquit Gyraldus hist. Deo. syntag. 17.) quibus in sacris vtebantur, ex buxo fuerant; quæ autem in ludis, ex* tibiæ asininæ osse, *aut ex argento confectæ erant. vbi etiam citat latiorem hac de re tractatum suum in Poetarum historia de* Scena. *Desumpsit ille id ex Plinio lib. 16. cap. 36 Qui etiam lib. 7. ca. 56. Obliquam, inquit,* tibiam *Midas in Phrygia, geminas* tibias *Marsyas in eadem gente inuenit. Vbi & paulo prius* Æneam tubam *Piseum Tyrrhenum inuenisse tradit.*

97. designatore & haruspice.] *Sic omnino lego, pro eo quod erat:* dissignatore. *Ex eo vero quod præcedit:* funerum & sacrorum, *videtur Auctor loqui de* funerum designatore & sacrorum haruspice. *de hoc infra latius libr. de Idololatria, & de Anima.* Designator *autem etsi Budæo qui funebri pompæ præerat, & ab Auctore* Pollinctor *appellatur Apolog. cap. 13. vti ibi adnotauimus nu.* 198. *Verum quia ibi* quo differt, *inquit,* ab haruspice pollinctor, nam & haruspex mortuis apparet; *verisimilius est, & ad funera, & ad sacra referri ab Auctore* Designatorem & haruspicem: *immo & ad Ludos Nam Vlpianus l. Athletas. ff. De his, qui notantur infamia.* Designatores *nominat, quos Græci* βραβευτὰς *appellant, qui ministerium, non autem artem ludicram exercent* βραβευτὴς *autem is erat, qui distribuebat* βραβεῖα.

F

98. Theatrum proprie sacrarium Veneris est.] *Quum Agricultores feriatis diebus, inquit Cassiodorus Variarum lib. 4. epist. 52. sacra diuersis numinibus per lucos vicosque celebrarent, Athenienses primum agreste principium in vrbanum spectaculum collegerunt.* Theatrum *Græco vocabulo visorium nominantes, quod eminus astantibus turba conueniens sine aliquo impedimento videatur. Frons autem* Theatri Scena *dicitur, ab vmbra luci densissimi vbi à pastoribus inchoante verno diuersis sacris carmina cantabantur, ibi & actus musicus & prudentissimi sæculi dictata claruerunt.* Theatrum *vero* ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, *id est, à spectando. Clarius Tertullianum explicans Isidor dicti libr. capit. 42.* Theatrum *erat, inquit quo Scena includebatur, semicirculi figuram habens, in quo stantes, immo postea etiam sedentes, omnes inspiciunt. Cuius forma primum rotunda erat, sicut & Amphitheatri, postea ex medio Amphitheatro* Theatrum *factum est. Cur vero* Veneris sacrarium, *infra hinc & c. 17. apparet. De* theatris *vero pensilibus* Curionis, *supra ex Plinio diximus c. 3.* Theatro M. Scauri *ibidem paulo prius: Hic, inquit, fecit in Ædilitate sua opus maximum omnium, quæ vmquam fuere humana manu facta, non temporaria modo, verumetiam æternitatis destinatione.* Theatrum *hoc fuit.* Scena *ei triplex in altitudine* CCCLX. *columnarum, in ea ciuitate, quæ sex Himettias non tulerat sine probro ciuis amplissimi. Ima pars Scenæ è marmore fuit, di midia è vitro: inaudito etiam postea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis, vt diximus; imæ duodequadragenum pedum. Signa ærea inter columnas fuerunt tria milia numero.* Cauea *ipsa cepit* LXXX. *hominum millia. Meminit item idem* Theatri Marcelli *ab Augusto dedicati lib.* 8. *cap.* 17.

G

99. Nam sæpe Censores renascentia cum maxime theatra destruebant. *Quum plures eiusmodi Censorum edicta aduersus* Theatra *passim occurrant in Liuio, de Nasica Scipione sic scribit B. Augu. lib. 1. de Ciuitate Dei, cap. 5 de simulacro agens, & ludis Deûm matris. Absit, inquit, vt Senator populi Romani, ea mente præditus, qua* Theatrum ædificari in vrbe fortium *virorum prohibuit, sic coli vellet matrem suam, vt talibus Deæ sacris propitiaretur, qualibus matrona verbis offenderetur. Atqui videtur Auctor pro eodem habere:* in testimonium, *&:* in exaggerationem.

H

100. Itaq; Pompeius Magnus solo theatro suo minor, &c.] *Tertullianum imitatus videtur his verbis, vbi supra, Cassiodorus: Hos ritus, inquit, Romani sicut ceteras culturas ad suam remp. trahentes, ædificium alta cogitatione conceptũ magnanimitate mirabili condiderunt. Vnde nõ immerito creditur* Pompeius *hinc potius* Magnus *fuisse vocitatus. De hoc etiam, vbi supra, Plinius:* Pompeii Amphiteatri *cauea toties multiplicata vrbe, tantoque maiore populo. sufficiat large* XL. *millibus. Fortassis fuit duplex* Theatrum, *quale supra Curionis, atque hinc à Plinio Amphitheatrum dictum. Aut potius, quod colligi potest ex variis Plinij locis, tum antea, tum postea hoc libro citatis, patet pro eisdem vsurpasse Plinium &* Circum *&* Theatrum, *&* Amphitheatrum, *vbi de variis animantibus Romæ exhibitis agit.*

101. Veneris ædem superposuit, &c.] *Tractat latius istud Plutarchus in vita Pompeij, quod iuxta Porphyrionem* victrici Veneri ædes superposita sit in theatro Pompeii *Meminit & Plinius lib. 8.* Pompeii *inquit, altero Consulatu* dedicatione templi Vene-

ris

ris victricis *pugnauere in Circo* XX. *aut, vt quidam,* XVII. *elephanti Getulis ex aduerso iaculantibus, mirabili vnius dimicatione, qui pedibus confossis repsit genibus in cauernas, arrepta scuta faciens in sublime, qua decidentia voluptati spectantibus erant in orbem circumacta, veluti arte, non furore bellua iacerentur.*

102. quod sunt Dionysia penes Græcos] *De* Liberalibus *supra cap.* 5. *Eadem fuisse appellata à Græcis* Dionysia *vel inde patet, quod eundem fuisse & Liberum, & Bacchum, manifestius sit, quam quod probatione indigeat, atque Bacchum Dionysium à Græcis appellatum tradit Euseb. de Præparat. Euang. lib. 2. cap. 2. eo quod ad speluncam Nisæ, quæ inter Phœniciam & Nilum sita est, puer à Mercurio transmissus sit, ibidem à Nymphis educatus. Quibus additur, quod huic loco maxime conuenit. Satyri, inquit, eum secuti diuuntur, qui saltando & Tragice canendo voluptatem ei adferebant. Ab hoc primum* Theatrum *& Musicam fuisse harmoniam inuentum. Atqui hic omisimus illud:* DE ARTIBVS SCENICIS, *& quod non ita multo post erat:* DE ARTIBVS, *quia ex margine in textum irrepserant. Deinde ex MS. & Isidor. dicti l. cap.* 51. *legimus*: quæ priuata & propria sunt Scenæ de gestu & corporis fluxu, *non* flexu, *eo quod sequatur, iuxta quod castigauimus ex eodem*: Nam mollitiam, *seu* molliciem, Veneri & Libero immolant, illi per sexum, illi per fluxum dissoluti *pro quo corrupte legebatur*: dissolutis.

103. Quæ vero voce & modis & organis & lyris transiguntur.] *Ita etiam ex eodem, pro eo quod erat*: organis & litteris; *nam & Poeta* lyris *sua concinebant carmina*: *hinc Lyrici dicti. Si interim ad* Mercurios *postremum illud referatur, posset retineri* litteris, *vt pote quarum inuentum illi tribuit Auctor infra de Coron. militu. Verumtamen ibidem:* Sed etsi neruos (*inquit*) idem in sonum strinxit, non negabo: *quorum quum vsus sit etiam in* lyris, *placet magis hæc lectio. Conuincitur denique ea lectio ex* B. *Cypriano lib. de Spect. cap.* 2. *vbi auctorem imitatus*; *Græca* (*inquit*) *certamina vel cantibus, vel in* fidibus, *vel in vocibus, vel in viribus præsides suos habent varia dæmonia.*

104. Apollines & Musas & Mineruas & Mercurios mancipes habent.] *Vel hinc confirmatur præcedens lectio: nam &* Apollinis *simulacro* lyra *adiungebatur*, & Musis *tribuebatur* lyra *septichordis, quemadmodum & Musica ab eis ita cognominata, atque adeo omnis generis & vocum modi & organa seu instrumenta reliqua. Recte etiam &* Mineruis & Mercuriis *eadem tribuuntur, eo quod artium omnium illi parentes tradantur. Plura vide apud Gregorium Gyraldum de Dijs Gentium, de* Apolline & Musis *syntag.* 7. *de* Mineruis *syntag.* 11. *& de* Mercuriis *syntag.* 9. *Ex quo opere multa me passim fateor descripsisse his in hunc librum Adnotationibus, eoque magnopere me adiutum, quippe qui multum lucis addere possit scriptoribus omnibus Porro quid* mancipes dii, *vide Apolog. c.* 11. *num.* 164.

105. nequam spiritus scilicet dæmones.] *De his vide peculariter capita integra* 22. 23. *&* 27. *Apologetici, & Adnotat. ibidem nostras. Atqui lego in calce capitis*: constituerant *ex ms. pro*: constituerunt.

CAP. XI.

106. Vt ordo peragatur, ineamus etiam agonum retractatum.] *De titulo priori nihil immutauimus, præterquam quod ad marginem reiecerimus, qui est*: De Agonibus. *Atqui nemo exactius omnis generis* Agones *describit, quam Auctor ipse. Imprimis infra in Scorpiaco*: Agonas (*inquit*) istos, contentiosa sollemnia, & superstitiosa certamina Græcarum & religionum & voluptarum, quanta gratia sæculum celebret, etiam Africæ liquuit. Adhuc Carthaginem singulæ ciuitatis gratulando inquietant: donatam Pythico agone post Stadii senectutem. Ita ab æuo (*alludens, quã tum apparet, ad Ludos sæculares, de quibus in Argumento*) dignissimum creditum est, studiorum experimentum committere artes, corporum & vocum præstantiam expendere, præmio indice, spectaculo iudice, sententia voluptate; qua nulla sunt prælia, nonnulla sunt vulnera, pugni quassant, calces aretant, cæstus dilaniant, flagella dilacerant, nemo tamen Agonis Præsidem fugillauerint, quod homines violentiæ obiecter. Iniuriarum actiones extra Stadium: sed quantum liuores illi & cruores, & vibices negotiantur intendit, coronas scilicet, & gloriam, & dotẽ, priuilegia publica, stipendia ciuica, imagines, statuas, & qualem potest præstare sæculũ de fama æternitatẽ, de memoria resurrectionem Pyctes ipse non quæritur, dolere se non vult; corona premit vulnera, plama sanguinem obscurat, plus victoriarum & quam iniuriarum. Hunc tu læsum existimabis, quem vides lætum? Sed nec victus ipse, de Agonotheta casum exprobrabit. *Deinde Metaphoricus Christus ab Auctore cap.* 3. *lib. adu. Martyras vocatur* Agonothetes, Xystarches & Epistates, *vbi recte exponitur per Rhenanum* Agonothetes, *qui certamen instruit præmijs propositis,* Xystarches, *Xysti præses, loci* (*inquam*) *in quo per hyemem exercebantur, &* Epistates, *Athletarum magister; addens apud Athenienses, qui decem virus diurno præerat imperio,* ἐπιστάτης *dictum Demostheni, Metaphora accepta ab ijs qui* ἐπιστατοῦσι *& παιδοτριβοῦσι apud Aelianum appellantur, quos recte Thessalonicus Gaza transtulit,* Substites & Astites. *Adijcit ibidem Rhenanus, apud Græcos olim luctaturos Athletas coromate. id est, oleo cerato perfundi solitos, quibus sit vnctus pulvis inspergebatur; hinc vnctores*, Ceromatistas, *dictos, atque adeo Christum suos athletas spiritu vngere. Deinde locum certaminis, in quo athletæ congrediuntur,* στάδιμα *Græcis dictum, quod is fossa cingi soleret,* παρὰ τὸ σκάπτω *atque adeo prouerbialiter dixisse ibidem Tertullianum.* ad hoc Scamma produxit, *de quo latius inter Prouerbiales formulas in nostris Prolegomenis. Denique* Et Athletas ad strictiorem disciplinam segregari *solere, & ibidem Tertull. & Epist. 2. ad Donatum tradit B. Cyprianus, de quo videat ibi Lector Adnot. nostras num.* 23. *& infra quoque, vbi de* Gladiatoribus *agemus: nam idipsum in illos competit.*

107. Proinde Tituli.] *Illud:* Tituli: *ex MS. adiecimus nam eodem ordine & de reliquis agit, primum ab* origine, *deinde à* Titulis, *ab* apparatibus *& à* locis.

108. Olympia Ioui quæ sunt Romæ Capitolina.] Hercules, *inquit Plinius lib.* 7. *cap.* 56. Olympiæ Athleticam *instituit, ab his, quod quinto quoque anno fierent Olympiades, de quibus sic Euseb. in Chronicis: Aeschyli, inquit, Iudicis Athenensiũ anno* 2. *prima Olympias acta, qua erat Agon Gymnicus, in quo Chorabus Helieus sis existitit victor. Helii enim agunt quinquennale certamen quatuor annis in medio expletis, in quibus principes annui constituuntur quatuor: quam Olympiadem Iphitus filius Praxonidis siue Hæmonis primus constituxit: Idque anno* 3. *Phaceæ regis Israel. Cui correspondet illud Pomponii Melæ: In Achaia quondam Pisæ Oenomai Elis, & nomen delubrumque Olympij Iouis, certamine Gymnico, ipso simulacro quod Phidiæ opus est maxime celebre.*

109. Herculi Nemæa.] Nemæa, *inquit Rhenanus in lib. de Cor. mil. celebrabantur in honorem Herculis, qui in* Nemæa *sylua leonẽ occidit Ludi instituti propter Archemorum.*

110. Neptuno Isthmia.] Ludos Gymnicos, *inquit, vbi supra, Plinius, in Arcadia Lycaon, funebres Acastus in Iulio, post eum Theseus in* Isthmo. *Hinc & Strabo lib.* 8. *In* Isthmo (*inquit*) *Neptuni, quem* Isthmium *vocant, templum eminet, picearum arborum luce circumclusum, vbi* ludos Isthmios *decertatos Corinthii celebrare solent. Legimus autem cum MS.* ceteri mortuotum varii agones, *pro eo, quod erat*: mortuarii.

111. de sacerdotalibus præsidibus, de Collegiariis ministris.] *Similiter supra dixit cap.* 7. *Quot* collegia, quot sacerdotia, quot officia. *Atqui* Sacerdotum Collegii *meminit Cicero aduer. Verrem, & mox Auctor* Collegii artiũ Musicarum, Minerualium, Apollinarium, & Martialium per duellum per tubam. *Atqui Numa Pompilius plura in ciuitate (vt Plutarchus scribit)* Collegia *constituit quæ* per artes singulas *distinxit. Ea L. Iulio & C. Mario Coss. Senatus consulto sunt sublata, quum aduersus Remp. esse viderentur. Post nouem deinde annos quam sublata fuerant, P. Clodius (vti est apud Padianum) legem tulit de* Collegiis *restituendis, nouisque in ciuitate instituendis. Vnde Cicero*: Collegia (*inquit*) *non solum, quæ Senatus tulerat, restituta, sed innumerabilia quædam ex omni face vrbis ac seruitio concitata: idque ad varios Deorum honores: De hinc Iulius Cæsar (Suetonio teste cap.* 42.) *cuncta* Collegia *præter antiquitus constituta detraxit. Quod ipsum testatur etiam in Octauii cap.* 31. *idem refert in Claud. c.* 21. *quod in coeptandis per* Collegia sacerdotibus, *neminem nisi iuratus nominauit.*

112. vt stadio Circum æmulentur.] στάδιον *iuxta Gell. lib.* 1. *cap.* 1. Διὰ τὴν στάσιν *id est à statione, quod Hercules eo spatio vno spiritu confecto, constituisset. Institutum quippe ab Hercule* Stadium *tradunt, eumque pedibus suis metatum esse id* Stadium, *quod est Pisis apud Iouem Olympicum, feciseque longum pedes sexcentos. Atqui Domitianus Romæ inter cetera etiam* Stadium *exstruxit. Hinc Iulio Firmio Stadiodromus, qui* stadium *percurrit? item & Plinio lib.* 34. *cap.* 8 *Leontius (inquit) fecit Stadiodromium Astylon, qui Olympiæ ostenditur. Neque enim Astylos, loci ipsius nomen, vt quidam volunt, sed Athletæ. Legimus vero cum MS.* & ipsum eius idoli, *ex quo adiecimus*; eius.

113. Sed & Gymnicas artes Castorum, &c. disciplinæ prodiderunt.] *Sic iterum cum Gagnæo, pro eo, quod irrepserat* Gymnicæ Gymnicus *autem ludus (inquit Isidor. vbi supra cap.* 17. 18. 19. 20. 21. 22. *& 32.) est velocitatis aut virium gloria. Antea certantes cincti erant, nenudarentur: post relaxato cingulo repente postratus & exanimatus est quidam cursor, quare ex consilii decreto tunc* Archon, *id est, Xystarches, Hippomenes, vt nudi deinceps omnes exercitarentur, permisit. Ex illo γυμνικὸς dictus est (sic enim legendum ibi censeo non* gymnasium, *de quo prius egerat) quod iuuenes nudi exerceantur in campo, vbi sola tantum pudenda operiantur. Genera autem* Gymnicorum *quinque, Saltus, cursus, iactus, virtus, atque luctatio. Atqui teste Plinio lib.* 7. *cap.* 56. *ludos* Gymnicos *instituit in Arcadia Lycaon.*

CAP XII.

114. Superest illius insignissimi spectaculi acceptissima recognitio. Munus, &c.] *Etiam hic priorẽ titulũ retinuimus, at in margine reiecimus istũ*: De Munere. *Quod ipsũ ita pulchre, quid sit, explicat, vt cõmentario magno non sit opus, vti etiam adtigimus epist.* 2. *B. Cyprian. ad Donatum, num.* 27. *ad illud: Et spectaculi licet pretium largior* Muneris *apparatus amplificet: Eodem pertinent phrases Iurieosultorii.* Munus dare, *l. Mortuo. &* Munus edere, *l. Charidemus De pollicit. Quod autem Auctor hic & Apolog. cap.* 4. *non vno in loco Cicero simpliciter,* Munus, *Sueton. in Cæsar. cap.* 39. Munus gladiatorium *dixit.* Munerarium *autem (inquit Quintilian. l.* 8. *cap.* 3.) *Augustus primus dixit: eodem appellat nomine & Suetonius Domitianũ cap.* 10. *cũ ferarũ spectaculũ seu Gladiatorũ ludũ exhiberet.*

A

Cuiusmodi, quando, & à quibus exhibiti sint ludi, mox dicemus latius. supra etiam aliquot adnotauimus n. 77. 98. & 101. Atqui B. quoque Irenæus lib. adu. hæres. 1. cap. 1. hæreticis inter cetera impingit; quod non abstinerent, quod est apud Deum & homines odiosum (sic enim lego pro socios um) Muneris homicidale spectaculum.

115. quoniam officium etiam Muneris nomen est.] *Huc pertinet, quod Veteres* Officium munusque *fere coniungere soleant. Hinc Cicero lib. 1. de Diuin.* Officium & munus *oculorum, & lib. 4. de Finibus.* Officium munusque *sapientiæ, quamquam interim Auctor* Officium *accipere magis videatur pro* Officio mortuorum, *quod* postremum officium *Tacito lib 5. & Q. Curtio lib. 3. dicitur.*

116. captiuos vel malo ingenio seruos mercati in exequiis immolabant.] *Habet idipsum Alexander ab Alexandro Genial. dierum lib. 6. addens apud Athenienses vsum obtinuisse, vt Imperatore vita functo duodecim captiui ad sepulchrum iugulati vna tumulentur.*

117. edicto Inferiarum die apud tumulos erogabant.] Inferiæ *(inquit Festus) sacrificia, quæ diis Manibus inferebant. Facit autem pro Auctore illud Virgilij* 10. Æneid.

Viuentes rupit *inferias*, quos immolet vmbris,

Atque etiam huius secundo introductæ consuetudinis meminit Alexander ab Alexandro, adiiciens ad id certamen, non modo Gladiatores à Lanistis eruditos prodiisse, sed & à Nerone exhibitos ad ferrum Senatores CCCC. *& Equites* D C. *Et Domitiani quoque temporibus non modo Nobiles, ad virtutis specimen ostendendum, in arenam prodiisse, sed & mulierum pugnas illum commisisse, donec cautum fuit, ne Equites Romani Ludo arenæ polluerentur. Primum autem & Iunium Brutum, in honorem patriæ, munus edidisse Gladiatorium testis est Liuius in Perioche. Legimus autem ex ms. cod.* quia ferrum voluptati satis non faciebat, *pro eo quod erat:* ferarum voluptati satis non fiebat, *alioqui enim repetitio fieret superuacanea in eo, quod subiungitur.*

118. nisi & feris humana corpora dissiparentur.] *Valerius Max. lib. 2. tradit, Appium Claudium & Fuluium Coss. primos in foro Boario Gladiatores cum feris commisisse. De hoc in hæc verba Isid. vbi supra ca.* 58. Ferarum pugna *erat, missas bestias iuuenes excipere, & pugnare aduersus eas, vltroneo funere certare, non crimine, sed furore.*

119. Quod ergo mortuis litabatur, vtique parentationi deputabatur.] *Alludere videtur ad illud Ciceronis pro L. Flacco:* Litemus *igitur Lentulo,* parentemus *Cethego.* Parentare *enim primum accipiebatur pro parentibus iusta celebrare, deinde & ad alios translatum. Ad institutum autem nostrum pertinet illud Senecæ, epist. 123.* Mortuis *certe viui* parentantur.

120. Quæsturas dico.] *De* Quæstoribus *aliquid diximus in epist. 2. ad Donatum B. Cypr. n. 42. Atqui huc pertinet, quod habet, vbi supra, Alex. ab Alex. Quum antea* Gladiatorii Ludi *Imperatorum* munus *forent, Claudius princeps vt pecunia* Quæstorum *fieret, cauit edicto.*

121 & Magistratus.] Magistratus *(teste Festo) qui per imperia potentiores sunt, quam priuati. Hac itaque appellatione intelligit Auctor* Ædilitatem, Prætura*m*, Consulatum *ac* Dictaturam. *Nam apud Plinium lib. 8. hist. natur. legitur, in* Ædilitate Curuli *Claudij Pulcri primum Romæ pugnasse Elephantos, deinde & Luculorum, cap. 7 Leonum plurium pugnam Romæ primum edidisse Q. Scæuolam P. filium, ca. 16. M. Scaurum* 150. *Pantheras & 5. Crocodilos cap. 17. & 26. Domitium denique Ænobarbum Vrsos Numiditos* 100. *& totidem venatores Æthiopas, cap. 36. In* Prætura *vero centum iubatorum Leonum pugnam primum omnium L. Syllam, qui postea Dictator fuit, ca. 16. In* Consulatu *Pompeij altero Elephantos* 20. *& Leones* 60. *Cæsaris Dictatoris tertio Elephantos etiam* 20. *ac Leones* 400. *ca. 7. & 16. Denique Dictatoris Cæsaris Ludis Circensibus primum visam Camelopardalim, ca.* 18.

122. Flaminia & sacerdotia.] *Fortassis ob* Flamines *& sacerdotes, qui Munerum editionem præter morem vsurparent, Tiberio imperante, cautum fuit (vti scribit Alexander, vbi supra) ne quis* Gladiatorum munus *daret, cui minus quadringentis millibus census esset.*

123 quod purpuræ, quod fasciæ, quod vittæ, quod coronæ.] *Ita omnino lego, pro eo quod irrepserat corruptiss.* fasces, *neque enim* fasces *in Gladiatorio munere vsurpabantur, sed* fasciæ. *Vide autem de* purpuris *&* vittis *Adnotat. nostras ad cap. 15. Apolog. nu. 231. De* coronis *vero, quarum hoc lib. frequentissima mentio: l. de Cor. milit. pine integrum, & ibidem de taniis, seu fasciis, cap.* 18.

124. conciones & edicta.] *Similiter loquitur Liu. lib. 2.* Concione *(inquit)* edicto *fecit fidem, ne quis ciuem Romanum vinctum aut clausum teneret. Videtur itaque ante editionem Muneris Gladiatorij aut inter sacrificandum, aut paulo post, varias fuisse vsurpatas* conciones & edicta *(vt cum Tacito loquar) in populum; quæ plerumque etiam edicebantur contra Christianos, vti infra latius cap.* 23.

125. & pultes pridianæ.] Pultium *& liborum solitos Deorum victus irridet Arnob. libr. 7. dicens, se opinari, propterea illis vino opus esse in sacrificiis, quo putrefiat facilius, & percoquatur cibus. Et multo ante eodem lib. Quid fritilla (sic enim lego à frit. pro* fitilla) quid frumen; *quid gratilla, catumeum, consolium, cunibala, ex quibus duo quæ priora sunt,* pultium *nomina, sed genere & qualitate diuersa, series vero quæ sequitur liborũ significantias continet.*

126. Amphitheatrum.] Amphitheatrum *(inquit Isidorus, vbi supra cap. 52.) locus est spectaculi, vbi pugnant Gladiatores, ita dictum, quod ex duobus theatris sit factum: nam rotundum est, theatrum vero semicirculi figuram habet. Huc pertinet illud Suetonij in Neron. Hos Ludos spectauit è Proscenii fastigio munere, quod in Amphitheatro dedit. Addit Cassiodorus Var. l. 5. epist. Theodorici Regis ad Maximum: Oui specie, sic enim castigo, eius arenã concludens,*

127. Capitolium omnium dæmonum templum est.] Capitolium *non modo Romæ, sed & aliis in locis atque ciuitatibus erectum fuisse ex Sidonio patet qui & Narbonensis, & Rauennatis, & Tolosani* Capitolii *meminit, in Vitis sanctorũ Apollinaris & Saturnini atque adeo & Carthagini fuisse* Capitolium, *patet ex Cypriani Epist. 55. & lib. de Lapsis. Atqui de Romano* Capitolio *clarissime omnium scribit Arnobius adu. Gentes lib. 4. Nonne, inquit, vides, in* Capitoliis *omnibus virginales esse species Mineruarum? & lib. 6. Regnatoris, inquit, in populi* Capitolio *quis est hominum, qui ignoret, Toli esse sepulcrum Vulcentani? Quis est, inquam, qui non sciat, ex fundaminum sedibus caput hominis euolutum, non ante plurimum temporis, aut solum sine partibus ceteris, hoc enim quidam ferunt, aut cum membris omnibus humationis officia sortitum? Quod si planum fieri testimonijs postulatis Auctorum; Sammonicus, Granius, Valerianus vobis & Fabius indicabunt, cuius Tolus filius fuerit, gentis & nationis cuius, vt à germani seruulo vita fuerit spoliatus & lumine, quid de suis commeruerit ciuibus, vt ei sit abnegata telluris patriæ sepultura. Condiscetis etiam, quamuis nolle istud publicare se fingant, quid sit capite resecto factum, vel in qua parte fuerit curiosa obscuritate conclusum, vt immobilis videlicet atque fixa obsignati ominis perpetuitas staret. Quod quum opprimi par esset, & vetustatis obliteratione celari, compositio nominis iecit in medium, & cum suis causis per data sibi tempora mextinguibili fecit testificatione procedere; nec erubuit ciuitas maxima & numinum cunctorum cultrix, cum vocabulum templo daret, ex Toli capite* Capitolium, *quam ex nomine Iouis nuncupare.*

128. Martem & Dianam, &c.] *Vtrumque Ludum intelligit, opinor, tum eum qui per solos Gladiatores* Marti, *tum eum qui cum feris fiebat* Dianæ *consecratis: Dianæ, inquam, Scythicæ, vti tradit Theodoricus Rex epist. ad Maximum, Variarum Cassiodorus lib. 5.*

Cap. XIII.

129. Satis, opinor, impleuimus ordinem, &c.] *Titulum huic capiti dedimus:* Præcedentium Epilogus; *quo nempe concluditur, ab omnium 4. generum spectaculis, tanquam ab idololatria, abstinendum.*

130. in consecrationibus idolorum siue mortuorum, siue (vt putant) Deorum.] *vide Adnot. in Apolog. cap. 12. num. 176. De consecrationis ritu, & quod Dij non sint, sed homines mortui, integris duobus capitibus tractat Auctor eiusdem Apolog. cap. 10. & 11. De* idolis *etiam, quod nihil sint, libro sequenti de Idololatria.*

131. de parentato edimus.] *De abusu obsoniorum* parentantium *ad busta, vide Adnot. nostras supra ad lib. de Testim. animæ, cap. 4. num. 20.*

132. ab idolothytis & necrothytis voluptatibus.] *Quemadmodum εἰδωλόθυτα in scripturis sacris appellantur, quæ idolis immolantur, ita & eadem derivatione dixit Auctor νεκρόθυτα, mortuis immolata.*

Cap. XIV.

133. Nunc interposito nosse de idololatria, &c.] *Capitis huius titulus à nobis attributus est:* Quod concupiscentiæ nomine interdicantur Spectacula. *Legimus autem omnino:* nosse de idololatria, *ac si dicat: Postquam* interposuimus notitiam de idololatria, *quod nempe ad* idololatriam *pertineant spectacula. Et mox cum ms.* quasi parum etiam de spectaculis pronuncietur, *pro:* de litteris.

134. cum concupiscentiæ sæculi damnantur, &c.] *Alludere videtur ad illud 1. Ioan. 2.* Omne quod est in sæculo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex sæculo est, & sæculum transit, & concupiscentia eius.

135. nominatæ concupiscentiæ.] *MS.* nomina concupiscentiæ. *sed neutrum satis facit; integra periodus hæc aut mutila est, aut corrupta.*

Cap. XV.

136. Viderit ergo, vt diximus, principalis titulus idololatriæ, &c.] *Caput hoc inscripsimus;* De furore, bile, ira & dolore. *Porro etiam hic corruptus est locus, cui sine ms. codicum plurium ope mederi non potuimus.*

137. Deus præcepit Spiritum sanctum, &c. tranquillitate, &c. tractare, &c.] *Alludit haud dubie ad illud Ephes. 4.* Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis, Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia; *indicant, per posteriora illa verba explicari præcedentia.*

138. & dolor.] *Insigne huius rei exemplum recitat Plinius lib. 8. cap. 7. Vniuersi, inquit, Pompeiani elephanti eruptionem tentauere, non sine vexatione populi, circundati clostris ferreis. Sed amissa fuga, ipse misericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes, supplicauere, quadam sese lamentatione complorantes.* Tanto populi dolore, *vt oblitus Imperatoris, ac munificentiæ honori suo exquisitæ*

flens

stens vniuersus consurgeret diraſque *Pompeio, quas ille mox luit,* pœnas *imprecaretur. Atqui siue legas*; immobilis animi, *cum excusis, siue*: immobili animo *cum ms. perinde est.*

139. Ipſi caſus incitamenta ſunt adfectus.] *Huius quoque experientiam videre est apud D. Auguſt. Confeſſ. lib. 6. cap. 8. de Alypio. Quum, inquit, auersaretur & detestaretur talia; quidam eius amici & condiſcipuli, cum forte de prandio redeuntibus obuius esset, recusantem vehementer & reſiſtentem, familiari violentia* duxerunt in Amphitheatrum, crudelium & funeſtorum Ludorum diebus, *hac dicentem: Si corpus meum in illum locum trahitis, & ibi constitutus, numquid & animum & oculos meos in illa ſpectacula poteſtis intendere? Adero itaque abſens, & ſic & vos & illa ſperno. Quibus auditis illi nihilo ſecius eum abduxerunt ſecum, id ipſum explorare capientes: vtrum poſſet efficere: Quo vbi ventum est,* & ſedibus, quibus potuerunt, locati ſunt, *feruebant omnia* immaniſſimis voluptatibus. *Ille clauſis foribus oculorum, interdicit animo, ne in tanta mala procederet; atque vtinam & aures obturaſſet. Nam quodam* pugnæ caſu, *quum ingens clamor populi totius vehementer eum pulſaſſet, curioſitate victus, & quaſi paratus quicquid illud esset, et iam viſum contemnere & vincere, aperuit oculos. Et percuſſus est grauiore vulnere in anima, quam ille in corpore, quem videre concupiuit, ecciditque miſerabilius, quam ille quo cadente factus est clamor. Porro poſt aliquot lineas, pro eo quod excuſi legunt*: niſi & talia facientibus non conferamur, *ms.* factitantibus. *eligat alterutrum Lector.*

Cap. XVI.

140. Quum ergo furor interdicitur nobis, &c.] *Huic capiti titulum dedimus:* De furoribus Circi. *In quo imitatur illum B. Cypr. locus ſupra citatis, præterquam quod hic pulcherrime explicat morem Sponſionum in populo committendorum Gladiatorum, iuxta ſortes in vrna volutatas, & ſimilia, de quibus mox latius.*

141. iam de ſponſionibus concitatum.] Sponſiones (*inquit Turnebus Aduerſ. lib. 8. cap. 4.*) *intelligit depoſitis pignoribus aut pecunia de alicuius Gladiatoris victoria factas. Eodem pertinet illud Martia is:*

Sed cum *ſponſio* fabulæque laſſæ
Deſcripto fuerint & incitato.

142. Tardus eſt illi Prætor, &c.] *Eodem iſtud pertinet cum eo, quod mox ſequitur*, Dehinc ad ſignum anxii pendent. *Nam* Prætor (*vti adnotat Turnebus lib. Aduerſ. 18. cap. 13.*) ſignum quadrigis mittebat, *vt è carceribus exirent.* Miſſus *autem ſeu emiſſio quadrigarum ſorte mittebatur, &* Prætor, *qui Ludis præerat, ex vrna eas educebat: hoc eſt enim; quod habet Auctor:* Semper oculi in vrna eius cum ſortibus volutantur. *Hæc ille. His adde, quod adnotat Politianus, agens de Ludis ſæcularibus in ſuis Miſcellaneis: Centum* miſſus *ſolere fieri in Circenſibus; proinde Domitiani Ludis, quo facilius totidem peragerentur, ſingulos à ſeptenis ſpatiis ad quina ab eo fuiſſe correptos. Deinde alludit huc haud dubie Auctor ſupra lib. de Pallio ca. 1. his verbis:* At quum ſæcularium ſortium variauit vrna, *vbi aliquid de eo more* ſortium in vrnam *mittendarum diximus num. 9. Certe etiam in Scenicus ſpectaculis ſorte emitti ſolere citharœdos, patet ex illo Suet. de Nerone cap. 21. Nomen ſuum, inquit, in albo profitentium citharœdorum iuſſit adſcribi, ſorticulaque in vrnam demiſſa cum ceteris, intrauit ordine ſuo.*

143. Miſit dicunt, &c. non vident; miſſum quid ſit, Mappam putant.] Mappam, *inquit Quintil. lib. 1. cap. 9. vſitatum nomen Circo*, Pœni *ſibi vendicant. Super quo loco intelligit interpres* Mappam *victori Aurigæ à Prætore mitti ſolitam. Verum magis placet Budæi ſententia, qui tradit, ſignum fuiſſe committendorum aurigarum, quam ſequitur & Turnebus, vbi ſupra, eo quod ſequatur*: Ex eo itur in furias & animos & diſcordias, &c. Odii etiam ſuffragia. *Si enim* mappa *victoriæ ſignum erat poſt brauium ſeu coronam datam, fruſtra fiebant ſuffragia. Confirmatur idipſum ex Suetonio, qui de Nerone cap. 22. ita ſcribit: Vniuerſorum, inquit, ſe oculis in Circo Maximo præbuit, aliquo liberto mittente* mappam, *vnde magiſtratus ſolent. In qua ſententia Caſſiodorum fuiſſe adnotat in Suetonium Sabellicus, allegans ibidem ſimiles locos, Martialis lib. 12.*

Cretatam Prætor quum vellet mittere *mappam*,
Prætori *mappam* ſurripit Hermogenes.

& Iuuenalis Satyr. 22.

Interea Megaleſiacæ ſpectacula *mappæ.*

Certe noſtram ſententiam veriorem eſſe conuincit dictus Caſſiodorus Variarum lib. 3. epiſt. 51. ſupra citata ad Fauſtum Præpoſitum: Mappa, *inquit*, quæ ſignum dare ſolet Circenſibus, *tali caſu fluxit in morem. Quum Nero prandium protenderet, & celeritatem, vt aſſolet, auidius ſpectandi populus flagitaret, ille* mappam, *qua tergendis manibus vtebatur, iuſſit abijci per feneſtram, vt libertatem daret certaminis poſtulati. Hinc tractum eſt*, vt oſtenſa Mappa certa videatur eſſe promiſſio Circenſium futurorum. *Atqui inde Prouerbium ortum indicat Auctor lib. adu. Valent. infra Tomo ſequenti:* Sed, *inquit*, mappa, quod aiunt, miſſa. *Vbi poſtmodum eadem multa apud Rhenanum reperi. Atqui illud*: ſed eſt diaboli ab alto præcipitati figura, *etiam confirmat noſtram ſententiam, eo quod poſt* mappam miſſam *incipiant diaboli inſtructu furiæ & diſcordiæ, &c. Eſt autem Tertullianicum illud*: quam ſine cauſſa odiſſe, *pro*: potius quam.

144. vbi ne Principibus quidem ſuis aut ciuibus parcunt] *Præterquam quod ſupra eius rei exemplum poſuimus, certe idipſum habet ſupra auctor ſui Apolog. cap. 35.* Ipſos (*inquit*) Quirites, ipſam vernaculam ſeptem collium plebem conuenio, an alicui Cæſari ſuo parcat illa lingua Romana? Teſtis eſt Tiberis & ſcholæ beſtiarum. *Huc pertinet illud Suetonij in Domitiano: Patremfamilias quod Thracem Myrmilloni parem, muñerario (Imperatori nempe) imparem dixerat, detractum è Spectaculis in harenam, canibus obiecit cum hoc titulo: Impie locutus Parmularius. Quare & has iniurias Theodoricus Rex epiſt. 27. 30. 31. & 32. lib. 1. Variarum Caſſiodori edicto vetuit. Atque ideo (inquit epiſt. 30.) Edictali programmate definimus, vt ſi atroces iniurias in quempiam Senatorum vox iniuſta ſcripſerit, nouerit ſe à Præfecto vrbis legibus audiendum, &c. ne prolixiores ſimus. Idipſum de Scena ibidem ſub iungens, quamquã paulo obſcurius, clarius autem B. Auguſt. de Comœdia, & Ciceronis lib. 4. de Republica, mentionem faciens de lege* XII. *Tabul. contraria lib. 2. de Ciuit. Dei, cap. 9. &* 12.

145. aliubi] *ms. & Gagnæus*: alicubi. *verum illud placet: nam ſimiliter Plinius lib* 11. *cap.* 14. Aliubi (*inquit*) *fauicera ſpectabiles gignuntur, vt in Pelignis, Sicilia*: aliubi *mellis copia, vt in Creta, Cypro, Africa*, aliubi *magnitudine, vt in Septentrionalibus.*

Cap. XVII.

146. Similiter impudicitiam omnem amoliri iubemur.] *Dedimus huic titulum capiti*: De Theatri impudicitia. *In quo illum deſertis verbis imitantur B. Cypr. epiſt. 2. & lib. de ſpectaculis, cap. 5. Lactantius lib. 6 cap. 20. & Auguſt. lib. 2. de Ciuitate Dei c. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13. Alludit autem hic Auctor ad illud Marci 7. de quo reliqua citat ſub finem huius capitis*: Quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, &c. impudicitiæ, &c. Omnia hæc ab intus procedunt, & communicant hominem. *Fortaſſis & ad illud Roman. 13.* Non in cubilibus & impudicitiis.

147. Atellanus geſticulator.] *Ita omnino legendum cum Latinio, pro*: geſticulatur. Atella *Ptolomæo & Stephano oppidum Oſcorum, vbi grande & egregium Amphitheatrum; hinc* Atellani ludi, *Liuio teſte lib. 7. quod genus ludorum (inquit ille) ab Oſcis acceptum tenuit iuuentus, nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt.*

148. quam Mimus etiam per mulieres repræſentat.] *Ita omnino legendum, pro eo quod antea corruptiſſ.* minus. *nam iiſdem pene verbis & B. Cyprian. epiſt. 2. & Lact. & Auguſt. de* Mimis *loquuntur, de quibus aliquid diximus ad dictam Cyprian. epiſt. num. 30. Alludit huc etiam Iſidorus, quum dicit*: Theatrum *etiam lupanar vocatum & proſtibulum, eo quod poſt ludos exactos meretrices ibi proſternerentur. Quod ipſum iam diu antea reprehendit Chryſoſtom. 6. in Matth.*

149. Quum denique Pantomimus.] *Similiter diſtinguit Arnobius lib. 4. Quid* Pantomimi *veſtri, quid Hiſtriones, quid illa* Mimorum *atque exoleti generis multitudo? Dicebatur autem* Pantomimus, *tamquam perſonarum omnium imitator efficiorque. Hinc Caſſiodorus, vbi ſupra, li. Variar. 4. epiſt. vlt.* Pantomimo (*inquit*) *à multifaria imitatione nomen eſt. Idem corpus Herculem deſignat & Venerem (cui ſimilia Auctor Apolog. cap. 19.) fœminam præſentat & marem, Regem facit & militem, ſenem reddit & iuuenem, vt in vno credas eſſe multos, tam varia imitatione diſcretos.*

150. Stipes, elogium.] *Alludere videtur ad ludos Scenicos Matris Deum Cybeles, de quib. potiſſimum Auguſt. valde obſcœnis; nam edicto cauebantur (vti adnotauit Alexand. ab Alex. vbi ſupra.) Præter Ideæ matris familias, eaſque iuſtis diebus ne quis* ſtipem *cogito. Qua ipſa de re plura videat Lector in Apolog. ca. 13. n. 195. & 42. c. nu. 555. De* elogio *vero li. ad Scapulam, c 4. n. 26.*

151. cum ſpiritu appareant aures & oculi.] *Similiter dixit lib. de Reſurr carnis:* apparere animæ, *ſuper quo loco Rhenanus*: Apparere (*inquit*) *eſt miniſtrare, famulari, inſeruire. Et eſt, vt Aſconius docet, minoris ad maiorem. Vnde &* Apparitores *dicti viatores, qui iudicibus præſto ſunt, & iuſſa, nutuſque eorum expectant. Quo ſenſu & hic accipi patet vel ex eo, quod de iiſdem oculis & auribus ſubiungitur*: cuius apparitores inquinantur. *Eodem etiam ſignificatu dixit Auctor lib. de Præſcript. adu. hæreſ.* & apparitio deuota.

Cap. XVIII.

152. Sin & doctrinam ſæcularis litteraturæ.] *Inſcripſimus hoc caput*, De ſtadii & palæſtricæ vanitatibus. *In quo imitatur Auctorem B. Cyprian. lib. de Spectac. ca. 7. & Lactantius, vbi ſupra, ac Arnob. lib. 7. Alludit autem ad illud 1. Cor. 3.* Sapientia huius ſæculi ſtultitia eſt apud Deum.

153. luſoriam vel Agoniſticam ſcenam.] *Quamquam prima facie pertinere iſtud adhuc videatur ad Theatrum, certe & in Olympijs; ac quinquenniorum certaminibus quæ in ſtadio fiebant, more Græcorum (quo pertinet illud propter Græcia otium) cœperunt tandem etiam Comœdia & Tragœdia celebrari. Quod imprimis indicat illud B. Cyprian. lib. de Spectac. cap. 2. Græca illa certamina, vel in cantibus, vel in fidibus, vel in vocibus, vel in viribus, præſides ſuos habent diuerſa dæmonia: atque adeo etiam Comicas & inutiles turas, & Tragicæ vocis inſanias c. 6. inter Græcia oblectamenta recenſet. Deinde Alex. ab Alex. vbi ſupra*: Fuit præterea, inquit, quinquennale ludicrũ, in quo tã verſu quã proſa orõne Græce Latine-

que

A

que (in ſecularem, *de qua hic Auctor*, litteraturam) *tum Muſica per citharœdos & cithariſtas, tum Gymnicis ludis certabatur. Quos Nero Cæſar primus ad morem Græci certaminis ex Græcia Romam deduxiſſe, Iouique Capitolino dicaſſe, atque ſingulis quinquenniis magno animorum certamine celebraſſe legitur apud Suetonium, iam intermiſſos ducentis annis à Lucii Memmii triumpho, qui primus hoc Spectaculi genus in Vrbe præſtitit C. Caligula vero horum inſtar, miſcellos Lugduni fecit, Græcæ Latinæque facundiæ experimento; in quo lege ſancitum erat, vt victi victoribus hoc præmii darent, vt ipſorum laudes, tamquam obnoxii, carmine celebrarent, Poſtea à Domitiano triplex inſtitutum ferunt eidem Capitolino Ioui. Muſicum, Equeſtre, & Gymnicum, in quo Publius Mimographus palmã tuliſſe fertur.*

154. Quod ſi & ſtadium contendas in ſcripturis nominari.] *Hunc locum imitatur B. Cyprian. lib. de Spectac. cap. 2. De* ſtadiis, *inquit, Apoſtolus ſumit exempla? corona quoque collocat præmia. Cur ergo homini fideli Chriſtiano non liceat ſpectare, quod licuit diuinis literis ſcribere? Reſpondet autem: Argumentum eſt excitandæ virtutis, non permiſſio ſiue libertas ſpectaculorum. Alludit vterque ad illud 1. Cor. 9.* Neſcitis quod ii qui in ſtadio currunt, omnes quidẽ currunt; ſed vnus accipit brauium? Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem, vt coruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.

B

155. Non probabis vſquam vanos curſus & iaculatus, &c.] *Huc pertinet illud Iſidori libri ſæpedicti cap. 26.* Agonum *genera, immenſitas* virium curſus *celeritas, ſagittandi peritia, ſtandi patientia, ad citharam quoque vel tibias incedendi modus? de moribus quoque, de forma, de cantandi modulatione, terreſtris quoque & nauali prælii perpetiendorumque ſuppliciorum certamina.*

156. vt plaſticam Dei ſupergreſſæ propter ocium Græciæ altiles homines oderis.] *Si hoc modo legatur conſtabit aliquis ſenſus? aſtioqui Hyperbaton eſt, ſi legatur* ſupergreſſæ propter Græciæ ocium. *De* Plaſtica *infra lib. de Cultu fœmin. Porro* altiles homines *pulcherrima metaphora vocat Athletas, qui ad inſtar* altilium, *id eſt, animantium, quæ incluſa aluntur, vt pinguefiant, ſaginabantur. De quibus in hæc verba B. Cyprianus epiſt. 2. ad Donatum: Impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, & aruinæ toris membrorũ moles robuſta pingueſcit, vt ſaginatus in pœnam carius pereat Alebantur autem & inſtituebantur Rauennæ Gladiatores à laniſtis, Strabone teſte.*

157. Et Palæſtrica diaboli negotium eſt, &c.] Palæſtram (*inquit Iſidorus, vbi ſupra, capite 24. vel ἀπὸ τῆς πάλης ſic enim ſuppleo, quod deſiderabatur*) *id eſt, à luctatione. vel ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id eſt à motu ruinæ fortis, nominatam dicunt, ſcilicet quod in luctando, cum medios arripiant, fere quatiant, idque apud Græcos πάλλειν vocatur. Et recte quidem ille, nõ ſecus atque alij, qui deriuant ἀπὸ τοῦ πάλλειν id eſt à motu vrnæ, eo quod ducta ſorte luctabantur. Nam πάλλειν & vibrare, & concutere, & ſortiri ſignificat. Addit ibidem: Quoſdam opinari, artem luctandi vrſorum contentione monſtratam, namque inter cæteras feras eos ſolos & erigi congreſſos, & ſubſidere celeriter ac reuerti: ac modo manibus tentare inuicem, modo complexu abigere (ſeu potius, vti lego, ſubigere) ſeſe more luctantium, dicunt.*

C

158. Primos homines diabolus eliſit, &c.] *Metaphorice iſtud adaptat ad lapſum* primi hominis, *inſtinctu* diaboli *in forma colubri ſeu ſerpentis, Gen. 3. ad quod Auctor potius referre videtur luctæ originem. Quod vero* Chriſtiano nullus coronarum vſus, *latiſſime tractat integro libro de Corona militis.*

CAP. XIX.

D

159. Exſpectabimus nunc, vt & Amphitheatri repudium de ſcripturis petamus.] *Dedimus titulum huic capiti:* De Amphitheatri fœuitia. *Imitantur autem auctorem B. Cyprian. & Lactantius locus ſæpe citatus, ac Arnobius libro 2. verbis initio huius libri citatus, & Theodoricus Rex epiſt. 42. ad Maximum libro 5. Variarum Caſſiodori, vbi diuerſiſſima hominum cum feris certamina quaſi ad oculum verbis aliquando obſcurioribus depingit, quo Lectorem compendij gratia remittimus. Idem epiſt. 49. libro 3. meminit ruinarum* Amphitheatri *Catanenſis, vnde patet, etiam in alijs ciuitatibus erecta fuiſſe. Suetonius vero in Auguſto capite 29.* Theatrum *ſcribit exſtructum à Cornelio Balbo,* Amphitheatrum *à Statilio Tauro. Fuiſſe & ligneum* Amphitheatrum *erectum, teſtis eſt Suetonius in Nero. capite 12.* Amphitheatrum *autem maius Auguſtus deſtinauit, Veſpaſianus exſtruxit, Titus dedicauit.*

160. Si ſæuitiam, ſi impietatem, ſi feritatem permiſſam nobis, &c.] *Alludit ad ſcripturas interdicentes* ſæuitiam, impietatem, feritatem. *Quales ſunt imprimis illa Geneſ. 9.* Qui effuderit ſanguinem hominis, pro ſanguine hominis eius effundetur. *Deinde præceptum Decalogi Exodi 20.* Non occides: *illique correſpondet ſermo Domini in monte, Matth. 6. & complures alij. Lego autem paulopoſt*; Et tamen innocens de ſupplicio alterius lætari non poteſt. *pro eo quod irrepſerat citra editionem Gagnæi* nocentes &. non oportet, *eo quod ſequatur*, cum magis competat innocenti.

161. vt tam crudeliter impendatur.] Impendi *hic accipit Auctor pro:* morte conſumi.

162. Certe quidem Gladiatores innocentes in Ludum veniunt, &c.] *Iiſdem pene verbis hæc repetuntur ab Auctoribus initio huius capitis allegatis, & ipſo Tertulliano ſupra libro ad Martyras.* Gladiatorum *autem genera plura ex Rhenani libro ad Martyras recenſuimus in dictam 2. epiſt. B. Cyprian. ad Donatum numero 22. De Retiarys infra latius capite 25. Certe initio (vt ſcribit Senatui Vrbis Romæ Rex Theodoricus, Variarum Caſſiodori libro 1. epiſt. 30.) non erant armata certamina, ſed pugnis ſe quamlibet feruida laceſſebat intentio, vnde & Pugna nomen accepit. Poſtea Belus ferreum gladium primus produxit, à quo & Bellum placuit nuncupari. Conſilium atrox, & deinde crudele præſidium,* ferina certatio. *Non permittatis igitur, à formulis veſtris fieri in ciuibus, quod adhuc habet in hoſtibus accuſari.*

E

CAP. XX.

163. Quam vana igitur, immo deſperata, &c.] *Caput hoc inſcripſimus:* Quod alia ſit ratio hominis & Dei in aſpectu Spectaculorum. *Eſt vero Tertullianicum illud:* ſpecialiter vel localiter.

164. ſuauiludii cuiuſdam.] *Eodem modo dixit:* Suauiludios *noſtros libro de Coron. militu., quos recte Rhenanus ibi interpretatur, eos qui ex Chriſtianis Spectaculorum adhuc oblectamentis, ſeu ſuauitate ludorum delectabantur. Paulopoſt ms. legit:* Plane ſol & in cloacam radios ſuos deflectit; *ſed placet magis, quod vulgatum eſt:* radios ſuos defert. *Lego vero:* Compares homo reum & iudicem, *pro eo quod erat:* Comparas.

F

165. extra gradus.] *In Circo* gradus *fuiſſe patet ex Suetonio. Hinc lex illa Othonis, Liuio & Plin. teſtibus, ne quis, niſi cui 400. eſſent ſeſtertia, ex* XIIII. gradibus *ſpectaret: quam legem Iuliam theatralem alicubi Plinius nuncupat.*

166. & apulias.] *Vox eſt Græca compoſita ex ἀ, καὶ πύλη, quæ idem ſignificat quod* extra portas. *Simile Ariſtophani dicitur, πρὸ ἀ πύλων, pro effrenato ore, ac ſi dicas ſine foribus. Sin maris* extra columnas, *quum πύλη etiam columnam ſignificet vt alludat ad Circum. Si* apeleas *legeretur, poſſet intelligi de locis à Sole remotis, voce compoſita ab ἀπὸ & ἥλη. Denique eodem pertinet, quod confuſiſſimum ac ſolutiſſimum ſpectandi morem correxerit Auguſtus, vt primus ſubſelliorum ordo vacaret Senatoribus, Legati in ſecundo ſubſellio collocarentur. Militem etiam ſecreuit à populo: maritis è plebe proprios ordines aſſignauit: prætextatis caueam ſuam: proximam pædagogis: fœminis, ne Gladiatores quidem niſi ex ſuperiori aliquo loco ſpectare conceſſit. Solis Veſtalibus locum in Theatro ſeparatum contra Prætoris tribunal dedit, vti patet ex Suetonij Octauio cap. 41. 42. 43. & 43. Item quod Nero Cæſar Circenſibus Equiti loca ſecreta à ceteris tribuiſſe legitur apud Sueton. capite 11. Hinc confirmatur mea coniectura libri ad Scapulam, quod ſubinde Auctor ex duabus vocibus Græcis vnam nouam componat, vbi tractauimus illud Euhode procuratorem, numero 34. capite 4. Vtut ſit, confirmatur etiam hinc Metkerchi de pronunt. ling. Græcæ ſententia quod υ Græcum Latini per V. litteram reddere ſoleant. Paulopoſt legit ms.* quod vere quidem eſt, *pro:* quidem. *& :* penes vos veritate defixa ſunt, *pro :* penes veritatem Dei fixa. *ſed placet ex vſorum codicum lectio.*

G

CAP. XXI.

167. Ethnici, quos penes nulla eſt veritatis plenitudo, &c.] *Inſcriptione huius capitis dedimus:* Quod Ethnicis alibi ſit malum, quod in Spectaculis bonum dicunt. *Porro qui alibi Latini* Gentes *aut* Gentiles *plerumque, hic & libro de Reſurr. car.* Ethnici *vocantur ſecundum Græcos. Si autem vſquam alibi, certe hic multum valet Sigiſmundi Gelenij caſtigatio, vti ex collatione cum editione Gagnæi colligere eſt.*

H

168. Gladiatorem ad homicidium flagellis & virgis compellat inuitũ.] *Huc imprimis pertinere videtur, quod de Cæſare ſcribit Suetonius capite 27. quod* Gladiatores, *ſicubi infeſtis ſpectatoribus dimicarent, vi rapiendos reſeruandoſque mandauit. Certe ſentit Auctor,* Gladiatores *à laniſtis, ſiquando tardiores eſſent in pugna,* flagellis compulſos.

169. rudem petat, & pileum præmium conferat.] Rudem petere *dixit eodem ſignificatu, quo Cicero 2. Philip. Tam bonus (inquit) gladiator tam cito* rudem *accepiſti, id eſt, dimiſſus es à munere: quæ ceſſatio indicabatur virga* rudi, *quæ dimiſſis dabatur; vnde & Rudiarij dicti, eo quod tantum* Rudibus *batuere (iuxta quod & Turnebus, vbi ſupra, adnotauit) cogerentur. quod confirmat Lampridius in Commodo, quum eum ait* Rudibus *in harena inter cubiculares Gladiatores depugnaſſe. Porro de* Pileo *libertatis inſigni, vide ſupra libro de Patient. cap. 4.*

CAP. XXII.

170. Quid mirum de inæquata iſta hominum, &c. varietate, &c.] *Caput hoc inſcripſimus :* Quod capitis diminutione damnati fuerint quadrigarii, Scenici, Xyſtici, & harenarii. *Porro omnino hoc modo legendum, pro eo quod erat corruptiſſime* Quid mirũ, inæquata iſta, &c. varietatem. *Accipitur autem:* inæquata, *pro:* inæquali.

171. Etenim ipſi auctores & adminiſtratores.] *Iterum ex ms. pro eo, quod erat mendoſe* actores; *nam agit de* Auctoribus *ſeu datoribus munerum Imperatoribus, quos alij vocabant Munerarios, & inter ceteros Suetonius, loco ſupracitato num. 144.* Adminiſtratores *vero Prætores intelligi conſtat, tum ex c. ſupra 16. tum ex Edicto Prætoris, ad quod mox alludit.*

172. manifeste damnant ignominia.] *Eodem pertinet, quod initio capitis sequentis,* eos damnatos *dicit (vti castigat de quo infra, Petrus Faber)* in quendam scopulum famositatis. *Alludit hauddubie ad Edictum Prætoris (quem* Spectaculorum Administratorem *diximus) quod exstat libr. 3. Digest. Titul. 2. De his qui notantur infamia. l. 1. quo inter cetera continetur : Infamia notatur, qui artis ludicræ pronunciandive caussa in Scenam prodierit. Ad quod Edictum libr. 6. ita rescripsit Vlpianus ibidem l. 2. §. vlt. Eos enim, qui quæstus caussa in certamina descendunt, & omnes propter præmium in Scenam prodeuntes, famosos esse Pegasus & Nerua filius responderunt. Atque adeo etiam intelligi debet locus hic Tertulliani de ijs, qui quæstus gratia in Circum quadrigarii, in Scenam Scenici, in Xystum Xystici aut in harenam prodi' aut harenarij. Nam Ministros ludorum sacrorum, qui à quibusdam etiam appellabantur generali nomine Agitatores, Tymelici, Xystici,* ignominiosos *non haberi respondisse Sabinum & Cassium idem Vlpianus eodem lib. tradit leg. 4. tituli supradicti.*

173. & capitis minutione.] *Hæc quoque phrasis Iureconsultorum, apud quos est Digest. lib. 4. Tit. 5. De capite diminutis. Atqui quum teste Paulo libro 2. ad Sabinum, vti illic legitur l. vlt.* Capitis diminutionis *tria sint genera, maxima, media, minima; tria enim esse quæ habemus libertatem, ciuitatem familiam; quæ quum omnia amittimus, maximam esse* capitis diminutionem; *cum etiam amittimus ciuitatem, mediam; cum familia tantum mutatur, minimam: videtur hic improprie accipi* capitis minutio *ab Auctore, pro: famæ diminutione, atque hinc vocari à Cassiodoro Variarum libro 7. capite 35. famæ diminuti. Nam neque ciuitate pulsi sunt, nisi ad tempus ab Augusto (vti est apud Suetonium Octauij cap. 41.) neque in seruitutem redacti, Senatu tamen moti & omnibus honoribus, vt sequitur, quia infames.*

174. arcentes curia, rostris, Senatu, Equite, ceterisque honoribus omnibus simul ac ornamentis. Quibus quanta peruersitas.] *ita omnino legendum, pro eo quod erat mendose :* ac ornamentis quibusdam. Quanta peruersitas. *Quod autem* Senatu *arcerentur, patet ex Suetonio in Cæsare cap. 39. Munere (inquit) in foro dimicauit A. Calpenus Senator quondam; ac si dicat, antea quidem Senator, at nunc minime. Clarius item ex eiusdem Octauio, capite 43. de* Equite. *Ad Scenicas (inquit) & Gladiatorias operas, & Equitibus Romanis aliquando vsus est;* verum prius quam Senatusconsulto interdiceretur. *Vnde patet, sub Augusto tale Senatusconsultum editum ad quod hauddubie Auctor alludit. De quo plura apud Petrum Fabrum Præsidem Tholosatem, Semestrium libro 1. capite 20. si non fallit memoria. nam nunc ad manum non erat liber. Atqui de* Curia *vide Adnotat. nostras in Apololog. capite 39. numero 511. & de* Rostris *in B. Cyprian. sæpe dictam Epist. 2. numero 5. Reliqua notiora sunt.*

CAP. XXIII.

175. Quum igitur humana recordatio, &c.] *Titulum huic capiti dedimus :* Quod si humana, multo magis diuina iustitia in Spectaculorum artifices animaduertat. *Et comprobat idipsum apte singulis scripturis.*

176. coloratus vt leno.] *De coloribus equorum in ludis Circensibus supra affatim diximus capite 9. Hic indicat etiam* Aurigas *seu moderatores equorum (nam vtroque nomine appellantur à Cassiodoro, Variarum libro 2. capite 9.) etiam diuersis coloribus vsos, & à coloribus singulas nomen suum habuisse factiones diuisas in partes & populos. Huc pertinet illud eiusdem Cassiodori lege 3. epist. 51. Transit* Prasinus, *pars populi mœret; procedit (nam sic lego, pro eo quod erat: præcedit)* Venetus, *& potior turba ciuitatis affligitur. Similiter de* russeo & albo aurigæ *dicere licuit. Qui quod etiam Scenicos Pantomimos diuersis ijsdem coloribus vsos significet idem Cassiodorus l. 1. epist. 27. & 33.* Partis *(inquit)* Phrasini *insinuatione comperimus* (quoniam hoc introductum est, vt populi de colore vocitentur *(seditiones turbulentas (sic enim corrigo, pro : turbulentæ) à quibusdam sceleratissime incitari, & causam lætitiæ publicæ ad furoris certamina prorupisse. Quapropter, &c. à vobis* Prasini *Pantomimus constituatur, &c. Eodem pertinet illud Antonini Imperatoris in vita sua : τὸ μήτε πρασινος μήτε βενετιανὸς, μήτε παρμουλάριος : intelligens eos, qui factioni fauebant* Prasinæ *aut* Venetæ. *Item* Prasini *agitatoris meminit Suetonius in Nerone, capite 22. & Spartianus, qui Neronem* Prasinæ *factioni fauisse tradit. Item quod Domitianus duas Circensibus gregum factiones aurati purpureique panni ad quatuor pristinas addidit; apud eundem capite 7.*

177. qui vultus suos nouacula mutat, &c.] *De his abunde libro. de Pallio supra, capite 44. num. 62. Quod autem addit :* infidelis erga faciem suam; *latius explicat B. Cypr. de Disc. & habit. virg. tamquam peccetur contra Dei similitudinem, ad quam nos factos Genes. 1. Scriptura dicit.*

178. quam non contentus Saturno & Isidi & Libero proximam facere.] *significat auctor depingi solere imberbes* Saturnum, Isidem, & Liberum, *quod ex diuersis Numismatibus Goltzij est animaduertere. De Saturno idipsum confirmatur à Gyraldo, libello suo de facie in orbe lunæ apparente, quodque castratus à Ioue filio tradatur, cuiusmodi carere barba solent. De* Iside, *quod Dea fuerit, nihil difficultatu. Alludit fortasse etiam ad eius sacerdotes, qui non barbam modo, sed & caput solent rasitare.* Liberi *denique simulacrum (Macrobio teste) partim puerili, partim iuuenili ætate pingebatur: ad quæ Auctor respicit: nam rariora erant barbata specie.*

179. insuper contumeliis alaparum sic obiicit, &c.] Mimi *enim (vti adnotat loco supracitato Turnebus) in Theatralibus spectaculis quum dabantur, alios* Mimos *ad risum excitandum* alapis *cædere solebant. Alludit autem ad præceptum Domini, seu monelam, vti commodius libro de Patient. capite 8. loquitur (de quo alibi latius.)* Verberanti te in faciem, etiam alteram genam tribue.

180. Sic & Tragœdos cothurnis extulit.] *De* cothurnis *diximus aliquid in Epist. B. Cypriani 2. numero 29. Formam vero eiusmodi calceorum tradit Cassiodorus Variarum l 4. epist. vlt.* Tragœdia *(inquit) ex vocis vastitate nominatur, quæ concauis repercussionibus roborata, talem sonum videtur efficere, vt pene ab homine non credatur exire. Erigitur autem in* hircinos pedes, *quia si quis inter pastores tali voce placuisset, capri munere donabatur.*

181. Iam vero ipsum opus personarum, &c.] Persona *(inquit Plin libro 12 ca. 14.) adijcitur capiti, densusve reticulus. Huc autem pertinent quæ supra dixit nu. 149.*

182. maledictum esse, qui muliebribus vestietur.] *Hunc locum imitatus est B. Cypr. epist. 61. ad Euchratium de Histrione, vbi facit ad intellectum eius, quod hic dicitur:* qui etiam muliebribus curatur, *quod ibi legitur; sed & gestus quoque turpes & molles & muliebres magisterio impudicæ artis exprimere, quo fit vt corruptum putem illud:* curatur, *& legendum censeam :* curat. *nam Plautus Trinummio,* curare *rebus publicis dixit; deinde Auctori vsitatam* procurare *cum Datiuo ostendimus lib. ad Scapulam capite 4. nu. 34. &* curare *similiter. Apolog. c. 46. nu. 575.*

183. & aurium fungos.] Fungum *adnotat, vbi supra, Turnebus, appellari à similitudine in* auribus *pugilum tuber prominens ex ictibus cæstuum.*

CAP. XXIV.

184. Quot adhuc modis perorabimus, &c.] *Inscripsimus hoc caput simili, quo 4. capite supra titulo :* Quod in baptismo Spectacula eierauimus, & Christiani agnoscamur de repudio eorundem; *nam id ipsum latius hic repetit. quod & facit eum imitatus B. Cyprianus sæpedicta epist. 2. Nos autem omnino legimus :* Quot modis, *pro eo quod corruptissime legebatur,* Quod, *in Lugdunensi editione.*

185. aduersus quam in signaculo fidei eieramus.] *Latius hac de re lib. de Baptismo. Vox autem :* eierare : *vsitata est ab Auctore, pro:* abiurare; *& lib. de Pallio cap. 4. & Apolog & de Cor. militis, vbi:* eierare patrem & matrem *dicit. Ad quem locum recte Rhenanus:* Eierare *siue* eiurare, *renuntiare est & abdicare. Vnde illud apud Tacitum.* Eiurato magistratu. *Sic etiam paulo inferius :* semel iam in sacramenti testatione eierati. *Cui simile est, quod hic subiungit:* Ceterum nonne eieramus & rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius? *Quam* Contestationem *nuncupat supra cap. 4.* qua renuntiasse nos diabolo & pompæ & angelis eius ore nostro contestamur. *Pertinet etiam huc illud B. Hieronymi ad Gerontiam, de Monogamia: Hierophanta apud Athenas* eierat *(seu, vt alij legunt eiurat) virum. Qua de re vide etiam infra Tom. 3. libr. de Præscript. adu. hær. cap. 33 num. 185. Atqui de Prouerbialibus formulis :* Proiicere arma, & destituere signa & sacramenta, *vide nostra Prolegomena.*

CAP. XXV.

186. An ille recogitabit eo tempore de Deo, &c.] *Huius capitis titulum scribimus :* Quo de Deo cogitare non possit in Spectaculis positus.

187. scintillas libidinum conflabellant.] *Elegans compositio vocis:* conflabellant, *metaphora sumpta ab ijs, qui flabello scintillas, quantumuis exiguas, in ignem excitant.*

188. & spong as retiariorum.] Spongiis *(inquit Turnebus, vbi supra)* Retiarii *ad siccandum vulnerum sanguinem & reprimendum vtebantur, cum sæpenumero vsu veniret, vt cum Vrsis, alijsque bestijs, aut cum Myrmillonibus depugnantes vulnerarentur, vtpote non satis aduersus eos muniti, cum toti in reti iaciendo intenti essent.* Retiarius *autem (Isidoro teste, vbi supra capite 54.) ita dictus ab eo armaturæ genere, quod in Gladiatorio ludo contra alterum pugnantes occulte feriebant rete, quod iaculum appellatur, vt aduersarium cuspide insistente (seu potius infixo) operirent, implicitumque viribus superarent : quæ armatura* quadrabat *Neptuno Tridentis caussa. Inseruit Caius Cæsar etiam caterua Afrorum Campanorumque pugilum, vti est apud Sueton. cap. 8.* Secutor *vero (vti idem habet Isidorus cap. 55.) ab insequendo* Retiarium *dictus. Gestabat enim cuspidem & massam plumbeam, quæ aduersum iaculum impediret, vt, antequam ille feriret rete, iste superaret : Hæc armatura sacrata erat Vulcano; ignis enim semper insequitur, ideoque cum* Retiario *componebatur, quia ignis & aqua semper inter se inimica sunt. Atqui eundem fuisse cum* Secutore Myrmillonem *patet ex illo Quintiliani libr. 6. cap. 3. Et Pedo (inquit) de* Myrmyllone, *qui* Retiarium *consequebatur, nec feriebat, Viuum, inquit, capere vult.* Thrax *econtrario videtur idem fuisse cum* Retiario, *ex illo Ciceronis de Prouinc. consul. Rex (inquit) Ariobarzanes Consulem vestrum ad cædem faciendam, tanquam aliquem* Thracem, *conduceret, quippe qui occulte (vt modo diximus)*

ferire

A

ferire soleant. *Addit autem ibidem Isidorus (vt omnia perstringam, eadem opera, Gladiatorum genera)* Equestrem *ludum cap. 53. qui Marti ob duellum sacrabatur, qualem per Thessalos equites exhibuit Claudius apud Sueton. cap. 21. & cap. 56. Laqueatorum pugnam addit Isidorus, quorum erat fugientes iniecto laqueo impeditos prosternere, (nam sic lego, pro: prostare) amictos vmbone pelliceo. Denique c. 57. Velitum, qui vltro citroque tela obiectabant. sic dictorum siue à velitatione, siue à ciuitate Hetruscorum velite.*

189. de cælo (quod aiunt) in cœnum.] *Vide inter Prouerbiales formulas Prolegomena nostra.*

190. illas manus quas ad Dominum extuleris.] *De* manibus ad dominum extolli consuetis *in sacrificio Christiano, vide libro de Orat. capite 3. & Adnotat. nostras ibidem num. 1. & 51.*

191. ex ore, quo Amen in sanctum protuleris, &c.] *Eo quod additur: εἰς αἰῶνας* alii dicere quam Christo, *videtur loqui de Sacerdotibus, quos non pudebat Spectacula frequentare, quod etiam confirmatur ex præcedentibus verbis*: exclamationes ille alicuius Prophetæ retractabit, *ac* Psalmum secum comminiscetur, *quæ magis in illos quam Laicos competunt. Atqui similem locum Irenæi quoque de illo εἰς αἰῶνας adnotauimus ad dictum lib. de Oratione, nu. 1. vbi de reliquis Missæ ceremoniis latissime.*

CAP. XXVI.

B

192. Cur ergo non eiusmodi, &c.] *Inscriptionem huic capiti dedimus*: Quod dæmoniis fiant penetrabiles, qui Spectacula adeunt.

193. Itaque in exorcismo, &c.] *De* Exorcismo *vide infra libro de baptismo, qui etiam præmitti iam ab initio Ecclesiæ consueuit. est autem exemplum, quod merito à Spectaculis deterrere debeat, sicuti etiam id quod sequitur*, de linteo in somnis ostenso.

194. quid vitæ & morti.] *Quum istud non addatur apud Apostolum, videtur alludere ad illud Ecclesiastici 33.* Contra mortem vita. *Vide idipsum infra libro de Idololatria, capite 13. n. 85.*

CAP. XXVII.

195. Odisse debemus istos conuentus, &c. *Titulum dedimus huic capiti*: Quod odisse debeamus istos conuentus, in quibus nomen Dei blasphematur.

196. quotidiani in nos Leones expostulantur.] *Qua de re aliquid diximus Apolog. capite 40. num. 524. ad illud:* Christianos ad leonem: *Quod ipsum ijsdem verbis repetitur libro de Resurr. carnis. Paulopost lego ex ms.* Sint dulcia licet, *pro eo, quod erat corrupte*: licebit.

C

197. & bene saporatis.] *Similiter alicubi Ammianus: In vita (inquit) inuenti sunt asperi, vt neque igni neque* saporatis *indigeant cibis, sed radicibus herbarum agrestium, & semicruda cuiusuis pecoris carne vescantur. Atque adeo accedit sententia Turneb. adu. l. 28. cap. 45. vt similiter legi debeat apud Maronem.*

Melle *saporatam* & medicatis frugibus offam.

Melle enim (vt ille recte adnotauit) veteres in omni opere dulciario vti soliti, quum saccharum prisci non nouerint: pro quo etiam facit Auctor, eo quod paulopost sequatur, stillicidia mellis. *Legimus autem*: Ita & diabolus lethale, quo conficit, *pro: quod.*

198. de libacunculo venenato.] *Ego sic omnino scribendum existimo, pro:* liuacunculo; *vt à* libando *deriuetur vox noua.*

CAP. XXVIII.

199. Per suauitatem saginentur eiusmodi, &c.] *Caput hoc tali titulo inscribimus*: Quod à Christianis nulla debeat in hoc sæculo concupisci voluptas.

200. immo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem.] *Paulo aliter, sed in eandem sententiam (quandoquidem etiam Philosophorum auctoritate nitatur) Lactant. l. 6. c. 20. Deus (inquit) idcirco virtutem dedit, vt expugnaret ac vinceret* voluptatē, *eamque egredientem fines sibi datos, infra præscriptum coerceret; ne hominem suauitatibus delinitum & captum ditioni suæ subijceret, ac sempiterna morte mulctaret.* Voluptas *oculorum varia & multiplex est, quæ capitur ex aspectu rerum, quæ sunt in vsu hominum, vel natura, vel opere delectabiles. Hanc Philosophi (Archytas nempe, Cato, Cicero) rectissime sustulerunt. Aiunt enim, multo esse præclarius, & homine dignus*, cælum potius quam cælata intueri.

D

201. Philosophi quidem hoc nomen quieti & tranquillitati. &c.] *Fortassis alludit ad Epicureos, qui quum summum bonum* voluptatem *dicerent, eam interpretatur Auctor Apolog. cap. 38.* animi æquitatem *ex Cicer. l. 1. de Fin. honorum. Eodem pertinet, quod habet Lactantius l. 3. c. 7. Epicurus summum bonum è voluptate animi esse censet; item illud c. sequ. apud eundem: Sapiens ergo non fuit, qui summum bonum credidit voluptatem, quoniam siue illa securitas (quam auctor* quietem & tranquillitatem *vocat) siue gaudium, communis est omnibus.*

202. Metas.] *Septem* Metis *(inquit Cassiodor. Variarum l. 3. c. 51.) omne certamen peragitur, in similitudinē hebdomadis reciprocæ. Ipsæ vero* Metæ *secundum Zodiacos decanos ternas obtinent summitates, quas ad instar Solis celeres Quadrigæ peruagantur. Arserat proinde (vt adnotauit Viues ad B. Augustī. l. 2. de Ciuit. Dei c. 6.) non parua in equis rotisque flectendis ad finem* Metarum, *ne posterior dexteritate flectendi priorem anteueerteret. Atque adeo huc pertinet illud Propertij:*

Haud prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quam *Metam* tulerit ante rota.

Et illud Suetonij in Domitiano cap. 4. supracitato; Circensium (inquit) die, quo facilius centum missus peragerentur, singulos à septenis spatiis ad quina corripuit. Qui etiam tradit in Claudio cap. 21. quod Circum Maximum marmoreis carceribus (erant carceres, quibus equi coercebantur, ne longius progrederentur, Isidoro teste, sæpedicto lib. c. 32. iique xij. numero, vti ex supradicta Circi descriptione manifestum est) auratisque Metis, *quæ vtraque & tophina (id est, ex vili topho lapide) & lignea ante fuerant, excoluerit. Quo haudubie spectat illud B. Cyprian. lib. de Spectac. cap. vlt. Quod Theatrum (inquit) humanis manibus exstructum operibus Dei poterit comparari? Magnus licet lapidum molibus exstruatur, crusta sunt montium, & auro licet tecta lacunaria refulgeant, astrorum fulgore vincentur. Sunt autem qui scribunt (& consentit dicta descriptio)* Metas *extructas fuisse in formam coni, seu struis alicuius in acutum tendentis; ita dictas, quod in dimenso spatio sint constitutæ. Atqui septem hæc spatia circum* Metas *teste Isidoro, vbi supra, capite 37.) creta signabantur. Atque hoc est, quod dicit Plinius libro 36. cap. 17. Est vilissima creta, qua Circum præducere ad victoria notam instituerunt maiores. Quod quomodo factum, Cassiodorus loco citato memorat: Alba (inquit linea non longe ab ostiis in vtrumque podium, quasi regula directa, producitur, vt quadrigis progredientibus inde certamen oriretur, ne, dum semper propere conantur elidere spectandi voluptatem, viderentur populis abrogare. Qui* Podium *vtrumque vocat locum spectaculis accommodatum instar pulpiti exporrecti, vt commodius spectare liceret.*

E

F

CAP. XXIX.

203. Iam nunc si putas, &c.] *Contrarium præcedenti titulum hic posuimus:* Quod longe maiores voluptates à Deo contributas habeamus. *quale quid habet etiam B. Cypr. vlt. cap. l. de Spectacul. præterquam quod alias voluptates recenseat, quas licet capere ex sæculi huius cursu longe latius.*

204. quam Dei Patris & Domini reconciliatio, &c.] *Ista periodus ad beneficia Baptismi pertinet, de quibus omnibus latius lib. de Baptismo.*

205. quod calcas Deos nationum, &c.] *Istud ad Gratiarum diuisiones pertinet, de quibus Apost. 1. Cor. 12.* Alii quidem datur per spiritum sermo sapientiæ *quo* calcat (*vt Tertull. inquit*) *Deos gentium*; alii fides siue operatio virtutum in eodem spiritu, *qua dæmonia expellit*; alii gratia sanitatum, *qua medicinas facit*; alii prophetia, *qua reuelationes petit*; alii discretio spirituum, *qua Deo viuit.*

G

206. in his tibi ludos Circenses, &c.] *Pulchre hic ad mores Christianos accommodat ea, quæ ad* Circenses ludos *spectant*, cursus, tempora, metas, societatis signum, tubam, & palmam denique. *de quibus omnibus alicubi supra, exceptis* temporibus. *Quo pertinere videtur illud Cassiodori variarum lib. 3. epist. 51. Nec vacat (inquit) quod viginti quatuor mensibus conditio huius certaminis expeditur, vt diei noctisque hora tali numero clauderentur. Quod ipsum quum obscurum sit, videtur sentire quod singulis viginti quatuor mensibus renouari soleant* ludi Circenses.

207. Si Scenicæ doctrinæ delectant, &c.] *De his supra late num. 153. Hic præterea exprimit in Scenis vsitata*, literas versus, sententias, cantica, voces, fabulas, & strophas, *& è contrario exhortatur ad cantica Ecclesiastica, quemadmodum etiam B. Chrysost. hom. 2. in Matth. de quibus aliquid diximus initio libri de Oratione num. 1. & plura Apolog. cap. 39. num. 520. quemadmodum & de* sacratum literarum commemoratione *ibidem nu. 501.*

H

208. Vis & pugillatus & luctatus? &c.] *Plurali numero vsurpat vtrumque.* Pugillatus *autem voce vtitur & Plautus Captiuis, &* Luctatus *Plinius lib. 8. capite 12. & libro 32. capit. 2. Est autem similis locus apud B. Chrysost. hom. 31. in Ioannem, & in Psychomachia Prudentii, vbi* aspicere *est*, impudicitiam *seu libidinem* à castitate *seu pudicitia* delectam; perfidiam *siue Idololatriam* cæsam à fide; sæuitiam *ira nomine* à misericordia, *quam patientiam ille vocat*, contusam: petulantiam *denique luxuria titulo*, à modestia, *quæ & sobrietas*, obumbratam. *Sic enim lego prorsus pro eo quod erat*: adumbratam.

209. Vis autem & sanguinis, &c.] Sanguinis *à Christo effusi memoriam obijcit sanguinarijs voluptatibus.*

CAP. XXX.

210. Quale autem Spectaculum in proximo est, &c.] *Postremum hoc caput inscripsimus*: Quod multo ampliora Spectacula sint Christianis iudicii die exspectanda. *Quem quomodo Tertullianus in proximo esse dicat, alibi, ni fallor, libris aduersus Marcionem latius, ne hic prolixiores simus. B. Cyprian. sub finem libri de Spectaculis, hortatur Christianos ad* Spectacula *miraculorum conditi & redempti mundi, nisi quod etiam addat postremo loco, diabolum illum, qui totum* detriumphauerat *mundum, sub pedibus Christi iacentem spectatum iri; quod hic etiam infra insinuat.*

211. quale regnum exinde iustorum? qualis ciuitas noua Ierusalem? *Istud fortassis ad errorē Millenariorum pertinet, de quo latius*

tius inter errores Tertulliani nostris in Prolegomenis, quemadmodum & illud quod subiicit: de tot sæculi natiuitatibus.

212. Item Præsides, persecutores Dominici nominis, &c.] *Tum ex hoc loco, tum ex superiori, de quo supra num. 146. patet, librum hunc in ipsa persecutione Christianorũ conscriptum fuisse. Legimus autem ex MS.* insultantibus contra Christianis, *pro eo, quod erat corruptissime:* Christianos.

213. quibus animas aut nullas, &c.] *De duobus his Philosophorum erroribus latius lib. de Anima, & de Resurr. carnis: aliquid etiam diximus de postremo, Apolog. integro capite* 48.

214. non ad Rhadamanthi, nec ad Minois.] *De his etiam diximus Apolog. cap. 23. num. 368. vbi similis est locus.*

215. non in gymnasiis.] Gymnici ludi *locus (inquit lib. 18. supra dicto Isid. cap.* 17.) Gymnasium *dicebatur, vbi exercebantur Athletæ, & cursorum velocitas comprobabatur: ita dictum, quod iuuenes nudi exercerentur. Hinc accidit, vt omnium prope Artium exercitia* Gymnasia *dicantur. Sic & Cassiodorus Variarum li. 5. epist. 23. Ostentent (inquit) iuuenes nostri bellis, quod in* Gymnasio *didicêre virtutis: Schola Martia mittat examina.*

216. Hic est ille (dicam) fabri aut quæstuarii filius,] *Omnino sic lego, pro:* quæstuariæ. *Neque enim legitur vsquam Christus nisi* fabri filius, *nempe Matth. 13. vbi vox Græca non modo* fabrum, *sed & quæstuarium significat. Atqui de* Discentibus, *pro discipulis, alibi.*

217. vel hortulanus detraxit ne lactucæ suæ frequentia commeantium læderentur.] *Ironia hac videtur irridere aliquam illorum hæreticorum, qui Christum vere passum negant, Marcionem nempe, Cerdonem eius magistrum, & ante eos Basilidem, & Simonem Magum.*

218. & vtraque cauea.] *Intelligit* caueam *& Theatri, & Amphiteatri. De* Cauea *Theatri Scauri meminit & Plinius l. 36. c. 17. & mediæ* caueæ *mentionem facit Sueton. in Claudio, cap. 21. & Virgilius dixit? totum* caueæ *consessum. Qui omnes videntur accipere* caueam *pro altiori parte Theatri, in qua erat consessus spectantium; & similiter Cassiodorus lib. 4. Variarum, epist. 52. his verbis;* Caueas *illas saxu pendentibus absidatas, ita iuncturis absconditis in formas pulcherrimas conueniſſe, vt cryptus magis excelsi montis crederes, quam aliquid fabricatum esse iudicares. Sic etiam Cicero lib. de Senect. de eo, qui in prima* cauea *spectat, & eo, qui in vltima. Verum Auctor hoc loco & Chrysost. hom. de Kalendis, item Augustin. l. 1. de Consens. Euang. c. 37.* Caueam *accipiunt pro area in medio Theatri aut Amphitheatri, ad imitationem* caueæ *ferarum vndiq; clausæ, primum clausiris seu clostris ligneis deinde ferreis, denique & euripis, vti supra diximus c. 8.*

ARGVMENTVM LIBRI DE IDOLOLATRIA PER IACOBUM PAMELIUM.

POST *librum de Spectaculis æditum (vti infra patet cap. xiij.) quantumuis adhuc durante persecutione, cupiens Tertullianus etiã reliquas Idololatriæ species in vniuersum tollere, hunc sibi cõscribendum putauit, ne diutius Christiani ignorantia crassa laborarent, existimantes, in solo Idolorum cultu Idololatriam consistere.*

I. *Imprimis autem docet, omnia crimina in Idololatriæ crimine,*

II. *& in omnibus Idololatriam deprehendi.*

Deinde in multas venas eam defundi,

III. *& multifariam seruos Dei subuertere.*

Ita ad originem Idololatriæ, & interpretationem vocabuli

IV. *descendens, Idola esse ostendit habenda, non solum hominis effigie consecrata, sed quæcumque simulacra.*

D *Agens deinde aduersus confectores Idolorum, Christianos, o-*

V. *stendit, tam fieri quam coli prohibita Idola.*

Neque se excusare illos posse prætextu operationis manuum ab

VI. *Apostolo præscriptæ, quæ intelligitur de Artibus, quas Ecclesia Dei recipit, neque à Deo sunt prohibitæ.*

Maxime quod renunciantes Diabolo & angelis eius, illis repu-

VII. *dium dixerimus; quippe quibus plures Deos, eosque falsos facto confiteantur, atque adeo eosdem colant, qui faciunt vt coli possint.*

Quod denique Zelus fidei prohibeat Christianum ab Idolis in

VIII. *Ecclesiam venire, adtollere ad Deum Patrem manus matres Idolorum, his manibus adorare, easque admouere corpori Domini, quæ Dæmonijs corpora conferunt; multo vero magis in Ordinem Ecclesiasticum adlegi artifices Idolorum, quorum manus potius amputandæ, quibus quotidie corpus Christi lacessunt quibus Domini corpus scandalizatur.*

Eandem esse rationẽ fabricæ templi, aræ ædiculæ domus, in ho-

norem Idolorum, siue expressionem in bracteã, aut insignibus eorundem. E

Deinceps Professionem Astrologorum Mathematicorum, Ma-

IX. *gorum, Idololatriæ obnoxias esse tradit.*

Item & Ludimagistros, ceteroſque litterarum professores ad-

X. *fines esse multimodæ Idololatriæ, qui eorumdem solemnia obseruent, quum etiam fidelium sit magis discere quam docere litteras.*

Quin etiam negotiationes mercium earum, quæ ad Idololatriam pertinent. XI.

Et vero necessitates humanas minime prædicta omnia excu- XII.

sare, quod fidei semel obsignatæ sint contraria, atque adeo propter Dominum derelinquenda Apostolorum exemplo.

Porro non solum à sacrificijs & sacerdotijs Idolorum & Spec-

XIII. *taculis (de quibus alio volumine) sed & à festis illorum diebus abstinendum, etiam extraordinarijs.*

Neque in his placere nos ethnicis posse, vt eos lucrifaciamus, XIV.

quod nomen Dei blasphemetur, quando Saturnalia, Ianuaria, idque genus alia à Christianis frequentantur; quum ipsi econtrario non octauo quoque die Dominicum diem, non Pentecosten, immo nullam Christianorum solemnitatem obseruent.

Immo neque sollemnibus Cæsarum tabernas, seu ianuas Chri- XV.

stianorum lucernis ornandas, aut laureis coronandas, tum quod F

omnis Idololatria ab hominum cultura cœperit, & ipsos Deos Nationum homines retro fuisse constet, tum quod & Ostiorum dij vary apud Romanos, tum denique quod Magistratibus subditos quidem esse oporteat, sed intra limites Christianæ disciplinæ.

Aliud esse iudicium de communibus aut priuatis solemnitati- XVI.

bus & sponsalium, & nuptiarum, nisi quis interfit illorum Idolorum sacrificijs.

Neque vero etiam seruis licere ministros esse Idololatriæ. XVII.

Omnem item superfluum vestium ornatum & honorum ap- XVIII.

paratum, maxime qui idololatriæ dicatus sit, ab initio in diaboli pompa damnatum esse.

Item & militam, cui necessitas sit immolationum vel capita- XIX.

lium iudiciorum, eamque in qua militandum sit sub signo diaboli, cui non conuenit cum signo Christi.

Quum autem conuersatio diuinæ disciplinæ etiam verbis peri- XX.

clitetur, ne Idola Deos vocemus, interdictum; item & deieirationem omnem; exempli gratia; Me Hercule, Me Dius fidius, *& similia.*

Perinde etiam esse, siue iuret quis per Idola, siue ab alio adiu- XXI.

ratus adquiescat siue per litem dicat, Iupiter tibi sit iratus, *siue* G

respondeat: Immo tibi.

Æque etiam, benedici per Deos Nationum, Christo initiatum XXII.

non debere permittere; exempli gratia, si eleemosynam accipiens Deos suos propitios ethnicus imprecetur, respondendum, Dei caussa id factum esse.

Postremo neque pecuniam ab ethnicis mutuantes Christianos XXIII.

iuratos cauere posse, quum æque stylo & scripto, etiam alio dictante, atque verbo Christus negetur.

Epilogo denique breui concludit, inter hos scopulos, inter hæc XXIV.

vada & freta Idololatriæ, velificare debere fidem Deiutam & securam.

Ceterum hunc librum vere Tertullianicum esse, vel ex eo constat, quod his verbis citet supradictum Spectaculorũ librum c. xiij. De Spectaculis autem & voluptatibus eiusmodi, suum iam volumen impleuimus. *Viderunt etiam iam olim B. Cyprian. qui adinstar conscripsit librum de Idolorum vanitate, & B. Isidorus, qui Etymol. lib. 8. cap. vlt. verbis ipsis vtitur c. 3. huius libri, vbi agit de vocabuli Idoli interpretatione. Quod itaque Trithemius & Politianus hunc præterierint, hinc factum, quod nuspiam exemplar ms. repere int. Certe Gagnæus sua æditione ex* H *ms. Gallico codice illum edidit, & post illum ex Britannico Lælandi codice quam accuratissime per Sigismundum Gelenium castigatus est, vsque adeo, vt vix vllus hiatus, aut corruptus supersit locus. De qua eius diligentia tanto magis nobis congratulandum, quod nullus etiam mihi MS. codex contingere potuerit.*

Nostris interim Adnotationibus haud parum illustratus, Deo fauente, nunc primum prodit.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE IDOLOLATRIA LIBER.

Cap. I.

PRINCIPALE[1] crimen generis humani, summus sæculi reatus, tota causa iudicii, Idololatria. Nam etsi suam speciem tenet vnumquodque delictum, etsi suo quoque nomine iudicio destinatur, in Idololatriæ tamen crimine expungitur. Omitte titulos, operas recognosce, Idololatres, idem homicida est. Quæris, quem occiderit? si quid ad elogii ambitionem facit, non extraneum nec inimicum, sed seipsum. Quibus insidiis? erroris sui. Quo telo? offensa Dei. Quot plagis? quoquot Idololatrius. Qui negat Idololatren periisse, is negabit Idololatren homicidium fecisse. Proinde adulterium, & stuprum in eodem recognoscas: nam qui falsis deis seruit, sine dubio adulter est veritatis, quia omne falsum adulterium est. Sic & in stupro mergitur. Quis enim immundis spiritibus operatus, non conspurcatus & constupratus incedit? [2] Atque adeo scripturę sanctæ stupri vocabulo vtuntur in Idololatriæ exprobratione. Fraudis conditio ea est, opinor, si quis alienum rapiat, aut alii debitum deneget, & vtique erga hominem admissa fraus maximi criminis nomen est. At enim Idololatria Deo fraudem facit, honores illi suos denegans, & conferens aliis, vt fraudi etiam contumeliam coniungat. Quodsi tam fraus quam stuprum atq; adulterii mortem[3] adferūt, iam in his æque Idololatria de homicidii reatu non liberatur. Post talia crimina, tam exitiosa, tam deuoratoria salutis, cetera quoque ad aliquem modum, & seorsum proinde disposita, in Idololatria conditionem suam repræsentant. In illa & concupiscentiæ sæculi. Quæ enim Idololatriæ solennitas sine ambitione cultus & ornatus? In illa lasciuiæ & ebrietates cum plurimum victus & ventris & libidinis causa frequentatur. In illa iniustitia. Quid enim iniustius ea, quæ iustitiæ patrem nescit? In illa etiam vanitas, quum tota eius ratio vana sit: in illa mendacium, quum tota substantia eius mendax sit. Ita fit, vt, omni in Idololatria, & in omnibus Idololatria, deprehendatur. Sed & alias quum vniuersa delicta aduersus Dominum sapiant, nihil autem quod auersus Dominum sapiat, non dæmoniis & immundis spiritibus deputetur, quibus Idola mancipantur: sine dubio Idololatriam admittit, quicunque delinquit: id enim facit, quod ad Idolorum[4] mancipes pertinet. [Sed[5] vniuersa nomina criminum discedant, in operum suorum proprietates, remaneat Idololatria in eo quod ipsa est: sufficit sibi tam inimicum Deo nomen, tam locuples substantia criminis, quæ tot ramos porrigit, tot venas defundit, vt de hoc cum maxime materia suscepta sit, quot modis nobis præcauenda sit Idololatriæ latitudo. Quoniam multifariam seruos Dei nec tantum ignorata, sed etiam dissimulata subuertit. Pleriq; Idololatriam simpliciter existimant his solis modis interpretandam. Si quis aut incendat aut immolet,[6] aut polluceat, aut sacris aliquibus aut sacerdotiis obligetur: quemadmodum si quis existimet, adulterium in osculis, & in amplexibus, & in ipsa carnis congressione censendum: aut homicidium in sola sanguinis profusione & in animæ ereptione reputandum. At enim, Dominus quam extensius ista disponat, certi sumus, cum adulterium etiam in concupiscentia designat, si oculum quis impegerit libidinose, & animam commouerit impudice: cum[7] homicidium etiam in verbo maledicti vel conuicii iudicat, & in omni impetu iræ & in negligentia charitatis in fratrem. Sicut Ioannes docet homicidam esse, qui oderit fratrem. Alioquin in modico consisteret, & diaboli ingenium de malitia, & Dei Domini de disciplina, qua nos aduersus diaboli altitudines munit, si in his tantum delictis iudicaremur, quæ etiam nationes decreuerunt vindicanda. Quomodo abundabit iustitia nostra super Scribas & Pharisæos, vt Dominus præscripsit, nisi abundantiā aduersarię eius, id est, iniustitiæ perspexerimus? Quod si caput iniustitiæ Idololatria est, prius est, vti aduersus abundantiā Idololatriæ præmuniamur, dum illā nō solum manifestis recognoscimus. [Idolum[8] aliquandiu retro non erat. Prius quam huius monstri artifices ebuliissent, sola[9] templa & vacuæ ædes erant, sicut in hodiernū quibusdam locis vetustatis vestigia permanent. Tamen Idololatria agebatur, non in isto nomine, sed in isto opere. Nam & hodie extra templū & sine Idolo agi potest. At vbi artifices statuarum & imaginum, & omnis generis simulacrorum diabolus sęculo intulit, tunc illud negocium humanæ calamitatis, & nomen de Idolis consequutum est, & profectū. Exinde iā caput facta est Idololatriæ ars omnis, quæ Idolū quoquomodo edit. Neque enim interest,[10] an plastes effingat, an cælator exsculpat, an Phrygio detexat: quia nec de materia refert, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur Idolū. Quando enim, & sine Idolo Idololatria fiat: vtique cum adest Idolum, nihil interest, quale sit, qua de materia, qua de effigie, ne qui putet id solum Idolum habendū, quod humana effigie sit consecratum. Ad hoc necessaria est vocabuli interpretatio. εἴδωλον[11] Græce formam sonat, ab eo per diminutionem εἰδώλιον deductum, æque apud nos formulā fecit. Igitur omnis forma vel formula Idolum se dici exposcit. Inde Idololatria omnis circa omne Idolum famulatus & seruitus. Inde & omnis Idoli artifex, eiusdem & vnius est criminis: nisi parum Idololatriam populus admisit, quia[12] simulacrum vituli, & non hominis sibi consecrauit. [[13] Idolum tam fieri quam coli Deus prohibet. Quanto præcedit vt fiat quod coli possit, tanto prius est ne fiat si coli non licet. Propter hanc causam ad eradicandam scilicet materiam Idololatriæ, lex diuina proclamat: *Ne*[14] *feceritis Idolum*. Et coniungens, *Neque similitudinem eorum quæ in cœlo sunt, & quæ in terra, & quæ in mari*. Toto mundo eiusmodi artib. interdixit seruis Dei.[15] Antecesserat n. hoc prædicens Enoch omnia elementa, omnem mundi sensum, quæ cœlo, quæ mari, quæ terra continentur, in Idololatriam versuros dæmonas, & spiritus desertorum angelorum, vt pro Deo aduersus Dominum consecrarentur. Omnia igitur colit humanus error, præter ipsum omnium conditorem. Eorum imagines Idola,[16] imaginum consecratio Idololatria. Quicquid Idololatria committit, in artificē quemcunque & cuiuscunque Idoli deputetur necesse est. Denique idē Enoch simul & cultores Idoli & fabricatores in comminatione prædamnat. Et rursus: *Iuro vobis peccatores, quod in diem sanguinis perditionis pœnitentia parata est. Qui seruitis lapidibus, & qui imagines facitis aureas, & argenteas, & ligneas, & lapideas, & fictiles, & seruitis phantasmatibus, & dæmoniis, & spiritibus, infamibus, & omnibus erroribus, non secundum scientiam, nullum ab iis inuenietis auxilium*. Esaias vero: *Testes*, ait, *vos estis, si est Deus absque me. Et non erant tunc qui fingunt & exsculpunt, omnes vani qui faciunt libita sibi, quæ illis no proderunt*. Et deinceps tota illā pronunciatio, qua in artifices, qua in cultores detestatur, cuius clausula est,[17] *Cognoscite quod cinis sit cor illorum, & errant, & nemo animam suam liberare possit*. Vbi æque Dauid, *Et*[18] *tales fiant*, inquit, *qui faciunt ea*. Et quid ego modicæ memoriæ homo, vltra quid suggeram, quid recolam de scripturis? quasi aut non sufficiat vox Spiritus sancti, aut vltra deliberandum sit, an maledixerit atque damnauerit Dominus ipsos prius artifices eorum, quorum cultores maledicit & damnat? [[19] Plane impensius respondebimus ad excusationes huiusmodi artificum, quos nunquam in domum Dei admitti oportet, si quis eam disciplinam norit. Iam illa obiici solita vox: *Non habeo aliud, quo viuam*: districti us repercuti potest, Viuere

ergo habes. Quid tibi cum Deo est? si tuis legibus. Tum quod & de scripturis audent argumentari: dixisse Apostolum, *Vt* 20 *quisque fuerit inuentus, ita & perseueret*: possumus igitur omnes in peccatis perseuerare ex ista interpretatione. Nec enim quisquã nostrum non peccator inuentus est, cum Christus non alia ex causa descenderit, quam peccatorum liberandorum. Item: eundem præcepisse dicunt secundum suum exemplum, vt manibus vnusquisq, operetur ad victum. Si hoc præceptum ab omnibus manibus defendatur, credo & 21 fures balnearios manibus suis viuere, & ipsos latrones manibus agere, quo viuant. Item falsarios vtique non pedibus, sed manibus operari malas litteras. Histriones vero non manibus solis, sed totis membris victũ elaborare. Pateat igitur Ecclesia omnibus, qui manibus & suo opere tolerantur, si nulla exceptio est artiũ quas Dei disciplina non recipit. Sed ait quidam aduersus similitudinis interdictæ propositionem, 22 Cur ergo Moses in eremo simulacrum serpentis ex ære fecit? Seorsũ figuræ, quæ dispositioni alicui arcanæ præstruebantur, non ad erogationem legis, sed ad exemplarium causæ suæ. Alioquin si hæc, vt aduersarii legis, interpretemur? nunquid & nos, quod & Marcionitæ, in constantiam adscribimus omnipotenti, quem illi hoc modo destruunt vt mutabilem, dum alibi vetat, alibi mandat? Si quis autem dissimulat illam effigiem ęrei serpentis suspensi in modum, 23 figuram designasse Dominicæ crucis à serpentibus, id est ab angelis diaboli liberaturæ nos, dum per semetipsam diabolum, id est, serpentem interfectum suspendit, siue quæ alia figuræ istius expositio dignioribus reuelata est, dummodo Apostolus affirmet, omnia tunc figurate populo accidisse: bene quod idem Deus, qui lege vetuit similitudinem fieri, extraordinario præcepto serpentis similitudinem interdixit. Si eundem Deum obseruas, habes legem eius, *Nefeceris similitudinem*. Si & pręceptũ factæ postea similitudinis respicis, & tu imitare Moysen, Ne facias aduersus legem simulacrum aliquod, nisi & tibi Deus iusserit. [24 Si nulla lex Dei prohibuisset Idola fieri à nobis, nulla vox Spiritus sancti fabricatoribus Idolorum non minus quam cultoribus comminaretur: de ipso sacramento nostro interpretaremur nobis aduersas esse fidei eiusmodi artes. Quomodo enim renunciauimus diabolo & angelis eius, si eos facimus? Quod repudium diximus his, non dico cum quibus, sed de quibus, viuimus? Quam discordiam suscepimus in cos, quibus 25 exhibitionis nostræ gratia obligati sumus? Potes linguã negasse, quod manu confiteris? Verbo destruere, quod facto struis? Vnum Deum prædicare, qui tantos efficis? Verum Deum prædicare, qui falsos facis? Facio (ait quidam) sed non colo. quasi ob aliam causam colere non audeat, nisi ob quam & facere non debeat, scilicet ob Dei offensam vtrobique. Imo tu colis, qui facis, vt coli possint. Colis autem non spiritu 26 vilissimi nidoris alicuius, sed tuo proprio: nec anima pecudis impensa, sed anima tua. Illis ingeniũ tuum immolas, illis sudorem tuum libas, illis prudentiã tuam accẽdis. Plus es illis quã sacerdos, cũ per te habeant sacerdotem. Diligentia tua numen illorũ est. Negas te quod facis colere? Sed illi non negant, quib. hanc saginatiorẽ & 27 auratiorem & maiorem hostiam cædis, salutem tuam. [28 Tota die ad hanc partẽ zelus fidei perorabit ingemens Christianum ab 29 Idolis in Ecclesiã venire, de aduersaria officina in domũ Dei venire, 30 attollere ad Deum patrẽ manus matres Idolorum, his manib. adorare quæ foris aduersus Deum adorantur, eas 31 manus admouere corpori Domini, quę dæmoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab 32 aliis manibus accipiant, q̃ contaminant, sed etiam ipsæ tradunt aliis quod contaminauerunt. 33 Adleguntur in ordinem Ecclesiasticum artifices Idolorum. Pro scelus. Semel Iudęi Christo manus intulerunt, isti 34 quotidie corpus eius lacessunt. O manus præcidendæ. Viderint iam an per similitudinem dictum sit, *Si te manus tua scandalizat, amputa eam*. Quæ magis amputandæ, quam in quibus Domini corpus scandalizatur? [35 Sunt & aliæ complurium artium species, quæ etsi non contingunt Idolorum fabricationem, tamen ea sine quibus Idola nil possunt, eodem crimine expediunt. Nec enim differt, an extruas vel exornes, si templum, si aram, si ædiculam eius instruxeris, si bracteam expresseris, aut insignia, aut etiam domum fabricaueris. Maior est eiusmodi opera, quæ non effigiem confert, sed auctoritatem. Si ita necessitas exhibitionis extenditur, habent & alias species, quæ sine exorbitatione disciplinę, id est sine Idoli confectura opem victus præstent. Scit 36 albarius tector & tecta sarcire, & tectoria inducere, & 37 cisternam liare, & 38 cymatia distendere, & multa alia ornamenta præter simulacra parietibus incrustare. Scit & pictor & marmorarius, & ærarius, & quicunque cælator, latitudines suas vtique multo faciliores. 39 Nam qui signũ describit, quanto facilius abacũ linit: 40 Qui de tilia Martem exsculpit, quanto citius armariũ compingit? Nulla ars non alterius artis, aut mater, aut propinqua est. Nihil alterius vacat. Tot sunt artium venæ, quot hominum concupiscentiæ. Sed de 41 mercedibus & manuspretiis interest. Proinde interest & de labore. Minor merces frequentiore actu repensatur. Quot parietes signa desiderant? Quot templa & ædes Idolis ędificantur? Domus vero & prætoria & balnea & insulæ quantæ 42 Soccus & baxa quotidie deaurantur, Mercurius & Serapis non quotidie. Sufficiant ad questum artificiorum, frequentiores omni superstitione luxuria & ãbitio. 43 Lances & scyphos facilius ambitio, quum superstitio desiderabit. Coronas quoque magis luxuria, quam solemnitas erogat. Cum igitur ad hæc artificiorum genera cohortemur, quæ Idolum quidem, & quæ Idolo competunt, non attingant, sint autem & hominibus communia sæpe quæ & Idolis, hoc quoque cauere debemus, ne quid scientibus nobis ab aliquibus de manibus nostris in rem Idolorum postuletur. Quod si concesserimus, & non remediis tã vsitatis egerimus, non puto nos à contagio Idololatriæ vacare, quorum manus non ignorantium in officio vel in honore & vsu dæmoniorum deprehenduntur. [44 Animaduertimus inter, Artes etiam professiones quasdam obnoxias Idolatriæ. 45 De Astrologis ne loquendum quidem est. Sed quoniam quidã istis diebus prouocauit defendens sibi perseuerantiam professionis istius, paucis vtar. Nõ allego quod Idola honoret 46 quorum nomina cœlo inscripsit, quibus omnem Dei potestatem addixit: quod propterea homines non putant Deum requirendum, præsumentes, stellarum nos 47 immutabili arbitrio agi. Vnum propono, Angelos esse illos desertores Dei, 48 amatores fœminarum, 49 proditores etiam huius curiositatis, propterea quoque damnatos à Deo. O diuina sententia vsque ad terram pertinax, cui etiam ignorantes testimonium reddunt. 50 Expelluntur Mathematici, sicut angeli eorum. 51 Vrbs & Italia interdicitur Mathematicis, sicut cœlum & angelis eorum. Eadẽ pœna est exilii discipulis & magistris. 52 Sed *Magi* & Astrologi *ab Oriente venerunt*. Scimus Magiæ & Astrologiæ inter se societatem. Primi igitur stellarum interpretes natum Christum annunciauerunt, primi munerauerunt. Hoc nomine Christum (opinor) sibi obligauerunt. Quid tum? Ideo nunc & Mathematicis patrocinabitur illorum Magorum religio? 53 De Christo scilicet est matheſis hodie, stellas Christi, non Saturni & Martis & cuiusq; ex eodẽ ordine mortuorum obseruat & prædicat. At 54 enim scientia ista vsque ad Euangeliũ fuit concessa, vt Christo edito nemo exinde natiuitatem alicuius de cœlo interpretetur. Nam & thus illud & myrrham & aurum ideo infanti tunc Domino obtulerunt, quasi clausulam sacrificationis & gloriæ seculatis, quam Christus erat adempturus. Quod iisdem Magis somnium sine dubio ex Dei voluntate suggessit, vt irent in sua, sed alia, non qua venerant via, id est, ne pristina secta sua incederent: ne illos Herodes persequeretur, qui nec persecutus est etiam, ignorans alia via, digressos, quoniam & qua venerant ignorabat

A
1. Cor. 7.
1. Cor. 4.
1. Thess. 4.
Num. 21.
B
1. Cor. 10.
Exod. 20.
Cap. VI.
C
D
Cap. VII.
E
Cap. VIII.
F
Cap. IX.
G
Gen. 6.
Matth. 2.
H

A

rabat. Adeo viam rectam & disciplinam intelligere debemus. Itaque Magis præceptum, exinde aliter incederent. Sic 55 & aliam illam speciem Magiæ quæ miraculis operatur, etiam aduersus Moysen æmulata, patientia Dei traxit ad Euangelium vsque. Nam exinde & Simon Magus iam fidelis, quoniam aliquid adhuc de
Exod. 7. Act. 8. 56 circulatoria secta cogitaret, vt scilicet inter miracula professionis suæ etiam Spiritum sanctum per manuum impositionem enundinaret, maledictus ab Apostolis de fide eiectus est: & alter Magus qui cum Sergio Paulo, quoniam iisdem aduersabatur Apostolis, luminum
Ibid. 17. amissione multatus est. Hoc & Astrologi retulissent, credo, si quis in Apostolos incidisset. Attamen cum Magia punitur, cuius est species Astrologia, vtique & species in genere damnatur. Post Euangelium nusquam inuenias 57 aut sophistas, aut Chaldæos, aut incantatores, aut coniectores, aut Magos, nisi plane punitos. *Vbi sapiens, vbi* 58 *litterator, vbi conquisitor huius æui?*
1. Cor. 1. *Nonne infatuauit Deus sapientiam huius seculi?* Nihil scis Mathematice, si nescisbas, te futurum Christianum. Sin sciebas, hoc quo que scire debueras, nihil tibi futurum cum ista professione. Ipsa te de periculo suo instrueret, quæ aliorum 59 climacterica præcauit. *Non est tibi pars neque sors in ista ratione.* Non potest regna cœlorum sperare, 60 cuius digitus aut radius abutitur cœlo. [61 Quærendum autem est etiam de ludimagistris, sed & ceteris professoribus litterarum. Imo non dubitandum affines illos esse multimodæ Idololatriæ. Primum quibus necesse est Deos Nationum prædicare nomina, genealogias, fabulas, ornamenta honorifica quæque eorum enunciare, tum solennia festaque eorundem obseruare, vt quib. vectigalia sua suppetant. Quis ludimagister, si 62 non tabularia Idolorum, quinquatria tamen frequentabit? Ipsam 63 primam noui discipuli stipem Mineruæ & honori & nomini consecrat, vt etsi non prophanatus alicui Idolo, verbotenus de Idolothyto esse dicatur, pro Idololatra vitetur. quid minus est inquinamenti eo quod præstat quæstus & nominibus & honoribus Idolo nuncupatus: 63 tam Minerualia Mineruæ, quam 64 Saturnalia Saturni, quæ etiam seruiculis sub tempore Saturnalium celebrari necesse est. Etiam strenæ captandæ, & 65 septimontium, & brumæ, & caræ cognationis honoraria exigenda omnia, flore scholæ coronandæ. 66 Flaminicæ & 67 ædiles sacrificant Cereri, 68 schola honoratur feriis. Idem fit Idoli natali, omnis diaboli pompa frequentatur. Quis hæc competere Christiano existimabit, nisi qui putabit conuenire etiam non magistro? Scimus dici posse, Si docere litteras Dei seruis non licet, etiam nec discere licebit. Et quomodo quis instituereturad prudentiam interim humanam, vel ad quemcunque sensum vel actum, cum instrumentum sit ad omnem vitam litteratura? Quomodo repudiamus secularia studia, sine quibus diuina non possunt. Videamus igitur necessitatem litteratoriæ eruditionis, respiciamus ex parte eam admitti non posse, ex parte vitari, fideles magis discere quam docere litteras capit. Diuersa est enim ratio discendi & docendi. Si fidelis litteras doceat insertas Idolorum prædicatione, sine dubio dum docet, commendat, dum tradit, affirmat: dum commemorat, testimonium dicit. 69 Deos ipsos hoc nomine obsignat 70 cum lex prohibeat (vt diximus) deos pronunciari, & 71 nomen hoc in vano collocari. Hinc prima diabolo fides ædificatur ab initiis eruditionis. Quære an Idololatriam committat, 72 qui de Idolis catechizat. At cum fidelis hæc discit, si iam sapit qui sit, neque recipit, neque admittit, multo magis si nondum sapit. Aut vbi cœperit sapere, prius sapiat oportet quod prius didicit, id est, de Deo & fide. Proinde illa respuet nec recipiet. Et erit tam tutus quam qui sciens venenum ab ignaro accipit, nec bibit. Huic necessitas ad excusationem deputatur, qui aliter discere non potest. Tanto autem facilius est litteras non docere quam non discere, quanto & reliqua scholarum de 73 publicis propriis solennitatibus inquinamenta facilius discipulus fidelis non adibit quam magister non frequentabit. [74 Degenerabimus si cetera delictorum recogitemus, in primis cupiditatem radicem omnium malorum, 75 *qua quidam irretiti, circa fidem naufragium sunt passi*: quamuis & Idololatria ab eodem Apostolo dicta sit cupiditas, tum mendacium cupiditatis ministrum. Taceo de periurio, quando ne iurare quidem liceat. Negotiatio seruo Dei aptata est? Ceterum si cupiditas abscedat, quæ est causa adquirendi: cessante causa adquirendi, non erit necessitas negotiandi. 76 Sit nunc aliqua iustitia quæstus secura de cupiditatis & mendacii obseruatione, in crimen offendere Idololatriæ eam opinor, quæ ad ipsam Idolorum animam & spiritum pertinet, quæ omne dæmonium saginat an non illa principalis Idololatria viderint si eædem merces, 77 thura dico & cetera peregrinitatis sacrificium Idolorum. Etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, 78 nobis quoque insuper ad solatia sepulturæ vsui sunt. Certe cum pompæ, cum sacerdotia, cum sacrificia Idolorum de periculis, de damnis, de incommodis, de cogitationibus, de discursibus negotiationibusve instruuntur, quid aliud quam procurator Idolorum demonstraris? Nemo contendat posse hoc modo omnibus negotiationibus controuersiam fieri. Grauiora delicta quæque pro magnitudine periculi diligentiam extendunt obseruationis, vt non ab his tantum abscedamus, sed & ab iis per quæ fiunt. Licet enim ab aliis fiat, non interest si per me. In nullo necessarius esse debeo alii, cum facit quod mihi non licet. Ex hoc quod vetor facere, intelligere debeo curandum mihi esse ne fiat per me. Denique in alia causa non leuioris reatus præiudicium istud obseruo. Nam quod mihi de stupro interdictum sit, aliis ad eam rem nihil aut operæ aut conscientiæ exhibeo. Nam quod ipsam carnem meam à lupanaribus segregaui, agnosco me neque lenocinium, neque id genus lucrum alterius causa exercere posse. Sic & homicidij interdictio ostendit mihi 79 laniſtam quoque ab 80 Ecclesia arceri: nec per se non faciet quod faciendum alijs subministrat. Ecce magis proximum præiudicium. Si publicarum victimarum redemptor ad fidem accedat, permittes ei in eo negotio permanere? Aut si iam fidelis id agere susceperit, retinendum in Ecclesia putabis? Non opinor, nisi si quis & de thurario dissimulabit. scilicet ad alios peruenit procuratio sanguinis, ad alios odorum. Si antequam Idola in seculo essent, his mercib. adhuc informis Idololatria transigebatur, si & nunc fere sine Idolo opus Idololatriæ incendijs odorum perpetratur, ecquid maioris operæ & erga dæmonia thurarius: nam facilius sine Idololatria quam sine thurarii merce. Ipsius fidei conscientiam perrogemus, quo ore Christianus thurarius si per templa transibit, quo ore fumantes aras despuet, & 81 exsufflabit quibus ipse prospexit? Qua constantia exorcizabit alumnos suos, quib. domum suam cellariam præstat? Ille quidem si excluserit dæmonium, non sibi placeat de fide. Neq; n. inimicũ excluſit. Facile debuit de eo impetrare quẽ quotidie pascit. Nulla igitur ars, nulla professio, nulla negotiatio, quæ quid aut instruẽdis aut formãdis Idolis administrat, carere poterit titulo Idololatriæ: nisi si aliud omnino interpretemur, Idololatriã, q̃ famulatum Idolorũ colendorũ. [82 Male nobis de necessitatib. humanæ exhibitionis supplaudimus, si 83 post fidẽ obsignatã dicimus, *Nõ habeo quo viuã.* Iam hic n. plenius illi abruptæ propositioni respõdebo, Sero dicitur. Ante n. fuit deliberandum ex similitudine prouidentissimi 84 ędificis illius, qui prius sumptus operis cum viribus suis supputat, ne vbi cœperit defunctus postea erubescat. Sed & nunc habes dicta Domini exempla adimentia tibi omnem causationem. Quid enim dicis? Egebo. Sed fœlices egenos Domin. appellat. Victum non habebo? Sed 85 *nolite*, inquit, *cogitare, de victu.* Et vestitus habemus exemplum lilia. Substantia mihi opus erat: Atquin omnia vẽdenda sunt, & egentibus diuidenda. Sed filiis & posteritati prouidendũ *Nemo aratro manũ imponens & retro spectãs aptus est.* 86 Opera con-

B C D E F G H

Cap. XI. Cap. XII.

Matth. 5. Matth. 6. Ibid. Matth. 9. Luc. 9.

ditio-

ditionalis erã. *Nemo duobus dominis seruire potest.* Si vis Domini discipulus esse, crucem tuam tollas, & Dominum sequaris necesse est, id est, angustias & cruciatus tuos, 87 vel corpus solum, quod in domum Christi est. Parentes, coniuges, liberi propter Deum relinquendi erunt. De artibus & negotiationibus, & de professionibus etiam liberorum & parentum causa dubitas. Iam tunc demonstratum est, nobis & pignera, & artificia, & negotia propter Dominum derelinquenda, cum Iacobus & Ioannes vocati à Domino & patrem nauemque derelinquunt. Cum Matthæus de teloneo suscitatur. Cum etiam sepelire patrem tardum fuit fidei. Nemo eorum quos Dominus allegit, Non habeo dixit quo viuam. Fides famen non timet. Sic etiam famem non minus sibi contemnendam propter Deum, quam omne mortis genus. Didicit non respicere vitam, quanto magis victum? Quotusquisque hæc adimpleuit? Sed 88 *quæ penes homines difficilia penes Deum facilia.* Sic tamen nobis de mansuetudine & clementia Dei blandiamur, vt non vsque ad Idololatriæ adfinitates necessitatib. largiamur. [89 Sed omnem adflatum eius vice pestis etiam de longinquo deuitemus, non in his tantumque præmisimus, sed in vniuersa serie humanæ superstitionis, siue deis suis, siue defunctis, siue regibus mancipatæ, vt ad eosdem spiritus immundos pertinentis, modo per sacrificia & sacerdotia, modo per spectacula, & hoc genus, modo per festos dies. Sed de sacrificijs & de sacerdotiis quid loquar? De 90 Spectaculis autem & voluptatibus eiusmodi suum iam volumen impleuimus. Hoc loco retractari oportet de festis diebus, & aliis extraordinariis solennitatibus, quas interdum lasciuiæ, interdum timiditati nostræ subscribimus aduersus fidei disciplinam 91 communicantes nationibus in Idolicis rebus. De hoc quidem primo constitam, an cum ipsis quoque nationib. communicare in huiusmodi seruus Dei debeat, siue habitu, siue victu, vel quo alio genere lætitiæ earum. *Gaudere cum gaudentibus, & lugere cum lugentibus*, de fratribus dictum est ab Apostolo ad vnanimitatem cohortante. Ceterum ad hæc, *nihil communionis est lumini & tenebris, 92 vitæ & morti*: aut scindimus quod est scriptum: *Seculum gaudebit, vos vero lugebitis.* Si cum seculo gaudemus, verendum est, ne cum seculo & lugeamus. Seculo autem gaudente lugeamus, & seculo postea lugente gaudebimus. Sic 93 & Lazarus apud inferos in sinu Abrahæ refrigerium consecutus, contra diues in tormento ignis constitutus, alternas malorum & bonorum vices æmula retributione compensant. 94 Sunt quidem dies munerum, quæ apud alios honoris titulum, apud alios mercedis debitum expungunt. Nunc ergo, inquis, recipiam meum, vel rependam alienum: si hunc morem sibi homines de superstitione consecrauerunt, tu extraneus ab omni eorum vanitate, 95 quid participas Idolothyta solennia, quasi tibi quoque præscriptum sit de die, quo minus id quod homini debes, vel tibi ab homine debetur, circa diei obseruationem luas, vel recipias, da 96 formam, in quam velis agi tecum. Curenim & lateas, cum ignorantia alterius tuam conscientiam contamines, si non ignoraris quod sis Christianus, tentaris. Et contra conscientiam alterius agis tanquam non Christianus. Enimuero etsi simulaueris, tentatus addictus es. Certe siue hac, siue illac, reus es confusionis in Deo. *Qui autem confusus super me fuerit penes homines, & ego confundar super illo*, inquit, *penes patrem meum, qui est in cœlis.* [97 Sed enim plerique iam induxerunt animo ignoscendum esse quandoque his quæ ethnici faciunt, ne 98 nomen blasphemetur. Porro blasphemia quæ nobis omnino deuitanda est, hæc (opinor) est: Si quis nostrum ad iustam blasphemiam ethnicum deducat, aut fraude, aut iniuria, aut contumelia, aliaue materia dignæ querelæ, in qua nomen merito percutitur, vt merito irascatur & Dominus. Ceterum si de omni blasphemia dictum est: *vestri 99 causa nomen meum blasphematur*: perimus vniuersi, cũ totus Circus scelestis suffragiis aullo merito nomen lacessit, desinamus, & non blasphemabitur. Imo dum sumus, blasphemetur in obseruatione, non in exorbitatione disciplinæ, dum probamur, nondum reprobamur, ob blasphemiã martyrii affinem, quæ tũc me testatur Christianum, cũ propter eã detestatur. benedictio est nominis, maledictio custoditæ disciplinæ, *Si 100 hominib.* inquit, *vellem placere, seruus Christi non essem.* Sed idẽ alibi iubet, *omnibus placere curemus. Quemadmodum ego*, inquit, *omnibus per omnia placeo.* Nimirum 101 Saturnalia & 102 Kalẽdas Ianuarias celebrans hominibus placebat, an modestia & patientia, an grauitate, an humanitate, an integritate. Proinde cũ dicit: *Omnia omnibus factus sum, vt 103 omnes lucrifaciam*, nũquid Idololatris Idololatres, nũquid ethnicis ethnicus, nunquid secularib. secularis: Sed etsi nõ prohibet nos conuersari cum Idololatris & adulteris & ceteris criminosis dicens, *Ceterum 104 de mundo exissetis*: non vtiq; eas habenas cõuersationis immutat, vt quoniam necesse sit & cõuiuere nos & commiscere cũ peccatoribus, ideo & cum eis peccare possimus. Ibi est cõmercium vitæ, quod Apostolus concedit: hic peccare, quod nemo permittit. Licet conuiuere cum ethnicis, commori non licet. Conuiuamus cum omnib. conlætemur ex communione naturæ, non superstitionis. Pares anima sumus, non disciplina: compossessores mũdi, nõ erroris. Quod si nobis nullum ius est communionis in eiusmodi cum extraneis, quanto sceleleſtius est hæc inter fratres frequẽtare? Quis hoc sustinere aut defendere potest? Iudæis dies suos festos exprobrat Spiritus sanctus. 105 *Sabbata*, inquit, *vestra & neomenias & ceremonias odit anima mea.* Nobis quibus sabbata extranea sunt & neomenia & feriæ à Deo 106 aliquando dilectæ, Saturnalia, & Ianuariæ, & 107 Brumæ, & 108 Matronales frequentantur, munera commeant, strenæ consonant, lusus, conuiuia constrepunt. O melior fides nationum in suam sectam: quæ nullam solẽnitatem Christianorum sibi vindicat, 109 non Dominicum diem, non 110 Pẽtecostem: etiam si nossent, nobiscũm non communicassent, timerent enim, ne Christiani viderentur. Nos ne ethnici pronunciemur, non veremur. Si quid & carni indulgendum est, habes non dicam tuos dies tantum sed & plures. Nam ethnici semel annuus dies quisque festus est; tibi octauo quoque die. excerpe singulas solennitates nationum, & in ordinem texe, Pencostẽ implere non poterunt. [111 Sed *luceant*, inquit, *opera vestra.* At nunc luceant tabernæ & ianuæ nostræ: plures iam inuenies ethnicorum fores sine lucernis & laureis quã Christianorum. De ista quoque specie quid videtur: Si Idoli honor est, sine dubio Idoli honor Idololatria est. Si hominis causa est, 112 recogitemus omnem Idololatriam in hominis causam esse. Recogitemus omnem Idololatriam in homines esse culturam, cum ipsos Deos nationum homines retro fuisse, etiam apud suos constet. Itaque nihil interest superioris, an huius seculi viris superstitio ista præstetur. Idololatria non propter personas quę opponuntur, sed propter officia ista damnata est: quæ ad dæmones pertinent. *Reddenda sunt Cæsari quæ sunt Cæsaris*, bene quod appositum, *& quæ sunt Dei, Deo.* Quæ ergo sunt Cæsaris: scilicet de quibus tunc consultatio mouebatur, præstandusne esset census Cæsari, an non. Ideo & monetam ostendi sibi Dominus postulauit, & de imagine cuius esset requisiuit. Et cum audisset, Cæsaris, *Reddite*, ait, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, id est, imaginem Cæsaris Cæsari, quæ in nũmo est, & imaginem Dei Deo, quæ in homine est: vt Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum. Alioquin quid erit Dei, omnia Cæsaris: Ergo, inquis, honor Dei est, lucernæ pro foribus, & laurus, in postibus? non vtique quod Dei honor est, sed quod eius qui pro Deo huiusmodi officiis honoratur quãtum in manifesto est, salua operatione quæ est in occulto, ad dæmonia perueniens. Certi n. esse debemus, si quos latet per ignorãtiam litteraturæ secularis, etiam 113 ostiorum Deos apud Romanos, 114 Cardeam à cardinibus appellatam, & 115 Forculum à foribus, & Limentinum à limine, & 116 ipsum Ianum à ianua: & vtique scimus, licet nomi-

A
Matth. 6. Ibid. 16. Marc. 10.
Matth. 4. Matth. 9. Matth. 8.
Rom. 8. Luc. 18.
Cap. XIII. B
Rom. 12.
1. Cor. 6. Ioan. 16.
C
Luc. 16.
D
Matth. 10. Luc. 2. Ca. XIIII.
E
Gal. 1.
1. Cor. 10.
1. Cor. 5.
F
Isai. 1.
G
Cap. XV.
Matth. 5.
Matth. 2. Luc. 1.
H

A na inania atque confícta sint, cum tamen in superstitionem deducuntur, rapere ad se dæmonia, & omnem spiritum immundum per consecrationis obligamentum. Alioquin dæmonia nullum habent nomen singulatim, sed ibi nomẽ inueniunt, vbi & pignus. Etiam apud Græcos 117 Apollinem θυρεᾶτον, & 118 Antelios dæmonas ostiorum præsides legimus. Hæc igitur ab initio præuidens Spiritus sanctus, etiam ostia in superstitionẽ uentura præcecinit per 119 antiquissimũ propheten Enoch. 120 Nã & alia ostia in balneis adorari videmus. Si autẽ eorũ sunt quæ in ostiis adorẽtur, ad eos & lucernę & laureę pertinebũt. Idolo feceris, quidquid ostio feceris. Hoc in loco ex auctoritate quoq; Dei cõtestor, quia nec tutũ est subtrahere quodcumq; vni fuerit ostensum, vtiq, omnium causa. Scio 121 fratrem per visionem eadem nocte castigatum grauiter, quod ianuam eius subito annunciatis gaudiis publicis serui coronassent. Et tamen non ipse coronauerat aut præceperat, 122 nam ante processerat, & regressus reprehenderat factũ: adeo apud Dominum in huiusmodi etiã disciplina familiæ nostræ æstimatur. Igitur quod attineat ad honores regum vel imperatorum, satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere, secundum Apostoli præceptũ, subditos magistratibus & principibus, & potestatibus. Sed intra limites disciplinæ, quousq; ab Idololatria separamur. Propterea enim & illud exemplũ triũ fratrum præcurrit, qui alias obsequentes erga regem Nabuchodonosor, honorem imaginis eius constantissime respuerint, 123 probantes Idololatriam esse quicquid vltra humani honoris modum adinstar diuinæ sublimitatis extollitur. Sic & Daniel cetera Dario subnixus, tamdiu fuit in officio, quamdiu à periculo disciplinæ vacaret. Nam id ne subiret, non magis leones regios timuit, quam illi regios ignes. Accendant igitur quotidie lucernas quibus lux nulla est, adfigant postibus lauros postmodum arsuras, quibus ignes imminent, illis cõpetũt & testimonia tenebrarũ, & auspicia pœnarũ. Tu lumen es mundi & arbor viuẽs semper. Si templis renunciasti, ne feceris templũ ianuam tuam. Minus dixi: si lupanaribus renunciasti, ne indueris domi tuæ faciem noui lupanaris. [124 Circa officia vero priuatarum & communiũ solemnitatũ, vt 125 togæ puræ, vt sponsalium, vt nuptialium, vt 126 nominalium, nullum putem periculũ obseruari de blatu Idololatriæ quæ interuenit: causæ enim sunt considerandæ quibus præstatur officium. Eas mundas esse opinor per semetipsas, quia neque vestitus virilis, neq; annulus aut coniunctio maritalis, de alicuius Idoli honore descendit Nullum denique cultum à Deo maledictũ inuenio, nisi muliebrem in viro. *Maledictus* enim, inquit, *omnis qui muliebribus induitur.* Toga vero etiã appellatione virilis est. Nuptias quoque celebrari non magis Deus prohibet quam nomen imponi. 127 Sed his accommodantur sacrificia. Si in 128 vocatu nec in sacrificijs sit titulus officii, & operæ meæ expunctio, quid tum? si libet. Vtinam quidem nec videre possimus quæ facere nobis nefas est. Sed quoniam item malis circundedit seculum Idololatria, licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini non Idolo officiosos habent. Plane ad sacerdotium & sacrificium vocatus non ibo (proprium enim Idoli officium est) sed neque consilio neque sumptu aliaue opera in eiusmodi fungar. Si propter sacrificium vocatus adsistam, ero particeps Idololatriæ: si me alia causa coniungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii. [129 Ceterum quid facient serui vel liberi fideles, 120 item officiales sacrificantibus dominis vel patronis vel præsidibus suis adhærentes? Sed si merum quis sacrificanti tradiderit, imo si verbo quoque aliquo sacrificio necessario aduuerit, ministeer habebitur Idololatriæ. Huius regulę memores etiam magistratibus & potestatibus officiũ possumus reddere secũdũ patriarchas & cereros maiores, qui regibus Idololatris vsque ad finẽ Idololatriæ apparuerunt. Hinc 131 proxime disputatio suborta est, an seruus Dei alicuius dignitatis aut potestatis administrationem capiat, si ab omni specie Idololatriæ intactum se aut gratia aliqua, aut astutia etiã præstare possit: secundum quod & Ioseph, & Daniel mundi ab Idololatria, & dignitatem & potestatem administrauerunt, in 132 ornamento & purpura extitere totius Ægypti siue Babyloniæ. Credamus itaque succedere alicui posse vt in quoquo honore, vt in solo honoris nomine incedat, neque 133 sacrificet, neque sacrificiis auctoritatem suam accommodet, non hostias locet, non curas templorũ deleget, nõ vectigalia eorũ procuret, non spectacula edat de suo aut de publico, aut edendis præsit: nihil solemne pronunciet vel edicat, ne iuret quidem. Iam vero quæ sunt potestatis, 134 neq; iudicet de capite alicuius vel pudore (feras enim de pecunia) neq; damnet neque prædamnet, neminem vinciat, neminem recludat, aut torqueat; si hæc credibile est fieri posse. [135 Iã vero de solo suggestu & apparatu honoris retractandum: proprius habitus vniuscuiusq; est, tam ad vsum quotidianum, quam ad honorem & dignitatem. 136 Igitur purpura illa & aurum ceruicis ornamentum eodem more apud Ægyptios & Babylonios insignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ, vel trabeæ, 137 vel palmatæ, & coronæ aureæ sacerdotum prouincialium, sed non eadem conditione. Tantum enim honoris nomine conferebatur hisqui familiaritatem regũ merebantur. Vnde & purpurati regũ vocabantur à purpura, sicut apud nos à 138 toga candida candidati: sed non vt suggestus ille sacerdotijs quoque aut aliquibus Idolorum officiis adstringeretur. Nam si ita esset, vtique tantæ sanctitatis & constantiæ viri statim habitus inquinatos recusassent, statimque apparuisset Danielem Idolis non deseruisse, nec Belem nec draconem colere, quod multo postea apparuit. Simplex igitur purpura illa, nec iã dignitatis erat, sed 139 ingenuitatis apud Barbaros insigne. Quemadmodum enim & Ioseph qui seruus fuerat, & Daniel qui per captiuitatẽ statum verterat, ciuitatẽ Babyloniam & Ægyptum sunt consecuti p habitũ barbaricæ ingenuitatis: sic penes nos quoq; fideles si necesse fuerit, 140 poterit & pueris prætexta cõcedi, & puellis stola, natiuitatis insignia, non potestatis: generis, non honoris: ordinis, non superstitionis Ceterum purpura vel cetera insignia dignitatũ & potestatũ, insertæ dignitati & potestatibus Idololatriæ ab initio dicata, habent profanationis suæ maculã: cum præterea ipsis etiam Idolis inquantũ 141 prętextę & trabeæ & lati claui, fasces quoque & virgæ prę ferantur, & merito. Nam dęmonia magistratus sunt seculi huius, vnius collegii insignia fasces & purpuras gestãt. Quid ergo proficies, si suggestu quidẽ vtaris, opera vero eius non administres? Nemo immundis mũdus videri potest. Tunicã si induas inquinatam per se, poteris forsitan illam nõ inquinare pectę, sed tu per illam mundus esse nõ poteris. Iam nunc quid de Ioseph & Daniel argumentaris, scito non semper comparanda esse vetera & noua, rudia & polita, cœpta & explicita, seruilia & liberalia. Nã illi etiã seruitionę conditionę erant: tu vero nullius seruus in quantũ solius Christi, qui te etiã captiuitate seculi liberauit, & forma Dominica agere debebis. Ille Dominus in humilitate & ignobilitate incessit domicilio incertus: *Nã filius*, inquit, *hominis non habet vbi 142 caput suum collocet*, vestitu incultus, neq; enim dixisset, *Ecce qui teneris vestiũtur, in domibus regũ sunt.* Vultu 143 denique & aspectu inglorius, sicut & Esaias pronũciauerat. Si potestatẽ quoque nullam ne in suos quidem exercuit, quib. 144 sordido ministerio functus est: si regem se deniq; fieri, cõscius sui regni, refugit, plenissime dedit formam suis dirigendo omni fastigio & suggestu tã dignitatis quã potestatis. Quis n. magis his vsus fuisset q̃ Dei filius, quales & quãti cũ fasces producerẽt, qualis purpura de humeris eius floreret, quale aurũ de capite radiaret, nisi gloriã seculi alienã & sibi & suis iudicasset? Igitur quæ noluit reiecit, quæ reiecit dãnauit, quæ damnauit in põpa diaboli deputauit. Non enim damnasset, nisi non sua: alterius autem esse non possent, nisi diaboli quæ Dei non sunt. 145 Tu si diaboli pompã eieraſti, quicquid ex ea attigeris id scias esse Idololatriam; vel hoc te cõmonefaciat, oẽs huius seculi potestates & dignitates non solũ alienas, verũ & inimicas Dei esse, q̃ per illas aduersus Dei seruos

A

supplicia consulta sunt, per illas & pœnæ ad impios paratæ ignorantur. Sed & natiuitas & substantia tua molestæ tibi sunt aduersus Idololatriam, ad euitandum remedia deesse nō possunt; cū etsi defuerint, superstit vnicum illud quo fœlicior factus non in terris magistratus, sed in cœlis. [146 Posset in isto capitulo etiam de militia definitum videri, quæ inter dignitatem & potestatē est. At nunc de isto quæritur, an fidelis ad militiā conuerti possit, & an militia ad fidem admitti 174 etiam caligata, vel inferior quæcunq; cui non sit necessitas immolationum vel capitalium iudiciorū. Non conuenit sacramēto diuino & humano, signo 148 Christi & signo diaboli, castris lucis & castris tenebrarū: nō potest vna anima duobus deberi, Deo & Cæsari. Et 149 virgā portauit Moyses, 150 fibulā & Aaron, cingitur loro & Ioannes; agmen agit & Iesus Naue, bellauit & populus, si placet ludere. Quomodo autē bellabit, imo quomodo etiā in pace militabit, sine gladio, quē Dominus abstulit? Nam & si adierant milites ad Ioannem, & formā obseruationis acceperant, si etiam centurio crediderat; omnem postea militē Dominus in Petro exarmando discinxit. nullus habitus licitus est apud nos illicito actui asscriptus. 151 Sed enim cū conuersatio diuinæ disciplinæ nō factis tārū, verumetiā verbis periclitetur, (nā sicut scriptum est, 152 *Ecce homo & facta eius, ita: Ex ore tuo iustificaberis*) meminisse debemus etiam in verbis quoq; Idololatriæ incursum præcauendū, aut de consuetudinis vitio, aut timiditatis. Deos Nationū nominari lex prohibet, non vtiq; ne nomina eorum pronunciemus, quæ nobis vt dicamus conuersatio extorquet. Nam id plerunque dicendum est, In 153 templo Æsculapii illum habes, & vico Isidis habito, & sacerdos Iouis factus est, & multa alia in hunc modū, quādo & hominibus hoc genus nomina inducuntur. Neq; enim Saturnum honoro, si ita vocauero eum suo nomine, tam non honoro quā Marcum, si vocauero Marcum. sed ait: *Nomen aliorum deorum ne commemoremini, neque audiatur de ore tuo.* Hoc præcepit, ne Deos vocemus illos. Nam & in prima parte legis, *Non sumes*, inquit, *nomen Domini Dei tui in* 154 *vano*, id est, Idolo. Cecidit igitur in Idololatriam, qui Idolum nomine Dei honorauerit. Quod si Deos dicendum erit, adiiciendū est aliquid, quo appareat, quia non ego illos Deos dico. 155 Nam & scriptura Deos nominat; sed adiicit, *suos*, vel: *nationum*. Sicut Dauid cum Deos nominasset, vbi ait: *Dei autem nationum dæmonia.* Sed hoc mihi ad sequentia magis præstructum est: ceterum cōsuetudinis vitium est 156 me Hercule dicere, me Dius fidius, accedente ignorantia quorundā, qui ignorant iusiurandum esse per Herculem. 157 Porro quid erat deieratio per eos quos ieraſti, quam prēuaricatio fidei cum Idololatria? quis enim per quos deierat, non honorat? [158 Timiditatis est autem, cum te alius per Deos suos obligat iuratione vel aliqua testificatione, & tu ne intelligaris quiescis. nam æque quiescendo confirmas maiestatem eorū, cuius causa videberis obligatus. Quid refert Deos nationū dicendo Deos, an audiendo confirmes? iures per Idola, an ab alio adiuratus acquiescas? Cur nō agnoscamus versutias satanæ, qui quod ore nostro perficere nō potest, id agit vt suorū ore perficiat, per aures inferens nobis Idololatriā? Certe quisquis ille est, aut amica aut inimica congressione adstringit. Si inimica, iā ad pugnā vocaris, & scis tibi dimicandum esse. Si amica, quanto securius in Dominum transferes responsionem tuam, vt dissoluas obligationē eius, per quē te Malus honori Idolorum, id est, Idololatriæ quærebat annectere. Omnis patiētia eiusmodi Idololatria. Honoras eos, quibus impositis obsequiū præstitisti. Scio quendā cui Dominus ignoscat, quum illi in publico per litem dictum esset, *Iupiter tibi sit iratos*, respondisse, *Immo tibi.* Quid aliter fecisset ethnicus, qui Iouem deū credidit? etiamsi non per eundē retorsisset maledictum, nec per vllum Iouis similem, confirmauerat Iouem Deum, per quem se maledictum indigne tulisse demonstrauerat remaledicēs. Ad quid enim indigneris per eum quem scis nihil esse? Nam si insanis iam esse confirmas, & erit Idololatriæ professio timoris tui: quanto magis cum per ipsum remaledicis, eodem Iouis honorem facis, quo & ille qui te prouocauit? fidelis autem in eiusmodi ridere debet, non insanire. Imo secundum præceptum ne per Deum quidem remaledicere, sed plane benedicere per Deum, vt & Idola destruas, & Deum prædices, & adimpleas disciplinam. [159 Æque benedici per Deos Nationum Christō initiatus non sustinebit, vt semper renciat immundam benedictionem, & eam sibi in Deum conuertens emundet. Benedici per Deos Nationum, maledici est per Deum. Si dedero eleemosynam, vel aliquid præstitero beneficii, & ille mihi Deos suos vel 160 coloniæ genium propicios imprecetur, iam oblatio mea vel operatio Idolorum honor erit, per quæ benedictionis gratiam compensant. Cur autem non sciat me Dei causa fecisse, vt & Deus potius glorificetur, & dæmonia non honorentur in eo quod propter Deum feci. Deus videt quoniam propter ipsum feci, pariter videt quoniam propter ipsum fecisse me nolui ostendere, & præceptum eius Idolothytum quodammodo feci. Multi dicunt, Nemo se debet promulgare: puto autem nec negare: 161 negat enim quicunque dissimulat in quacunque causa pro ethnico habitus. Et vtique omnis negatio Idololatria est, sicut omnis Idololatria negatio, siue in factis siue in verbis. [162 Sed est quædam eiusmodi species in facto & in verbo, bis acuta, & infesta vtrinque, licet tibi blandiatur, quasi vacet in vtroque dum factum non videtur, quia dictum non tenetur, pecuniā de ethnicis mutuātes sub 163 pignoribus fiduciati, 164 iurati cauent, & sic negant. Scire volunt scilicet tempus persecutionis, & locum tribunalis, & personam præsidis. 165 Præscribit Christus, non esse iurandum. Scripsi, inquit, sed nihil dixi; lingua, non littera occidit. Hic ergo naturā & conscientiam aduoco: naturam, quia nihil potest manus scribere, etiamsi lingua in dictitando cessat immobilis & quieta, quod non anima dictauerit, quanquā & ipsi linguę anima dictauerit, aut à se conceptum, aut ab alio traditum. Iā ne dicatur, alius dictauit, hic conscientiā appello, an quod alius dictauit, anima susciperit, & siue comitante siue residente lingua ad manum transmittat, & bene quod in animo & conscientia delinqui Dominus dixit? *Si*, 166 inquit, *concupiscentia vel malitia in cor hominis ascenderit, pro facto teneris.* Cauisti igitur quod in cor tuum plane ascendit, quod neq; ignorasse te cōrendere potes, neq; noluisse. Nam cum caueres, sciisti: cum scires, vtiq; voluisti, & es tā in facto quā cogitatu; nec potes leuiore crimine manus excludere, vt dicas falsum plane effici cauēdo quod non facis. Tamen non negaui, quia non iuraui. Imo etsi nihil tale fecisses, tamen dicereris deierare si consenseris. Non valet tacita vox in stylo; & mutus in litteris sonus. At enim Zacharias tēporali vocis orbatione mulctatus, cū animo collocutus linguam irritā transit, manibus suis à corde dictat, & nomen filii sine ore pronūciat, loquitur in stylo, auditur in cera manus omni sono clarior, littera omni ore vocalior. Quære an dixerit, qui dixisse cōpertus est. Dominū oremus, ne qua nos eiusmodi Cōtractus necessitas circūsistat. Et si ita euenerit, det fratribus 167 operandi copiā, vel nobis abrumpendæ omnis necessitatis constantiā, ne illæ litteræ negatrices vicariæ oris nostri in die iudicij aduersus nos proferātur signatæ signis, nō iā aduocatorū, sed angelorum. [168 Inter hos scopulos, & sinus, inter hæc vada & freta Idololatriæ velificata 169 spiritu Dei fides nauigat, tuta si cauta, secura si atronita. Ceterum inenatabile excussis pfūdū est, inextricabile impactis naufragiū est, 170 irrespirabile deuotatis hypobrychiū in Idololatria: 171 quicūq; fluct⁹ ei⁹ offocāt, omnis vertex ei⁹ ad inferos desorbet. Nemo dicat, quis tā tuto præcauebit? exeūdū de seculo erit, quasi nō tanti sit exire, quā Idololatren in seculo stare. Nihil esse facili⁹ potest, q̄ cautio Idololatriæ, si timor eius in capite sit. quæcunq; necessitas minor est periculo tanto cōparata. 172 Propterea Spiritus sanctus consultātibus tūc Apostolis vinculū & iugū nobis relaxauit, vt Idololatriæ deuitādæ vacaremus. Hæc erit lex

Cap. XIX.

Matt. 22. Exod. 3. Exod. 18. Matth. 3. Exod. 17. Luc. 3. Matth. 3. Matth. 26. Cap. XX. Matth. 12. Exod. 23.

Vbi supra Exod. 20.

Psal. 113.

Cap. XXI.

Matth. 5.

Luc. 1.

Act. 15. Isai. 34. Matth. 7. Philip. 3. Luc. 10. Gen. 7.

A

noſtra quo expedita, hoc plenius adminiſtranda, propria Chriſtianorum, per quam ab ethnicis agnoſcimur & examinamur: hæc accedentibus ad fidem proponenda, & ingredientibus in fidem 173 inculcanda eſt, vt accedentes deliberent, obſeruantes perſeuerent, non obſeruantes renuncient ſibi. 174 Viderimus enim ſi ſecũdum archetypum & coruus & miluus & lupus & canis & ſerpens in Eccleſia erit, certe Idololatres in archetypo non habetur. Nullum animal in Idololatren figuratum eſt: 175 quod in arca non fuit, in Eccleſia non ſit.

ANNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM DE Idololatria.

Cap. I.

B

1. Principale crimen generis humani, &c.] *Caput hoc primum inſcripſimus:* Quod in Idololatria crimen omne, & in omni crimine Idololatria deprehendatur. *Atqui de* Elogio *vide Librum ad Scapulam cap. 4. nu. 26. Legimus autem cum Gagnæo:* Proinde, *vocem Tertullianicam, pro eo quod ſubſtitutum erat:* Perinde. *Porro etiam ſummum delictum Idololatriam nuncupat B. Cyprian. eſt.* 10. 11. 12. 26. *ac* 30. *libro item de Lap. & de Idolor. vanit. & ſimiliter Auctore Chryſoſt. in Pſal.* 113. *Nihil eſt, inquit, aliud in Idolorum feſtis quam libido, impudicitia, intemperantia, ebrietas, crudelitas, inhumanitas, cædes.*

2. Atque adeo Scripturæ ſanctæ ſtupri vocabulo vtuntur in Idololatriæ exprobratione.] *Alludit inter cetera ad Ezech. cap.* 23. *vbi &* fornicationem *&* ſtupra *populo Iſrael, & in Ægypto, & ſuo tempore exprobrat: quod de Idololatriis loquatur. Eodem pertinet, quod Clemens Alexandr. lib.* 7. *Stromatum, tertiam* fornicationis ſpeciem Idololatriam *faciat.*

3. mortem adferunt.] *Ita deſcribit, quæ vulgo dicuntur,* mortalia *peccata, & ipſe mox vocat:* exitioſa, *&* deuoratoria ſalutis. *Lego autem non ita multo poſt:* frequentatur, *pro:* frequentantur.

4. idolorum mancipes.] *Eodem modo dixit lib. de Spectac. ca* 10. Apollines & Muſas, & Mineruas, & Mercurios mancipes habent. *Hic autem* dæmonia *intelligit* & immundos ſpiritus, quibus idola mancipantur. *De ſimili B. Cyprian. loco, vbi* mancipem *pro Præfecto accipit, vide Adnot. noſtras ad Epiſt. eius* 69. *num.* 21. *& in Apolog. cap.* 11. *num.* 164.

C

Cap. II.

5. Sed vniuerſa nomina criminum, &c.] *Titulum huic capiti indidimus:* De variis Idololatriæ modis.

6. aut polluceat.] *Recte ſic legendum adnotauit Harriſius, pro eo, quod erat:* proluceat; *addens,* pollucere, *ad ſacra pertinere, ac ſi dicas, vouere vel dedicare. aut, vt alij, inquit, volunt, Herculi libamenta in aram proijcere. Nam & nos cum Rhenano & Latino ita caſtigauimus illud Apologet. cap.* 39. Herculanarum decimarum polluctorum ſumptus. *vbi plura hac de re, num.* 513.

7. cum homicidium etiam in verbo maledicti vel conuitii iudicat, &c.] *Large interpretatur illud:* Audiſtis quoniam dictum eſt antiquis, Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicii, *&c. tanquam etiam* ira *&* maledictum, homicidii *ſint ſpecies. Recte proinde Doctores Theologi in illo præcepto Decalogi:* Non occides, *comprehendi* iram *tradunt, &* maledictum, *aliaque eiuſmodi.*

D

Cap. III.

8. Idolum aliquamdiu retro non erat, &c.] *Inſcriptionem huic capiti dedimus:* De origine Idolorum: *in qua Auctorem imitantur partim B. Cypr. initio lib. de Idol. vanit. partim Iſidorus lib.* 8. *Etym. cap. vltimo.*

9. ſola templa & ædes vacuæ erant, &c.] *Similiter dixit Apologet.* 25. Nam etſi à Numa concepta eſt curioſitas ſuperſtitionum, nondum tamen aut templis diuina res apud Romanos agebatur, &c. *de quo ibi latius n* 406. *&* 407. *Hic autem amplius dicit:* etiam aliquandiu ſola templa ſine idolis fuiſſe, *Atque hoc eſt, quod Plutarchus ibidem citatus tradit in vita Numæ Pompilij: In prioribus, inquit, centum ſeptuaginta annis* templa *quidem ædificabant, ſacraque tuguria erigebant,* ſimulacrum *vero nullum corporeum dedicabant. Quod ipſum etiam habet Dionyſ. Halicarnaſſ. addens Tarquinium Priſcum vanitate & ſtultitia Græcarum Religionum Hetruſcarumque domi imbutum, Romanos docuiſſe* ſimulacra *dijs ponere. Atque adeo ſic etiam intelligi debent verba Varronis ſimilia Plutarcho, à B. Auguſtino citata lib.* 4. *de Ciuit. Dei cap.* 31. *quemadmodum adnotauit ibidem Ludouic. Viues, citans in eandem ſententiam Clementem Alexandrinum & Euſebium, locis interim non indicatis, qui ibidem etiam recte interpretatur, eodem pertinere illud, vbi ſupra, Tertull.* nondum enim tunc ingenia Græcorum atque Tuſcorum fingendis ſimulacris vrbem inundauerant. *Quos ipſos etiam hic* artifices ſtatuarum & imaginum *appellat.*

E

10. an plaſtes effingat, an cælator exſculpat, an Phrygio detexat.] *Tria genera artificum hic recenſentur,* Plaſtes, qui gypſo effingit, Cælator, *qui in* lapide *aut* ære *aut* argento *illud* exſculpit: Phrygio, *qui* filo format idolum. *Quia autem etiam addit:* an coloribus, *fortaſſis legi debet:* an Plaſtes aut pictor effingat. *Recte autem ordine* Plaſten *præponit, quia Plinio teſte lib.* 34. *cap.* 7. *Plaſtica prior fuit quam ſtatuaria: & quemadmodum idem tradit lib.* 36. *cap.* 5 *Ars in marmore exſculpendi vetuſtior etiam eſt, quam ſtatuaria aut pictura. Atque hoc eſt, quod Core Corinthia (vti tradit poſt Plinium lib.* 35. *cap.* 12. *Athenagoras Apolog. pro Chriſt.) eam, quæ dicitur Coroplaſtice, prima inueniſſe traditur. Quum enim amore cuiuſdam viri teneretur, circumlineauit eius dormientis in pariete vmbram: pura deinde eius ſimilitudine nihil euariante delectata, circumſcriptionem eiuſmodi effictam tum late adimpleuit. Quo reſpexit & Epiphan. in principio Panar. oper. dum per figlinã ſcientiam primum imagines effictas ſcribit. Vide vtrobique plura de primis ſtatuarum auctoribus, quorum inuentores Græcus & Tuſcis, antiquiores facit Epiphan. Ægyptios, Babylonios, Phryges & Phœnices: immo à Thare, qui in Cappadocia primus Aram ſui filii ante defuncti imaginem fieri iuſſerit, deducit originem; à quo non multum aberrant, qui à Nino primam Beli filij ſui ſtatuam effictam teſtantur: nam eodem vixit tempore. Iſidorus interim, vbi ſupra, ſcribit, Iſmael primum ſimulachrum de luto feciſſe: Gentiles vero id Prometheo tribuere, & apud Græcos Cecropi. Adnotanda eſt autem paulopoſt phraſis Tertullianica:* ne qui putet, *pro* ne quis.

F

11. Græce formam ſonat, &c.] *Hunc locum quum tranſcripſerit Iſidorus loco citato, ego eum ſic caſtigandum cenſeo:* Idolum *eſt ſimulacrum, quod quauis (pro eo quod eſt humana) effigie factum & conſecratum eſt, iuxta vocabuli interpretationem:* εἴδωλον *enim* Græce formam ſonat, & ab eo per diminutionem εἰδώλιον deductum, æque apud nos formulam facit *(quomodo etiam hic lego, pro:* fecit.) Igitur omnis forma vel formula Idolum ſe dici expoſcit. Inde Idololatria, omnis circa omne Idolum famulatus & ſeruitus. *Quidam vero Latini (nam & ſic lego pro: Latine) ignorantes Græce, imperite dicunt Idolum ex dolo ſumpſiſſe nomen, quod diabolus creatura cultum (aliquid deeſt, forte: in iniuriam) diuini nominis inuexit.*

12. ſimulacrum vituli, &c.] *Patet hinc vera lectio lib. adu. Iud. cap.* 1. *vbi legitur:* bubulum caput: *& ſimiliter apud B. Cyprian. lib. de Patient. bono, pro eo quod quidam etiam mſs. cod.* bubalum: *nam* vitulus *cenſetur habere caput* Bubulum.

Cap. IV.

G

13. Idolum tam fieri quam coli Deus prohibet, &c.] *Inſcripſimus hoc caput:* De interdicto, ne fiant Idola.

14. Ne feceritis Idolum, &c.] *Ad verbum tranſtulit cum vulgato interprete* 70. *quod Græce eſt* εἴδωλον: *quemadmodum & B. Cyprian. cap.* 1. *lib. de Exhort. ad martyr. qua verſione explicatur verus huius loci ſenſus, de quo Auctor latius li.* 2. *adu. Marc. vbi locum huius ſcriptura interpretatur de imaginibus Idololatriæ ſubſtantiam continentibus. Vno autem verbo tranſtulit,* & quæ in mari, *pro eo quod ex Græco alij recte transferunt: & quæcunq; in aquis ſub terra.*

H

15. Anteceſſerat enim hoc prædicens Enoch.] *Recte adnotauit Harriſius hic adiciendam vocem;* Enoch, *eo quod paulopoſt ſequatur:* Denique idem Enoch, *maxime quod ſimilem etiam eiuſdem locum infra citet cap.* 15. *De Oſtiorum Diis. Quum autem varij loci communes citentur à Patribus ex libro* Enoch, *certe peculiare eſt Tertulliano, quod eum citet hic, & infra contra Idololatriam, niſi forte dicamus iſtud etiam pertinere ad comminationem iudicii Dei, de quo prophetaſſe eum teſtis eſt Apoſt. Iudas epiſt. Canonica, eo quod mox ſubiungat:* quod in diem ſanguinis perditionis pœnitentia parata eſt *De aliis eiuſdem libri* Enoch *locis, &* angelis deſertoribus, *latius infra lib. de Habit. muliebri, vbi eius auctoritatem probat Auctor. Hic ſufficiat, quod prophetaſſe ſeptimum ab Adam* Enoch *tradat Apoſtolus Iudas, ad intellectum illius* hoc prædicens, *eo quod paulopoſt ſequitur:* in comminatione prædamnat: *item quod infra legitur cap.* 15. Hæc igitur ab initio præuidens Spiritus ſanctus, etiam Oſtia in ſuperſtitionem ventura præcecinit per antiquiſſimum Propheten Enoch. *Quæ omnia diligenter adnotanda ſunt ob Ludou. Viuem in Auguſt. de Ciuit. Dei, qui (ſi diis placet) de Apoſtolica veritate dubius, dicit, incertum eſſe, an debeat illud eiuſdem* Enoch *à Iuda citatum huic* Enoch *adſcribi, quod Moyſi corporis meminerit, qui illo multo fuit poſterior: quippe qui id prophetiæ ſpiritu ſcripſerit.*

16. imaginum conſecratio Idololatria.] *De hac aliquid adnotauimus ad illud Apolog. cap.* 12. quaſi fatum conſecratione mutantes, *num.* 176. *Atqui pro* ſpiritibus infamis, *putat legendum Latinius:* infamibus, *Harriſius:* infernis; *illud magis placet.*

17. Cognoſcite quod cinis ſit cor illorum, & errant.] *Sic omnino reſtituendus eſt hic locus, pro eo quod corruptiſſime legebatur,* & terra. *nam magna dictionum vicinitas ob eaſdem litteras. & Græce eſt:* καὶ πλανῶνται.

18. Et tales fiant, *inquit,* qui faciunt ea.] *Quum repetitio alioqui eſſet eiuſdem ſuperuacanea: omiſimus,* factores. *nam lib. adu. Gnoſticos, non aliud legit quam:* Similes erunt illis, qui ea faciunt.

CAP. V.

Plane impensius respondebimus, &c.] *Huic capiti titulum damus:* Aduersus eos, qui idola facientes, peccare se non existimant.

20. vt quisquis inuentus fuerit, ita & perseueret.] *Sic transtulit Auctor, eo quod interpretes alij conformes Græco textui:* vnusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneat. *Legimus autem:* Nec enim quisquam nostrum, *sensu hoc exigente.*

21. fures Balnearios.] *Hos præ aliis commemorat, quod scribat Vlpianus,* fures balnearios *extra ordinem puniendos: cuius rei causam adfert Aristoteles in Problematis, vti adnotauit Rhenanus ad illud lib. de Fuga in persecutione:* & fures balnearum, & leones.

22. Cur ergo Moses in eremo simulacrum serpentis ex ære fecit, &c.] *Locus obscurus, sed qui explicandus venit tum ex lib. adu. Iud. supra cap* 10. *lib.* 3. *adu. Marc. vbi eadem ijsdem verbis repetit, tum maxime ex lib.* 2. *contra Marc. vbi respondetur ad obiectionem Marcionis eandem, de qua hic:* Alioqui (*inquit*) si hæc, vt aduersarii Legis, interpretemur, nunquid ad nos, quod Marcionitæ, inconstantiam adscribimus omnipotenti, &c. *Et certe plenius multo quam hic, vtpote ad institutum magis.* Proinde (*inquit*) & simimilitudinem vetans omnium quæ in cælo & in terra & in aquis, ostendit & caussas, Idololatriæ scilicet subsstantiam cohibentes. Subiicit enim: *Non adorabitis ea neque seruietis illis.* Serpentis autem æneiesfigies postea præcepta Moysi à Domino, non ad Idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remidiandos eos, qui à serpentibus infestabantur. Et: taceo de figura remedii. Sic & Cherubin & Seraphin aurea in arce figuratum exemplum, certe simplex ornamentum, accommodata suggestui, longe diuersas habendo caussas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari; non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur. *Quare nihil facit Tertullian. pro Eiconoclastis, quum sententia eius clara sit, cur prohibitæ sint imagines, sicuti latius deduximus Adnot. nostris in Apolog. capit.* 12. *num.* 184. *Sunt autem Tertullianica:* præstruebantur, &: exemplarium.

23. figuram gessisse Dominicæ crucis, &c.] *Latius hoc tractat lib. adu. Iud. vbi supra & libr.* 3. *aduers. Marc. Nos etiam de* figura Dominicæ crucis, *late tractauimus Apolog. cap.* 16. *numer.* 138. *Atqui paulopost cum Latinio legimus:* quod idem Deus qui lege vetuit, &c. *pro eo quod erat:* & lege vetuit; *alioqui enim nullus sensus commodus elici poterat.*

CAP. VI.

24. Si nulla lex Dei prohibuisset, &c. *Titulus huius capitis à nobis ponitur:* Quod in Baptismo eiusmodi artibus repudium dixerimus. *Atqui de renuntiatione, qua* diabolo & angelis eius renuntiauimus, *latius infra l. de Baptismo, & de phrasi illa:* repudium dicere, *supra libro de Pœnit. cap.* 7. *num.* 42.

25. exhibitionis nostræ gratia. *Quod capite præcedenti* ad victum *dixit; hic ita circumloquitur; in qua significatione eadem voce vtitur infra cap.* 8. *&* 12. *Auctor & iterum lib. de Corona milit. cap.* 8. *vbi dicit* instrumenta humanæ exhibitionis. *& etiam B. Cypr. dum & lib. de Orat. & Testim. ad Quirin. lib* 3. *cap.* 61. *transfert ex Græco illud Apost.* 1. *Tim.* 6. Habentes exhibitionem, *pro eo quod vulgatus interpres:* Habentes victum. *Est autem etiam hæc vox Iureconsultorum: nam* exhibuisse, *pro alimenta suppeditasse, vsurpat Paulus l. Nesennius. ff. De neg. gest. Lego autem cum Latinio paucis interiectis:* quasi ob aliam caussam, *pro* ob aliquam.

26. vilissimi nidoris alicuius.] *De* nidore *Dæmonibus grato vide Apolog. capite* 22. *nu. Adnot. nostr.* 347. *& cap.* 23. *n.* 359.

27. auratiorem & maiorem hostiam cædis.] Hostia (*inquit Festus*) *dicta ab eo, quod est* hostire, *ferire. Alij ab hostibus deriuant, quod post victoriam immolari soleant, sicuti & ipse Festus alibi. Alludit autem ad eas* Hostias, *quæ auro ornabantur; quas proinde* auratas *vocat: solebant enim subinde boum cornua deaurari, qui immolabantur.*

CAP. VII.

28. Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit, &c] *Hoc caput insigniuimus isto titulo:* Quod zelus fidei idipsum prohibeat.

29. ab idolis in Ecclesiam venire, &c.] *Quam hic* Ecclesiam, *mox* domum Dei *vocat. Neque vero est alius apertior locus apud Tertullianum de* Christianorũ Ecclesiis, *siue* domib. Dei; *quare etiam hic ea de re tractatus habendus Diximus quidem aliquid in librum de Oratione, & in librum de Eleemosynis B. Cyp. ad illud: Quæ in* Dominicum (*ita appellat* Domini domum) *sine sacrificio veniis, num.* 32. *& veterum, de* Ecclesiis *Apostolorum ætate, plura testimonia ante Tertull. prolixius citata reperire est Leiturgicon Latinorum nostrorum Tom.* 1. *pag.* 55. *& sequentibus, item pag.* 80. 81. 83. 84. 85. 88. 92. 93. 95. 96. 124. 139. 145. 150. 152. *Post ipsum sunt eadem tam frequentia, vt ab omnibus sint obuia. Quibus nunc addimus, iam ab initio mundi loca cultui Dei dicata extitisse, eaque variis nominibus appellata. Sic legitur natura tempore,* Gen. 8. altare *seu θυσιαστήριον, Gen.* 28. *ac* 35. Domus Dei, & porta cœli. *Post legem Moysi,* Sanctuarium, *Exod.* 25. *ac Deut.* 12. οἶκος θεοῦ, *Isai.* 56. Sanctum, *Daniel.* 7. *ac Amos* 4. Dei templum, 2. *Machab.* 14. Templum Domini, *ac:* Domus Dei, *seu* Domini, *vbiq; tam in libris omnibus Octateuchi, quam Psal. & Eccles. ac Prophetarum omnium:* Tabernaculum Domini, 2. *Paral.* 1. *& Psal.* 131. 144. *Deinde à Christo* οἶκος θεοῦ *&* τὸ ἱερὸν, *&* οἶκος τοῦ πατρός, *Ioan.* 2. Domus orationis, *Marc.* 11. *Denique ab Apost. Paulo* 1. *Cor.* 11. Ecclesia Dei, *quemadmodum etiam hic ab Auctore, & infra l.* 2. *ad Vxorem c.* 9. *his verbis:* In Ecclesia Dei pariter. *Idque per Synecdochen, quo loco applicatur congregationis nomen, quomodo etiam iam antea Deut.* 23. *Iudith.* 6. *Thr.* 1. *Quo fere etiam nomine appellatur plerumque tam à Latinis quam à Græcis Patribus, vnde vox Gallica* Eccl\se. *siue vti vulgo loquuntur,* Eggliſe. *Nec absimiliter infra lib. de Virgin. veland. vbi cap.* 3. Trahantur, *inquit,* virgines sanctæ in Ecclesiam; notabilis & insignis introeat. *Denique cap.* 13. Certe virginitatem suam in Ecclesia abscondant, quam extra Ecclesiam cælant. *ac:* constanter audeant & in vicis virgines videri, sicuti audent in Ecclesiis. *Item lib. de Coron. milit. cap.* 3. Aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub manu Antistitis. *Ab Auctore vero etiam* Domus columbæ, *his verbus initio lib. adu. Valent.* Nostræ columbæ domus, simplex, etiam in ædibus semper & apertis ad lucem. Amat enim figuram spiritus sancti, amat Orientem Christi figuram. *A Philone Iudæo lib. de Therapeutis, apud Euseb. cap.* 16. *&* 17. *lib.* 2. *hist. Eccl.* σεμνεῖον *&* γυναικεῖον. *A quibusdam,* Oratorium. *Ab Anacleto Papa,* loca sancta. *A Græcis vero Patribus aliis quoque diuersis nominibus. A posterioribus denique, Concilio Gang. ac SS. Ambrosio, Hieronymo, Augustino,* not a etiam basilicæ *martyrum. Primus autem qui contempsit Ecclesias χειροποιήτους, id est, manufactas, fuit Eustathius ille, contra quem congregatum Concil. Gangrense can.* 5. *anathematizauit eum, qui* domos Dei *contemnendas diceret. Quem errorem postea renouarunt (iuxta quod scribit Hugo Ferrariensis) anno Christi* 1200. *Patareni hæretici, contra quos exstant Constit Honorij Papæ* 111. *& Federici* 11. *Imperatoris, Cod. de hæret. vlt. cap.* §. *Gazaros. Quos imitati postea Valdenses, Wicleuistæ, Hussitæ, & Taboritæ, circiter ann.* 1420. *Verum in ventum, vt ita loquar, abijt interea hæc hæresis, præterquam apud quosdam Anabaptistas, qui etsi allegare soleant illud Apostoli Pauli ad Athenienses, Act.* 17. Deus in manufactis templis non habitat, *facilis est ex eo ipso loco responsio, ex eo quod additur:* Indigens aliquo, quum ipse det omnibus; *ac si dicat, Sic Deo templa non constitui, tanquam illis indigeret, quemadmodum haud absimiliter Irenæus lib.* 4. *cap.* 34. *Offerimus, inquit, ei non quasi indigenti, sed gratias agentes. & mox: Quemadmodum enim Deus non indiget eorum, quæ à nobis fiunt, sic nos indigemus aliquid offerre ei. Non aliter enim nos quoque* Ecclesiis *indigemus, ad conuentus, in gratiarum actionem, tum sacrificiorum, tum etiam concionum, agendos. Si qui autem Patrum vetustissimorum, vti Minutius, Arnobius, Lactantius, videantur templa nulla agnoscere; aut de templis Idolorum expresse loquuntur, aut si sua aduersus Gentes defenderent, κατηγορίαν metuebant: quare admodum illorum meminerunt; deinde templa, vocant Idolorum,* Ecclesias, Christianorum *vt patet infra cap.* 11. Christianus (*inquit*) thurarius, si per templa transibit, *quum paulo prius dixerit,* Laniſtam ab Ecclesia arcendum. *Quibus adde, quod perdurantibus illis primis Christianorum persecutionibus, vix permissum fuerit* Ecclesias *ædificare; quo pertinent quæ de* antelucanis cœtibus *Apolog.* 39. *cap. & alibi frequenter ab Auctore recensentur.*

30. attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum, his manibus adorare.] *Locum hunc pro* Adoratione in sacrificio Christiano *facere adnotauimus initio lib. de Orat. num.* 1. *Synecdochicũs autem addit:* quæ foris aduersus Deum adorantur, *eo quod opera ijs manibus facta adorentur.*

31. manus admouere corpori Domini] *Pertinet hic locus ad eam consuetudinem, qua in manus tradebatur Eucharistia, cuius meminimus loco mox citato, & latius in lib. de Laps. B. Cypr. nu.* 82.

32. si ab aliis manibus accipiant.] *Hic iterum insinuatur alia consuetudo, qua (sicuti loquitur Iustinus Martyr Apolog. pro Christianis) Eucharistia de manibus præsidentium sumitur, vtpote à sacerdotibus corpus Domini, & à Diaconis calix Dominicus, quamdiu administrari fidelibus solet, quorum illud manifestius est, quam vt probatione sit opus. Hoc vero à nobis comprobatum est in Epist. B. Cyp.* 65. *nu.* 14. *& in lib. de Laps. nu.* 88.

33. Adleguntur in Ordinem Ecclesiasticum.] *Quem hic* Ordinem Ecclesiasticum, *infra lib. de Præscript. adu. hæres.* sacerdotalia munera *appellat, vbi de Sacramento Ordinis, & singulis eius gradibus latius B. Cyprian. epist.* 33 *&* 68. Ordinationes clericas *seu* clericorum *vocat. Græci cum Apostolo Paulo ad Timot. & Titum* χειροτονίας, *seu* manus impositiones.

34. isti quotidie corpus eius lacessunt.] *Similiter paulopost* in quibus corpus Domini scandalizarur *quibus adeo locis & eo qui præcessit,* manus admouere corpori Domini, *mire probatur veritas corporis Dominicæ in Eucharistia, de qua aliquid attigimus lib. de Oratione cap.* 6. *nu.* 23. *& plura dicturi.*

CAP. VIII.

35. Sunt & aliæ complurium artium species, &c. *Capiti huic inscriptionem damus:* Quod etiam Idololatria fit, Idolorum templa, aras, ædiculas, aut insignia fabricare, vel exornare. *Legimus autem interiectis aliquot lineis cum Latinio:* sine idoli confectura, *pro eo quod erat:* consictura.

A

36. albarius tector.] *Terra Chia* (*inquit Plin. lib.35. cap.16.*) *lacte diluta*, tectoriorum albaria *interpolantur*: & *lib.36. cap.23. Contra in* albario *opere, vt macerata calx seu glutinum hæreat. Ex quibus locis colligitur* tecta albario opere confecta *dici, quæ calce sarciuntur, & quibus proinde* tectoria *induuntur: nam eadem voce vides etiam vsum Plinium.*

37. & cisternam liare.] Albarii tectoris *etiam hic opificium esse posteriori loco citato indicat idem Plinius:* Et cisternas, *inquit, harenæ puræ & asperæ quinque partibus calcis quam vehementissime duabus construi conuenit, fragmentis silicis non excedentibus libras. Atqui ego quidem existimo legendum prorsus*: ligare, *quam* liare; *verum nolui immutare veterem lectionem, si forte, vt multa alia, vox sit Tertulliano peculiaris, iam obsoleta.*

38 & cymatia distendere.] *Videtur* cymatia *nuncupare arcus ipsos templorum seu tectorum, creta incrustatos, voce deriuata à* κυματία, *id est, illuuie aquarum, quod illi arcus pluuiarum illuuiem impediant. Atque adeo malim legi paulopost*: parietibus incrustare *quam* incrispare; *quod* incrustare parietes calce albarii tectores *soleant. Verum neque hic temere aliquid immutandum putaui.*

39. Nam qui signum describit.] Signum *hic vocat quod supra*: insignia. *Agit autem contra* signa *Deorum imaginibus insignita, à quorum missione* Sigillaria *dies festi Saturnalibus additi nuncupantur à Macrobio Saturn. libr.1. cap.10. seu potius quæ parietibus solent adfigi, eo quod paulopost sequitur*: Quot parietes signa desiderant.

B

40. Qui de tilia Martem exsculpit.] *Quum non ex omni ligno vti in prouerbio est) Mercurius aut cetera Deorum simulacra fieri soleant, sed iuxta Pausaniam, ex ebore, cupresso, cedro, quercu, similace, loto, buxo, quibus Theophrastus oleam addit, quippe quæ Plinio teste lib.16. cap.40. cariem vetustatemque non sentiant (quibus ipse alicubi vitim adijcit, ex qua Iouis in Populonia simulacrum vetustissimum) maxime autem ex Thya arbore (si Giraldo in historia Deorum creditur, Syntag.16.) quam contra vitia omnia incorruptam tradit idem Plinius lib.13. cap.16. ego prorsus hic legendum censeo* de Thya; *sed neque hic coniecturæ meæ nimium tribui velim, quippe qui per Ironiam ita locutus videri possit, & Plinius lib.16. cap.* 40. tiliam *inter ceteras arbores aptissimam dicat scutis faciendis: Mars vero armipotens & armiger dicatur, atque adeo etiam cum scuto aliquando pingatur, maxime quum subiungat*: quanto citius armarium compingit. *fieri enim solent* armaria, *ex* tilia, *quod & mollissima sit, & tamen tenacissima, Plin. ibidem teste.*

41. mercedibus & manuspretiis.] *Similiter hæc duo coniuncta sunt à Varrone li.4. de ling. Lat.* Merces, *inquit, à merendo. Quod manufactura erat, & datum pro eo* Manupretium, *à manibus & pretio. Perinde enim est, siue* Manuspretium, *siue* Manupretium *dicas.*

C

42. Soccus & baxa quotidie deaurantur.] Soccus (*iuxta quod Rhenanus adnotauit in li. adu. Valentinianos*) *Comœdorum erat calceus, sicuti cothurnus Tragœdorum*: Baxa *seu baxea Philosophorum vti diximus li. de Pall. c.4. n.82. ad illud*: Si Philosophis in purpura, cur non & in baxea Tyria, nisi aurum minime Græcatos decet. *Ex quo adeo etiam constat* deaurari baxeam *solere, quod de* socco *hic scribit Auctor.*

43. lances & scyphos facilius ambitio, &c. *Hauddubie alludit ad* lances centenarias & quinquagenarias, *de quibus Apol. ca.6. & lib. de Pallio cap.5. nu.102. & 103. De* coronis *latius lib. de Coron. milit.*

Cap. IX.

44. Animaduertimus inter Artes, &c.] *Titulum huius capitis scripsimus*: Quod Astrologi & Magi Idololatriæ etiam sint obnoxij.

45. De Astrologis ne loquendũ quidem.] *Eodem modo coniungit Apologetici ca.35.* Astrologos, aruspices, augures & Magos. *item ca.43.* ariolos, aruspices, Mathematicos; *vnde & ex sequentibus patet, per* Astrologos *accipere Auctorem Genethliacos (non Astronomos, de quibus alia est ratio) quippe qui* stellarum sint interpretes, stellas Saturni & Martis obseruent, & aliorum climacterica nuncient, *quorum denique* digitus aut radius abutitur cœlo. *de quibus suis quibusque locis infra latius. Porro contra hos non solum disputant ex Christianis Bardesanes Syrus, Origenes, alijque ab Eusebio citati contra fatum, li. de Præpar. Euang. 6. ca.2. August. pluribus locis: sed ipsi etiam ethnici, Phauorinus apud Gellium li.14. c.19. alijque Philosophi apud Euseb. li. citat. ca.6. denique & Plinius saltem eas artes Mathematicas, quæ cum Magiam coniunctæ sunt, lib.30. cap.1.*

D

46. quorum nomina cœlo inscripsit.] B. *August. li.7. de Ciuit. Dei integro ca.15. de* stellis *tractat (septem Planetis nempe)* quas Pagani Deorum suorum nominibus nuncuparunt, *Addit Isidorus li.5. Etym. ca.30. à Dijs, quorum nomina Romani syderibus sacrauerunt, etiam dies appellatos. Primum enim (inquit) diem à* Sole *appellauerunt, Secundum à* Luna, *Tertium à stella* Martis, *Quartum à stella* Mercurii, *Quintum à stella* Iouis, *Sextum à stella* Veneris, *Septimum à stella* Saturni. *Quibus nomina hæc (inquit Beda li. de rat. temporum ca.4.) Gentilitas indidit, habere se credentes à* Sole *spiritum, à* Luna *corpus; à* Marte *sanguinem; à* Mercurio *ingenium & linguam, à* Ioue *temperantiam, à* Venere *voluptatem, à* Saturno *tarditatem.*

E

47. immutabili arbitrio.] *Ita fatum describit, quod agnoscendũ non esse Christianis adnotauimus Apologetici capite 1. nu.17.*

48. amatores fœminarum.] *De hoc errore Tertulliani latius inter Prolegomena.*

49. proditores etiam huius curiositatis.] *Disertis verbis Dæmonum nequitia inuentam fuisse* Astrologiam, *aruspicinam, augurationem, oracula, & ipsam artem Magicam, tradit Lactant. li.2. cap.17. Neque obstat illud Arnobij: Quando syderum motus aut ratio cœpta est Genethliaca sciri, numquid post Theutin Ægyptum, aut post Atlantem, vt quidam ferunt: Nam, si Viui creditur in lib.8. de Ciuit. Dei. B. August. ca.26. Theut. dæmonem illum vocat Phædrus in Platone. Quinetiam etsi cum Plinio lib.30. ca.1. & Epiph initio oper. Panarij, Zoroastrem (qui & Ero Pamphilius) primum inuentorem faciamus Astrologiæ, non dubium quin instructu dæmonum primum inuenta sit, maxime si Auctorem sequamur in eo, quod sub finem capitis dicit:* Astrologiam Magiæ speciem esse: *Vide infra l. de Hab. mul. ca.2. nu.22.*

50. expelluntur Mathematici. *Etsi* μάθησις *pro disciplina in bonam partem accipiatur subinde, à qua* Mathematicæ *disciplinæ, Geometria, Gnomonica, Musica, Arithmetica, Astronomia: tamen* Mathematici *fere in malam partem accipiuntur pro Genethliacis, Astrologis seu Claldæis, quomodo etiam hic ab Auctore, & paulopost* Mathesis: *quo pertinet etiam illud Iuuenalis sat.14.*

F

Nota *Mathematicis* genesis tua.

Atqui in eandem sententiam B. August. li. de Ciuit. Dei ca. vlt. tradit, Has artes etiam ante Saluatoris nostri aduentum in ipsis ciuitatibus Gentium legibus solere prohiberi, & pœna seuerissima vindicari. Qui etsi præcipue agat de Hydromantia & Necromantia, tamen id ipsum hic de Mathematicis *videtur affirmare Auctor, nisi forte istud referatur ad id, quod sequitur.*

51. Vrbs & Italia interdicitur Mathematicis.] *De hoc in hæc verba Suetonius in Vitellio cap.14. Nullis infensior quam vernaculis &* Mathematicis, *vt quisque deferretur, inauditum capite puniebat. Exacerbatus, quod post Edictum suum, quo iubebat, intra Kal. Octobris* Vrbe Italiaque Methematici excederent, *statim libellus est propositus, & Chaldæos dicere, Bonum factum est, ne Vitellius intra eundem Kalendarum diem vsquam esset. Vide eadem de re Origenem hom.6. in Iosue, & 3. in Hieremiam. Tradit etiam Tacitus à Vespasiano pulsos Vrbe* Mathematicos.

52. Sed Magi & Astrologi ab Oriente venerunt &c.] *De ijsdem inquit supra Auctor l. adu. Iud. c.9.* Nam & magos & Reges Oriens habuit. *alludit enim, quantum apparet, ad illud Plinij, loco supracitato. Ita* Magia *possessis hominum sensibus triplici vinculo* (Magiæ *nempe, Medicinæ & Mahematicis) in tantum fastigij adoleuit, vt hodie etiam in magna parte Gentium præualeat, & in* Oriente Regum Regibus *imperet.*

G

35. De Christo scilicet est Mathesis hodie, &c.] *Ironiam esse patet ex ipso contextu. quare non est quod quisquã hinc opinioni suæ suffragari putet Tertullianum, si quis etiam Christi genesim ex stellarum cursu metiri ausus fuerit. Legimus autem post nu.54. omissa negatione* (non) *superflua*: ne illos Herodes persequeretur. *Atqui de* Saturno quadrato & Marte trigono *vide infra Tom.3. lib.1. adu. Marc.*

54. At enim scientia ista vsque ad Euangelium, &c.] *Hæc causa fuit Constantino primo Christiano Imperatori legem edendi contra hanc scientiam, Cod. l.9. tit.19. Nemo (inquit) Aruspicem consulat, aut* Mathematicum, *aut Ariolum: Augurum & Vatum praua confessio conticescat. Chaldæi & Magi, & ceteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuo* diuinandi *curiositas; etenim supplicium capitis feret gladio vltro prostratus, quicunque nostris iussis obsequium denegauerit.*

55. Sic & aliam illam speciem Magiæ, &c.] *Etiam hoc necessario legimus, pro eo quod incongrue legebatur*: alia illa species. *Atqui de* Magia quæ miraculis operatur, *id est, signis mirandis, late tractauit Auctor supra Apolog. c.23. integro, & latius infra Tom.3. li. de Anima; & nos vtrobique Adnotationibus nostris: Lactantius etiam loco supracitato latissime.*

H

56. de circulatoria secta.] Circulatorias præstigias *vocat in Apol. vbi vide Adnot. nostras. nu.356.*

57. aut sophistas, aut Chaldæos, aut incantatores, aut coniectores, aut Magos.] *De horum inter se differentia, infra etiam latius lib. de Anima, ne hic prolixiores simus.*

58. vbi litterator.] *Ita transtulit vocem Græcam.* γραμματεὺς, *pro eo quod interpres vulgatus*: vbi scriba, *more suo, quum eodem significatu sit illi vsitata*: litteratura *c. sequenti, & li. de Anima.* Æuũ *etiam hic, quod mox*: sæculum, *interpretatur vocem* αἰῶνος.

59. climacterica.] Climacterica *vsurpat substantiue pro* climacteres, *quas Chaldæi vocant pericula vitæ, fortunarumq́; hominum, quæ Marcus Varro, teste Gellio lib.3. cap.10. grauissima fieri septenarijs, præcipue autem anno ætatis 63. scribit. Quo pertinet illud Augusti epist. ad Caium nepotem suum, apud eundem Gell. li.15. c.7. Spero (inquit) lætum & bene valentem celebrasse quartum & sexagesimum Natalem meum. nam, vt vides,* κλιμακτῆρα *communem seniorem omnium, tertium & sexagesimum annum euasimus. Verum fides penes illos esto: nouit enim Christianus nihil illis tribuendum,*

60. cuius digitus aut radius abutitur cœlo.] *Quemadmodum enim de* Radio Geometrico *dixit Virgil,*

Descripsit *radio* totum qui gentibus orbem.

ita etiam alibi de radio Astrologico *dixit, describere* radio cœli

meatum

meatum. Est autem ferreum instrumentum, aut aneum, quo lineas indicant aut terrarum, aut cœli.

CAP. X.

61. Quærendum autem etiam est, &c.] *Inscriptionem dedimus huic capiti:* De ludimagistris Idololatris.

62. si non tabularia Idolorum, Quinquatria tamen frequentabit.] Tabularia *fuisse suspicor festum aliquem diem, quo* tabulas literarias *idolis dedicabant.* Quinquatria, *qui &* Quinquatrus, *dies festus, ita dictus iuxta Festum, non à numero dierum, sed quod post diē quintum Iduum celebraretur. Minervæ autem dicatum existimant, quod eo die ædes eius in Auentino consecrata sit. Varro de ling. Lat. lib. 5. etiam* Quinquatrus minores *narrat, in quibus Idibus Iuniis ab similitudine* maiorum *tibicines feriati per Vrbem vagabantur, & conueniebant ad ædem Minervæ.*

63. Ipsam nouæ discipuli primam stipem Minervæ, &c.] Minerual *intelligit: ita enim nuncupant* primam stipem, quam magistris nouæ discipuli dabāt. *Hinc illud Varronis li. 3. de re Rust. Axius: Merula mi (inquit) recipe me quæso discipulum, &c. Ille: Quin, simul ac promiseris* Minerual, *incipiam, id est, cœnam. Meminit etiam B. Hieron. in Epist. ad Ephesios, & innuunt Horatius & Ouidius alicubi quemadmodum primus adnotauit Politianus Lego autem mox:* Quid minus est inquinamenti eo quod præstat, *pro:* inquinamento quod. *Hoc autem:* verbotenus de Idolothyo, *confirmat illud Varronis, quod* Minerual *fere cœna fuerit, quam hic proinde* verbotenus Idolothytum *nuncupat. Infra autem latius c. 13.* de Idolothytis.

63. tam minerualia Minervæ.] *Siue* Minerualia *plurali numero accipiamus cœnam prædictam, siue* Minervæ *festa, perinde est. Nam &* Quinquatria *Minervæ mox diximus dicatā &* Oschophoria *Athenis celebrabantur, quorum Plutarcho crebra mentio, in quibus pueri ingenui pubescentes eligebantur, qui ferrent* ὄσχας *id est, ramos ac palmites cum suis racemis, in templum Minervæ Sciriados. Item &* Panathenæa *in Minervæ honorem singulis quinque annis celebrabantur, in quibus, teste Aristophane & Suida, pueri tantum certabant, & victori ex olea corona præmium dabatur.*

64. Saturnalia Saturni, quæ etiam seruiculis.] *De* Saturnalibus *late infra cap. 13. vbi particulatim agit de festis Idolorum, quemadmodum & de* strenis *& de* Brumiis honoratis. *Hic sufficiat adnotandum, quod sicut à Latinis in* Saturnalibus. *ita & apud Græcos in Anthisteria celebritate, vti adnotat Gyraldus hist. Deorum synt. 17. ex quo etiam præcedentia, serui, quos hic diminutiue* seruiculos *dicit, conuiuiis liberalibus excipiebantur.*

65. & septimontium.] Septimontium, *inquit Festus, appellabant diem festum, quod in septem locis faciebant sacrificium Palatio, Velia, Fagutali, Suburra, Cœlio, Oppio, & Cispio, de quo plura Plutarchus, si Gyraldo creditur, in Cansis Romanis. Quod confirmat his verbus Varro l. 5. de ling. Lat. Dies* septimontium *nominatus ab his septem montibus, in quibus sita Vrbs est Qui quidem l. 4. meminit etiam montium Cœlij, Cispy, & Oppij, item regionum Palatinæ & Suburranæ, & luci Fugutalis & Veliarum. Quare operæpretium foret duos Auctores in concordiam de istis montibus reducere, verum ad alia properandum. Atqui de* scholis flore coronandis, *l. de Cor. militis.*

66. Flaminicæ.] *De his lib. de Monogamia ad illud:* Flaminica semel nubit.

67. & Ædiles.] Ædilis, *inquit Varro de ling. Lat. c. 4. qui ædes sacras priuatas procuraret, hic vero* Ædiles *pro* Flamines *accipi videtur.*

68. schola honoratur feriis.] *Non importune etiam* ferias *Idololatriæ adscribit Auctor; nam* Feria, *inquit Festus, à feriendis victimis appellata. Cui addit* Ferias *antiqui Festas vocitant: & aliæ erant sine die festo, vt nundinæ; aliæ cum festo, vt Saturnalia. Quibus adde ad institutum Auctoris,* Cerealia *&* Idolorum natales.

69. Deos ipsos hoc nomine obsignat.] *Accipit* obsignat, *pro eo quod immediate dixit:* testimonium dicit, *metaphora sumpta ab iis qui obsignatione sua fidem faciunt. Similiter infra n. 78.*

70. cum prohibeat Lex, vt diximus, Deos pronuntiari.] *Haud dubie intelligit illud Exodi 23.* Et nomen aliorum Deorum non memorabitis, neque audietur ex ore vestro, *iuxta 70. pro eo, quod noster interpres ex Hebr.* Per nomen externorum Deorum non iurabitis. *Nam idipsum repetens infra cap. 10. sic reddit:* Præcepit ne Deos vocemus eos.

71. & nomen hoc in vano collocari.] *Apertius infra ibidem:* Non sumes, *inquit,* nomen Domini Dei tui in vano, id est, Idolo. *Quod quum B. Cypr. aceiat in de non iurando, lib. 3. Testim. ad Quirinum cap. 12. pulcre idipsum Tertull. etiam interpretatur de Iureiurando per Deos; atque adeo in idem recidit vtraque scriptura præcedentis translatio.*

72. qui de idolis catechizat.] *Hinc apparet Auctoris sententia, quod in præcedentibus non loquatur de nuda Deorum ac nominum eorundem pronuntiatione, sed catechizatione & prædicatione, ac honorifica mentione, vt id nemo contra nos detorqueat, qui fortassis quibusdam videbor in his explicandis prolixior; sed meminerit Lector me non doctis, sed potissimum rudibus has Adnotationes conscribere, vt ne cubi hæsant. Atqui* κατηχεῖν *&* κατηχίζειν, *instituere & erudire est: à quo translatum à Christianis ad eruditionem fidei, vti latius infra Tom. 3. l. de Præscr. adu. hæret. ad illud:* quis catechumenus, quis fidelis, incertum est. *Similiter etiam & apud Antiquos, potissimum in sacris, vsitata vox ab ἠχεῖν, quod est, voce sonare, eo quod apud priscos Ægyptios moris esset, vt misteria voce tantum, non scripto ad posteros transferrentur.*

73. de publicis propriis sollemnitatibus.] *Opinor illum de illis loqui, de quibus supra:* Tabulariis, Quinquatriis, *&* Minerualibus.

CAP. XI.

74. Degenerabimus, si cetera delictorum recogitemus.] *Titulus huius capitis ponitur à nobis:* De negotiatione mercium, quæ ad Idololatriam pertinent. *Prorsus autem legimus:* Degenerabimus, *pro eo quod nullo sensu legebatur:* De generationibus.

75. qua quidam irretiti, circa fidem nauf agium sunt passi.] *Posterius istud etiam legit B. Cypr. tum l. de Lapsis (vbi aliquid diximus adnot. nostris n. 47.) tum libris de Orat. Domin. De oper. & eleemos. & Testim. 3. ad Quir. c. 61. Tertullianum, opinor, hoc libro imitatus; qui etiam paraphrastice, potius & metaphorice vertit quam de verbo, id quod Græce est:* τινὲς ἐξετράπησαν ἀπὸ τῆς πίστεως, *pro eo quo reddidit noster interpres;* Quam quidam appetentes errauerunt à fide, *fortassis alludit ad illud cap. 1. eiusdem epist. ad Timoth.* naufragauerunt à fide. *Lego autē mox:* Ceterum si cupiditas abscedat, *omisso* dat *superfluo,* quæ est caussa adquirendi?

76. Sit nunc aliqua iustitia quæstus secura. &c.] *Huc pertinet illud Sapientis:* Non iustificabitur caupo a peccatis labiorum: *vnde & l. de Patientia, vocat:* mercimoniorum pericula quæstuosa. *Non diffitetur interim aliquam negotiationem de iustitia securam, maxime quum paulo post subdat:* Nemo contendat posse hoc modo omnibus negotiationibus controuersiam fieri.

77. thura dico & cetera peregrinitatis.] *De his vide supra Apologet. cap 30. num. 442. de* Pompis *vero libr. de Spectac. cap. 7. num. 61.*

78. nobis quoque insuper ad solatia sepulturæ vsui sunt.] *Eodem modo dixit Apolog. c 42.* Si Arabiæ quæruntur, sciant Sabæi pluris & carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam diis fumigandis.

79. lanistam.] Lanista, *vti ex Rhenano l. ad martyras diximus, præfectus erat Gladiatorum.*

80. ab Ecclesia arceri.] *Similiter paulo post dixit contrarium huius,* retinere in Ecclesia. *Quum autem faciat hoc pro Excommunicatione Ecclesiastica, locus erat hic de ea tractandi, nisi id iam olim fecissemus Adnotat. nostris in B. Cyp. ad Epist. 35. nu. 8. ac 29. & ad Epist. 72. num. 13. & 15. quemadmodum etiam ad illud Apolog. c. 39.* Præsident probati quique seniores, &c.

81. & exsufflabit.] *Alludit ad* exsufflationem *dæmonum, quæ fit in Exorcismis ante baptismum, vnde & subiungit:* qua constantia exorcizabit alumnos suos. *De quibus omnibus latius l. de Baptismo infra T. 3.*

CAP. XII.

82. Male nobis de necessitatibus humanæ exhibitionis, &c.] *Tractat hoc caput:* Quod non oporteat post fidem prætexere vitæ necessitatis ad idololatriam. *Quam quidem obiectionem fecit sibi supra c. 6. sed hic ait* se pleniùs respondere.

83. post fidem obsignatam.] *Alludit ad testificationem fidei, quæ fit ante Baptismum, de qua etiam lib. de Baptismo.*

84. ædificis illius, &c.] Ædifex *pro Ædificatore, non adiumtaxat, sed cuiusuis structuræ; & mox* defunctus, *non pro mortuo, sed pro eo, qui ab opere cœpto defungitur.*

85. nolite cogitare de victu.] *Vno verbo exprimit, quod alibi ad verbum ex Matthæo:* Nolite cogitare de crastino, quid edatis aut bibatis.

86. Opera & conditionalis eram.] *videtur* Opera *accipi pro Operatio:* conditionalis *vero pro eo, cuius officium, aliquid condere, quem paulo prius* Ædificem *vocauit; nam simili intellectu & lib. de Cor milit. & l. de Resurrectione carnis,* conditio *ab Auctore vsurpatur, pro* recondita *seu creata.*

87. vel corpus solum, quod in domum Christi est.] *Corruptus aut mutilus locus, cui sine ms. cod. mederi non licuit, nisi forte ex coniecturis parum probabilibus.*

88 Sed quæ penes homines difficilia, penes Deum facilia.] *Similiter l. de Baptis.* Prædifficilia penes homines, facilia penes Deum. *Ita transferens quod Græce est Luc. 18.* τὰ ἀδύνατα παρὰ ἀνθρώποις, δυνατὰ ἐστι παρὰ τῷ θεῷ. *pro quo vertit interpres noster:* impossibilia, &: possibilia. *Vtrique recte.*

CAP. XIII.

89. Sed omnem adflatum eius. &c.] *Capiti huic titulum imposuimus:* De festis & extraordinariis aliis sollemnitatibus Idolorum.

90. De Spectaculis autem, &c.] *Vel hinc patet, librum hunc posterius scriptum libro de* Spectaculis, *& authenticum quoque esse, ac germanum Tertulliani fœtum.*

91. communicantes nationibus in Idolicis rebus.] *Pulcher locus, quod saltem* cum nationibus, communicare non possimus in rebus Idolicis, *id est, quæ idolis consecrata sunt; & proinde quod subdit* de habitu, siue victu, vel quo alio genere lætitiæ earum, *ita intelligendum, quatenus ad Idololatriam pertinent; alioqui*

A

iuxta Apost. Paulum, mundum exire oporteret, sicuti infra ipse Auctor allegat cap. sequenti.

92. vitæ & morti.] *De simili loco vide l. de Spectac. c. 26. nu. 194. vbi & sequens scriptura citatur c. 27.*

93. Sic & Lazarus, &c.] *Omnino sic lego, pro eo quod tanquam elegantius substitutum erat:* Eleazar *nam illud & Græce & Latine legitur tum apud Lucam, tum apud interpretes veteres omnes, & nominatim etiam à B. Cypria. epist. 55. ac l. 3. Testim. ad Quirin. c. 61. immo ab ipso Tertulliano infra l. de Anima:* Et quid, *inquit*, illic Lazari nomen, si non in veritate res est?

94. Sunt quidam Munerum dies.] Munera *hic pro donis accipit, non vt supra l. de Spectac. pro ludo Gladiatorio, aut vt alibi, pro:* officio. *Alludit autem tum ad Quinquatrus minores, de quibus supra num. 62. quæ* Minusculæ, *seu iuxta quod Gyraldus adnotat, vbi supra, à quibusdam* Munusculæ *à mittendis vltro citroque muneribus dicebantur: item de Strenarum diebus, de quibus ibidem & c. sequ. in* Saturnalibus *seu* Ianuariis Kalendis, *aut* Brumæ tempore.

95. quid participas Idolothyta sollemnia.] Idolothyta *proprie accipit pro omni eo, quod idolis sacratum est; alioqui in scripturis sacris & Auctoribus Christianis, tam Græcis quam Latinis, proprie ad cibos Idolis immolatos pertinet.*

B

96. da formam in quam velis agi tecum.] *Pertinet etiam hoc ad phrasin Iureconsultorum, & maxime quod sequitur:* Enimuero etsi simulaueris, *ita lego pro:* & dissimulaberis, tentatus addictus es. *ac si dicat, quodammodo Idolis iam venditur; nam* addicere *venditoris est, quemadmodum recte adnotauit Rhenanus ad illud libr. de Pœnit. cap. 6.* Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit.

CAP. XIV.

97. Sed enim plerique iam induxerunt animo, &c.] *Hoc caput inscripsimus* : De iisdem, & quod non sit ignoscendum iis quæ ethnici faciunt.

98. ne nomen blasphemetur.] *Eodem modo paulopost*: in qua nomen merito percutitur. *&:* cum totus Circus sceleſtis suffragiis nullo merito nomen lacessit. *Denique* benedictio est nominis *De significatione autem* Nominis *vide lib. de Patient. cap. 2. n. 11. Et de clamoribus* Circi: Christianum ad leonem, *lib. de Spect. cap. 27. num. 196.*

99. Vestri causſa nomen meum blasphematur.] *Sic omnino lego cum Gagnæo, pro eo quod erat:* væ cuius causſa. *Alludit enim ad illud Isai. 52.* Admiramini & vlulate, *hoc explicans vnica voce* væ: Hæc dicit Dominus propter vos nomen meum semper blasphematur in Gentibus. *Quod ipsum repetitur ab Apostolo Rom. 2. nisi quod legatur ibi:* Per vos.

C

100. Si hominibus placere vellem.] *De hac lectione Tertulliano & B. Cypriano familiari, pro eo, quod hodie legitur tam Græce quam Latine:* Si hominibus placerem, *vide Adnot. nostras in eiusdem Cypriani lib. de Hab. & disciplin. virg. nu. 22.*

101. Saturnalia.] *De his aliquid diximus in Apolog. c. 42. num. 550. & supra hoc lib num. 64. Quibus adde ex Varrone lib. 4. Quod cœlum principium sit rerum, ab satu dictus est Saturnus, & quod ignis sit generationis principium*, Saturnalibus *cerei superioribus mittuntur. Hinc illud infra hoc eodem capite:* Saturnalia, *in quibus* munera commeant. *Plura vide apud Gyraldum, histor. Deorum synt. 3.*

102. & Kalendas Ianuarias.] *Mox simpliciter vnica voce vocantur* Ianuariæ, *in quibus* strenæ consonant, *quod ipsum quum etiam hodie à gentilitate permanserit in consuetudine, pluribus non est opus, reliqua interim insolentia, contra quas scripsit Chrysost. inter serm. ad popul. Antiochenum de Kalendis, iam pene interierunt.*

103. vt omnes lucrifaciam.] *Quum hoc loco habeatur 1. Cor. 9. vt omnes saluos faciam, Græce enim est: ἵνα πάντως τινὰς σώσω: videtur memoria lapsus, aut hic posuisse quod bis terve repetitum fuit ibidem:* ἵνα κερδήσω.

D

104. Ceterum de mundo exissetis.] Ceterum *accipit, pro Alioquin, &* exissetis, *pro: exisse debueratis; nam vulgato interpreti correspondet veritas Græca. Legimus autem non multo post:* Quod si nobis nullum ius est communionis, *cum Gagnæo.*

105. Sabbata (*inquit*) vestra & Neomenias & ceremonias, &c.] *Quum alibi solũ duo legat priora Auctor, hic etiam* ceremonias *addit, vt hinc constet sensum dumtaxat, tum hic, tum alibi, Propheta citasse, & breuioribus verbis. Nam Isai. 1. sic legitur iuxta 70.* Neomenias vestras & Sabbata & diem magnum non feram. Ieiunũ & ocium & Neomenias & festiuitates vestras odio habet anima mea, *pro quo noster sic:* & ceremonias. *Græce est, τὰς ἑορτάς. quare mirum est quod non transtulerit, aut,* festa, *aut* solemnitates, *maxime, quum huic loco magis fuissent accommoda.*

106. à Deo aliquando dilectæ.] *Præceperat enim Deus obseruationem* Sabbati, *Exodi 20.* Neomeniarum, *Num. 28. & Ezech. 45.*

107. & Brumæ.] *De his Gyraldus syntag. 8. hist. Deorum, βεβήλοις, vt tradit Proclus in Hesiod. comment. de re Rustica, Dionysius est, vnde* Brumalia, *celebritas quæ in* Bruma, *atque adeo mense Ianuario agebatur, tum in nostro Decembri, tum ianuario. Huic autem celebritati videntur conuenire* lusus, *quos hic adnotat.*

108. & Matronales.] Matronalia (*inquit ibidem synt. 1.*) *Kalendis Martiis agebantur, vt Horatius Ouidius, & Acron ostendunt,*

E

& Plutarchus, & Festius, qui interim non nisi de Matribus *agit, Matris Matutæ festis. De quibus sic etiam Varro: Libum testuatium, quod in testa calida coquebatur, vt etiam nunc* Matralibus *faciunt Matronæ. Hinc opinor &* Matronalia *dicta; ad quæ adeo aptare videtur Auctor illud:* conuiuia constrepunt.

109. non Dominicum diem.] *Huius etiam meminit libr. de Cor. militis, dum dicit:* Dominico die ieiunium nefas ducimus, *& Apolog. c. 16. eundem intelligit, quum dicit:* Æque si Solis diẽ lætitiæ indulgemus, &c. *vbi de eo latius Adno. nostrarum nu. 248. Auctor autem paulo inferius etiam* diem octauum *vocat, ac B. Cyp. epist. 59. ad Fidum, primum post Sabbatum.*

110. non Pentecosten.] *Intelligere Auctorem non solum* Pentecostes *festum sed etiam (vti loquitur de Cor. milit.) tempus illud integrum* à die Paschæ in Pentecosten, *patet ex eo, quod mox sequitur:* excerpe singulas sollemnitates nationũ, & in ordinem texe, Pentecosten implere non poterunt. *Eodem modo & B. Hieron. libris aduersus Montanum & Luciferianos: per omnem* Pentecosten *dixit; & B Augustin. epist. 119. ad Ianuarium; Item Irenæus Orat. de Pascha, citata à Iustino Martyre, quæst. & respons. ad Orthod. cap. 115. & Epiphan. in Epist. cathol. fid. Nicenum denique concil. can. 20. & Basil. de Spiritu sancto, cap. 27.*

CAP. XV.

111. Sed luceant, *inquit*, opera vestra.] *Inscribimus huius capitis titulum:* De sollemnibus Cæsarum etiam non obseruandis. *Neque vero hic primum, sed etiam Apolog. capite integro id tractauit Auctor, quo Lectorem ad Adnotationes nostras remittimus, potissimum nu. 461 463. 464. quo postremo loco tractat de* lucernis tabernarum, & laureis ianuarum. *Atqui etiam hic non integra scriptura verba citat, sed id quod ad institutum pertinebat; quomodo etiam lib. de Cultu fœmin. Neque enim dumtaxat legitur Matth. 5.* Luceant opera vestra, *sed sic* Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.

F

112. recogitemus omnem Idololatriam in hominis causſam esse, &c.] *Hoc ipsum tractauit Apolog. toto cap. 11. hoc titulo:* Cur quum homines essent, facti sint ab hominibus Dii, causſas vanissimas esse *& cap. præced.* Quod Saturnus, Iupiter & alii Dii, homines fuerint, & non vere Dii. *Vbi vide Adnot. nostras item & ad illud eiusdem l. 34. c.* Maledictum est ante λοιδίαν Deũ Cæsarem nuncupare. *Habet etiam B. Augustin. simili titulo integrũ caput. l. 8. de Ciuit. Dei c. 26. Quod omnis religio Paganorum circa homines mortuos impleta sit. Denique B. Cypr. qui hic omnino Auctorem imitatur, lib. Quod idola non sint Dij.*

113. etiam ostiorum Deos.] *Similes loci Auctoris sunt infra. Prior l. de Coron. milit.* At enim Christianus nec ianuam suam laureis infamabit, si norit quantos Deos etiam ostiis diabolus adfinxerit, Ianum à ianua, Limentinum à limine, Forculum & Cardam à foribus & cardinibus & apud Græcos Thyræum Apollinem & Antelios dæmonas. *Alter Scorpiaco adu. Gnosticos, T. seq.* Quas mihi, *inquit*, potestates ianitrices adfirmas iuxta Romanã superstitionem, Cardum quendam, *siue, vti legendum puto*, Cardeam quandam, & Forculum, & Limentinum; quas à cancellis ordinas potestates? *De quorum singulis mox plura, quod proprie ad hunc librum pertineant, atque adeo eosdem etiam nominet B. Cypr. libro supracitato de idolum vanitate.*

G

114. Cardeam à cardinibus.] *De hac Adnot. nostris in eum Cyp. lib. num. 30. Eadem autem est; quam alij libentius* Carnam *vocant.*

115. Forculum à foribus, & Limentinum à limine.] *Ibidem de his Dijs nu. 29. Sic Arnob. l. 4.* Limentinum *& Limum, custodiam liminum gerere dicit, & ianitorum officia sustinere.*

116. & ipsum ianum à ianua.] *Hinc, inquit Rhenanus, in l. de Cor. milit. illud Septimij Afri, non nostri Septim. Tertulliani,*

Iane pater, *Iane* tuens, diue biceps, biformis,
O care rerum sator, ô principium Deorum,
Stridula cui *limina*, cui *cardinei tumultus*,
Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi,

H

117. Apollineum Thyræum.] *Græci, inquit ibidem Rhenanus, θυρεῖον vocant, quicquid foribus adiacet, & extra fores est. Vnde & Iaxo Cyclopis, quo spheluncam suam claudebat, nomen. Siquidem θυρεὸν illi ianuam dicunt. Faciunt autem eiusdem mentionem Macrobius & Nigidius, si Gyraldo creditur, cuius ara ante fores statuebantur.*

118. & Antelios dæmonas.] *Rhenanus vbi supra:* Antelii *Græcis Dij sunt, qui foribus dedicantur. Sic enim aras, vel Deorum statuas vocabant subdiuales, vt quæ soli forent expositæ (nempe ab αὐτὴ τῷ ἥλιῳ.) Hinc Hesichius:* Αντήλιοι θεοὶ οἱ πρὸ τῶν πυλῶν ἱδρυμένοι. *Et rursus:* Αντήλιος, ὁ αὐτὴκεν ἡλίῳ ἱδρυμένος βωμὸς ἢ θεός.

119. per antiquissimum Prophetam Enoch.] *De hoc supra numer. 15.*

120. Nam & alia ostia in balneis adorari videmus.] Balneorum Deos *intelligit in* ostiis balneorum *insculptos Genios aut Lares.*

121. Scio frattem per visionem, &c. *Similem* visionem *recensuit supra l. de Spectac 27. de eo* cui linteum in somnis ostensum *eius diei nocte*, qua Tragœdum audierat; *quales complures etiam apud B. Cypr. reperire est nostro in illum Indice, ne hic prolixiores simus. Quod adnotandum contra eos, qui fabularum loco omnes* visiones *existimant, & ea de causa Dialogos B. Gregorij Papæ calumniantur.*

Recenſetur etiam altera reuelatio angeli in ſomnis mulieri facta ca. vlt. l. de Veland. virg. & l. de Anima ſic legitur: Eſt ſorori apud nos reuelationem chariſmata ſortita, quas in Eccleſia inter Dominica ſollemnia per exſtaſin in ſpiritu patitur, conuerſatur cum angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt & audit ſacramenta, & quorundam corda dignoſcit, & medicinas deſiderantibus ſumit.

122. nam ante proceſſerat.] *An hoc ad* Proceſſiones *Chriſtianorum pertineat, liberum eſto Lectori; certe de illis latius lib. de Cor. milit. & libris ad Vxorem.*

123. probantes Idololatriam eſſe quicquid vltra humani honoris modum adinſtar diuinæ ſublimitatis extollitur.] *A contrario ergo ſenſu licet omnem eum honorem ſanctis Dei, tam in hac vita quam in gloria cœleſti exiſtentibus, immo & imaginibus eorum exhibere,* qui humani honoris modum non excedit.

CAP. XVI.

124. Circa officia vero priuatarum & communium ſollemnitatum,] *Tractat hoc caput:* De priuatis ſollemnitatibus, quod Idololatriæ non ſint obnoxii, niſi quis harum occaſione ſacrificiis interſit.

125. vt togæ puræ. *Quam hic intelligat, mox tum his verbis manifeſtat,* veſtitu virilis, *tum illis:* Toga vero etiam appellatione virilis eſt: *quam nempe depoſita prætexta aſſumebant pueri anno ætatis xvij. Quæ &* pura *nuncupatur (Budæo teſte) quod nec picta eſſet, nec triumphalis nec prætexta. Meminit eiuſdem Cicero l. 9. Epiſt. ad Atticum, quum ſcribit Ciceroni ſuo ſe* puram togam *dediſſe.*

126. vt nominalium.] *Eam ſollemnitatem intelligit, qua (vti paulopoſt dicit)* nomen imponi *conſueuit. De qua Cicero 13. Philipp. Ego, inquit, eum, vt, quod à patre accepi, filio reddam, mea* nominatione *cooptabo. Hinc* gentilitate nominali *dixit Varro de ling. Lat. l. 7. quippe quod* Nomen *gentis eſſet, vti pulcre & latiſſime deducit Onuphrius, vbi agit de Prænominibus, Nominibus, Cognominibus veterum Romanorum. Quo pertinet illud eiuſdem Varr. li. 8. In ſeruis gentilitia (*nominum *nempe) natura non eſt in vſu, in noſtris* nominibus, *qui ſumus in Latio & liberi, neceſſaria. Itaque ibi apparet analogia, ac dicitur Terentius vir, Terentia femina, Terentia gens; (nam ſic lego pro: Terentium genus.) In Prænominibus ideo non fit idem, quod hæc inſtituta ad vſum ſingularia, quibus diſcernerentur* nomina gentilitia, *vt à numero, Prima, Secunda, Tertia, Quarta, vt Quintus, Sextus, Decimus, &c. ne prolixiores ſimus.*

127. Sed his accommodantur ſacrificia.] *An de ſolis* nuptiis *loquatur, incertum, maxime quod pueri quum Bullas deponerent, Laribus eas ſuſpendere ſint ſoliti, & Toga in conſpectu Deorum aſſumi ſoleat, iuxta illud Propertij.*

Mox vbi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo,
Matris & ante Deos *libera* ſumpta *toga.*

Certe celebrantur à Gyraldo Gamelia ſacra nuptialia, in quorum illis Iuno Gamelia colebatur menſe Ianuario. Anacalyptica item: ſed quantum apparet ſine ſacrificio. Dies erat, feſtus poſt nuptias, cum ſponſa reuelabatur, cui tum munera exhiberi ſolent.

128. Si in vocatu.] Vocatus *pro vocatione accipit, imitatus opinor illud Ciceronis 3. de Orat. Senatus frequens:* vocatu *Druſi in curiam venit.*

CAP. XVII.

129. Cæterum quid facient ſerui, &c.] *Titulo hoc inſigniuimus caput iſtud:* Quod ſeruis fidelibus non liceat miniſtros eſſe Idololatriæ.

130. item Officiales.] Officialium coronas *ſimili phraſi dixit Auctor de Cor. milit. vbi recte Rhenanus interpretatur eas quæ eorum ſunt, qui in aliquo ſunt publico vel priuato officio, qua ſignificatione etiam dixit Apuleius: Iuſſit poteſtas* Officialem *ſuum magna ſeueritudine coerceri. quam ſignificationem quoque indicat Auctor. quum* ſeruos *dicit,* adhærentes dominis, liberos patronis, Officiales Præſidibus ſuis.

131. Hinc proxime diſputatio, &c.] *Definit hic Auctor exemplo Ioſeph & Danielis,* poſſe ſeruum Dei alicuius dignitatis aut poteſtatis adminiſtrationem apud ethnicos capere, ſi ab omni ſpecie Idololatriæ aut gratia aliqua aut aſtutia intactum ſe præſtare poſſit. *Locus qui videtur hac tempeſtate aptari poſſe in iis regionibus, vbi nullum eſt exercitium Catholicæ religionis.*

132. in ornamento & purpura exſtitere totius Ægypti ſiue Babyloniæ.] *Reſpectiue, vt ita loquamur, præferendum eſt* ornamentum *nempe torques aureus, & ſtola byſſina cum adminiſtratione totius, Ægypti ad Ioſeph; & purpura ac* Imperium Babyloniæ *ad Danielem.*

133. neque ſacrificet, &c.] *Speciem Idololatriæ hæc habere tradit Auctor:* ſacrificare *(quod ſacerdotum eſt)* ſacrificiis auctoritatem *(præſentia ſua)* accomodare *(quod ſummorum Pontificum eſt)* hoſtias locare, curas templorum delegare, ac vectigalia eorum procurare, *(quod ædituorum eſt)* ſpectacula ædere *aut* ædendis præeſſe *(quod Ædilium Curulium & Prætorum eſt)* ſollemne aliquid pronuntiare vel edicere *quod Augurum eſt, denique* iure, *quod apud ethnicos non niſi in Deorum fit nomine, vti infra latius ca. 20.*

134. neque iudicet de capite alicuius vel pudore.] *Tum hinc, tum c. 19. videtur in ea fuiſſe ſententia,* Chriſtiano non fuiſſe licita capitalia iudicia, *etiamſi in poteſtate ſeu magiſtratu conſtitutus eſſet, fortaſſis ea de cauſſa, quod communia eſſent iudicia criminalia tam in Chriſtianos quam in ethnicos. Quo pertinere videtur illud quod habet infra l. de Cor. mil. c. 11. nu. 127.* Et vincula & carcerem, & tormenta, & ſupplicia adminiſtrabit.

CAP. XVIII.

135. Iam vero de ſolo ſuggeſtu & apparatu honoris, &c.] *Agit hoc caput, atque adeo & titulum habet;* Quod nec veſtium ornatus ſit licitus, qui cum Idololatria commune quid habet. *Nam* ſuggeſtus *pro ornatu frequentiſſimum eſt Auctori, cuius diſtinguit duplicem habitum, &* ad vſum quotidianum, & ad honorem ſeu dignitatem.

136. Igitur purpura illa, &c.] Purpuræ *inuentum tale tradit Pollux l. ad Commod. 1. Tyrii ferunt captum amore Herculem Nymphæ cuiuſdam indigenæ, cui nomen Tyro quem canis eius ſecutus irreptantem ſcopulis* purpuram *conſpicatus, pereſa caruncula, ſua ſibi labra puniceo cruore infecerit. Quum igitur ad puellam Hercules adiiſſet, delectata illa inſueta tinctura, quam ceu florentem in eius carnis labris aſpexiſſet, affirmauit ſibi eum illo poſt hac nihil fore, niſi ad ſe veſtem afferret etiam canis illius labris ſplendidiorem. Quocirca Hercules, inuenta animante, collectoque ſanguine, munus puellæ detulit, primus (vt illi dictabant) punicæ infectura auctor.*

137. vel trabeæ vel palmatæ, &c.] Trabearum *tria genera, teſte Seruio, iuxta Suetonium l. de genere veſtium. Vnam quod Diis ſacratur, tantum purpurei factum; aliud Regum (de quo hic) quod purpureum quidem eſt, habet tamen aliquid albi, Tertium Augurale ex purpura & cocco miſtum. Erat autem veſtis togata purpurea circundata ſubtemine puniceo, quem auræ fibulæ nectebant: ita dicta, quod trabes pannorum haberet. De* Palmatis, *quæ triumphantium veſtes erant: vide Apologiæ vlt. n. 620. De* Coronis *autem* ſacerdotum Prouincialium aureis, *l. de Cor. milit.*

138. à toga candida candidati.] Toga candida *erat, quam petitores Magiſtratuum induebant, à qua* Candidati: *ab illis ad alios tradicta Metaphora, frequenter ea voce vſus eſt Tertullianus, quemadmodum adnotaſſe nos putamus alicubi.*

139. ſed ingenuitatis apud Barbaros inſigne.] *Adnotatu hoc dignum* de purpura. *Porro omnino legimus:* Quemadmodum enim Ioſeph, &c. *pro eo quod erat, ex litterarum vicinitate:* Quodammodo; *nam correſpondet illud:* ſi penes nos quoque, &c.

140. poterit & pueris prætexta concedi, & puellis ſtola.] *Pauloprius etiam* prætextæ *ab Auctore commemorata ſunt, genus Togæ; ita dicta, quod purpura prætexerētur, qua vtebātur (vti ſupra dictū eſt) pueri ad 17. annum vſque.* Stolam *Nonius Marcellus etiam virilem deſcribit ſed poſtea fere pro ſola muliebri Veteres vſurparunt. Quare recte puellis* ſtola *hic ab Auctore tribuitur; quo pertinet etiam illud li. de Pallio c. 4.* & ſtolam & ſupparum & crepidulum.

141. prætextæ & trabeæ & laticlaui, faſces quoque & virgæ] *De his ita Plinius l. 9. c. 39.* Purpuræ *vſum Romæ ſemper fuiſſe video, ſed Romulo in* trabea. *Nam* Toga prætexta & laticlauo *Tullum Hoſtilium è Regibus primum fuiſſe vſum, Hetruſcis deuictis ſi atis conſtat. Fuiſſe autem* Latumclauum *non Senatorum modo, ſed & ſacrificum, ex Silio patet, quare non male eam Idololatriæ adtribuit Auctor. Idipſum Orat. ſua Liuius lib. 4. de* prætexta *his verbis indicat:* Prætextati *in magiſtratibus & ſacerdotiis. De* Trabeis *idem habes ſupra n. 137. De* faſcibus *(quorum mentio per nos facta Adnot. noſtri in epiſt. 16. B. Cypr. n. 10.) videtur etiam hoc Auctor ſentire. nam mox ſubiungit:* vnius collegii inſignia, faſces & purpuras geſtant. *Quæ quam putem potius legi debere:* faſcias, *ſicuti li. de Spectaculis.*

142. vbi caput ſuum collocet.] *Apud Gagnæum deſiderabatur* ſuum: *quod etſi Græce hodie non ſit, in MS. tamen cod. Latinis legitur Atqui:* collocet: *vertit, procreclinet, & mox* qui teneris veſtiuntur, *pro: qui mollibus.*

143. vultu denique & aſpectu inglorius.] *Alludit ad illud Iſai. 51. ſecundum 70.* Aduerſa eſt facies eius, deſpecta & non eſt reputata. *Accedit autem magis ad noſtrum interpretem, qui legit:* Et quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus.

144. quibus ſordido miniſterio functus eſt.] *Nempe dum pedes diſcipulorum lauit.*

145. Tu ſi diaboli pompam eieraſti.] *Vide lib. de Baptiſ. infra To. ſeq. de* renuntiatione pompæ diaboli, *& alicubi de* eieratione.

CAP. XIX.

146. Poſſet in iſto Capitulo, &c.] *Titulus huius capitis eſt:* Neque militiam licitam, quæ aliquid cum Idololatria commune habet. *De quo latius infra li. de Cor. milit. hic paucula quædam adnotabimus, quorum ibi non fit mentio.*

147. etiã caligata.] *Et hæc phraſis Iureconſultorũ eſt. Vlp. n. t. De his qui infamia notantur, Dimiſſum (inquit) accipere debemus militem* caligatum. *& Venuleius, l. Militib. Dig. de Cuſtod. & exhib. reor. Is qui exercitum acceperit, etiam ius animaduertendi in* milites caligatos *habet. Ita vero dicti milites Manipularii, à* Caliga *militum, iuxta Suetonium, Caii Cæſ. c. 9. qui ideo dictum ſcribit Caium Cæſarem* Caligulam, *quod inter Manipularios milites natus.*

148. ſigno Chriſti.] *De ſigno* Crucis Chriſti, *quod fronti imprimitur, vide li. de Baptiſmo, Tom. ſeq.*

149. Et virgam portauit Moſes.] *Alludit ad Ducis militum officia, qui* virgam *præfert, qua milites in officio continet, qui ſubinde* fibulis *aureis (iuxta Liuium li. 7.) eos donare conſueuit antiquitus, qui* loris *ſeu corrigiis gladios cingi ſolet. qui* agmen *agit, &* bellat, *ſeu bellum auſpicatur.*

150. fibulam & Aaron, &c.] *Vncinos aureos intelligit, quibus col-*

A *ligabantur Superhumerale & Rationale, quemadmodum* lori *nomine:Ioannis Baptistæ Zonam pelliceam.*

CAP. XX.

151. Sedenim quum conuersatio diuinæ disciplinæ,&c.] *Inscriptionem huius capitis damus*: Etiam verbis abstinendum ab Idololatria.

152: Ecce homo & facta eius,&c.] *Scripturæ hunc locum hactenus reperire non potui:quærat diligens Lector alicubi in editione* 70. *Habet eandem B Aug. Med.t.c.*39 *sed sine adscriptione loci.*

153. in templo Æsculapii,&c.] *De* Æsculapio *vide Adnot. nostras ad li.de Pallio c.*1.*n.*6.*& Apol.c.*14.*n.*209.*ac c.*23.*n:*361 *De* Iside *infra li.de Cor.milit. De* Ioue *Apolog.c,*10.*nu.*2.15. *De* Saturno *denique Apolog.eodem capite,n* 159.160.161 *&* 162.

154. in vano, id est, idolo.] Vanum *pro* idolo *etiam accipitur ab interprete Beato Hieronymo,* 1. *Regum* 12, Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt : *pro eo quod ex Græca* 70. *edit. transtulit alter interpres:* Non declinetis post eos,qui nihil sunt, qui perficient nihil,& non eruent,quia nihil sunt. *Et rursum Act.*14. Annunciantes vobis,ab his vanis conuerti ad Deum viuum. *vbi Græce est: ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων; eadem nempe vox quæ hic habetur. Videtur autem Auctor* B *respicere illud* 1. *Corinth.*8.*citatum supra c.*13.*li. Spect.* Non quod idolum sit aliquid;*pro quo vertit idem noster interpres;*Scimus quia nihil est idolum in mundo ; *de quo etiam Auctor cap. sequenti,*per eum, quem scis nihil esse. *Porro hoc argumentum latiss. tractat B. Cyp.li.de* vanitate Idolorum,*siue: Quod Idola Dij nihil sint. Et Auctor Apolog.c.*12.*integro.*

155. Nam & sciptura Deos nominat;sed adiicit:suos vel nationum.]*Locos ad quos alludit, videre est separatim in Oeconomia methodica Concordantiarum S. Scripturæ Georgij Bulloci. Neque interim sola adiectione prædicta vtitur scriptura,sed vocat* Deos *alienos, aureos, Ægypti,tuos,meos,conflatiles, Gentium, quos ignorabant patres eorum, Amorrhæorum,Syriæ,Sidonis,ac Moab,montium , terrarum,populorum,terræ,filiorum Seir,Edom , regum Syriæ, Damasci,patrum suorum,opera manuum,Iuda,quos fecisti, illorum, falsi, lignei,qui non vident,denique muti, & qui natura non sunt Dij.Legimus autem cum Gagnæo:*Sicut Dauid *pro:* Sic &.

156. me Hercule.] *Idem paulopost reddit:* me Dius fidius, *& deinde :* per Herculem. *Verissimum autem id esse patet ex his verbis Varronis.lib.*4.*de ling.Lat.Sub dio(inquit) &* Dius fidius.*Itaq. inde eius perforatum tectum , vt videatur diuum , id est, cælum. Ælius Gallus* Dius fidius *dicebat,Dij Iouis filius,vt Græci διόσκουρον Castorem.Et putabant hunc esse Sancum ab Sabina lingua, &* Herculem *ab Græca.Super quo loco Scaliger;Dionysius,inquit, πίστιον Græce reddit,quod* fidius *Latine, in quo multi errarunt , qui id non animad-* C *uerterunt,qui etiam legendum censet apud Ouidium,*

Quærebam Nonas,Sanco *fidione* referrem,
An tibi Semo pater.

*Nam Semonem eundem cum Sanco facit T. Liuius lib.*8.*quamquam interim fateatur in Inscriptione Reatina legi: Semipatri Sanco. Atque adeo magis placet,vt sicuti legitur:* me Hercule, *sic etiam legatur:*me Dius fidius,*pro eo quod alij:* medius fidius, *Nam etsi Festus scribat compositum id & videri, & significare Herculem , idem tamen addit quosdam existimare,iusiurandum esse per Diui (Herculis nempe)fidem.Cui accedens noster Auctor , priorem sententiam refutat dicens:* accedente quorundam ignorantia, qui ignorant esse iusiurandum per Herculem.

157. Porro quid erat deieratio per eos quos eierasti, &c.] *Ita legimus cum Latinio , omissa voce :* si ; *alioqui enim oporteret iuxta coniecturam Harisii legere:*Porro quid erat deieratio , si per eos deierasti,quos eierasti. *sed illud magis placet. Eodem autem modo dixit Auctor Apolog.c.*32.Dæmonas,*id est,genios,*adiurare solemus, non deierare, vt illis honorem diuinitatis tribuamus. *Similiter Lactantius Socratem* deierasse *dicit per canem & anserem. Ita enim acceptum antiquitius patet etiam ex Varrone, vbi supra. Quidam (inquit)negant sub tecto per hunc* (Dium fidium) deierare *oportere: & apertius ex Donato in Terentium,qui interpretatur* Deierare,*per Deos iurare.Porro de* Eieratione *vide Adnot.nostras supra li. de Spectac.c.*24 *nu.*185.

D

CAP. XXI.

158. Timiditatis est autem,quum te alius per Deos suos obligat iuratione,&c.]*Huic capiti titulum dedimus:* Quod idem sit siue iures per Idola,siue per alios adiuratus adquiescas. *Atque adeo etiam iuxta editionem Gagnæi lego illud:* iures , *pro eo quod irrepserat:*iuret. *Siue autem legas:*quanto securius in Dominum transferes responsionem tuam,*siue vt Gagnæus;* sponsionem , *perinde est.*

CAP. XXII.

159. Æque benedici per Deos nationum , &c.] *Notus est hinc huius capitis titulus.* Quod neque benedici per Deos nationum Christianus sustinere debeat. *Lego autem :* vt semper reiiciat immundam benedictionem , *omissa negatiatione* non , *quæ alioqui contrarium sonabat.*

160. vel coloniæ genium.] *De* Geniis *sic Tertull. supra Apolog. c.*32.Nescitis genios dæmonas dici;*cui similis est & paulo prolixior* E *locus Lactantii l.*2.*ibidem Adnot.nostris citatus nu.* 451. *Eos singulis hominibus adtribui patet l.de Anima,vbi de iis latius.Atqui quemadmodum Martianus l.*2.*ne nuptiis Mercurii & Philologi,dicit etium* populi Genio *supplicasse Veteres,ita videtur hic vsurpasse Auctor* coloniæ Genium,*qui coloniis præsit.*

161. negat enim quicunque dissimulat.*Locus insignis contra* simulatores,*& quodammodo libellaticos huius ætatis in Belgio, qui excusari se credunt , si loco iuramenti , quod contra fidem & religionem Catholicam exigitur,*simulatione *quapiam aliud præstent, longe dissimiles Eleazaro,qui (vt habetur* 2. *Machab.* 6.*)* Non ætati nostræ,*inquit*, dignum est fingere, vt multi adolescentes arbitrantes Eleazarum 90.annorum transisse.ad vitam alienigenarum, vt ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus,decipiantur.

CAP. XXIII.

162. Sed est quædam eiusmodi species in facto & in verbo,&c.] *Hic tractatur :* Quod neque scripto etiam iurare per Deos liceat.

163. sub pignoribus fiduciati.] *Etiam hæc phrasis Iureconsultorum est:*Fiduciatos *vero appellare videtur eos,qui* pignus *seu* fiduciam *dederant recepturi vbi soluissent.* Fiduciam *enim accepisse dicitur (vti interpretatur Boetius in Topica Ciceronis)cuicunque res ali-* F *qua ea lege mancipatur,vt mancipanti aliquando remancipet.*

164. iurati cauent.] *Idem & istud Iureconsultis familiare est:* cauere,*pro cautionem syngrapha præstare. Quod ipsum bis terve hoc capite repetit.*

165 Præscribit Christus,non esse iurandum.]*non intelligere Auctorem omni iuramento simpliciter abstinendum patet vel ex Apol. c.*32.*vbi.*sed & iuramus*(inquit)*sicut non per Genios Cæsarum, ita per salutem eorum:*de qua iurandi formula ibidem latius nu.* 450. *Deinde frequentissime* iureiurandi *seu* Sacramenti *meminit, quod in Baptismo præstatur,de quo l. eiusdem tituli latius Tom.sequ. Sane itaque secundum , huius capitis institutum intelligi istud debet. Videatur Chrysost.in ca.*5.*Matth.vbi præcipue iuramenta illa forensia coram ethnicis magistratibus improbat.*

166. Si*(inquit)* concupiscentia, &c.] *Quum ipsa hæc verba in S. scripturis reperire hactenus non potuerim, videtur mihi in compendium contraxisse istud Ecclesiastici* 5. Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui, & ne dixeris : Quomodo potui , aut quis me subiiciet propter facta mea ? Deus enim vindicans vindicabit. *At potius ad illud sæpe citatum alludit, Matth.*5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam , mœchatus est eam in corde suo.

167. operandi copiam.] Operari *hic accipitur pro eleemosynam facere,quemadmodum & à B. Cyp.titulo libri:*De opere & eleemosynis,*& alibi frequenter,de quo ibidem Adnot.nostrarum n.*4.

G

CAP. XXIV.

168. Inter hos scopulos & sinus &c.] Epilogus totius huius libri *hoc caput inscribitur. Videat autem Lector Prolegomena nostra de his Prouerbialibus formulis:*Inter scopulos & sinus, inter vada & freta nauigare.

169. velificata spiritu Dei]*Hæc vox Auctori nostro peculiaris,inter cetera effecit,vt Sixto Senensi adsentiar,quod Carmina illa Genesis & Sodoma,quæ à me post Morelium & Fabricium B. Cypriano adscripta sunt To.*3.*operum eius, Tertulliani sint, vbi legitur, quamquam satis obscure.*

Qua spiritus igni est,*velificauit* apex.

*Vtitur eadem voce infra Tom.*3.*li.adu.Gnost.c.* 1. Austro*(inquit)* & Africo sæuitia velificat.

170. irrespirabile deuoratis hypobrychium.] *Etiam de hoc latius inter Prouerbiales formulas sicuti & de mox præcedentibus* inenatabile excussis profundum,*&*:inextricabile impactis naufragium. *Atqui vocem* hypobrychium *deriuauit à voce Græca , ὑποβρύχιος, quod submersum significat, ac si dicat, ipsam submersionem.*

171. quicumque fluctus eius offocant.] Offocare, *pro præfocare, vsurpat etiam Flerus li.*2. *ca.*11. *Quum* offocandas. *(inquit) inuicem fauces præbuissent.*

H 172. Propterea Spiritussanctus consultantibus tunc Apostolis,&c.] *Alludit ad Constitutionem illam primam Apostolorum in Concilio Hierosolymitano Act.*15. Visum est Spirituisancto & nobis,nihil vltra imponere vobis oneris *(quod hic Auctor* vinculum & iugum *dixit) quam hæc necessaria, vt* abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, &c. *hoc est enim quod addit:* vt Idololatriæ deuitandæ vacaremus.

173. inculcanda est.] *Hic proprie rursum accipitur :* inculcare, *quum aliquando accipiatur ab Auctore pro:* conculcare.

174 Viderimus enim si secundum Archetypum & coruus, &c. in Ecclesia erit.] *Illud,* Viderimus , *Tertullianicum & Cyprianicũ est. Quod quum Ironiam sonet, hæc videtur Auctoris sententia :* Sit ita vt in Ecclesia sint secundum Archetypum *(Isaiæ nempe* 34.*)* coruus & miluus,*id est ,mali Catholici,*& lupus & canis & serpens, *id est(iuxta scripturas Matth.*7.*Philip.*3.*& Luc.*10.*)hæretici quamdiu nondum publicati sunt ,* certe Idololatres in Archetypo non habetur *neque enim in Ecclesiam admissi sunt vmquam ethnici Idololatræ:quod explicat Auctor, dum addit:* Nullum animal in Idololatrem figuratum est.

175. Quod in arca non fuit, in Ecclesia non sit.] *Epiphonema istud prioribus longe est obscurius. Hoc interim velle videtur. Quum*

in arca Noe fuerint omnis generis animalia, munda septena & septena, immunda vero duo & duo, exclusi vero fuerint Idololatræ omnes, consequitur, vt, quod in Arca non fuit, in Ecclesia non sit. Eam enim Ecclesiæ figuram gessisse tradit Auctor lib. de Baptismo, infra Tom. sequ. vbi de ea latius.

ARGVMENTVM LIBRI DE HABITV MVLIEBRI, Per Iacobum Pamelium.

CONSIDERATO *excessu Habitus muliebris tam in cultu, quam in ornatu, librum hunc Paræneticum scripsit Tertullianus.*

Primum autem docet, lugere potius, pœnitere, & omni satisfactionis habitu ignominiam primi Euæ delicti expiare, debere mulierem, quam ornari, si ad mercedem respiciat, quæ exspectatur in cœlis.

Deinde angelis desertoribus, qui & metallorum opera nudauerint, & incantationum vires prouulgauerint, & omnem curiositatem vsque ad stellarum interpretationem designauerint, proprie & peculiariter adtribui debere omne instrumentum muliebris gloriæ, quibus tamen in lauacro renunciauimus.

Quod quum ex libro Enoch comprobetur: eam scripturam, etsi in armarium Iudaicum non admittatur, fortasse quod non putauerint eam post cataclysmum saluam esse potuisse, tamen à Noe illius abnepote æque potuisse in spiritu reformari, atque per Esdram omne instrumentum Iudaicæ litteraturæ restauratum, maxime, quum etiam de Domino prædicarit, & apud Iudam Apostolum testimonium possideat.

Porro etsi illis non imputetur, rerum tamen ipsarum cultum (seu mundum muliebrem) qui in auro & argento, & gemmis, & vestib. consistit, ad ambitionem pertinere, ornatum vero (quem immundum muliebrem conuenit dici (qui in cura capilli & cutis & earum partium corporis, quæ oculos trahunt (de quo sequenti libro latius) ad prostitutionem.

Auri vero & argenti, ac ferri & æris parem esse conditionem, & ex istis necessariores operas exhiberi rebus humanis.

Gemmas item non aliud esse quam aut lapillos & calculos, aut maris conchas, aut denique de fontibus draconum erui solitas, vt sic etiam de serpente cultior fiat mulier.

Hæc omnia sola raritate & peregrinitate gratiam possidere, quod apud Barbaros, vbi vernaculum est aurum, & apud Parthos & Medos, gemmæ fastidio sint; apud Tyrios etiam vilior sit purpura quam rubrica.

Non placere quoque Deo colores, quos non ipse produxit; atq; adeo intelligi à diabolo esse interpolatore naturæ, neque excusari quod materiæ ipsæ ex Deo sint, quum etiam rebus Dei Idololatria constet.

Denique ad ambitionem pertinere hæc omnia, quæ inde nomen habet, quod concupiscentia apud animum ambiente nascatur ad gloriæ votum.

Ceterum genuinum esse hunc Tertulliani fœtum conuincit, quod libri de Spectaculis nominatim mentionem faciat. Imitantur autem illum ad verbum pene locis infra adnotatis BB. Cyprianus libris de Habit. & disciplin. Virg. ac de bono Pudicitiæ, & Hieronymus in vita Pauli Eremitæ, ac Epist. ad Lætam. Meminerunt etiam Trithemius & Politianus locis initio Apologetici citatis. Edidit vero primum ex cod. MS. Hirsaugiensi & Paterniacensi, cum Scholijs, deinde & cum Adnotationibus Rhenanus, castigauit rursum ex Britannico Lælandi codice Gelenius. Nos denique iterum repurgauimus ex tribus Vaticanis MS. codicibus, & nostris quoque Adnotationibus auximus.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE HABITV MVLIEBRI LIBER.

SI tanta in terris moraretur fides, quãta merces eius expectatur in cœlis, nulla omnino vestrum, Sorores dilectissimæ, ex quo Deum viuum cognouisset, & de sua, id est, fœminæ conditione didicisset; lætiorem habitum, ne dicam gloriosiorem, appetisset, vt non [2] magis in sordibus ageret, & squalorem potius affectaret, ipsam se circumferens Euam lugentem & pœnitentem, quo plenius id [3] quod de Eua trahit (ignominiam dico primi delicti, & inuidiam perditionis humanæ) [4] omni satisfactionis habitu expiaret. [5] *In doloribus & anxietatibus paries mulier, & ad virum tuum conuersio tua, & ille dominabitur tui*, & Euam te esse nescis? Viuit sententia Dei super sexum istum in hoc seculo, viuat & reatus necesse est. Tu es diaboli ianua, tu es arboris illius resignatrix, tu es diuinæ legis prima desertrix, tu es quæ eum suasisti quem diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei, hominem, tam facile elisisti. Propter tuum meritum, id est, mortem, etiam filius Dei mori habuit: & adornari tibi in mente est, [6] superpelliceas tuas tunicas? Age nunc si ab initio rerum & [7] Milesii oues tonderent, & [8] Seres arbores nerent; & [9] Tyrii tinguerent, & [10] Phryges insuerent, & [11] Babylonii intexerent, & [12] Margaritæ canderent, & [13] Ceraunia coruscarent, si ipsum quoque Aurum iam de terra cum cupiditate prodisset, si iam & [14] Speculo tantum mentiri liceret: hæc Eua concupisset, de paradiso expulsa, iam mortua, opinor? Ergo nec nunc appetere debet, aut nosse, si cupit reuiuiscere, quæ nec habuerat, nec nouerat, quando viuebat. Ideo omnia ista damnatæ & mortuæ mulieris [15] impedimenta sunt, quasi ad pompam funeris constituta. [16] Nam & illi qui ea constituerunt, damnati in pœnam mortis deputatur: illi [17] scilicet angeli, qui ad filias hominum de cœlo ruerunt, vt hæc quoque ignominia fœminæ accedat. Nam cum & materias quasdam [18] bene occultas, & artes pleraſq; non bene reuelatas, seculo multo magis imperito prodidissent (siquidem & [19] metallorum opera nudauerant, & [20] herbarum ingenia traduxerant, & [21] incantationum vres prouulgauerant, & omnem curiositatem vsque [22] ad stellarum interpretationem designauerant) proprie & quasi peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt lumina lapillorum, quibus monilia variantur: & circulos ex auro, quibus brachia artantur: & medicamenta ex fuco, quib. lanæ colorantur: & illum ipsum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur. Hæc qualia sint, interim iam ex Doctorum suorum qualitate & conditione pronunciari potest, quod nihil [23] ad integritatem peccatores, nihil ad castitatem adamatores, nihil ad timorem Dei desertores spiritus aut monstrare potuerunt, aut præstare. Si doctrinæ dicendæ sunt: mali magistri male docuerint necesse est. Si mercedes pro libidine, nullius rei turpis, merces decora est. Quid autem tanti fuit ista monstrare siue conferre? vtrumne mulieres sine materiis splendoris, & sine ingeniis decoris placere non possent hominibus, quæ adhuc incultæ, & incompositæ, & (vt ita dixerim) crudæ ac rudes, angelos mouerant? Anne [24] sordidi, & per gratuitũ vsum contumelioſi amatores viderentur: si nihil fœminis in cõnubium allectis contulissent? [25] Sed hæc nõ capit æstimare. Nihil plus desiderare poterant quæ angelos possidebant, magno scilicet nupserant. Enimuero qui vtique interdum cogitabant vnde cecidissent, & post libidinum vaporata momenta cœlum suspirabant, illud ipsum bonum fœminarum naturalis decoris, vt causam mali, sic remunerauerunt, necis profuisset fœlicitas sua, sed vt deuectæ de simplicitate & sinceritate, vna cum ipsis in offensam Dei peruenirent. Certi erant [26] omnem & gloriam & ambitionem & affectionem per carnem placẽdi, Deo displicere. Hi sunt nempe angeli,

A

geli, quos iudicaturi sumus: hi sunt angeli, quibus in lauacro renunciamus. Hæc sunt vtique, per quæ ab homine iudicari meruerunt. Quid ergo faciunt apud iudices suos res eorum? Quod est commercium damnaturis cum damnandis? opinor quod [27] Christo & Beliæ. Qua constantia tribunal illud ascendimus, decreturi aduersus eos quorum munera appetimus? Nam & vobis eadem tunc [28] substantia angelica repromissa, [29] idē sexus qui & viris, eandē iudicandi dignationē pollicetur. Nisi ergo hic iā præiudicauerimus res eorum prædamnando, quas in illis tunc damnaturi sumus, illi potius nos iudicabunt atq; damnabunt. [30] Scio scripturā Enoch, [31] quæ hunc ordinē angeleis dedit, non recipi à quibusdā, quia [32] nec in armariū Iudaicū admittitur. Opinor nō putauerunt illam ante cataclysmū æditā, post eum casum orbis omnium rerum abolitorem, saluā esse potuisse. Si ista ratio est, recordentur: pronepotē ipsius Enoch. fuisse superstitem cataclysmi Noe, qui vtique domestico nomine & hæreditaria traditione audierat, & meminerat de proaui sui penes Deū gratia, & de omnibus prædicatis eius: cū Enoch filio suo Matusalæ nihil aliud mandauerit quā vt notitiā eorum posteris suis traderet. Igitur siue dubio potuit Noe in prædicationis delegatione succedisse, vel quia & alias nō tacuisset, tā de Dei conseruatoris sui dispositione, quā de ipsa domus suæ gloria. Hoc si non tā expedite haberēt, illud quoq; assertionē scripturæ illius tueretur: proinde potuit abolefactam eam violētia cataclysmi, in spiritu rursus reformare: quēadmodum & Hierosolymis Babylonia expugnatione deletis, [33] omne instrumentum Iudaicæ litteraturę per Esdram constat restauratum. [34] Sed cū Enoch eadem scriptura etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omnino reiiciendum est, quod pertinet ad nos. Et legimus omnē scripturam ędificationi habilē, diuinitus inspirati, à Iudæis posteà iā videri propterea reiectam, sicut & cetera fere quæ Christum sonant. Nec vtique miū hoc, si scripturas aliquas nō receperunt de eo locutas, quem & ipsum coram loquentē non erant recepturi. Eo accedit quod Enoch apud Iudā Apostolum testimoniū possidet. [35] Nulla nunc muliebri põpę nota inusta sit prædamnationis de exitu auctoriū. Nihil angelis illis imputetur præter repudiū cœli, & [36] matrimonium carnis. Rerum ipsarum qualitates examinemus, consilia quoq; concupiscentiæ earum deprehendamus. Habitus fœminę duplicem speciem cricumfert, [37] cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem mundū muliebrem vocant: Ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur: Iste in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis: vt iā hinc prospicias. Dei ancilla, quid ex his disciplinæ tuæ conueniat, quæ de diuersis institutis censearis scilicet humilitatis & castitatis, [38] Aurū & argentū principes materiæ cultus secularis assint necesse est, vnde sunt: Terra scilicet plane glorioſior, quoniā in maledictorū [39] metallorū feralib. officinis [40] pœnale opere deplorata nomen terræ in igni reliquit, atq; exinde de [41] tormentis in ornamenta, de suppliciis in delicias, de ignominiis in honores, [42] metalli refuga mutatur. Sed & ferri & æris, & aliarū vilissimarū materiarū par cōditio est, & terreni generis, & metallici operis: quo nihilo generosior iudicari possit auri & argēti substantia pedes naturā. Quod si ne qualitate vsus, gloria est auro & argento: atquin magis ferro & æri: quorū ita disposita est vtēsilitas, vt & proprias operas plures & necessariores exhibeant, rebus humanis, & nihilominus auri & argenti de sua vice accommodant iustioribus causis. [43] Nam & annuli ferro fiunt, quædam etiui & potui vascula ex ære adhuc seruat memoria antiquitatis. Viderit si etiam ad spurca instrumenta auri & argenti demens copia deseruit. Certe nec ager auri opere paratur, nec nauis argenti vigore contexitur. Nullus bidens aurum demergit in terrā, [44] nullus clauus argentū intimat tabulis. Taceo totius vitæ necessitates ferro & æri innixas: cum illæ ipsæ diuites materiæ, & de metallis refodiendæ, & in quocūq; vsu producēdæ, sine ferri & æris operario vigore nō possint. Iā igitur æstimandū est, vnde obueniat tanta dignitas auro & argento, cum & consanguineis, quantū ad genus, & potioribus, quantū ad vtensilitatem materiis, præferantur. [45] Sed & lapillos istos qui cū auro superbiā iungunt, quid aliud interpreter quā lapillos & calculos, eiusdē [46] terræ, minutalia: nec tamē aut fundamentis demandandis, aut parietibus moliendis, aut fastigiis sustinēdis, [47] aut tectis dēsandis necessaria? Solū hunc [48] mulierū stuporem ædificare nouerunt: quia tarde teruntur vt niteant, & subdole substruūtur vt floreant, & anxie foruntur vt pendeant, & auro lenociniū mutuū præstant. [49] Sed si quid de mari Britannico aut Indico ambitio piscatur, cochæ gen[9], nō dico cōchylio, aut ostreo; sed nec [50] peloride Iratius de sapore. Ad hoc [51] enim conchas nouerim maris poma. Quod si concha illa aliquid intrinsecus postulat, vitiū eius magis debet esse quā gloria. Et licet margaritum vocetur, non aliud tamē intelligendū quā conchæ illius aliqua dura & rotunda verruca. [52] Aiunt & de frontibus draconū gemmas erui, sicut in pisciū cerebris lapidositas quædam est. Hoc quoque deerit Christianæ, vt de serpente cultior fiat. Sic calcabit diaboli caput, dū de capite eius ceruicibus suis aut ipsi capiti ornamēta struit? [53] Hæc omnia de raritate & peregrinitate sola, gratiam possident. Denique intra terminos suos patrios non tanti habentur. Semper abundantia cōtumeliosa in semetipsa est. Apud Barbaros quosdam, quia [54] vernaculū est aurum & copiosum, [55] auro vinctos in ergastulis habent, & diuitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores. Aliquando reuera inuentum est, quomodo & aurū non ametur. Gemmarū quoq; nobilitatem [56] vidimus Romæ de fastidio Parthorum & Medorum, ceterorūque gentilium suorum, coram matronis erubescētem, nisi ꝙ nec ad ostensionem fere habentur. [57] Latent in singulis smaragdi, & [58] cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu nouit, & in [59] peronibus vniones emergere de luto cupiunt. Denique iam gemmatum habent, quod gēmarū esse non debet, si non comparet: aut ideo comparet, vt neglectū quoque ostendatur. [60] Proinde & vestium de coloribus honorem serui etiam eorum terūt. Sed & parietes [61] Tyriis & hyacinthinis, & illis regiis velis, quæ vos operosè resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur. Vilior est apud illos purpura, quā [62] rubrica. Quis enim est vestiū honor iustus de [63] adulterio colorum iniustorum? Non placet Deo, quod non ipse produxit, nisi si nō potuit [64] purpureas & carinas oues nasci iubere. Si potuit, ergo iā noluit: ꝙ Deus noluit, vtiq; non licet fingi. Non ergo natura optima sunt ista, quæ à Deo non sunt auctore naturæ. Sic à diabolo esse intelligūtur ab interpolatore naturæ. Alterius enim esse non possunt, si Dei nō sunt: quia æmuli sint necesse est, quæ Dei non sunt, alius autem præter diabolum & angelos eius, æmulus Dei non est. Ceterum [65] materiæ ex Deo sunt. non statim & huiusmodi fructus latere in omnib. quęritur, & vnde sint cōchæ, & qua dispositione decurrant, & vbi collocentur. Nā & oēs istæ prophanæ spectaculorū secularīū voluptates, [66] sicut de ipsis suū volumē ædidimus. Ipsa etiā Idololatria ex rebus Dei constat: non tamen ideo Circi furoribus, aut harenæ atrocitatibus, aut scenæ turpitudinibus, Christian affici oportet: quia Deus & equum, & pantheram, & [67] vocē homini dedit: nec ideo Idololatriā impune faciet Christianus, quia Dei conditio est & thus, & merū & ignis qui vescitur, & animalia quæ victimæ fiunt, cum & ipsa materia quæ adoratur, Dei sit. Sic ergo & circa actum materiarum census à Deo descendens, propterea excusatus. Deo extraneum vt reum scilicet gloriæ seculum. [68] Nam vt quæq; rerum, per singulas quasq; terras & vnamquamq; regionem, materias à Deo distributa sunt, inuicē sibi peregrina apud exteros, mutuo rara, apud vos, iure, si vtique vel appetuntur, vel negligūtur, quia non tantus est in illis feruor gloriæ inter domesticos frigidæ. Sed enim ex [69] possessionū distributione

quam

2. Cor. 6. Matth. 22.

Cap. III.

Iudæ 1.

Cap. IV

Cap. V.

Cap. VI.

Ca. VII.

Ca. VIII.

Cap. IX.

quam Deus vt voluit ordinauit, raritas & peregrinitas apud extraneos semper gratiam inueniens, de simplici causa non habendi quæ Deus alibi collocauit, concupiscentiam concitat habendi. Ex hac vitium aliud extēditur, immoderate habendi: quod & si forte habendū sit, modus tamē debetur. Hæc erit ambitio, 70 vnde & nomen eius interpretandum, quod concupiscentia apud animum ambiente nascatur ad glorię votum: grande scilicet votum, quod (vt diximus) nō natura, nec veritas, sed vitiosa animi passio concupiscentia commendauit, & alia vitia ambitionis & gloriæ: sic & pretia rebus inflammauit, vt se quoque accenderent. 71 Non tāto maior fit concupiscentia, quanto magno fecit quod cōcupiit? 72 Breuissimis loculis patrimoniū grande p̄fertur. 73 Vno lino decies sestertium inseritur. 74 Saltus & insulas tenera ceruix fert. Graciles aurium cutes 75 Kalendariū expendunt, & 76 siniſtra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tātarum vsurarū substantiam vno & muliebri corpusculo baiulare.

ANNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM DE Habitu muliebri.

Cap. I.

1, Si tanta in terris, &c.] *Caput hoc inscripsimus*: Quod lugere potius quam ornari mulier debeat. *Maluimus autem legere* in terris: *quam illud Trithemij, quū initium huius libri citat*: in terra.

2. vt non magis in sordibus ageret.] *Describit (inquit Rhenanus) exemplum hominis exomologesin facientis, & actum pœnitentiæ exequentis; de quo latius supra lib. de Pœnitent.*

3. id quod de Eua trahit, &c.] *Adnotandus locus, quod* primum delictum, *seu peccatum originale, de* Eua trahi *dicit: quum quidam vsque adeo ab Adamo illud propagatum dicant, vt si Adam non peccasset, in posteros deriuatum non fuisset.*

4. omni satisfactionis habitu.] *De* Satisfactione *supra late tractauimus lib. de Pœnit. c. 5. n. 26.*

5. In doloribus & anxietatibus paries, &c.] *Quum Rhenan. ex eo quod prius legebatur*: paris, *collegerit legendum*: dominatur; *ego econtrario quum iuxta editiones omnes tam Hebraicas quam Græcas & Latinus constet legendum cum ms. 3. Vatic. cod.* dominabitur, *lego etiam*: paries; *maxime quum similiter legat B. Cyprianus, & lib. de Hab. virg. & l. Tert. 3. c. 32. Vertit autem illud*: & erit ad virum tuum conuersio tua, *ex Græco* καὶ πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου: *pro quo B. Hieronymus apertius ex Hebræo*: & sub viri potestate eris.

6. super pelliceas tuas tunicas.] *Similiter B. Chrysostomus hom. 18. in Genes. ornatum vestium hac scriptura impugnat.*

7. Milesii oues tonderent.] *D. Hieronymus (inquit, Rhenan.) enarrans Ezech. cap. 27. auctor est, ex* Mileto *lanas præcipuas solitas Tyrum deferri, vt non sine causa l. buerit interpretibus* 70. *apud eum Prophetam vertere, & lanas de* Mileto: *quum tamen* Mileti *vocabulum in Hebræo nusquam inueniatur. Nos etiam hac de re aliquid diximus ad illud libro de Pallio*: Nec de ouibus dico Milesiis *n. 54.*

8. & Seres arbores nerent.] *Apud* Seras *(teste eodem Rhenano) Scythicam gentem in arboribus lanugo reperitur, quam aqua perfusam depectunt.* Seras *lanitio syluarum nobiles vocat Plinius l. 6 c. 17.*

9. & Tyrii tinguerent.] *Idem Plinius (inquit Rhenanus) Phœnicem describens*: Tyrus *(inquit) quondam insula, præalto mari septingentis passibus diuisa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens. Olim portu clara vrbibus genitis, Lepti, Vtica, & illa Romani Imperij æmula, terrarum orbis auida, Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis eius Nobilitas conchylio atque purpura constat.*

10. & Phryges insuerent.] *Pictas (inquit idem) vestes acu facere Idæi* Phryges *inuenerunt, ideoque* Phrygiones *appellati sunt, ex eodem Plin. Eodem pertinet quod supra dixit Auctor libro de Idol. ca. 3.* an Phrygio detexat: *&* an filo formetur.

11. & Babylonii intexerent.] *Colores (inquit Rhenanus) diuersos pictura intexere* Babylon *maxime celebrauit, & nomen imposuit. Eiusdem Plinij verba sunt: Vnde* Babylonicæ *vestes & stragulæ dictæ. Ad explicationem vero facit illud B. Cypr. lege de bono Pudic. Vestibus aurum* intexere, *quasi pretio est vestes corrumpere. quid inter fila staminum delicata rigida faciunt metalla?*

12. & margaritæ canderent.] *Et hoc (inquit Rhenanus) docente Plinio,* margaritarum *dos omnis, in* candore, *magnitudine, orbe, lauore, & pondere. Hinc placet magis hæc lectio, quam quod habet l. Vatic. cod. ms.* margarita.

13. & Ceraunia coruscarent.] *Fulgur (inquit Rhenanus) proprie* coruscat, *& à fulmine nomen habet* Geraunia *gemma. Siquidem fulmen Græci* κεραυνὸν *appellant. De hac gemma Plinius quoque lib. 37. capite 9. Est (inquit) inter candidas & quæ* Ceraunia *vocatur, fulgorem syderum rapiens; ipsa crystallina splendoris cærulei in Carmania nascens. Albam esse Zenothemus fatetur, sed habere intus stellam concursantem. Meminit & alterius cuiusdam* Ceraunię, *Parthorum Magis quæsitæ, sed rarę admodum, quoniam non alicubi inueniantur, quam in loco fulmine icto. Flammas* Ceraunias *tribuit Hieronymus, quum ad Demetriadem scribens: Vt taceam (inquit) de inauriun pretius, candore* margaritarum, *rubri maris profunda testantium, Smaragdorum virore,* Ceraunorum *flammis, Hyacinthorum pelago. Ad quæ ardent & insaniunt studia matronarum.*

14. Si iam & Speculo tantum mentiri liceret.] *Huc alludit B. Cyprian. libro citato in hac verba: Quid postremo* Speculum *consulitur, nisi quia ne ipsa sit timetur.*

15. impedimenta.] Impedimentorum (*inquit idem Rhenanus*) *nomine sarcinas accipimus. Ita rursum libro sequenti,* Et reliqua compositionis vestræ impedimenta. *Item libro ad Martyr. supra capite 2.* Cetera æque animi impedimenta, *& infra libro 1. ad Vxor. capite 5.* filiorum impedimenta. *Alludit autem hic ad pompam triumphalem, qua reduces Imperatores pop. Rom. rebus bene gestis vrbem ingrediebantur varijs ostentaculis prælatis. Siue potius ad funebrem Triumphalium virorum pompam, in qua similia deferebantur. Nam sequitur*: quasi ad pompam funeris constituta.

Cap. II.

16. Nam & illi qui ea constituerunt, &c.] *Titulum huic capiti dedimus*: Quod angelis desertoribus debeatur, quicquid ad instrumentum muliebris gloriæ pertinet.

17. illi scilicet angeli, qui ad filias hominum de cœlo ruerunt.] *Pertinet hoc ad errorem Tertull. etiam Veteribus alijs, & ipsi B. Cypr. communem. de quo aliquid diximus ad lib. retus de Disciplin. & hab. virg. num. 54. & latius inter Auctoris errores in nostris Prolegomenis.*

18. bene occultas.] *Hoc est (Rhenano interprete) vtiliter* occultas, *vt mox*: non bene reuelatas, *id est, quas expediebat non esse reuelatas.*

19. metallorum opera.] *Intelligit (vti Rhenanus adnotauit) de fodinis auri & argenti. Id quod in sequenti libro alijs verbis explicat.* Qui *(inquit)* & materias eiusmodi illecebras detexerunt. *Cyprianus in Demetrianum: Minus argenti & auri opes suggerunt iam exhausta* metalla *& pauperes venæ.*

20. herbarum ingenia traduxerant.] *Hoc est (inquit Rhenan.) herbarum vim atque naturam publicauerant. Eodem autem modo dixit lib. de Fuga in persecutione infra T. 5.* non traditus autem traduci habebat: *id est (vti idem ibidem) exponi omnium oculis, seu publicari.*

21. & incantationum vires prouulgauerant.] *ms. 3. Vatic. cod.* promulgauerant. *Perinde esse, indicat Festus his verbis*: Promulgari *leges dicuntur, quum primum in vulgus eduntur, quasi*: prouulgari. *Atqui de* incantationibus *infra, Tomo sequenti; lib. de Anima.*

22. vsque ad stellarum interpretationem.] *Similiter dixit Auctor sub finem libri de Pallio*: & qui stellarem coniectat. *Vtrumque autem pertinere iudico non ad* Astronomiam, *quæ de cursu certo* stellarum *agit, sed ad* Astrologiam, *de qua latius supra lib. de Idolol. c. 9. & Adnotat. ibidem nostris. Nisi quis malit istud referre ad* stellarum *nomina, de quibus Origene teste, homil. 28 in Num. plurima in libellis, qui appellantur Enoch, secreta continentur & arcana, de cuius scriptis latius sequenti capite.*

23. nihil ad integritatem peccatores.] *Quantumuis repugnantibus ms. 3. Vatic. qui legunt*: pectoris, *assentiens Rhenano lego*: peccatores, *vt oratio tribus membris constet, maxime quod libro sequenti legatur*: per angelos peccatores demonstrata sunt. *Lego interim cum 1. edit. in marg.* ista monstrare siue conferre, *pro*: sicut conferre.

24. An ne sordidi, & per gratuitum vsum contumelioſi.] *Posterioribus verbis priora explicantur. nam (vti adnotauit etiam Rhenan.)* sordidos *pro auaris accipit, &* gratuitum vsum *intelligit eum, qui caret præmio.*

25. Sed hæc non capit æstimare.] *Et hic (inquit Rhenan.) vt in alijs libris sæpe*: non capit, *pro eo quod Græci dicūt*: οὐκ ὀφείλεται, *hoc est, non licet, fieri non potest, vt res sic æstimetur. Similes loci sunt supra l. de Spectacul. c. 4.* interpretari capit. *lib. de Præscript. adu. hæret.* Alia capit opinari. *Item adu. Marc. l. 1.* si depreciari capit. *lib. 2.* capit etiam imaginem spiritus dicere flatum. *lib. 3.* Id enim intelligi vel non intelligi capit *l. 4.* separatio per coniunctionem capit de qua fit, *& lib. 5.* animale dici capit, *&*: absque qua nec corpus aliud dici capit. *Denique*: Quod si non capit alterius omnia ista deputari.

26. omnem, &c. affectionem per carnem placendi.] *Alludit hauddubie ad illud Galat. 6.* Quicumque volunt placere in carne, *&c. de quo latius lib. aduers. Marc. 5. Legimus autem ex 3. ms. Vatic. cod.* Quid ergo faciunt, *pro*: facient.

27. Christo & Beliæ.] *Peculiare est hoc Auctori tum hic, tum lib. de Cor. milit. infra cap. 10.* Beliæ, *pro eo quod Græce* βιλιὰλ, *& tum 2. Cor. 6. tum frequenter in veteri Testamento ex Hebræo interpres Latinus*: Belial. *Quod esse proprium diaboli etiam adnotauit Cyrillus*

Orat. de exitu Animæ, & à. 70. interpretibus vertitur Deuter. 13. ἄνομος *quod iniquum seu peruersum, aut* λοιμικὸς, *vti 1. Reg. 1. 2. 16. & 25. quod pestilentem sonat. B. vero Hieron. Iudic. 19. interpretatur filii* Belial. *sine iugo.*

28. ſubſtantia angelica.] *Pertinet hoc ad alterum Auctoris errorem, quo corporis substantiam angelis tribuebat; de quo etiam inter Prolegomena.*

29. idem ſexus qui & viris.] *Hoc addit, quia legitur Matth. 22.* Neque nubent neque nubentur, ſed ſunt ſicut angeli Dei in cœlis. *de quo latius lib. de Resurrect. carn. Tom. sequent.*

CAP. III.

30. Scio ſcripturam Enoch, &c.] *Huius capitis inscriptio seipsam prodit:* De ſcripturæ Enoch auctoritate. *Porro præterquam quod Prophetiam* Enoch *citarit Auctor supra Apolog. ca. 22. & lib. de Idolol. cap. 4. & 15. vbi aliquid adtigimus Adnot. nost. & infra quoque libro de Cultu fœminarum, hic etiam auctoritatem eius vindicat quatuor potissimum rationibus. Primum contra eos, qui non putauerunt eam post cataclysmum saluam esse potuisse, quod pronepos* Enoch *Noe potuerit eam, si non scripto, saltem hæreditaria per Mathusalem filium eius traditione posteris sua prædicatione delegasse, aut iam abolefactam in spiritu rursus reformare, quemadmodum ab Esdra instrumentum literaturæ Iudaicæ restauratum est. Deinde quod omnis scriptura ædificationi habilis diuinitus inspirata credatur; quæ ratio etiam allegari possit contra eos, qui hodie hagiographos libros Apocryphos censent, vti sunt Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, & Ecclesiastici, ac Machabæorum libri. Item quod à Iudæis reiecta sit, eo quod de Domino prædicarit, quemadmodum & antiqui & hodierni hæretici scripturas multas reiecerunt, eo quod hæresi suæ contrarientur; de quo latius libris aduersus Marcionem. Denique quod apud Iudam Apostolum testimonium possideat. Neque mirum, quum etiam Irenæus, Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, & Athenagoras Tertulliano antiquiores tanti fecerint (dictam* Enoch *Prophetiam, vt inde errorem suum hauserint (de quo in Prolegomenis nostris latius) de angelis malis, qui adsumptis corporibus ex filiabus hominum Gigantes susceperint, immo & post eum Methodius Martyr, B Cyprianus, Lactantius, Seuerus Sulpitius, Proclus denique & Psellus, Philosophi Christiani. Verum B. Hieron. vsque adeo in contraria est sententia, vt lib. de Eccles. script. asserat, propterea Epistolam Iudæ à quibusdam Ecclesiasticis Patribus fuisse reiectam, quod apocryphum librum Enoch citet. De quo tamen Apostolum Iudam excusat in Comment. epist. ad Titum, quod vti liceat parte libri, etiamsi totum librum quis non adprobet. Similiter Chrysost. in Comment. ad Gen. c. 6. fabulas nuncupat* Enoch *libri dictam sententiam, & apertius D. August. l. 15. de Ciuit. Dei c. 23. Scripsisse quidem nonnulla diuina* Enoch *septimum ab Adam negare non possumus, cum hoc in Epistola canonica Apostolus Iudas dicat, sed non sunt in canone scripturarum. Vnde illa quæ sub nomine eius proferuntur, & continent fabulas illas de Gigantibus, quod non habuerint homines patres recte à prudentibus iudicantur non ipsius esse credenda. Cui similia ab eodem repetuntur, ne hic prolixiores simus, lib. 18. de Ciuit. Dei c. 38. Idem sensisse videtur Epiphanius, vbi agit de hæresi Marcionis, qui quum* Enoch *mentionem fecisset, addit: Sed nondum exstabat lex scripta, verum naturalis tantum illa ex mente & traditione per successionem patrum ad filios; quod tamen ipsum accedit ad primam rationem supra scriptam Auctoris.*

31. quæ hunc ordinem angelis dedit.] *De hoc lib. sequ. de Cultu fœminar.* Iidem *(inquit)* angeli, qui & materias huiuſmodi illecebras detexerunt, aurum dico & argentum illuſtriũ, & opera eorum tradiderunt, etiam calliblepharum vellerumque tincturas inter cetera docuerunt, damnati à Deo ſunt, vt Enoch refert. *Reliqua nunc diximus ex Aug. & reliquis Veteribus, de quibus latius Sixtus Senensis, Bibliothecæ sanctæ l. 2. de* Henoc.

32. quia in armarium Iudaicum admittitur.] *Canonem scripturarum Iudaicarum intelligit, qui (B. Augustino teste, vbi supra) seruabatur in templo Hebræi populi, succedentium diligentia sacerdotum. De* cataclyſmo *vero pro diluuio alibi aliquid diximus.* Proauum *item Noe fuisse dictum* Enoch *patri quia* Enoch *genuit Mathusalem, ex illo Lamech, cuius filius Noe.*

33. omne inſtrumentum Iudaicæ litteraturæ per Eſdram conſtat reſtauratum,] *Similiter Irenæus lib. 3. adu. hæres. c. 25. In ea (inquit) captiuitate populi quæ facta est à Nabuchodonosor corruptis scripturis, & post 70. annos Iudæis descendentibus in regionem suam, & post deinde temporibus Artaxerxis Persarum Regis, inspirauit Deus* Eſdræ *sacerdoti tribus Leui præteritorum Prophetarum omnes rememorare sermones, & restituere populo eam legem, quæ data esset per Moysen. Hinc etiam B. Hieron. lib. aduersus Heluidium,* Eſdram reſtauratorem *Pentateuchi nuncupat: & alibi scribit, quod scripturas sacras iam dispersas eodem spiritu; quo ante scriptæ erant, restituit. Eodem pertinet illud B. Isidori, Etym. l. 6. c. 1. Hebræi (inquit) vetus Testamentum* Eſdra *Auctore iuxta numerum literarum sacrarum in 22. libris accipiunt, diuidentes eos in tres ordines, Legis scilicet, prophetarum, & Hagiographorum, &c.*

34. Sed quum Enoch eadem ſcriptura etiam de Domino prædicarit.] *Verba ipsa* prædicationis Enoch de Domino *reperire est in Testamento duodecim Prophetarum, quod frequenter citatur ab Origine & Procopio. In Testamento enim suo Simeon: Vidi (inquit) in charactere scripturæ* Enoch, &c. *quoniam Deus corpus adsumens, & comedens cum hominibus, saluabit homines. Et nunc filioli mei, obedite Leui, & in Iuda liberamini, & non efferemini super duas tribus has, quoniam ex ipsis orietur nobis salutare Dei. Suscitabit enim Dominus ex Leui principem sacerdotum, & ex Iuda Regem Deum & hominem, ita saluabit omnes Gentes. Haud absimiliter etiam Leui: Innocens (inquit) ego sum ab omni impietate vestra & transgressione, quam facietis in consummatione sæculorum, in saluatorem mundi impie facientes, & suscitantes ei mala magna à Domino, & inique facietis cum Israel, vt non subsistat Ierusalem à facie malitiæ vestræ, & scindetur velum templi, &c. quemadmodum continet liber* Enoch *iusti.*

CAP. IV.

35. Nulla nunc muliebri pompæ nota inuſta ſit, &c.] *Inscriptionem huic capiti dedimus:* De cultu & ornatu muliebri.

36. & matrimonium carnis.] *Etiam hoc ad suprascripti c. 3. errorem pertinet.*

37. cultum & ornatum, &c.] *Alludere videtur Auctor ad illud Varronis. Mundus muliebris dicitur à munditia,* Ornatus, *quasi ab ore natus. Hinc enim maxime sumitur, quod eam deceat. itaque ob id paratur speculum; hoc est enim quod dicit:* Ornatum in cura cutis & capilli conſiſtere, *quem adeo eleganter, à contrario sensu,* inmundum muliebrem *vocat.*

CAP. V.

38. Aurum & argentum principes materiæ cultus, &c.] *Insigniuimus caput istud hoc titulo:* De auri & argenti qualitatibus. *In quo imitatur ex parte Plin. Nat. hist. l. 33. Proœmium.*

39. metallorum feralibus officinis.] *ms. 3.* ferialibus; *sed illud placet. Nam (vt recte adnotauit Rhenanus)* metallorum *operibus addicebantur damnati, inque his sæpe Christiani. De quibus 25 epist. l. 3. quæ nunc est 77. Cyprianus Martyr: Non fouetur (inquit) in metallis* *lectio & culcitris corpus. Humi iacent fessa laboribus viscera. Squalent sine balneis membra situ & sorde deformia. Panis illic exiguus. Vestis algentibus deest. Semitonsi capitis capillus horrescit, & reliqua. Proinde non frustra hic dicit* feralibus officinis. *Apud Cyp. legimus:* feralibus *cibis pollui, violarique.*

40 pœnali opere.] *Ita (inquit idem Rhenanus) B. Cyprianus horribiles carceris atque funestas* pœnalis *loci tenebras dixit. Item Squalorem carceris ac receptaculi* pœnalis *horrorem. Et ad Donatum: Pergit* pœnalibus *cumulis pertinaciter adhærere.*

41. de tormentis in ornamenta.] *Eleganter (inquit idem) hic coniungit contraria, quorum hoc primum membrum commendat Prosonomasia. Hinc illud Ambrosii: Vos vero beatæ virgines, quæ talia* tormenta *potius quam* ornamenta *nescitis.*

42. metalli refuga.] *Nam (eodem adnotante) mutat nomen. Vocatur enim armilla aut torques. Est autem & hæc phrasis iureconsultorum. Vlpianus enim l. Aut damnum. D. De pœnis. Quique (inquit)* refugæ ex opere metalli in metallum *damnantur. Hinc & Marcellus L. Milites D. De re militari:* cuſtodiæ refuga *dixit. Ibi autem:* & nihilominus auri & argenti, *subaudi,* operas, idque iuſtioribus, *id est probatioribus* cauſis.

43. Nam & annuli ferro fiunt.] *Triumphantibus vti adnotat Rhenanus) olim corona ex auro Hetrusca sustinebatur à tergo,* annulus *tamen in digito* ferreus *erat. Hi quoque qui ob legationem acceperant* aureos, *in publico tantum vtebantur; intra domos vero,* ferreis. *Quo argumento etiam nunc sponsæ* annulus ferreus *mittitur, isque sine gemma. Ex Plinio. Nos aliquid etiam adtigimus in cap. 6. Apolog. num. 79. Recte autem ex coniectura restituit Rhenanus:* Nullus bidens, *pro* videns; *nam correspondent ms. cod. 3. Vatic.*

44. nullus clauus argentum intimat tabulis.] *Simili Metaphora dixit lib. de resurrect. carnis* Siquidem Epheſiis ſcribens Apoſtolus, in interiorem hominem habitare Chriſtum, ſenſibus vtique intimandum Dominum ſignificauit. *vt* intimare *accipiatur, pro:* inſerere.

CAP. VI.

45. Sed & lapillos iſtos qui cum auro ſuperbiam iungunt, &c.] *Tractat hoc caput:* De gemmarum qualitatibus. *De quibus latiss. Plinius hist. nat. toto libro 37. & ad institutum lib. 9. c. 35. quem imitari etiam hic videtur.*

46. terræ minutalia.] *Minutias (inquit Rhenan.) intelligit.* Minutalibus *regnis dicit adu. Mar. l. 1. adiectiue. Vulgus hodie* mineralia *vocat.*

47. aut tectis denſandis.] *Loqui adnotauit Rhenanus Auctorem de* tectis *Africanis, & orientalium regionum, quibus apud nos perguli similes sunt, Germani Tarras vocant, quasi Terracium.*

48. mulierum ſtuporem ædificare.] Stuporem *accipi pro cultu, cuius aspectum stupent viri. Ædificandi vero verbo (inquit Rhen.) per translationem vti solet. Ita in Martyribus;* vt robori ædificando vacent.

49. Sed ſi quid de mari Britannico aut Indico ambitio piſcatur, conchæ genus eſt, &c. licet Margaritum vocetur, &c.] *Pulcherrime describit originem* margariti, *quod nunc neutro genere dixit, quum 1. cap. fœminino* margaritæ *dixisset. Non dubium autem, quin Plinium (vti fere semper in eiusmodi) imitetur cuius hæc verba ad loci ampliorem intellectum ascribenda putaui, ex lib. 9 hist. cap. 35. Principium culmenque omnium rerum pretii* Margaritæ *tenent.*

A Indicus *maxime has nutrit* Oceanus. *Origo atque genitura* conchæ *est haud multum ab* ostrearum conchis *differens. Has vbi genitalis anni stimulauerit hora, pandentes sese quadam oscitatione impleri roscido conceptu tradunt, grauidas postea eniti*, partumque concharum esse margaritas, *pro qualitate roris accepti; si purus influxerit, candorem* (*hinc supra dixit Auctor*: margaritæ canderent) *conspici: si vero turbidus, eandem pallere. Sani quidem partus multiplici constant cute, nō impropriè callum*) *quod vocatur ab Auctore* dura & rotunda verruca, *& dicitur* concha aliquid intrinsecus pustulare, *vti recte castigabat ex hoc loco Rhen. pro* postulare) *vt existimari corporis possit, itaque purgantur & aperitis*. In Britānia *quoque paruos ac decolores* (*vniones nempe, qui pro eodem habentur; vt cap. sequenti dicetur.*) *nasci certum est, quoniam D. Iulius thoracem, quem Veneri genitrici in templo eius dicauit, ex* Britannicis margaritis *factum voluerit intelligi.*

50. Peloride.] *Inter testacea seu concharum genera* (*inquit Rhenan.* Peloridem *quoque Plinius recenset, & aluum emolire scribit, l. 32. c. 9.*

51. Ad hoc enim conchas nouerim maris poma.] *Sensus est* (*inquit Rhenan.*) *Non ad fastum, sed ad saporem & esum nouerim* conchas, *veluti* poma *quædam* maris, *quibus assimilantur. In profundo maris enim iacentia ab vrinatoribus colliguntur, velut:*

Strata iacent passim sua quæque sub arbore poma. *quorum figuram repræsentant.*

B 52. Aiunt & de frontibus draconum gemmas erui, &c.] Draconites, *siue* Draconitas) *vti adnotauit etiam Rhenanus*) *Plinio teste l. 37. cap.* 10. è cerebro fit Draconum, *sed nisi viuentibus abscisso numquā gemmescit, inuidia animalis mori se sentientis. Igitur mos est, vt dormientibus animalibus caput amputent. Sotacus, qui visam eam gemmam apud regem scripsit, bigis vehi quærentes tradit & viso Dracone, spargere somnifica medicamenta, atque ita præcidere. Esse autem candore translucido, nec postea poliri, aut artem admittere.*

CAP. VII.

53. Hæc omnia de raritate & peregrinitate sola, &c] *Inscriptio est huius capitis*: Quod apud Barbaros hæc prædicta sint fastidio. *Est autem plane simile id, quod repetit l. sequ. de Cultu fœmin. & imitatur Auctorem B. Cyprian. de Hab. virgin. quum sub finem dicit: Sint à compedibus aureis pedes liberi.*

55. vernaculum est aurum.] *Tamquam illic natum* (*vt adnotat Rhenan. Similiter Paula & Eustochium in epistola ad Marcellam: Totum mysterium nostrum istius prouinciæ vrbisque* vernaculum *est.*

54. auro vinctos in ergastulis habent.] *Sic l. seq.* Quamquam & aurum ipsum cuidam Genti ad vincula seruire referunt Gentium litteræ. *atque adeo recte addit*: diuitiis malos onerant. *quanto enim quisque sceleratissimus tanto censetur ex aureis vinculis ditissimus. Apud Æthiopes autem hunc morem fuisse adnotauit Theodorus Cauterus, Variar. Lec. l. 1. c. 5. ex Plutarcho in Erotico, & Dione Chrysost. in Orat.* περὶ πλούτου.

C 56. vidimus Romæ de fastidio Parthorum & Medorum.] *Recte adnotauit Rhenanus* Parthos Romæ visos ab Auctore, *quum legatione fungerentur apud Seuerum Imperatorem, aut in eius triumpho de* Parthis, Medis *& Adiabenis, qui quo anno eius imperij contigerit, latius in vita Auctoris.*

57. Latent in cingulis Smaragdi. *De* Smaragdis *vide Plin. l. 37. c. 5. qui tertiam ambitionem illis tribuit, &* Persicos (*quibus Parthi contribuuntur, vt sæpe diximus*) *radit non translucidos, sed iucundi tenoris visum implere, quem non admittunt, felium pantherarumque oculis similes.*

58. & cylindros.] *De* Cylindris ex Smaragdis confectis, *ita ibidem Plinius: Indi* (*inquit*) *mire gaudent longitudine eorum, solosque gemmarum esse prædicant, qui carere auro malint, ob id perforatis Elephantorum setis religant. Et alios conuenit non oportere perforari, quorum sit absoluta bonitas, vmbilicum statim ex auro capita comprehendentibus. Ideo* Cylindros *ex ijs facere malunt quam gemmas, quoniam non est summa commendatio in longitudine. Sunt autem* Cylindri, *teretes gemmæ & oblongæ instar* Cylindri, *id est, columnæ lapideæ rotatiles, qualibus vtuntur rei rusticæ cultores æquandis areis.*

D 59. & in peronibus vniones.] *Auctor est Seruius* (*inquit Rhenanus*) peronem *esse rusticum calceamentum, quo vocabulo vsus est Virgilius l. 6. Aeneidos:*

- Sudus tegit altera *pero.*

Et Iuuenalis:

Nil vetitum fecisse valet, quem non pudet alto
Per glaciem *perone* tegi.

Et quidem hic proprie locutus est, de Barbaris faciens sermonem. Meminit & peronum *in lib. de Pallio, quum inquit*: Magnum incessui munimentum sutrinæ venereæ prospexere perones effœminatos; *vbi vide Adnotat. nostras n. 91. Scribit autem de re Plin. l 9. c. 35. in hæc verba: Nulli duo reperiuntur indiscreti, vnde nomen* vnionum *Romanæ scilicet imposuere deliciæ. Nam id apud Græcos non est, ne apud Barbaros quidem eius inuentores aliud quam* margaritæ. *Et paulopost: Hoc & pedibus, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis socculis addunt. Neque enim gestare iam* margaritas, *nisi calcent, ac per* vniones *etiam ambulent, satis est. Legimus autem cum 2. ms. Vatic. cod.* Denique iam gemmatum, *pro eo quod erat*: denique tantum, *maxime quod 1. edit. & 1. Vatic. legant*: tam.

CAP. VIII.

E 60. Proinde & vestium de coloribus honorem, &c.] *Ipsa hæc verba titulum huius capitis indicant*: De vestium coloribus adulterinis.

61. Tyriis & hyacinthinis, & illis regiis velis.] *Per* Tyria vela, *purpurea intelligit, quippe quum purpura illis maxime nota sit, vti patet ex Plinio, lib. 9. cap. 36 37. 38. 39. 40. & 41. vnde & subiungit:* vilior est apud illos purpura &c. Regia *autem* vela *intelligit Rhen.* Attalica aulæa, *quæ tamen ipsa mulieres id temporis* operose, *id est, filatim* resoluta transfigurabant, *id est, aliter retexebant. De his ita Plinius lib. 8. cap. 48. Aurum intexere in Asia inuenit* Attalus *Rex, vnde nomen* Attalicis.

62. rubrica.] *Milton significat* (*inquit Rhenan.*) *siue colorem rubrum. De varijs autem* rubricæ *generibus vide Plinium lib 35. c. 6.*

63. de adulterio colorum iniustorum.] *Harrisius censuit legendum*: inustorum, *sed placet*: iniustorum, *eo quod addat*: adulterio. *Imitatur autem hunc locum S. Cyprian. l. de Pudic. his verbis*: Adulterium *fidelis nec in* coloribus *nouerit.*

64. purpureas & earinas oues, &c.] *Huc alludit idem B. Cyprianus lib. de Discipl. & hab. virg. Neque enim Deus coccineas aut* purpureas oues *fecit, (aut herbarum succis, id est, virides seu* earinas.) *& conchylijs tingere & colorare lanas docuit. Vtrumque autem imitatus est B. Hieronym. In vita B. Marcellæ. In hunc autem locum pulcre sic commentatur Rhena. Gorziensis codex habet:* atinas. *nec refert, vtrumque Græcis vernum significat; quod tu hic pro viridi interpretare. Ambo vocabula coniuncta habes in illo lepidissimo Epigrammate de Luscinia, quæ cicadem corripuerat, quod legitur titulo in Aues, Epigrammatum Græcorum. l. 1.*

F τὸν ξένον ἁ ξεῖνα ἀερινὸν ἠαερινά.

65. materiæ ex Deo sunt, &c.] *Etiam hunc locum bene explicat his verbis Rhenan. Sensus est*: Materiæ ex Deo sunt, *sed tamen ipse vsus materiarum nequaquā secundum diuinam voluntatem, quasi qui illic ideo* lateat quæritur, *videlicet* vnde sint conchæ, *hoc est, ex quo mari, Indico, aut Britannico*, & qua dispositione decurrant, *scilicet in monilibus & murenulis mulierum*, & vbi collocentur.

66. sicut de ipsis suum volumen ædidimus.] *Hauddubie librum de Spectaculis intelligit, vbi de Pantheris aliquid adnotauimus, c. 2. n. 6.*

67. & vocem homini dedit, &c.] *Hunc locum ad verbum fere imitatur, vbi supra, B. Cypr. n. 43.*

CAP. IX

68. Nam vt quæque rerum, &c.] *Postremum hoc caput inscripsimus*: Quod omnis iste ornatus ad ambitionem pertineat.

G 69. ex possessionum distributione, &c.] *Adnotatu dignus locus contra eos, qui* possessiones *omnes omnibus communes esse volunt, quippe quum* distrubutionem *earum à Deo ordinatam adserat. Siue autem mox legas*: concupiscentiam concitat *excuso, siue* excitat *cum MS. Vatic. cod. perinde est. ad posteriorem lectionem alludit magis tertius cod. MS. legens*: excutat.

70. vnde & nomen eius interpretandum, &c.] *Elegans definio* ambitionis.

71. Non tanto maior, &c.] Non (*inquit Rhenan.*) *pro*: Annō, *seu* Nonne. *Eodem modo dixit Exhort. ad castit.* Non dicendum erit.

72. Breuissimis loculis, &c.] *Intelligit* (*inquit Rhenan.*) *repositoria, in quibus monilia magnum patrimoniū æquantia seruantur, aut ipsa monilia, quæ vice* loculorum *sunt.*

73. Vno lino, &c.] *Summa hæc* (*inquit idem*) *vices quinquies mille aureorum coronatorum. Hoc imitatus D. Hieron. in vita Pauli Eremitæ dixit, Qui vno filo villarum insunt pretia. Atqui de* Sestertijs *vide nostras Adn. in B. Cyp. epist. 60. ad Episcopos Numidas n. 5.*

74. Saltus & insulas, &c. *Hoc est* (*inquit Rhenan*) saltuum & insularum *pretia. Sunt autem etiam* insulæ *domus, quæ non communibus parietibus coniunguntur cum vicinis, auctore Festo. Atqui in illo* tenera ceruix, *emphasis est in* tenera, *quemadmodum est in eo, quod mox sequitur*: Graciles aurium cutes. *Similiter autem etiam B. Cypr. lib. de Bono pudic. Mirum negotium, mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum sarcinas fortiores sunt viris.*

H 75. Kalendarium expendunt] Kalendarium *hic* (*eodem. adnotante*) *significat eas tabulas domesticas, quæ non singulos dies sed menses singulos respiciunt. In his vsuræ perscriptæ erant ad* Kalendas *exigendæ. Seneca epistola 88. Diuitem* (*inquit*) *illum putas, quia aurea supellex etiam in via eum sequitur, quia in omnibus prouinciis arat, quia magnus* Kalendarii *liber voluitur. Signanter autem dixit*, expendunt, *hoc est, in extima auris pellicula appendunt. De pretiosis in auribus loquitur. Exponit autem seipsum, quum inquit*: Hæ sunt vires ambitionis, tantarum vsurarum substāriam vno & muliebri corpusculo baiulare. *Similiter autem dixit B. Cypr. l. de Bono pudic. quorum pretia etiam sine artibus* Kalendarium *cuiusuis excedunt, vbi etiam aliquid adnotauimus n. 47.*

76. & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit] *Ita ex coniectura Latinii, omissa voce*: in *superflua. Similiter B. Cypr. l. de Bono pudic. Quid quum* digiti *tali auro onerati nec intrare possunt, nec egredi? vtrum vsus exposcitur, an patrimoniorum* (*quæ per* saccos *pecuniarios intelligit hic Auctor*) *inanis pompa mo*

A *ſtratur? Plin. l. 33. c. 2. vbi integram annulorum materiam latiſſime tractat, inter cetera hæc habet, quæ ad loci huius intellectum facere putaui. Manus (inquit) & prorſus* ſiniſtræ *maximam auctoritatem conciliauere auro. Et pag. ſeq. Multis hoc modis vt cetera omnia luxuria variauit, gẽmas addendo exquiſiti fulgoris, cenſuque optimo* digitos *onerando. &c.:* Singulis *primo* digitis *annulos geri mos erat: qui ſunt minimis proximi, poſtea pollici proximo induere, deinde iuuit & minimo dare, Galliæ Britanniæque in medio dicuntur vſæ; hinc nunc ſolus excipitur; ceteri omnes onerantur, atque etiam priuatim articuli minoribus aliis, Sunt qui tres vni minimo congerunt, iam alii pondere eorum oſtentant.*

ARGVMENTVM LIBRI DE CVLTV FOEMINARVM PER Iacobum Pamelium.

EIVSDEM *pene argumenti eſt liber iſte cum præcedenti, præterquam quod hic curam capilli & cutis magis peculariter reprobet.*

I. *Primum vero pudicitiam, quæ ancillas Dei deceat, non in ſola docet conſiſtere carnis integritate, ſed & cultus ac ornatus, vt à Gentilibus differant, ſimplici munditie.*

B II. *Deinde quod ſtudium placendi per decorem non de integra cõſcientia veniat, quippe quod & tentationibus viam aperiat, & ſpectatoribus ſit periculo.*

III. *Quod item laude formæ frui ad gloriam, pertineat in carne; in qua non gloriandum, niſi quum propter Chriſtum lacerata durauerit, vt ſpiritus in ea coronetur.*

IV. *Neque vero in maritorum gratiam id fieri debere, quum fidelis maritus formam non ſpectet, infidelis ſuſpectam, habeat.*

V. *Maxime autem delinquere, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt, reprehendentes artificem Deum, quum emendant.*

C VI. *Eas etiam quæ croco, vti Germanæ & Gallæ, capillum vertunt, male ſibi flammeo capite auſpicantes, & cerebro perniciem reſeruantes.*

Nec minus illas, quæ neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum alieni capitis, nunc in galeri modum vertici adfigunt, nunc collyridas quaſdam ceruicibus aſtruunt. E VII.

Magis adhuc, proprias formæ præſtigias in viris improbari, vt fœminis placeant. VIII.

Quinuero & circa veſtitum curandam eſſe impedimentorum amputationem; & ſi quas diuitiarum, natalium vel dignitatum ratio compellat pompaticas progredi, ſic agant, quaſi non vtantur; non ſecus atq; multi faciunt, ſpadonatui ſe adſignantes propter regnum Dei. IX.

Nimirum à Deo non eſſe veſtium colores & officinas, aurique opera & lapillos, ſed ab angelis peccatoribus; & etiamſi Eſaias nullum cultum interdixiſſet, abſtinere tamen debere quod non ædificet. X.

Nullam enim eſſe cauſam ſtructius prodeundi, quum procedendi omnis cauſa ſit tetrica: aut enim imbecillus aliquis viſitandus, aut ſacrificium offertur, aut verbum Dei adminiſtratur; ac ſi neceſsitas Gentilium amicitiarum eas vocet, eſſe debere inter ancillas Dei & diaboli diſcrimen. XI.

Præſertim quum lenocinia formæ magis conueniant immo nunquam non, proſtitutis corporibus coniuncta eſſe & debita, Scripturis conſtet. XII.

Denique lucere debere opera earum, diſcutiendas delicias, quibus fidei virtus effœminari poteſt; quum tempora Chriſtianorum tunc vel maxime ferro tranſigerentur. XIII.

Ceterum librum hunc Tertulliani patet, eſſe, tum ex eo, quod iiſdem ſubinde verbis repetat quæ præcedenti libro, tum quod ad
verbum quædam hinc B. Cyprianus deſumpſerit lib. de Diſcipl. & F
habitu virgin. Quare recte eum agnouerunt pro fœtu germano adhuc Manuſcriptum Trithemius & Politianus, vbi ſupra. Ædidit primum ex Paterniacenſi ac Hirſaugienſi, deinde & ex Gorzienſi codicibus Frobenius; caſtigauit Sigiſmundus Gelenius ex Anglico Lælandi codice, nos denique iterum reſtituimus ex tribus libris MS. Vaticanis, auctiorem quoque noſtris, ad Rhenani adiunctis, Adnotationibus.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE[1] CVLTV FOEMINARVM LIBER.

Cap. I. ANCILLAE[2] Dei viui, conſeruæ & ſorores
meæ, quo iure deputor vobiſcum,[3] poſtre-
miſſimus omnium, qui de meo iure conſer-
uitii & fraternitatis audeo ad vos verba iſta
1. Cor. facere, non vtiq; affectationi ſed affectioni
procurans in cauſa veſtræ ſalutis. Ea ſalus nec fœminarũ
modo, ſed etiã virorũ, in exhibitione præcipue pudicitię
ſtatuta eſt.[4] Nam cum omnes templũ ſimus Dei illato
in nos & conſecrato Spiritu ſancto, eius templi æditua
& antiſtes pudicia eſt,[5] quæ nihil immundum nec pro-
phanum inferri ſinat, ne Deus ille, qui inhabitat, inqui-
natam ſedem offenſus derelinquat. Sed modo non de
pudicitia,[6] cui indicendæ & exigendæ ſufficiunt: inſtã-
tia vbique diuina præcepta, verum de pertinentibus
ad eandem, id eſt, qualiter vos incedere oporteat. Ple-
ræque enim (quod ipſum, mihi reprehendo in omni-
D bus reprehendere Deus permittat) aut ignorantes ſim-
pliciter, aut diſſimulantes audacter, ita ingrediuntur,
quaſi pudicitia in ſola carnis integritate, & ſtupri auer-
ſione conſiſtat, nec quicquã extrinſecus opus ſit, de cul-
tus dico & ornatus diſpoſitione. Sed enim perſeuerent
in priſtinis ſtudiis formæ & nitoris ſui circumferentes
quam fœminæ Nationum, à quibus abeſt conſcientia
veræ pudicitiæ: quia nihil verũ in his, quæ Deũ neſciunt
præſidem & magiſtũ veritatis.[7] Nam etſi quia in Gen-
tilibus puditia credi poteſt, vſque adeo eam imperfectã
& inconditam cõſtat, vt licet animo aliquatenus tenax
ſui agat, in habitus tamen licentia ſeſe diſſoluat propter
veritatem Gentilium, ſolatium appetendo cuius rei de-
uitat effectum. Quota denique eſt quæ nec placere qui-
dem extraneis concupiſcat, quæ nõ velit [idcirco ſe[8] ex-
pingere, vt neget appetitum. Quanquam & hoc Gen-
tili pudicitię familiare ſit non delinquere, attamen vel- G
le vel etiam nolle, attamen non denegare, mirum: quia
perueſa ſunt omnia quæ à Deo non ſunt. Videant igi-
tur quę totum bonũ nõ obtinẽdo, facile & quod obti-
nent, malo permiſcent. Vos ab illis, vt in ceteris, inceſſu,
quoque deuertere neceſſarium eſt: quoniam perfectæ
eſſe debetis, ſicut pater veſter qui eſt in cœlis. [9 Perfe- Ca. II.
ctæ autẽ, id eſt, Chriſtianæ pudicæ, appetitionẽ ſui non
tantũ nõ appetẽdã, ſed etiã execrandã vobis ſciatis: pri-
mo ꝙ nõ de integra conſcientia venit ſtudium placen-
di per decorem, quem naturaliter inuitatorem libidi-
nis ſcimus. Quid igitur in te excitas malum iſtud? quid
inuitas,[10] cuius te profiteris extraneam? Tum quod tẽ-
tationibus viam aperire non debemus, quæ nonnun-
quam (quod Deus à ſuis abigat) inſtando perficiunt,
certe vel ſpiritu ſcandalum permouent. Debemus qui-
dem ita ſancte & tota fidei ſubſtãtia incedere, vt confeſ-
ſæ & ſecuræ ſimus de conſcientia noſtra, optantes per-
ſeuerare id in nobis, non tamen præſumere. Nam qui H
præſumit, minus veretur, minus præcauet, plus pericli-
tatur. Timor, fundamentũ ſalutis eſt: Præſumptio, im-
pedimentũ timoris. Vtilius ergo ſi[11] ſperemus nos poſ-
ſe delinquere: ſperando enim timebimus, timendo ca-
uebimus, cauendo ſalui erimus: contra ſi præſumamus.
neque timendo, neque cauendo, difficile ſalui erimus.
Qui ſecurus agit, non eſt ſollicitus, non poſſidet tutam
& firmam ſecuritatem. At qui ſollicitus eſt, is vere pote-
rit eſſe ſecurus. Et de ſuis quidem ſeruis Dominus pro
miſericordia ſua curet: etiam præſumere illis de bono
ſuo fœliciter liceat. Quid autem alteri, periculo ſumus.

quid illis alteri concupiſcentiam importamus? quam ſi Dominus ampliando legem à facto ſtupri non diſcernit in pœna, neſcio an impune abeat qui alicui fuerit cauſa perditionis. Perit enim ille ſimul in tua forma ſi concupierit, & admiſit iam in animo quod concupiuit, & facta tu gladius illi. Vt à culpa vaces, abinuidia non liberaberis. vt cũ in alicuius agro latrociniũ geſtũ eſt, crimen quidem dominum non conſtringit: dum res tamẽ eius ignomina notatur, ipſe quoq; infamia aſpergitur. Expingamus nos [12] vt alteri pereant: vbi eſt ergo, [13] *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*? Nolite veſtra cura e, ſed alterius. Nulla enunciatio ſpiritus ſancti, ad præſentẽ tantũ materiam, & nõ ad omnẽ vtilitatis occaſionem dirigi & ſuſcipi poteſt, Cum igitur & noſtra & aliorum cauſa verſetur in ſtudio periculoſiſſimi decoris, iã non tantum confictæ & [14] elaboratæ libidinis ſuggeſtũ recuſandum à vobis ſciatis, ſed etiam naturalis ſpecioſitatis oblitterandum, diſſimulatione & incuria, vt proinde oculorum incurſibus moleſtum. Nã etſi accuſandus decor non eſt, vt fœlicitas corporis, [15] vt diuinæ plaſticæ acceſſio, vt animæ aliqua veſtis vrbana, timendum tamen eſt vel propter iniuriam & violentiã ſpectatorũ, quę etiã pater fidei Abrahã in vxoris ſuę ſpecie pertimuit. & [16] ſororem mentitus Saram, ſalutem cõtumelia redemit. [17] Nunc nõ ſit timenda dignitas formę, vt nec poſſidentibus grauis, nec appetentibus exitioſa, nec coniunctis periculoſa, nec expoſita tentationibus, non circundata ſcandalis exiſtimetur: ſufficit [18] quod angelis Dei non eſt neceſſaria. Nam vbi pudicitia, ibi vacua pulchritudo? quia proprie vſus & fructus pulchritudinis corporis, luxuria, niſi ſi quis alias eſſe decorem arbitratur. Illa ſibi formoſitatem & datam extendant, & non datam conquirant, quæ quod ab illa flagitatur, ſibi quoque præſtare ſe putent, quum alteri præſtant. Dicit aliquis, Quid ergo. nõ eſt excluſa luxuria admiſſa caſtitate? Laude formæ ſola fruì, & de bono corporis gloriari licet. Viderit quem iuuat de carne gloriari. Nobis autem nullum gloriæ ſtudium: quia gloria, exaltationis ingenium eſt. Porro exaltatio non congruit profeſſionibus humilitatis ex præceptis Dei. Dein ſi omnis gloria vana & ſtuporata, quanto magis quæ in carne? Nobis duntaxat. Nam etſi gloriandum eſt, in ſpiritus bono, non in carnis placere velle debemus, quia ſpiritalium ſectatores ſumus. In quibus operamur, in illis & gaudemus. De his gloriam capimus, de quibus ſalutem ſperamus. Plane gloriabitur Chriſtianus in carne, ſed quum propter Chriſtũ lacerata durauerit, [19] vt ſpiritus in ea coronetur, non vt oculos. & ſuſpitia adoleſcentium poſt ſe trahat. Ita quod ex omni parte in vobis vacat, merito & non habentes faſtidiatis, & habentes negligatis. Sancta fœmina ſit naturaliter ſpecioſa nõ adeo ſit occaſioni. Certe ſi fuerit, non ignorare? ſed etiã impedire ſe debet. [20] Quaſi Gentilibus dicam, Gentiles communionum præceptis alloquens, Vos ſolis maritis veſtris placere debetis. In tantum autem placebitis eis, in quantum alteris placere non curaueritis. Securæ eſtote benedictæ. Vxor nulla deformis eſt marito ſuo. Satis placuit cum electa eſt, ſeu moribus, ſeu forma commendata. Ne quæ veſtrum putent, ſi temperauerint à compoſitione ſui, odium & auerſionem maritorum proſecuturas. Omnis maritus caſtitatis exactor eſt. Formam vero fidelis non expectat, quia non ijſdem bonis quæ Gentiles putant, capimur. Infidelis contra etiam ſuſpectam habet, vel [21] propter illam ſceleratam in nos opinionem Gentilium. Cui ergo pulchritudinem tuam nutrias, ſi fidelis non exigit, ſi Gentilis non credit? quid geſtias aut ſuſpecto, aut non deſideranti placere? [22] Hæc vtiq; non ad crudã in totum & ferinã habitudinẽ inſinuandam vobis ſuggeruntur, nec de bono corporis ſqualorẽ ſed de pudoris ſuadem⁹, ſed de modo & cardine, & iuſtitia corporis excolendi. Non ſupergrediendũ vltra q̃ quod ſimplices & ſufficientes munditiæ concupiſcunt, vltra q̃ Domino placere. In illũ enim delinquunt, quæ [23] cutẽ medicaminib. vngunt, genas rubore maculãt oculos fuligine collinũt. Diſplicet illis nimirum plaſtica Dei: in ipſis redargunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cum emendant, cum adiiciunt, vtique ab aduerſario artifice ſumentes additamenta iſta, id eſt, diabolo. Nam quis corpus monſtraret mutare, niſi qui & hominis ſpiritum malitia transfigurauit? ille indubitate huiuſmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodo manus Deo inferret. Quod naſcitur, opus Dei eſt. Ergo quod fingitur, diaboli negotium eſt. Diuino operi, ſatanæ ingenia ſuperducere quam ſceleſtum eſt? Serui noſtri ab inimicis noſtris nihil mutuantur, milites ab hoſte imperatoris ſui nihil concupiſcunt. De aduerſario enim eius in [24] cuius manu ſit, aliquid vſui poſtulare tranſgreſſio eſt. Chriſtianus à Malo illo adiuuabitur? neſcio an hoc nomen ei perſeueret. Erit enim eius, de cuius doctrinis inſtrui concupiſcit. Quantum autem à noſtris diſciplinis & profeſſionibus aliena ſunt, quam indigna nomine Chriſtiano, faciem fictam geſtare, quibus ſimplicitas omnis inducitur: effigiem mentiri, quibus lingua non licet: appetere quod datum non ſit, quibus alienum abſtinendum: ſpeciem exercere, quibus ſtudiũ pudicitiæ eſt? Edite benedictę quomodo præcepta Dei cuſtodietis, lineamenta non cuſtodientes: [25] Video quaſdam & capillum croco vertere. Pudeat eas etiam nationis ſuę, quod non [26] Germanæ aut Gallæ ſint procreatæ, ita patriam capillo transferunt. male ac peſſime [27] ſibi auſpicantur flammeo capite, & decorum putant quod inquinant. Atqui & detrimentum crinibus medicaminum vis inurit, & cerebro perniciem etiã cuiuſlibet ſynceri humoris aſſiduitas reſeruat, tum ſolis animando ſimul & ficcando capillo exoptabilis ardor. Quis decor cum iniuria? quæ cum immunditiis pulchritudo? Crocum capiti ſuo mulier Chriſtiana ingerit vt in aram. [28] Quodcunque enim immundo ſpiritui exercemari ſolet, id nihil probis & neceſſariis & ſalubribus vtibus adhibeatur, ad quod creatura Dei eſt proſpecta, ſacrificium videri poteſt. Sed enim Dominus ait, *Quis* [29] *veſtrum poteſt capillum vnum ex albo facere, aut album ex atro*; Hiæ quæ reuincunt Deum. Ecce, inquiunt, pro albo [30] vel atro, flauum facimus gratiæ facilliorem: quamuis & atrum ex albo conãtur facere, quas pœnituit ad ſenectã vſq; vixiſſe. Prô temeritatem! Erubeſcit ætas exoptata votis, furtum confitetur, adoleſcentia in qua delinquimus ſuſpiratur, occaſio pauitatis interpolatur. Abſit à ſapientiæ filiabus ſtultitia tanta. Senectus cum plus occultari ſtuduerit, plus detegetur. Hęc eſt æternitas noſtra, de capitis iuuentute. Hanc incorruptibilem [31] habemus ſemper induere ad domum Domini, [32] quã ἀναλαμβάνειν pollicetur. Bene properatis ad Dominum bene feſtinatis excedere de iſto iniquiſſimo ſeculo, quia in fine appropinquare deforme eſt. [33] Quid enim ſanctæ ornandi capitis oneroſitas ſalutem ſubminiſtrat? Quid crinibus veſtris quieſcere nõ licet, modo ſubſtrictis, modo relaxatis: modo ſuſcitatis, modo elliſis? Aliæ geſtiunt in cincinnis coercere, aliæ vt vagi & volucres elabantur non bona ſimplicitate. [34] Affligitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atq, textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in ceruicem retro ſuggeſtum. Mirum quod contra Domini præcepta contenditur. Ad [35] menſuram neminem ſibi adiicere poſſe pronunciatum eſt. Vos plane adiicitis ad pondus, [36] collyridas quaſdam, ſcutorum vmbilicos, ceruicibus aſtruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti: ne exuuias alieni capitis forſitan immundi, forſan nocentis & gehẽnæ deſtinati ſancto & Chriſtiano capiti [37] ſuppares. Immo hanc ornatus ſeruitutem à libero capite propellite. Fuſtra laboratis ornatę videri, fruſtra peritiſſimos quoſq; ſtructores capillaturiæ adhibetis. Deus vos veluti iubet. Credo ne quarundam capita videantur. Atq; vtinam miſerrimus ego, in illo die Chriſtianæ exultationis, vel inter calcanea veſtra caput eleuem, videre, an cum [38] ceruſſa, & purpuriſſo, & croco, & in illo ambitu capitis reſurgatis: an taliter expictam, [39] angeli in nebula ſubleuent obuiam Chriſto.

A
Matth. 19.
B
Gen. 12. & 20. C. A. III. 1. Cor. 11.
C
Cap. IV.
D
Cap. V.
E
F
Cap. VI.
G
Pro. 83. Cap. VII.
H
Matth. 6.

A Si nunc bona & Dei sunt, tunc quoque occurrent resurgentibus corporibus, & sua loca agnoscent. Sed non potest resurgere, nisi caro ac spiritus, solus ac purus. Damnata sunt igitur quæ in carne & spiritu non resurgũt, quia Dei non sunt. Damnatis hodie abstinete. Hodie
Cap. VIII. vos Deus tales videat, quales tunc videbit [40 Videlicet nunc & vir & sexu æmulus fœminas à suis depello. An & nobis quædã respectu obediendæ grauitatis propter metum debitum Domino, detrahunt? Siquidem & viris propter fœminas, & fœminis propter viros vitio naturæ ingenita est placendi voluntas. Propriasque præstigias formæ, & hic sexus sibi agnoscit, barbam acrius cædere, interuellere, 41 circundare capillum, disponere, etiam 42 colorare caniciem, primam quamque subducere totius corporis lanuginem pigmento quoque muliebri distinguere, cetera pulueris cuiusdam asperitudine leuigare, tum speculum omni occasione consulere, anxie inspicete: cum tamen cognitio Deo adempta placendi voluntate, per luxuriæ vacationem, omnia illa vt ociosa, vt hostilia pudicitiæ, recusantur.

B Nam vbi Deus, ibi pudicitia, ibi grauitas adiutrix & socia eius. Quo ergo pacto pudicitiam sine instrumento eius, id est, sine grauitate tractabimus? Quomodo autem grauitatem administrandæ pudicitiæ adhibebimus, nisi & in facie, & in cultu, & in totius hominis cõtemplatione, seueritas circunferatur? [43 Quamobrẽ erga vestitum quoque, & reliqua compositionis vestræ impedimenta, proinde vobis curanda est amputatio, &
Cap. IX. decussio redundantioris nitoris. Nam quid prodest, faciem quidem frugi & expeditam & simplicitate condignam diuinæ disciplinæ exhibere, cetera vero corporis, 44 lacinios pomparum & deliciarum ineptiis occupare? Hæ pompæ quam de proximo curent luxuriæ negotium, & obstrepant pudicitiæ disciplinis, dinoscere in facili est, quod gratiam decoris cultus societate prostituant: adeo si desint, irritam & ingratam reddunt, velut 45 exornatam & naufragam. Contra si forma defecit, adminiculum nitoris quasi de suo gratiã supplet. Ætates denique requietas iam & in portum modestiæ subductas splendor & dignitas cultus auocant, & seueritatem appetitionibus inquietant, compensantibus
C scilicet habitus irritamento pro frigore ętatis. Ergo, benedictæ, primo quidem vt lenones & prostitutores vestitus & cultus ne in vos admiseritis, tum si 46 quas vel diuitiarum suarum vel natalium, vel retro dignitatum ratio compellit, ita pompaticas progredi: vt sapientiam consecutæ, temperare saltem ab huiusmodi curate, ne totis habenis licentiam vsurpetis prætexto necessitatis. Quomodo etenim humilitatem, quam Christiani profitemur, implere poterimus, non 47 repastinantes diuitiarum vestrarum vel elegantiarum vsum, quæ ad gloriam faciunt? Gloria autem 48 reconsueuit, 49 Non enim vtemur nostris? Quis autem prohibet vti? Secundũ Apostolum tamen, qui nos vti monet mundo isto, 50 quasi non abutamur. *Præterit enim*, inquit, *habitus huius mundi. Et qui emunt*, inquit, *sic agant quasi non possidentes.*
Matth. 19. Cur ita? quoniam præmiserat dicens: *Tempus in collecto est.* Si ergo vxores quoque ipsas sic habendas demonstrat tanquam non habeantur, propter angustias temporum, quid de vanis his instrumentis earum? Non enim
D & ita multi faciunt, & se 51 spadonatui assignant, propter regnum Dei tam fortem & vtique permissam voluptatem sponte ponentes? Quidam ipsam Dei creaturam sibi interdicunt, abstinentes vino, & 52 animalibus exulantes, quorum fructus nulli periculo aut sollicitudini adiacent, sed humilitatem animæ suæ in victus quoque castigatione Deo immolant. Satis igitur vsæ estis diuitiis atque deliciis, satis dotum vestrarum fructum cæcidistis. Vnde notitia salutarium disciplinarum, *nos sumus in 53 quos decurrerunt fines seculorum.* Nos
1. Cor. 10. destinati à Deo ante mundum in æstimationem temporum, tanquam castigando & castrando (vt ita dixerim) seculo erudimur à Domino. Nos sumus circuncisio omnium, & spiritalis & carnalis, nam spiritu & carne secularia circuncidimus. [54 Nimirum enim Deus
Philip. 3. Cap. X. demonstrauit succis herbarum & concharum alueis incoquere lanas. Exciderat illi, cum vniuersa nasci iuberet, purpureas & coccineas oues mandare. Deus & ipsarum vestium officinas cõmentus, quo leues & exiles, solo pretio graues essent: Deus & auri tanta opera produxit contemplandis & distinguendis lapillis: Scrupulosa Deus auribus vulnera intulit: & tanti habuit vexationem operis sui & cruciatus infantiæ tunc primum dolentis, vt ex illis ad 55 ferrum nati corporis cicatricibus, grananescio quæ penderent, quæ plane Parthi per omnia quæque sua 56 bullarum vice inserunt. Quamquam & aurum ipsum, cuius vos gloria occupat, cuidã genti ad vincla seruire referunt Gentilium litteræ. Adeo non veritate bona sunt, sed raritate. Per angelos autem peccatores demonstrata sunt, qui & ipsas materias prodiderũt, & 57 operositas cum raritate commissa pretiositate, ex ea libidine possidendę pretiositatis fœminarũ. Quod iidem angeli, qui & materias huiusmodi illecebras detexerunt, 58 aurum dico & argentum illustriũ, & opera eorum tradiderunt, etiam 59 calliblepharũ velleriũq; tincturas inter cetera docuerunt, damnati à Deo sunt, vt Enoch refert. Quomodo placebimus Deo, gaudentes rebus illorum qui iram & animaduersionẽ prouocauerunt? Nunc Deus ista prospexerit, Deus permiserit, 60 nullã de conchylio vestẽ Esaias increper, nullas lunulas reprobet, nullũ batronatũ retundat: tamen non vt Gentiles, ita nos quoq; nobis adulemur, institutorẽ Deum solummodo existimantes, non etiam 61 despectorem institutorũ suorũ. Quanto enim melius & cautius egerimus, si præsumamus omnia quidem à Deo prouisa tunc, & seculo posita, vti nunc esset in quibus disciplina seruorum eius probaretur: vti per licentiam vtendi, continentiæ experientia procederet? Nonne sapientes 62 patresfamiliæ de industria quædam seruis suis offerunt atque permittunt, vt experiantur an æqualiter permissis vtantur, si probe, si modeste? Quanto autem laudabilior qui abstinuerit in totum, qui timuerit etiam indulgentiam Domini? Sic igitur & Apostolus:
1. Cor. 10. 65 *Omnia*, inquit, *licent, sed non omnia ædificant.* Quanto facilius illicita timebit, qui licita verebitur? [64 Quæ
Cap. XI. autem vobis causa est structius prodeundi, quum remotæ sitis ab his quæ ad aliud indigent? Nam nec templa circuitis, nec spectacula postulatis, nec festos dies Gentilium nostis. Propter ipsum enim conuentum, & mutuum videre ac videri omnes pompæ in publicum proferuntur, aut vt luxuria negotietur, aut gloria insolescat. Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut 65 sacrificium offertur, aut Dei verbum administratur. Quod uis horum, grauitatis & sanctitatis negotium, & cui opus non sit habitu extraordinario, & 66 composito, & soluto. Ac si necessitas amicitiarum officiorumque Gentilium vos vocat, cur non vestris armis indutæ proceditis, tanto magis, quanto ad extraneas fidei? vt sit inter ancillas diaboli & Dei discrimen: vt exemplo sitis illis, vt ædificentur in vobis: *vt* (quomodo ait
Philip. 1. Rom. 1. Apostolus) 67 *magnificetur Deus in corpore vestro.* Magnificatur autem, si per pudicitiam, vtique & per habitum pudicitiæ competentem. Sed enim dicitur à quibusdam, Ne 68 blasphemetur nomen in nobis, si quid de pristino habitu & cultu detrahamus. Non auferamus ergo nobis & vitia pristina, simus & moribus iisdem, si & superficie eadem: & tunc vere non blasphemabunt Nationes. Grandis blasphemia, si qua dicatur, ex quo facta est Christiana, pauperius incedere. Timebit pauperior videri, ex quo locupletior facta est, & sordidior, ex quo mundior. Secundum Gentilium, an secundum Dei placitum incedere Christianos oportet? [69 Optemus tantummodo, ne iustæ blasphemationis causa simus. Quanto autem blasphemabile est, si quæ sacerdotes pudicitiæ dicimini, impudicarum ritu procedatis cultæ, aut expictæ? Aut quid minus habent infœlicissimæ illæ 70 publicarum libidinum victimæ? quas si 71 quæ leges à matronis & matronalibus decoramentis coercebant, iam certe seculi improbitas quotidie

insurgens honestissimis quibusque fœminis vsque ad errorem dignoscendi coæquauit: quanquam lenocinia formæ nunquam non prostituto corpori coniuncta & debita, etiam scripturæ suggerunt. Illa 72 *ciuitas valida, quæ super septem montes & plurimas aquas præsidet*, quum prostitutæ à Domino appellationem meruisset, quasi habitu appellationi suæ comparata est? *Sed & certe in purpura cum coccino & auro, & lapide pretioso*, quæ maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta & prostituta describi. 73 Thamar illa, quia se expinxerat & ornauerat, idcirco Iudæ suspicioni visa est quæstui sedere, adeo, quia sub velamento latebat, habitus qualitate quæstuariam mentiente, & fecit vt quæstuariam, & voluit, & compellauit, & pactus est. Vnde addiscimus aduersus congressus etiam, & suspiciones impudicas prouidendum omni modo esse. Quid enim castæ mentis integritas in alterius suspicione maculatur? quid speratur in me quod auersor? cur non mores meos habitus pronunciat, ne spiritus per aures ab impudentia vulneretur? Liceat videri pudicam, certe impudicam non licet. [74 Aliqua forsan dicat: Non est mihi necessarium hominibus probari: nec enim humanum testimonium requiro. Deus conspector cordis est. Scimus omnes, quum tamen quid idem per Apostolum dixerit recordemur: 75 *Probum vestrum coram hominibus appareat.* Ad quid, nisi vt malitia ad vos accessum omnino non habeat, & vt malis & exemplo & testimonio sitis? Aut quid est, *Luceant opera vestra*? 76 Aut quid nos Dominus lumen terræ vocauit? quid ciuitati supra montem constitutæ comparauit, si non relucemus inter tenebras, & 77 extamus inter dimersos? Si lucernam tuam sub modium abstruseris, in tenebris relictæ à multis incuseris necesse est. Hæc sunt quæ nos 78 luminaria mundi faciunt, bona scilicet nostra. Bonum autem duntaxat verum & plenum non amat tenebras, sed gaudet videri, & ipsa 79 denotatione sui exultat. Pudicitiæ Christianæ satis non est esse, verum & videri. Tanta enim debet esse plenitudo eius, vt emanet ab animo in habitum, & eructet à conscientia in superficiem, vt & foris inspiciat quasi supellectilem suam, vt conueniat fidei continendæ in perpetuum. Discutiendæ enim sunt deliciæ, quarum mollitia & fluxu fidei virtus effœminari potest. Ceterum nescio an manus 80 spathalio circumdari solita, in duritia catenæ stupescere sustineat. Nescio an crus de 81 periscelio in neruum se patiatur artari. Timeo ceruicem, ne margaritarum & smaragdorum laqueis occupata, locum 82 spathæ non det. Quare benedictæ meditemur duriora, & non sentiemus: relinquamus lætiora, & non desiderabimus. Stemus expedite ad omnem vim, nihil habentes quod relinquere timeamus. Retinacula ista sunt spei nostræ. Proiiciamus ornamenta terrena, si cœlestia optamus. Ne dilexeritis aurum, in quo prima delicta populi Israelis denotantur. Odisse debetis quod Iudæos perdidit, quod derelinquentes Deum, adorauerunt: Iam tunc aurum ignis est esca. Ceterum tempora Christianorum semper & nunc vel maxime, non auro, sed ferro transiguntur: stolæ 83 martyriorum præparantur, Angelis baiulis sustinentur. Prodite vos iam medicamentis & ornamentis exstructæ Apostolorum sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi. Caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quam in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. 84 Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem.

ANNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM DE Cultu fœminarum.

1. De Cvltv.] *Etsi lib præced. cap. 4. & infra, non semel* cultum ab ornatu *distinxerit, hic certe in titulo confundi ab Auctore patet, quod,* De Cvltv, *inscripserit hunc librum, quum tamen maxime de* ornatu, *quemadmodum ibi interpretatus est, agat, vtpote de cura capilli & cutis, seu de fucis, & capillorum tinctura. Hinc paulopost vtrumque coniungit:* de cultus dico & ornatus dispositione. *Cap. interim 9. rursum de vestitu agens proprie:* quod gratiam *(inquit)* decoris cultus societate prostituant; *ac paulopost:* prostitutores vestitus & cultus; *item cap. 11.* de pristino habitu & cultu. *Similiter etiam* ornatum *proprie accipit cap. 7. his verbis:* tanta ornandi capitis onerositas; *ac cap. 12.* Thamar illa, quia se expinxerat.

Cap. I.

2. Ancillæ Dei viui, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* Quod pudicitia etiam in cultu ornatuque consistat. *In quo vel maxime imitatur Auctorem B. Cyprianus libro in Argumento citato de Disc. & hab. virgin.*

3. postremissimus.] *Superlatiuum est (inquit Rhen.) superlatiui. Significare vult plusquam ummam animi demissionem. Quo alludit his verbis B. Cyprian. vbi supra, num. 16. Ad has loquimur, has adhortamur* affectione *potius quam potestate. Non quod nos extremi & minimi, & humilitatis nostræ admodum conscij, &c. Hoc est enim quod addit Auctor:* non vtique affectationi, sed affectioni.

4. Nam quum omnes templum simus Dei, &c. *Ex 3. ms. Vatic. cod. adiecimus:* Dei, *quippe quod habeat Apostolus, & B. Cypr. Auctorem imitatus, vbi ita loquitur:* scientes quod templa Dei sint membra nostra, *&c. Eorum* templorum *cultores & Antistites sumus. Similiter etiam lib. de Pudicitia Auctor. Ex quibus etiam legimus:* & consecrato Spiritu sancto, *pro:* conseruato. *item:* æditua & Antistes pudicitia, *pro:* ædituus. *Quid vero significet* Antistes, *initio Apologet. diximus num. 2. & de Ædituis, lib. de Idol.*

5. quæ nihil immundum, &c.] *Similiter B. Cypr. ne quid* immundum *& profanum templo Dei* inferatur, *ne* offensus sedem *quam* inhabitat, derelinquat.

6. cui indicendæ, &c. sufficiunt instantia vbique diuina præcepta.] *Quibus scripturis* indicta sit pudicitia, *videre est lib. de* Pudicitia *tum Auctoris, tum B. Cyprian. Atqui illud:* mihi reprehendendo, *dandi casu dictum esse adnotat Rhen. hoc est, digno, qui reprehendar. Ego vero ex ms. 3. Vatic. lego:* Sed enim perseuerant, *pro* perseuerent, *&:* formæ & nitoris sui, *cum Latinio,* eandem *nempe formam* circumferentes, &c.

7. Nam & si qua in Gentilibus pudicitia credi potest.] *Correctio est eius quod præmisit:* nihil verum, &c. *contra eos qui virtutes in Gentilibus peccata autumant, quum hic Auctori sufficiat* imperfectam pudicitiam *illis adscribere. Adnotat autem Ironice dictum Rhenanus* propter veritatem Gentilium *Ego malim legere, quod in 1. edit. ad marginem adnotatur:* vanitatem, *nisi refragarentur ms. codices. Ex quorum vno lego:* deuitat effectum, *pro:* affectum: *& iuxta 1. edit. in marg. cum Latinio:* Quota denique est, *pro eo quod alij:* Tota.

8. expirgere.] *Eodem modo dixit capite seq.* Expingamus nos, *& cap. 12.* Thamar illa, quia se expinxerat & ornauerat; *ex quo patet, hac voce ornatum intelligi. De voce autem Tertullianica:* deuertere, *alibi latius.*

CAP. II.

9. Perfectæ autem, id est, Christianæ pudicæ, &c. *Inscriptionem huic capiti damus:* Quod studium placendi per decorem de integra conscientia non veniat. *In quo similiter Auctorem B. Cyprian. imitatur de Discipl. & hab. virg. his verbis: Ceterum si te sumptuosius comas, &c.*

10. cuius te profiteris extraneam.] *Extraneus cum Genitiuo, quales etiam locos tum hic, tum alibi adnotat Rhenan. lib. de Resurr. carnis:* extranea gloriæ, *lib. 2. adu. Marc.* Quis mali extraneus: *& lib. 5. adu. eundem:* extranei sacramenti, *id est, à sacramento.*

11. si speremus non posse delinquere] Sperare, *inquit idem, pro timere, vt hic mox:* Sperando enim timebimus, *& in superioribus libris sæpe Terentius: Nam quod tu speras, propulsabo facile. Sic etiam supra lib. de Pœnitent.* aut idem sibi de die sperent *& lib. de Pallio:* Campania sperer. *Legimus autem mox cum Latinio:* etiam præsumere illis. *pro:* illi. *Qui superfluum putat.* illis, *ibi:* quid alteri concupiscentiam importamus? *Verum Rhenanus mox non male explicat:* illis, subaudi, *forma studiis. Paulo post retinemus cum excus.* crimen quidem dominum non constringit, *pro eo quod Vat. ms. 2.* crimine.

12. vt alteri pereant.] Alteri *plurali numero, pro:* alij. *Quemadmodum etiam infra cap. 4.* Alteris placere. *Cui similiter Cicero li. 6. epist. ad Torquatum epist. 3.* alteri *diuicant,* alteri *victorem timent.*

13. Diliges proximum tuum sicut teipsum.] *In ms. 3. deest* tuum, *sed legitur apud Matth. & Græce & Latine.*

14. elabo-

14. elaboratæ libidinis ſuggeſtum.] *ms.* 3. cupidinis, *perinde eſt. Recte autem Rhenan.* ſuggeſtum *interpretatur adparatum, cum etiam alibi frequenter in ea ſignificatione vtatur Auctor.*

15. vt diuinæ plaſticæ acceſſio.] *Similiter infra auctor cap.* 5. Diſplicet illis nimium plaſtica Dei. *& B. Cyprian. lib. de Habit. virg. quod opus Dei & factura &* plaſtica *adulterari nullo modo debeat.*

16. & ſororem mentitus Saram.] Mentiri *hic accipit pro ſimulare, quemadmodum & Plinius lib.* 35. *cap.* 6. *Color ille chryſocoloram* mentitur. *Neque enim ego exiſtimo aliud ſenſiſſe Auctorem, quam Originem hom.* 6. *in Gen. qui Allegorice interpretatur, aut B. Chryſoſt. hom.* 32. *in Gen. qui fictionem nuncupat, aut B. Auguſt. qui latiſſ. à* mendacio *Abraham excuſat libr.* 22. *adu. Fauſtum, cap.* 33. 34. *&* 35. *& lib. contra* mendac. *ad Conſent. Non enim dixit, inquit, Non eſt vxor mea, ſed dixit,* Soror mea eſt, *quod erat reuera tam propinqua genere, vt ſoror non mendaciter diceretur, &c. Aliquid ergo veri tacuit, non falſi aliquid dixit, maxime quum pro ijs etiam faciat, quod illud Gen.* 12 Et bene mihi ſit propter te, *quidam recentiores ex Hebræo vertant,* In inuolutione, *ſiue*: in fictione tua. *Latiſſime autem de tota hac materia* mendacii *idem tractat, tum eo libro, tum præced. ad eundem Conſentium, quem de* Mendacio *inſcripſit.*

CAP. III.

17. Nunc non ſit timenda, &c.] *Titulum huic capiti dedimus:* Quod quum in carne gloriandum non ſit, nec proinde etiam in laude formæ.

18. quod angelis Dei non eſt neceſſaria.] *Videtur alludere ad illud* 1. *Cor.* 11. Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter angelos. *De quo latius lib. ſequ. de Vel. virg. Paulo poſt autem iuxta* 1. *edit. ex* 3. *Vat. ms. cod. legimus:* profeſſionibus humilitatis, *pro*: profeſſoribus. *Siue autem legas* Dein *cum excuſ. ſiue*: Deinde *cum ms. perinde eſt. Eadem eſt ratio, vtrũ legas:* Nobis duntaxat *an*: vobis. *Atqui de* ſtupore, *pro ornatu, à quo deducta vox:* ſtuporata, *lib. præced. diximus.*

19. vt & ſpiritus in ea coronetur.] *Pertinet hoc ad* coronam *ſeu mercedem bonorum operum, de qua ſupra lib. ad Martyr. cap.* 3. *num.* 43. *Illud autem in calce huius capitis*: non ignorare, *accipitur, pro non tantum ignorare. Simile eſt illud B. Cyp. Epiphonema lib. de Hab. virg. Cum virginitas in nobis cœperit* coronari.

CAP. IV.

20. Quaſi Gentilibus dicam, &c.] *Breui capiti breuem titulum adſcribimus:* Quod mariti cauſſa componere ſe mulier non debeat. *B. Cyprian. quaſi aliud agens, eiuſdem meminit lib. de Hab. virg. vbi nu.* 61. *docuimus ex Ambroſ. & Auguſt. nuptias fucum excuſare non poſſe. Recte autem interpretatur Rhenan. Ironiam eſſe in verbis illis*: vos ſolis maritis veſtris placere debetis, *& alloqui illas Auctorem, iuxta quod præmittit:* Quaſi Gentiles, *hoc eſt, paulo indulgentius, oblitum diſciplinæ ſeuerioris. Vix enim vxorius permittit, vt propriis maritis placeant.*

21. vel propter illam ſceleratam, &c.] *Quod videlicet Chriſtiani (inquit Rhenan.) cum matribus & ſororibus inceſtam exercerent libidinem in conuenticulis ſuis, de qua latius Apologet. cap.* 7. 8. 9. *& Adnotat. noſtris ibidem.*

CAP V.

22. Hæc vtique non ad crudam, &c.] *Inſcriptio huius capitis eſt:* De fuco quo cutem vnguunt. *Recte autem Auctor (vti adnotat Rhenan.) nam matronas Chriſtianas decet neglecta mundicies, vt eſt apud D. Hieron.*

24. quæ cutem medicaminibus vnguunt, &c.] *Ita ex* 3. *MS. pro:* vngunt. *Quod aũt hic dicit:* genas rubore maculare, *& infra cap.* 7. cum ceruſſa & purpuriſſo, *B. Cyprian. de Hab. Virg.* genas *mendacio* ruboris *inficere dixit: & quod hic:* oculos fuligine collinere. *ac ſupra lib. præced. cap.* 2. nigro puluere oculorum exordia producere; *ibidem Cyprian.* oculos *circumducto* nigrore *fucare, & rurſum:* nigro puluere vel rubore *aut quolibet denique lineamenta natiua corrumpente medicamine adulterare, & libr. de Pudicit.* oculorum *extremitates ſuffuſcare. Qui etiam idipſum apoſtatis Angelis tribuit. De quo vide Adnot. noſtras in priorem lib. nu.* 55. *adpoſtremum, num.* 44.

24. in cuius manu ſit.] *Iuris (inquit Rhenan.) ſermo eſt, hoc eſt, in cuius poteſtate ſit, necdum manumiſſus: cuius mancipium ſit. Domini periphraſis eſt. De ſignificatione* Mali, *pro diabolo, vide ſupra lib. de Patient. num.* 70. *Legimus autem*: à noſtris diſciplinis, *pro* veſtris: *& paulo poſt:* Ediræ benedictæ, *ex caſtigatione Harriſii, pro:* Credite. *Pro iiſdem denique Auctor accipit:* faciem fictam geſtare, effigiem mentiri, ſpeciem exercere.

CAP. VI.

25. Video quaſdam & capillum croco vertere.] *Similis huius capitis titulus.* De capillorum colore immutato. *De eodem mox:* crocum capiti ſuo mulier Chriſtiana ingerit; *& cap. ſeq.* an cum croco, &c. reſurgatis. *Quid autem* croco *fieret, paulo poſt indicat,* flauum facimus. *Hinc &* flaui *coloris meminit B. Cyprian. libr. de Hab. virg.*

26. Germanæ aut Gallæ.] *Equidem (inquit Rhenanus) ita ſuam Biſſulam Sueuam, puellam natam in Martiana ſylua ad Danubij fontem, celebrat Auſonius:*

Sic Latiis mutata bonis, *Germana* maneret
Vt facies, oculos cærula *flaua* comas.

Præter ea D. Hieronymus de Gothis loquens, qui poſtea primi ex Germanis *Romanorum Reges fuere: Getarum, inquit, rutilus & flauus exercitus, eccleſiarum circumſert tentoria. Idem in vita Hilarionis eremitæ, de Nobili quodam, qui agebat in aula Conſtantij. Aug. Rutilus, inquit, coma, & candore corporis indicans prouinciam.*

27. peſſime ſibi auſpicantur flammeo capite. *Croceus, inquit idem, color &* flammeus dicitur. *Alludit autem ad flammam ignis inferni. Hunc locum imitatus Cyprianus martyr dixit: Audaci conatu & ſacrilego contemptu crines tuos inficis, malo præſagio futurorum*, capillos *iam tibi* flammeos *auſpicaris. Et Hieronymus ad Latam, de Inſtitutione filiæ: Nec caput, inquit, gemmis oneres, nec capillum irruſes, & ei aliquid de gehenna ignibus auſpiceris.*

28. Quodcumque enim immundo ſpiritui excremari ſolet, &c.] *De croco haud dubie loquitur, quem fortaſſis pauperiores loco thuris* cremabant, *ſi illud ad manus non eſſet: vt eo pertinere poſſe videatur etiam illud Arnobij lib.* 7. *Et odoris alicuius tuam* concremet *glebulam.*

29. Quis veſtrum poteſt capillum atrum, &c. *Periphraſticũs citat illud Matth.* 5. Non pores vnum capillum album facere aut nigrum.

30. Pro albo velatro.] *Vox noua, compoſita à velando, pro velamine capillorum. Atqui illud:* gratiæ faciliorem, *interpretatur Rhenan. ad gratiam.*

31. habemus ſemper induere.] *Sic illud lib. ſequ. de Vel. virgin.* Quum habet delitеſcendum; *& lib. de Monogamia:* decurrere habebat. *Similiter B. Cypr. epiſt.* 27. reſcribere habeam; *quales eius item ſunt loci epiſt.* 47. *& ad Cæcil. item alibi etiam apud Tertullianum.*

32. quam ἀκηκία pollicetur.] *Videtur alludere (inquit Rhenan. ad locum illum* 83. *Pſalmi:* Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia. *Porro probum eſt vocabulum* ἀκηκία, *pro puritate à vitiis, & ſimplicitate. Eo vtitur etiam Dionyſius quem Areopagitam vocant:* τῷ ἰωῇ ὡς ἀκηκίας ἐχόμενος; ἐδήκιετο. *Ego vero eo quod præcedit ad* domum Domini, *magis puto reſpicere Auctorem ad illud Pſalmi* 23. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens, &c.

CAP. VII.

33. Quid enim tanta ornandi capitis, &c.] *tractat hoc caput* De capillamentis adſutitiis. *In quo etiam imitatur Auctorem B. Cyprian. libr. ſæpecitato. Mox ms,* 3. *cod. Vat. legunt:* modo ſubſtructis. *verum magis placet:* ſubſtrictis, *eo quod opponatur:* relaxatis; *&* Aliæ geſtiunt in cincinnis, *id eſt: tortis crinibus*, coercere.

34. Adfigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium, &c.] *ms.* 3. *cod. Vat legunt:* ſubtilium *ſed illud placet: Galericulum autem (inquit Rhenan.) intelligit, id eſt, comam adulterinam, ſimpliciter* capillamentum *dictam Tranquillo in C. Caligula,* Capillamento *calatus. De his ſcripſit Hieronymus ad Marcellam ſcribens: Qua* capillis *(inquit) alienis* verticem *ſtruunt. Porro* Galeri *vocabulo Tertullianus capitis tegmen accipit, ſiue pileolum. Quibus adde quæ habet Iunius lib. de Coma, cap.* 7. *de vſu fœminis olim recepto in faſtigiando, & crinem aggeſtum in turrim quodammodo primore in capitis parte exſtruendo: cuiuſmodi ſtructuram Tutulum vocari auctor eſt Sextus Pompeius, & de lingua Latina Varro, eo quod tuendi capilli gratia fieret. De qua etiam ibidem citantur Papinius Epithal. Violantillæ, Iuuenalis Satyr.* 6. *Gregorius quoque Nazianzenus hoc verſiculo?*

Ne caput ædifices *adſuto* fœmina *crine.*

Apertior eſt autem Lucani illud citatum à Ioſepho Scaligero in Varronem.

Turritaque gerens frontem matrona corona.

Neque interim apud Chriſtianas quicquam profecit & Tertulliani & Gregorii Nazianzeni, & B. Hieronymi, aliorumque Patrum reprehenſio, quippe qui videamus antiquas picturas per totum Belgium fœminarum eo capitis ornatu, & nominatim per Arteſium, Cameraceſium, Tornaceſium, & Pontacum, quippe contra quem anno 1428. *magnopere inuectus fuerit (iuxta quod tradit Metiſrus in Flandriæ Annalibus) Fr. Thomas Cometa genere Brito, à quo tempore paulatim diſſueſcere cœpit.*

35. Ad menſuram neminem ſibi adiicere poſſe, pronunciatum eſt.] Menſuram *pro ſtatura accipere videtur, nam apud Matth. eſt:* Quis poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?

36. collyridas quaſdam, ſcutorum vmbilicos, &c.] *Verum quidem eſt quod ſcribit Rhenan.* Collyris *à* collyra *per diminutionem deductum, paruus panis eſt de farina puriore. Quidam frixam farinam eſſe putant. Nominantur* collyrides, *Leuitici* 7. & 8. & 6. *cap. lib.* 2. *Regum. Verum hic alio ſignificatu metaphoricõs accipi exiſtimo, pro ornatu capitis, qui placentæ ſen* collyridarum *in morem* ceruicibus aſtruebatur: *Quum autem placentæ etiam ſcutorum formam rotundam habeant, eo magis aſſentior eruditiſſimo viro Dn. Latino Latinio, qui cenſuit legendum:* ſcutorum vmbilicos, *pro eo*

quod

quod antea erat nullo sensu: sputorum, *quos* vmbilicos *vocans, indicat, in medio eius ornatus lapillos quosdam pretiosos* vmbilicorum *instar, illi ornamento adiunctos fuisse. Atqui particulam* : vel, *adiiciunt ms. 1. Vatic. verum omisi cum excus. vt posterior interpretatio sit prioris clausula.*

37. suppares.] Supparandi *verbum (inquit Rhen.) frequens est Tertull. Hinc illud in Valentinians:* Quantum lupæ fœminæ formam quotidie supparare sollemne est, *id est, suffitere, substituereque. Et lib. de Resurr. car.* neque generis supparatura. *Vbi etiam significationem indicat. Nam* supparatur *genius, dum sobolem substituimus, seu, vti loquitur B. Cypr. epist. 2. ad Donatum, subiicimus.*

38. ceruſſa & purpuriſſo.] *Prius illud (inquit idem) candoris est, posterius ruboris medicamentum. Vide Adnot. nostras in lib. de Pœnit. num. 66.*

39. angeli in nubila ſubleuent.] *Transtulit Auctor illud* εἰς ἀέρα, in nubila *est enim aer fere nubilus: addens,* ſubleuationem *illam seu raptum, factum iri ab Angelis.*

CAP. VIII.

40. Videlicet nunc & vir.] *Inscribitur hoc caput à nobis:* De ſtudio formæ in viris. *Atqui pro:* obediendæ grauitatis *coniicit Latinius legendum:* obeundæ; *at placet magis illa lectio cum interpretatione Rhenani:* cui obediri debeat. *Legimus autem cum 3. ms.* An & nobis, &c. detrahunt, *pro eo quod erat:* detrahuntur.

41 circundare capillum, diſponere.] *Proprie contra eos agere videtur, quibus ad instar Philosophorum quorundam, sicuti testatur Strabo libr. 15. ex auctoritate Clitarchi, moris erat* μιτρηδὸν περιπλέκειν τοὺς κόμας, *id est, implexos crines in modum tiaræ circumdare. Plura hac de re, ne prolixiores simus, videat Lector apud Iunium, Comment. de Coma, cap. 7. ex Lucano, Homero, Philostrato, & Suida. Eodem pertinere* crobylos barbaricos, cicadas Athenienſium, & cirbos Germanorum, *infra ostendemus lib. sequ. de Velandis virg.*

42. etiam colorare canitiem.] *Similiter Hier. lib. ad Eustoch. de Virgin. vitari vult Comatos clericos, quibus fœminei contra Apostolum crines; alludens ad illud Apost. 1. Cor. 11.* Natura docet comam non decere virum. *Vnde & Hilarionem tradit semel in anno ad Paschа capillum totondisse.*

CAP. IX.

43. Quamobrem erga veſtitum quoque, &c.] *Titulum huic capiti dedimus:* De veſtitus pompa. *In quo vel maxime Auctorem imitatur B. Cypr. vbi supra.*

44. lacinioſis pomparum & deliciarum ineptiis.] *ms. 3. Vatic. c. d.* laſciuioſis; *sed magis illud placet pro varius & redundantibus, vti interpretatur Rhenanus, eo quod lib. sequ. simili significatione dixerit:* ſermo lacinioſus, *& adu. Marc. initio lib. 4.* à legis lacinioſis oneribus expeditum *id est, ius quæ homines occupationibus distinebant, sicut impedit gressum vestis* lacinioſa.

45. Velut exornatam.] Exornatam *(inquit Rhen.) vsurpat, sicut dicimus exarmatam, hoc est, ornatu spoliatam & destitutam. Similiter dixit Terentius in Phormione: Adeo* exornatum *dabo, adeo depexum, vt, dum viuat, meminerit semper mei. Ibi autem:* & in portum modeſtiæ ſubductas, *Translatio est à nauibus, quæ in tutam stationem ex alto mari subducuntur.*

46. Tum ſi quas vel diuitiarum ſuarum vel natalium vel retro dignitatum, &c.] *Locum hunc latius explicat B. Cypria. vbi supra, Locupletem, inquit, te dicis & diuitem, &c. adferens testimonia 1. Timoth. 2. & 1. Petri 3. de cultu atque ornatu iusto fine moderando. Hoc est enim quod dicit Auctor:* ne totis habenis licentiam vſurpetis. *Verum de hoc argumento, quibus cultus moderatior sit licitus, aliquid ibidem diximus, num. 36. & 37.*

47. repaſtinantes.] *Hoc est (inquit Rhenan.) euellentes, repurgantes, eruentes. Methaphora ab eo sumpta, qui solum futuro nouali præparat inutilibus omnibus rejectis. In lib. de Pœnit. legimus:* Et biſulcum aliquid ferri vel æris vnguibus repaſtinandis, *hoc est, refodiendis, perpurgandisque.*

48. reconſueuit.] *Vsurpare, inquit idem, videtur, quando consentiunt exemplaria,* reconſueuit, *pro: consueuit respondere siue regerere.*

49. non enim vtemur noſtris?] Non, *pro:* Nonne. *& similiter paulo post:* Non enim & ita multi faciunt.

50. quaſi non abutamur, &c.] *Ad verbum expressit quod Græce est: ὡς μὴ κατεχρώμεθα. Quemadmodum enim* χρώμεθα, *vti* καταχρώμεθα, abuti *significat. Eodem pertinet illud lib. de Coron. milit. cap. 10.* Nobis autem abuti apud apoſtolum non licet, facilius non vti docentem. *Accipitur autem & ab Auctore hic & infra lib. de Pudic. Tom. 5. & à B. Cyprian. vbi supra,* habitus huius mundi, *pro figura.*

51. & ſe ſpadonatui adſignant propter regnum Dei.] Spadonatui ſe adſignate *accipit pro eo quod B. Cypr. vbi supra, & Hieron. sua editione vulgata, Castrare verterunt. Eosdem* voluntarios ſpadones *nuncupat infra lib. 1. Ad vxorem. Similiter etiam B. Cypr. quum alibi frequenter, Testim. lib. 3. ad Quirin. locum hunc Matth. 19. de bono virginitatis & continentiæ interpretatur. De his etiam in hanc sententiam B. Iustinus Martyr. Permulti profecto sexus vtriusque & 60. & 70. nati annos, qui à pueris disciplinam Christi sunt adsectati, incorrupti & cœlibes perdurant. Et Athenagoras Ora. pro Christi virginitas & Eunuchismus propius nos ad Deū adducit. Quos ad verbum fere imitatus Auctor supra Apol. ca. 9.* Quidam, *inquit,* multo ſecuriores totam vim huius erroris, virgine continentia depellunt, ſenes pueri. *Et infra lib seq.* Viri, *inquit,* tot virgines, tot ſpadones voluntarii, &c. *& paulo post:* etiam continentiæ nomine maſculos honorari. *Similia reperire est etiam de continentia Clericorum ab vxoribus apud Euseb. de Demonstr. Euang. lib. 1. cap. 9. Arelat. 2. Synod. cap. 2. & 3. Elibert. Conc. cap. 33. Hieron. lib. 1. contra Iouin. & Apol. pro iisdem lib. & contra Vigilant. Sixtum Pap. 3. lib. de Cast. Ambros. adscriptum comment. in Epist. 1. ad Timoth. cap. 3. Ipsum Ambrosium epist. ad Ecclesiam Vercellensem, Origen. hom. 23. in Num. 11. cap. & lib. 8. aduers. Celsum. Denique Innocent. Papam epist. ad Victricium cap. 9. Latissime autem apud Epiphanium adu. hæresim Cataph. diserris verbis adsorentem, quod Apostoli talem Ecclesiastici sacerdotij Canonem constituerint. Similiter etiam aduersus Catharos. Quin quod Apostolus Paulus ad Titum 1. non solum pudicum vult esse Episcopum, atque adeo & Presbyteros ac Diaconos, sed etiam continentem, Græce* ἐγκρατῆ. *Neque vero obstare illud eiusdem Apostoli Hebr. 13.* Honorabile coniugium in omnibus; *aut illud 1. Cor. 7.* Si non ſe continent, nubant; *pulcre prosequitur Euseb. vlt. libr. de Demonstr. Euang. c. vlt. dicens ea dici de non sacratis, aut qui sponsionem eum Deo non fecerint. Loci adnotandi aduersus Magdeburgenses, qui continentiam sacerdotum, aliorumque Ecclesiasticorum impugnant. Immo etiam illud:* ſe ſpadonatui adſignant, *& quod infra est lib 1. Ad vxorem:* Qui ſtatim à lauacro carnem ſuam obſignant, *ad votum continentiæ haud dubie pertinet virorum (nam de Sanctimonialibus lib. de Vel. virg. latius) de quo videat Lector Adnotat. nostras in B. Cyprian. epist. 62. ad Pompon. num. 16. & lib. de Disc. & hab. virg. num. 18. Nominatim etiam Origenes lib. de Singularit. Cler. inter opera eiusdem Cyprian. Omne, inquit, quod voti est, etiam in actu* ſignandum *est, ne aliud vota commendent, & aliud actus insinuent. & paulo post:* Dantes ſimplices animos ad caſtitatis vota ſeruanda. *& homil. 24. in Num. Qui in castitate viuit, corpus suum vouit Deo. Hilarius item in Psalm. 64. Deo, inquit, ergo vouenda sunt, contemptus corporis, castitatis custodia, &c. B. Augustini postremo tot sunt loci huc pertinentes, vt pagina illis recensendis non sufficiat: quare ad Indicem eius operum Lectorem remittimus.*

52. animalibus exulantes.] *ms. 3.* exolentes. *sed illud magis placet, quia similibus phrasibus alibi vtitur, vti (Rhenano etiam adnot ante) supra lib. de Pœnit.* exules à libertatis & lætitiæ fœlicitate, *& lib. de Resurr. carn. Tom. 3.* exules carnis. *Qui etiam recte adnotat, Translationem à lignatoribus sumptam, quum subiungitur:* ſatis dotum veſtrarum fructum cæcidiſtis.

53. in quos decucurrerunt fines ſæculorum,] *Ad verbum vertit ex Græco illud:* κατήντησεν, *pro eo quod noster interpres, deuenerunt. Est autem* decurrere *eodem significatu frequens Tertulliano.*

CAP. X.

54. Nimirum enim Deus, &c.] *Capiti huic titulum dedimus:* Quod veſtium colores non à Deo, ſed à deſertoribus angelis monſtrati ſint. *Siue autem legas:* monſtrarit *cum 3. ms. Vatic. siue:* demonſtrauit *cum excusis, perinde est. Lectorem autem remittimus ad lib. præced. cap. 8.* De veſtium coloribus, *& eiusdem cap. 7.* De lapillis qui anxie perforantur, vt pendeant *ab auribus, nempe quemadmodum hic latius, & eiusdem cap. 2.* De Angelis peccatoribus.

55. ad ferrum nati corporis.] *Humanum corpus (inquit Rhenanus) intelligit, quod in illa protoplaſti Adami maledictione ad laborem & agrorum culturam, quæ* ferro *potissimum exercetur, ipso Deo pronuntiante sententiam, damnatum est. Notus est locus Genes. 3. ad quem hic alludit. Ceterum emphasis est in vocabulo:* ferrum. *q. d. Non ad aurum, non ad argentum. Iam quoniam hic de* barbaris *loquitur, &* Parthorum *max sit mentio, possit aliquis etiam ad* ferrum *exponere pro eo quod est ad militiam; sed prius illud magis placet.*

56. bullarum vice, &c.] *Apud Romanos (inquit idem) ornamentum puerile erat* bulla *aurea, & prætexta purpurea. Auctor Plutarchus. Quod quum à pectore pendere soleret, eo alludit Auctor, quum dicit:* per omnia quæque ſua.

57. & operoſitas cum raritate, &c.] *Sensus est (inquit Rhen.)* Et operoſitas cum raritate, commiſſa est cum pretioſitate, *id est, prouocauit & accendit pretium, ex ea libidine possidendæ* pretioſitatis *fœminarum. Hoc est, cum omnes expeterent id possidere, quod merces & pretium fuisset fœminarum, quæ cum Angelis illis libidinem exercuerant. Veluti magni quid esset, quod Angeli sua amasiis contulissent pro mercede stupri.*

58. Aurum dico & argentum Illuſtrium.] *Hoc est (inquit idem)* aurum & argentum, *quo hodie* Illuſtres *matronæ vtuntur; nam quemadmodum Vlpianus docet, fœminæ nuptæ mariti dignitate censentur, vt* illuſtribus *(qui summus est dignitatis gradus) nuptæ sint* illuſtres, *quæ spectabilibus spectabiles, quæ clarissimis clarissimæ, perfectissimæ quæ perfectissimis. Erant autem* illuſtres, *qui senatoris ornamentis præditi erant. Tradit Isidorus primos ordines senatorum dici* illuſtres, *secundos spectabiles, tertios clarissimos. Viri* illuſtris *titulo primos illos veterum Francorum Reges contentos fuisse, tabellæ vetustæ quæ exstant, abunde testantur. Exstat formula* Illuſtratus *vacantis apud Cassiodorum, Variar. l. 6. epist. 11.*

59. callibleparum.] κολλύριον *(inquit Rhenan.) medicamentum est oculorum, præsertim palpebris venuſtandis seu fucandis seruiens. Non solum autem ex foliis vſtis roſarum confici docet Plinius*

A

lib. 21. cap. 19. sed etiam ex nucleis palmarum, lib. 27. cap. 4. sed & ex medulla bubula calliblephara *modo fuligo temperatur. Denique & ex ampi liti, vti est apud eundem lib. 35. cap. 16. De libris autem Enoch vide libri præcedentis cap. tertium.*

60. nullam de conchylio vestem Esaias increpet.] *Alludit ad verba Esaiæ 3. quibus inter cætera, mulierum ornamenta reprehendit, aut hæc:* κὴ τὰ περιπόρφυρα, κὴ τὰ μεσοπόρφυρα, *quæ vertit vulgatus interpres 70. interpretum*: & circum purpuream & clauatam vestem, *aut illa*: κὴ τὰ βύσσινα, κὴ τὰ ὑακίνθινα, κὴ κόκκινα, *id est*: & bissina & hyacinthina & coccinea. *Atqui* de lunulis *&* botronatu *videat Lector Adnotat. nostras ad sæpedictum B. Cyp. lib. num. 49. & 51.*

61. despectorem institutorum suorum.] Despector (*inquit Rhenan.) vt & ante plus semel, pro*: Dispectore, *qui curam habeat & considerationem* institutorum suorum. *Sic & lib. de Velandis virg.* Sed nec inter consuetudines, *inquit*, despicere voluerunt illi sanctissimi antecessores. *Legimus autem cum 3. ms.* vti nunc esset.

62. patresfamiliæ.] *Istud vsurpat Auctor, contra quem sentit Varro lib. 7. vbi dicere debuisset Patresfamilias. Eodem modo Mart. l. 1.* Paterfamiliæ *verus est Quirinalis.*

63. Omnia, *inquit*, licent, sed non omnia ædificant.] *Similiter locum hunc citat B. Cypr. & lib. sæpecitato, & lib. 3. Testim. ad Quirin. cap. 92. Contra tamen Apostoli exemplar, omittitur particula*: mihi, *quæ Græce & Latine est vbique.*

B

CAP. XI.

64. Quæ autem causa vobis est structius prodeundi, &c.] *Titulo hoc caput insigniuimus*: Quod nulla sit caussa ornatius prodeundi. *hoc enim significat* structius, *de qua phrasi supra lib. de Patient. num. 22. Sicuti de* templis *Idolorum Apolog. cap. 15. nu. 233. & de* fratribus, *id est, Christianis, eiusdem lib. cap. 39. num. 505. De* Spectaculis *item, toto eius argumenti libro, & de* festis Gentilium *integris 13. & 14. cap. lib. de Idololatria.* Procedere *denique pro eodem accipit, quod prius* prodire *dixit.*

65. aut sacrificium offertur.] *Si quis alius, iste certe locus adnotandus pro* Oblatione sacrificii Christiani. *De quo latius supra l. ad cap. num. 11. l. adu. Iudæos nu. 19. & 22. lib. de Orat. num. 1. & Adnot. nostris in B. Cyprian. epist. 34. nu. 12. & epist. 63. ad Cæcil. num. 3. 44. 45. 46. 48. ac 53. item lib. 1. Testim. adu. Iud. nu. 44. Quibus adde Synonyma eodem pertinentia ex Patrum testimoniis inter nostra Latinorum Leiturgica, pag. 80. & sequent. præter ea, quæ in dictis epist. ad Cæcil. num. 49. recitauimus. Vocantur enim à Clemente Romano*: holocausta altaris, oblationes Domini, sacrificatio, *item* sacrificii oblatio, oblatio, Eucharistiæ sacrificium, mysticum sacrificium, consecratio, & oblatio corporis & sanguinis Domini. *A Philone de Therapeutis (vti vertit Rufinus)* sacerdotalia officia, Orationis oblatio. *A S. Potentiano*: Sacrificium laudis. *A B. Martiale*: Sacrificium, *&* Oblatio munda. *A B. Dionysio Areop.* mystica hostia. *Ab Anacleto Papa, & Marcellino & Iulio, Aniceto, Sotere, Calixto, & Eutychiano, Alexandri ac Euaristo*: sacrificium, *&* Oblationes. *A B. Hyppoliti* Oblatio, *& à S. Fabiano*: sacrificium *&* Oblationes. *A B. Cornelio & Stephano Papis & Conc. Africano, de Lapsis vtroque*: sacrificium. *A B. Lucio Papa*: holocausti oblatio. *A B. Sixto Papa 2.* sacrificium hostiæ puræ & immaculatæ. *A B. Laurentio*: sacrificii oblatio. *A B. Euseb. Papa*: sacrificium altaris. *A Conc. Arelat. 1.* oblatio & sacrificatio. *A Licinio tyranno*: oblatio hostiarum, immolatio sacrificii. *A B. Syluestro Papa*: oblatio incruenta, *&* sacrificium *A B. Optato Mileuitano*: oblatio & sacrificium. *A B. Ambrosio*: sacrificium, oblatio, sacrificii celebratio, sacrificii ad altare oblatio, Christi oblatio, Christi immolatio. *A Mario Victorino Afro*: oblatio Eucharistica. *A B. Syricio Papa, & Conc. Romano*: sacrificii oblatio & sacrificium. *A Conc. Cartha. 1. B. Prudentio & Rufino*: sacrificium & sacrificii celebratio. *A Conc. Carth. 4. & 5.* sacrificium, oblatio, oblationis consecratio. *A B. Hieronymo*: sacrificium, sacrificii ad altare celebratio, Christi immolatio, oblatio *Ab Innocentio Papa*: oblatio, sacrificium, *similiter à Concilio Tolet. 1. A B. Paulino Nolano*: hostiæ immolatio, & celebratio, sacra litatio. *A B. Augustino denique*: sacrificii ad altare oblatio, sacrificia, benedictio *seu* consecratio eius quod oblatum est, Christi immolatio, sacrificium laudis, eius quod oblatum est distributio, oblatio. *Atqui B. Irenæi hac de re sententiam videat Lector studiosus late tractatam à Feuardentio nostro eiusdem l. 4. c. 31. num. 7. & deinceps. Item c. 33. num. 1. & c. 34. nu. 1. ac deinceps. Porro Græcorum Patrum similia Epitheta in alium locum differimus, ne hic prolixiores simus. Legimus autem cum ms. 3. Vatic.* Quodvis horum grauitatis & sanctitatis, *pro*: aut.

C

66. & composito.] *Sic &* compositionem (*inquit Rhenan.*) *vsurpauit ante*: Ne quæ vestrum putent, si temperauerint a compositione sui, odium & auersionem maritorum prosecuturam. *Rursum paulopost*: Et reliqua compositionis vestræ impedimenta.

67. magnificetur Deus in corpore vestro.] *Ad alios adplicat quod de se dixit Apostolus*: & nunc magnificabitur Christus in corpore meo.

D

68. Ne blasphemetur nomen in nobis.] *Cum 3. ms. omisimus particulam* eius, *quia non semel adnotauimus* nomen *simpliciter accipitum ab Auctore, tum à Cypriano, pro nomine Christiano, præsertim vero ad librum de Patientia, num. 11.*

E

CAP. XII.

69. Optemus tantummodo, &c.] *Tractatur hoc capite*, Quod lenocinia formæ magis prostitutis conueniant.

70. publicarum libidinum victimæ.] *Similiter fere dixit l. de Pallio, vbi etiam vestitus ornatum superfluum taxat, c. 4.* Aspice lupas popularium libidinum nundinas, &c *& mox*: ab eiusmodi propudiis occisæ in publico castitatis. *quare non placet quod habent 3. ms. Vatic.* impudicarum libidinum.

71. si quæ leges à matronis & matronalibus decoramentis coercebant.] *Ad eundem modum dixit Auctor Apolog. c. 6.* Video & inter matronas atque prostibulas nullum de habitu discrimen relictum.

72. Illa ciuitas valida, &c.] *Hunc locum ad verbum fere imitatur B. Cyprian. l. de Disc. & hab. virgin. Sic, inquit, in scripturis sanctis describitur* ciuitas *meretrix, &c.* & mulier illa amicta erat Pallio purpureo & coccineo, & adornata erat auro & lapidibus pretiosis. *Quod ipsum iterum citat ad idem restitutum Testim. lib. 3. cap. 36.*

73. Thamar illa, &c. visa est quæstui (*id est, ad quæstum*) sedere, &c.] *Etiam hanc scripturam posteriori loco citat B. Cypr. vt ostendat mulierem ornari seculariter non debere, in hæc verba*: Thamar cooperuit se pallio (*quod appellat & B. Hieronymus theristrũ*) & adornauit, & cum aspexisset eam Iudas, visum est ei meretricem esse. *Illud autem*: & voluit, *accipere videtur Auctor, pro*: concupiscentia eius exarsit.

F

CAP. XIII.

74. Aliqua forsan dicat, &c.] *Postremo capiti dedimus titulum*: Quod quum lucere debeant bona opera coram hominibus, persecutionis temporibus non conueniat ornatus.

75. Probum vestrum coram hominibus appareat.] *Ad verbum expressit, quod Græce est* apud Apostolum (*quo nomine vbique S. Paulum Apostolum intelligit*) *Philipp. 4.* τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν, *pro quo noster vulgatus interpres Paraphasticῶς* Modestia vestra.

76. At quid nos Dominus lumen terræ vocauit?] *Quum apud Matth. Græce legatur* τὸ φῶς τοῦ κόσμου, *nusquam autem* κόσμος *pro terra vsurpetur, etiam hic videtur memoria lapsus Auctor, eo quod paulo ante præcessit*: sal terræ, *quum alioqui debuisset dicere*, lumen mundi, *quemadmodum mox*: luminaria mundi.

77. & exstamus inter dimersos. *Exstamus* (*inquit Rhen.*) *id est, eminemus, proprio verbo vsus. Atqui etsi Rhen. & 3. ms. Vatic. cod. legant*: diuersos, *magis placet quod Gelenius hauddubie ex Anglico codice substituit*: dimersos, *vt metaphorice loquatur, comparans Christianos* ciuitati constitutæ supra montem, *quæ proinde* exstat inter dimersos *siue* demersos (*nam ea variatio Auctori frequens*) *hoc est persistenti in Metaphora, inter eos qui montis comparatione videntur* dimersi *in paludibus circumiacentibus.*

78. luminaria mundi.] *Etiam hic variat ab Apostolo, qui dixit Philipp. 2.*

G

79. denotatione sui.] *Quum alibi accipiat Auctor*: denotare, *pro reprehendere, hic accipit* denotationem, *pro ostensione, quemadmodum etiam supra lib. de Patient. cap. 3.* proditorem suum nec denotauit. *de quo ibi Adnot. nost. num. 18.*

80. manus spathalio circumdari solita.] Spathalium (*inquit Rhenan.*) *muliebre est ornamentum*, ἀπὸ τοῦ σπαθᾶν, *quod deliciari significat. De eodem Plinius l. 13. c. 15. qui ad intellectum facit eius quod* manum circumdari solitam *dicat Auctor. Iuba tradit circa Troglodytarum insulas fruticem in alto vocari Isidos plocamon, corallio similem, sine foliis, præcisum colore mutato in nigrum durescere? quum cadat, frangi. Item alium qui vocetur charitoblepharon, efficacem in amatoriis.* Spathalia *eo facere & monilia fœminas. Alludit itaque ad armillas ex eo genere collarii nigri.*

81. de Periscelio] Periscelide, *siue* Periscelio (*inquit Rhenan.*) crura *vel tibiæ exornabantur.* σκέλος *Græci* crus *vocant. De* neruo *autem diximus lib. ad Martyras. num. 29.*

82. Spathæ] *Vegetius de re milit. gladios maiores* spathas *vocari dicit. Est autem Græca vox* σπάθη *eodem significatu.*

83. stolæ martyriorum] *Alludit ad illud Apocal. 6.* Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.

84. Taliter pigmentatæ.] *Metaphoricῶς* pigmentatæ *dixit, voce composita à pigmento, quod vnguenti genus esse ad venustandam faciem tradit Plinius lib. 16. cap. 43.*

H

ARGVMENTVM LIBRI PRIMI AD VXOREM PER Iacobum Pamelium.

TERTVLIANVS *iamdudum Presbyter ad Vxorem par inter se consensu continentiæ ergo à se separatam, humanæ conditionis memor, si forte (persecutione nempe Ecclesiæ adhuc durante) de seculo priori euocaretur, admonitionis hoc fideicommissum (fortassis Romæ) conscripsit, quo vt post excessum suum nuptiis renunciet, adhortatur.*

Non abnuens coniunctionem viri & fœminæ benedictam & permissam à Domino, sed (sua quidem sententia, verum erroneæ) vnam tantum.

Et quamtumuis nuptias prohiberi nusquam legamus (quod inter cætera peruersitatum suarum volebat Marcion) tamen abstinentiam præferri ab Apostolo, & fœlicem illum, qui Pauli similis exstiterit.

Disiunctis enim matrimonio duas quidem species humanæ imbecillitatis necessarias nuptias facere, concupiscentiam carnis, & concupiscentiam seculi; sed vtramque repudiandam à seruis Dei; exemplo earum quæ malunt Deo nubere, & in viduitate apud Deum subsignata perseuerare.

Deinde penes Christianos etiam odiosas esse caussas nuptiarũ de sollicitudine posteritatis, & liberorum amarissima voluptate; quos quum habemus, præmittere optamus ad Dominum.

Quod si difficile videatur, recenseri tot voluntarios spadones, qui statim à lauacro carnem suam obsignant, qui consensu pari inter se matrimonij debitum tollunt, Gentiles etiam Satanæ suo & virginitatis & viduitatis sacerdotia perferre.

Nobis autem continentiam à Domino demonstratam, cuius voluntate defungitur matrimonium; maxime quum disciplina Ecclesiæ & præscriptum Apostoli digamos non finat præsidere, & viduam adlegi in Ordinationem, nisi vniuiram, non concedat.

Viduarum denique honoribus, quibus Deus benedicit, mouea-tur: nam licet in virginibus tota sit sanctitas, de proximo visura faciem Dei, viduam habere aliquid operosius; in illis gratiam, in istis virtutem coronari.

Ceterum præterquam quod multa huius libri ad verbum fere descripserit, non minus continentiæ fauens, B. Hieronymus locis infra citatis; Tertulliano iam olim adscripserunt, & MS. viderunt Trithemius & Politianus vbi supra. Editus est etiam inter primos ex Paterniacensi ac Hirsaugiensi deinde ex Gorziensi codicibus à Rhenano, primum scholijs, postea & Adnotationibus illustratus. Nnuc vero à nobis denuo castigatus ex tribus mss. Vaticanis, & aliquot Adnotationibus auctior.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI AD VXOREM LIBER PRIMVS, DE VNIS NVPTIIS.

IGNVM [2] duxi, dilectissima mihi in Domino conserua, quid tibi sectandũ sit post discessum de seculo meum, si prior te fuero vocatus, iam hinc prouidere, vt prouisum obserues mandare fidei tuæ. [3] Nam seculatibus satisagentes sumus, & vtrique nostrum consultum volumus. Si talibus ordinamus, cur non magis de diuinis atq; cœlestibus posteritati nostrę prospicere debeamus, & [4] legatũ quodammodo prælegare, admonitionem & demonstrationem eorum, quæ ex bonis immortalibus, & de hæreditate cælorum deputantur? Tu modo [5] vt solidum capere possis hoc meæ admonitionis [6] fidei commissum, Deus faciat, [7] cui sit honor, gloria, claritas, dignitas, potestas nunc & in secula seculorum, Amen. Præcipio igitur tibi, quanta continentia potes, [8] post excessum nostrũ [9] renuncies nuptiis, nihil mihi isto nomine collatura, nisi quod tibi proderis. Ceterum Christianis seculo digressis nulla restitutio nuptiarũ in diẽ resurrectionis repromittitur, [10] translatis scilicet in angelicam qualitatẽ & sanctitatem. Proinde sollicitudo nulla quæ de carnis zelo. Vel Domini sententia, illa, quã septẽ fratribus per successionem nupsisse voluerũt, neminẽ tot maritorũ resurrectionis die offendet, nec quisquã [11] illã confusurus expectat. Quæstiõ Saducæorum cessit sententiæ Domini. Ne me putes propter carnis tuæ integritatẽ mihi reseruandã, de contumeliæ dolore suspectũ insinuare iã hinc tibi cõsilium viduitatis: nihil tunc inter nos dedecoris voluptuosi resumetur. Nec enim tam friuola, tam spurca Deus suis pollicetur. Sed an tibi cuicunque alii fœminæ Deũ pertinenti proficiat quod suademus, licet retractare. [12] Non quidem abnuimus coniunctionem viri ac fœminę benedictam à Domino, vt sciremus generi humano, & replẽdo orbi, & instruendo seculo, excogitatam, atq; exinde permissam, vnam tamen. Nam & Adam vnus Euæ maritus, & Eua vna vxor illius, vna mulier, vna costa. Sane apud veteres nostros, ipsosq; Patriarchas, non modo nubere, sed [13] etiam plurifariam matrimoniis vti fas fuit. [14] Erant & concubinæ. Sed licet figura tum in Synagogam & Ecclesiam cesserit, vt tamen simpliciter interpretemur, necessarium fuit instituere, quæ postea aut amputari, aut temperari mererentur. Superuentura enim lex erat. Oportebat legis adimplendæ caulas præcucurrisse. Eidem mox legi succurrere habebat Dei sermo, circuncisionem inducens spiritalem. Igitur per licentiam tunc passiuam, materiæ subsequentium emendationum præministrabantur, quas Dominus Euangelio suo dehinc Apostolus in extremitatibus seculi aut excidit redundantes, aut composuit inconditas. [15] Sed non ideo præmiserim de libertate vetustatis, & posteritatis castigatione, vt præstruam Christum separandis matrimoniis & delendis coniunctionibus aduenisse, quasi iam hinc finem nubendi præscriptam viderint, [16] qui inter cetera peruersitatum suarum disiungere docẽt carnem de duobus vnam negantes eum qui fœminam de masculo mutuatus, duo corpora ex eiusdẽ materiæ cõsortio sumpta, rursus in se matrimonii compactione compegit. Deniq; prohiberi nuptias nusquã omnino legimus, vt bonum scilicet. Quid tamen bono isto melius sit, accipimus ab Apostolo, permittẽte quidem nubere, sed abstinentiam præferente: illud propter insidias tẽtationum, hoc propter angustias temporum. Qua ratione vtriusque pronunciationis inspecta, facile dinoscitur necessitate nobis concessam esse nubendi potestatem, quod autem necessitas præstat, depreciat ipsa. Quod denique scriptum est, *Melius est nubere quam viri*: quale hoc bonum est, oro te, quod mali comparatio commendat? vt ideo melius sit nubere, quia deterius est vri. At enim quanto melius est neq; nubere, neque vri? [17] Sed etiam in persecutionibus melius est expermissu fugere de oppido in oppidũ, quã compressum & distortum negare. at quæ ista beatitas est, ideo, ne qui neget, beati testimonii confessione excidere? Possum dicere, quod permittitur, non est bonũ. Quid enim necesse est mori mihi? si ploro, bonũ est: si timeo. Quod permittitur, suspectam habet permissionis suæ causam: quod autem melius est, nemo permisit, vt indubitatum & sua sinceritate manifestum. Non propterea appetenda sunt quædã, quia non vetantur: etsi quodãmodo vetantur, cum alia illis præferũtur. Prælatio enim superior [18] dissuasio est infimorum. Non ideo quid bonum est, quia malum non est: ideo malum non est, quia non obest. Porro plane bonum hoc antecederet, quod nõ modo non obest, sed insuper prodest. Itaq; malle debes quod prodest, quam quod non obest. Ad primum enim locum certamen omne contendit: secundus solatium habet, victoriam non habet. Quod si Apostolo auscultamus, obliti posteriorũ, extẽdamur in priora, & [19] meliorum donationum sectatores simus. Si nobis laqueũ non imponit, quid vtilitatis sit ostendit, dicens: *Innupta de dominicis cogitat, vti corpore & spiritu sancta sit, Nupta vero sollicita est quomodo coniugi suo placeat.* Ceterum nusquam ita nuptias permittit, vt non potius ad suum exemplum nos eniti malit. [20] Fœlicem illum, qui Pauli similis extiterit. [21] Sed carnẽ legimus infirmã, & hinc nobis adulamur impensius. [22] Legimus tamen & spiritum firmũ. Nam in vno sensu vtrunque positũ est. Caro terrena materia est, spiritus vero cœlestis. Cur ergo ad

excusationem proniores, quæ in nobis infirma sunt, opponimus: quæ vero fortiora, non tuemur? Cur cœlestibus terrena non cedant? Si spiritus carne fortior, quia & generosior, nostra culpa infirmiora sectamur. Nam disiunctis matrimonio, duæ species humanæ imbecillitatis necessarias nuptias faciunt. Prima quidem potentissima, quæ venit de concupiscentia carnis: Sequens, de concupiscentia seculi. Sed vtraque repudianda est à seruis Dei, qui & luxuriæ & ambitioni renunciamus. Carnis concupiscentia [23] ætatis officia defendit, decoris messem requirit, gaudet de contumelia sua: dicit virum necessarium sexui, vt auctoritatis & solatii causa, vel vt à malis rumoribus tuta sit. Et tu aduersus consilia hæc eius, adhibe [24] sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quæ nulla formæ vel ætatis occasione pressæ, maritis sanctitatem anteponunt: [25] malunt enim Deo nubere. Deo speciosæ, Deo sunt puellæ: cum illo viuunt, cum illo sermocinantur: illum diebus & noctibus tractant: orationes suas velut dotes, Domino adsignant: ab eodem dignationem velut munera maritalia quotiescunque desiderant, consequuntur. Sic æternum sibi bonum Domini occupauerunt, ac iam in terris non nubendo, de familia angelica deputantur. Talium exemplis fœminarum ad æmulationem te continentiæ exercens, spiritali affectione carnalem illam concupiscentiam humabis, temporalia & [26] volatica desideria formæ, vel ætatis inimicantium bonorum, compensans delenda. Ceterum secularis concupiscentia causas habet, gloriam, cupiditatem, ambitionem, insufficientiam, per quas necessitatem nubendi subornat: Videlicet cœlestia repromittens, dominari in aliena familia, in alienis opibus incumbere, cultum de alieno extorquere sumptu, quem non sentias cedere in te. Hæc procul à Fidelibus, quibus nulla cura tolerandæ vitæ, nisi si diffidimus de promissis Dei, & cura, & prouidentia: qui lilia agrestia vestit, qui volatilia cœli nullo ipsorum labore pascit, qui [27] prohibet de crastino, victuque curari, respondens scire se quid cuique seruorum suorum opus sit: non quidem monilium pondera, non vestium tædia, [28] non Gallicos vultus, nec [29] Germanicos baiulos, quæ nuptiarum gloriã accedunt, sed sufficientiã, quæ modestiæ & pudicitiæ apta est. Præsume, orote, nihil tibi opus esse, si Domino appareas: imo omnia habere, si habeas Dominũ: cuius omnia cœlestia recogita, & terrena despicies. Nihil viduitati apud Deum subsignatæ necessarium est quam perseuerare. [30] Adiiciunt quidẽ sibi homines causas nuptiarũ de sollicitudine posteritatis, & liberorũ amarissima voluptate. Sed id quoq; penes nos odiosum est. Nam quid gestiamus liberos serere, quos cũ habemus, præmittere optamus, respectu scilicet imminentium angustiarũ, cupidi & ipsi iniquissimo isto seculo eximi, & recipi ad Dominũ? quod etiã Apostolo votũ fuit. Nimirũ necessaria soboles seruo Dei. Satis enim desunt nostra: securi sumus vt liberis vacem[9]: quærenda nobis onera sunt, quæ etiã à Gentiliũ prophanis vitantur, [31] quæ legibus locantur, quæ parricidiis expugnantur: nobis quidẽ plurimũ importuna, quantũ fidei periculosa. Cur enim Dominus, *Væ prægnantibus & nutricantibus*, cecinit, nisi quia filiorũ impedimẽta testatur in illa [32] die expeditionis incõmodũ futura? vtiq; nuptias imputaturus. Tũ autẽ ad viduas non pertinebit: ad primã angeli tubã expedite prosilient. Quãcunq; pressurã persecutionemq; libere perferent: nulla in vtero, nulla in vberibus æstuante sarcina nuptiarũ. Igitur siue carnis, siue seculi, siue posteritatis gratia nubet, nihil ex istis necessitatib[9] Dei seruis, vt nõ satis habeã semel alicui earũ succubuisse, & vno matrimonio omnẽ cõcupiscentiã huiusmodi expiasse. Nubamus quotidie, & nubentes à die illo deprehendamur, vt Sodoma & Gomorrha. Nã illic nõ vtiq; nuptias & mercimonia solũmodo agebãt: sed [33] cũ dicit, *Nubebant & emebant*, insigniora ipsa carnis & seculi vitia definit, quæ à diuinis disciplinis plurimũ auocent: alterum per lasciuiendi voluptatem, alterum per acquirendi voluptatem. [34] Etenim illa tunc cæcitas longe à finibus seculi habebatur. Quid ergo fiet, si quæ olim detestabilia sunt penes Dominum, ab his nos nunc arceat? *Tempus*, inquit, *in collecto est*. Superest, *vt qui matrimonia habent, tanquam non habentes, agant*. [35] Quod si habentes obliterare debent quod habent, quanto magis non habentes prohibentur repetere quod non habent: vt cuius maritus de rebus abiit, exinde quietem sexui suo nubendi abstinentia iniungat: quã plerẽque Gentilium fœminarum [36] memoriæ charissimorũ maritorum parcant. Cum quid difficile videtur, difficiliora alios obeuntes recenseamus. [37] Quod enim sunt qui statim à lauacro carnem suam obsignant? [38] Quot item qui consensu pari inter se matrimonii debitũ tollunt? Voluntariis spadonibus pro cupiditate cœlesti [39] saluo matrimonio abstinentia toleratur, quanto magis adempto? Credo enim difficilius saluũ derelinqui, quã amissum non desiderari. Durum plane & arduum satis, continentia sancta, fœminę post viri excessũ. Dei causa, cum Gentiles Satanæ suo & virginitatis, & viduitatis sacerdotia perferant? [40] Romæ quidẽ quæ ignis illius inextinguibilis imaginẽ tractant, auspicia pœnæ suæ cũ ipso dracone curantes, de virginitate censentur. [41] Achææ Iunoni apud Ægium oppidum virgo sortitur: & [42] quæ Delphis insaniunt, nubere nesciunt. [43] Ceterũ viduas Africanæ Cereri assistere scimus, durissima quidem obliuione matrimonii adlectas. Nam manẽtibus in æternum viris nõ modo thoro decedunt, sed & alias eis vtique ridentibus loco suo insinuant, adempto omni contactu vsq; ad osculum filiorum: & tamen durante vsu perseuerant in tali viduitatis disciplina, quæ pietatis etiam sanctæ solatia excludit. Hæc diabolus præcipit, & auditur: prouocat nimiũ Dei seruos continentia suorum, quasi ex æquo. O continentiã gehennæ sacerdotum! Nam inuenit quomodo homines etiam boni sectationibus perderet: & nihil apud eum refert, alios luxuria, alios continentia occidere. [44] Nobis cõtinẽtia ad strumentũ æternitatis demonstrata est à Domino salutis Deo, ad testimoniũ fidei, ad commendationem carnis istius exhibendæ superuenturo indumento incorruptibilitatis, ad sustinendam nouissime voluntatẽ Dei. Super hæc enim recogites moneo, neminem, nisi ex Dei voluntate de seculo duci, si nec folium quidem ex arbore sine Dei voluntate dilabitur. Idem qui nos mundo infert, idẽ & educat necesse est. Igitur defuncto per Dei voluntatem, etiam matrimonium Dei voluntate defungitur. Quid tu restaures, cui finẽ De[9] posuit? Quid libertatem collatam tibi, iterata matrimonii seruitute fastidis? *Obligatus es*, inquit, *matrimonio, ne quæsieris absolutionem. Absolutus es matrimonio, ne quæsieris obligationem*. [45] Nam etsi non delinquas renubendo, carnis tamen pressuram subsequi dicit. Quare facultatem continentiæ, quantum possumus, non diligamus? quam primum obuenerit, imbibamus: vt quod in matrimonio non valemus, in viduitate sectemur. Amplectenda occasio est, quæ ademit quod necessitas imperabat. Quãtum fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ & præscriptio Apostoli declarat, [46] cum digamos non sinit præsidere, [47] cum viduam adlegi in Ordinationem, nisi vniuirã, non concedit: aram enim Dei mundã proponi oportet. Tota illa Ecclesia, candida de sanctitate describitur. Sacerdotium viduitatis, & celebratum est apud Nationes pro diaboli scilicet æmulatione. [48] Regem seculi Pontificem Maximum rursus nubere, nefas est. Quantum Deo sanctitas placet, cum illam etiam inimicus adfectat: nõ vtique vt [49] alicuius boni adfinis, sed vt Dei domini placita cum contumelia adfectans? [50] Nam de viduitatum honoribus apud Dominum vno dicto eius per Propheram expeditum: [51] *Iuste facite viduæ & pupillo, & venite disputemus, dicit Dominus*. Duo ista nomina in quantum despectui humano, intantum diuinæ misericordiæ exposita, susceperit tueri. Pater omnium vidi quã ex æquo habetur, qui viduæ benefecerit. Quãti est vidua ipsa, [52] cuius adsertor Dominus disputabit? Nõ tantũ virginibus datũ opinor, licet in illis integritas

solida &

A
1. Ioan. 2.
B
Matth. 22.
Matth. 6.
C
Cap. V.
Philip. 1.
Matth. 24.
D
Gen. 19.
Matth. 24.
E
1. Cor. 7. Cap. VII.
F
Cap. VII.
G
1. Cor. 7.
1. Tim. 5. 1. Tim. 3.
H
Cap. VIII.

solida & tota sanctitas de proximo visura sit faciem Dei. Tamen vidua habet aliquid operosius: quia facile est non appetere quod nescias, & auersari quod desideraueris numquam. Glorioſior continentia; quæ ius suum sentit: quæ quid viderit, nouit. §3 Poterit virgo fœlicior haberi, at vidua laboriosior. Illa quod bonum semper habuit, ista quod bonum sibi inuenit. In illa gratia, in ista virtus §4 coronatur. Quædam enim sunt diuinæ liberalitatis, quædam nostræ operationis. Quæ à Domino indulgentur, sua gratia gubernantur: quæ ab homine captantur, studio perpetrantur. Stude igitur ad virtutem continentiæ, modestiæ, quæ pudori procurat: sedulitati, quæ nugas non facit: frugalitati, quæ seculum spernit. §5 Conuictum atque commercia Deo digna sectare, memor illius versiculi, sanctificati per Apostolum:

1. Cor. 5. 56 *Bonos corrumpunt mores congressus mali.*

Loquaces, otiosæ, vinosæ, curiosæ contubernales, vel maxime proposito viduitatis officiunt. Per loquacitatem inrepunt verba pudoris inimica: per §7 otium sc veritate deducunt: per vinolentiam quidvis mali insinuant: per curiositatis æmulationem libidines conuehunt. Nulla huiusmodi fœminarum de bono Vniuiratus loqui nouit: *Deus enim illis* (vt ait Apostolus) *venter est*, ita & quæ ventri propinqua. Hæc tibi iam hinc commendo, conserua chariſſima, post Apostolum quidem ex abundanti retractata, sed tibi etiam solatio futura, quod meam memoriam, si ita euenerit, in illis frequentabis.

ANNOTATIONES
IACOBI PAMELII IN LIBRVM PRIMVM AD VXOREM.

1. AD VXOREM.] *Locus hic requirebat tractatum de coniugio Sacerdotum, eo quod Tertullianus, quum Presbyter esset,* ad vxorem *hunc & sequentem librum scripserit: verum differre maluimus ad lib. de Exhort. ad castitatem, Tom. 5. eo quod non hunc, sed illum librum pro se (quamquam perperam) allegent Magdenburgenses. Hoc hic sufficiat adferre, quod etsi multi coniugati in ordinem Presbyterorum adlegerentur, numquam tamen, ne apud Græcos quidem, tam Presbytero permissum fuisse vxorem ducere; immo diserte verbis interdictum Canone Apost. 27. Eodem pertinent quæ supra lib. de Cultu fœminarum ca. 9. num. 51. de continentia Clericorum adnotauimus.*

CAP. I.

2. Dignum duxi, dilectissima mihi in Domino conserua, &c.] *Caput hoc primum non aliud est quam libri totius Argumentum, quippe quo* suadet, vt post excessum suum renuntiet nuptiis: *atque adeo recte etiam inscribi posset liber hic,* De Monogamia ad Vxorem. *Aliquanto autem agit hic modestius quam in posterioribus libris de Castitate & Monogamia, Tom. 5. veruntamen omnino ab errore excusari non potest. Et fortassis si coniectura aliquis sit locus, hic liber in caussa fuit, non secus atq; B. Hieronymo simile scriptum quoddam, cur Roma Tertulliano discedendum fuerit, quod errorem hunc mordicus vellet defendere. Verum de eo latius tum dictis libris duobus, tum in Prolegomenis inter errores Tertulliani. Atqui & Trithemius & Paterniacensis ac Hirsaugiensis codices hoc huius libri initium collocarunt:* Dilectissima in Domino conserua, &c. *Verum ex Gorziensi codice suppleui quod deerat:* Dignum duxi.

3. Nam seculatibus satisagentes sumus.] *Hoc est* (*vti adnotat Rhen.* (*in secularibus negotijs anxij & curiosi sumus.* Satisagentes, *pro:* satagentes; *quo verbo etiam alibi vtitur, imitatione Iureconsultorum, qui dicunt satis accipere, & satis præstare, & satis dare. Simili phrasi mox dixit:* Si talibus ordinamus, *id est* (*inquit idem*) *de tam leuibus & friuolis rebus* ordinamus.

4. & legatum quodammodo prælegare.] Prælegare (*inquit idem*) *pro prius legare dum videlicet adhuc sumus in vita. Iureconsultorum verbis vtitur, agens de hæreditate, quæ morte relinquitur. Qui recte etiam adnotauit Appositiue legi debere:* admonitionem; *nam sequitur:* hoc meæ admonitionis fideicommissum.

5. vt solidum capere possis.] *Alludit (inquit Rhenan.) ad hæreditatis diuisionem in partes duodecim. Siquidem cui ex asse contingebat hæreditas, is* solidam *capiebat hæreditatem, hoc est, totam & integram, nec vlla sui parte diminutam. At inter hæredipetas & captatores quidam etiam dextante, hoc est, decima parte, nonnulli deunce, hoc est, vndecima parte hæreditatis, cogebantur esse contenti. Similiter dixit Tom. 5. lib. de Monogamia sub finem:* ex testamento Dei solidum non posse capere.

6. Fideicommissum.] Fideicommissum, *inquit idem, Iureconsulti vocant, vltimæ voluntatis executionem, quæ per verba deprecatoria amico iniungatur, qualia sunt,* Peto, cupio, rogo, *& similia. A fisci hæredis cui committitur, nomen habet. Vnde* fideicommissarij *dicti Hæreditas* fideicommissaria *etiam fiduciaria appellatur Vlpiano. De discrimine* fideicommissorum *& legatorum, prolixa apud Iureconsultos disputatio. Libros certe tres videre est in Digestis seu Pandectis Iustiniani* 30. 31. *&* 32. *Titulo de* legatis & fideicommissis, *ad quos in Paratitlis adnotauit Cuiacius hanc vtriusque differentiam: Quod* Legatum *donatio sit testamento hæredi mandata,* fideicommissum *vero liberalitas, qua verbis precarijs, vel alio quocunq; iudicio voluntatis precaria, in aliquē cōfertur etiā ex intestato.*

7. cui sit honor, gloria, &c.] *Rursum hic more suo ex duobus locis Apocalypsis* 5. *&* 7. *istud desumpsit. Nam priori loco legitur:* honor, gloria, potestas; *posteriori:* claritas *& virtus, pro quorum postremo hic legitur:* dignitas; *nam & magistratum vox Græca δύναμις significat. Addit etiam aliunde:* nunc, *fortassis ex Epistola Iudæ, qui subdit;* nunc, & in secula seculorum. Amen.

8. post excessum nostrum.] Excessum *recte Rhenanus mortem interpretatur. Sic enim & infra cap. 6.* post viri excessum; *& lib. adu. Valentin. Tom. sequ.* vbi post excessum omnino non nubitur. *Quo loco adnotauit, etiam Suetonium sic loqui solitum. Adde & B. Cyprianum epist. 4. ac* 31. *& lib. ad Demetr.*

9. renunties nuptiis.] *Asconius Pedianus (inquit Rhenanus) docet* renuntiationem *esse recusationem eius rei, quæ in placito & promissi ne venerat. Sic dixit Hospitium* renuntiare *Cicero. Hinc illud nostrum:* Renuntiamus *diabolo & pompis eius. Et illud ipsius Auctoris infra cap. 5. lib. de Coron. milit.* contestamur nos renuntiare diabolo & pompæ & angelis eius. *de quo interim latius infra Tom. sequ. lib. de Baptismo. sic & infra cap.* 4. quia & luxuriæ & ambitioni renuntiamus.

10. translatis scilicet in angelicam qualitatem, &c.] *Ita (inquit Rhenan.) & lib. de Habitu muliebri:* Nam & vobis eadem tunc substantia angelica repromissa *Respicit locum qui est Matth. 22. cap. integer locus sic habet:* In resurrectione autem neque nubunt neque nubentur; *pro quo dixit:* nulla restitutio nuptiarum in diem resurrectionis repromittitur, sed erunt sicut Angeli Dei; *quo pertinet quod præmissum est. Occasionem autem quæstionis Saducæorum proponit, quum dicit:* illa quam septem fratribus per successionem nupsisse voluerunt, *tamquam de fide eorum dubitans.*

11. illam confusurus. [*De simili phrasi habes Adnot. nostras in B. Cyprian. Epist. 63. nu.* 47. *vbi tractatur illud Marci* 8. Qui me confusus fuerit, confundetur eum, &c. *Porro de errore Tertulliani, quo Digamiam vocat hic* confusionem, *& mox cap.* 4. contumeliam, *item* dedecus voluptuosum, *& tam spurca in Prolegomenis nostris inter eius errores. Eodem pertinet quod infra cap.* 5. *dicit:* Nubebant & emebant, insignioria ipsa carnis & seculi vitia; *item:* quæ olim detestabilia sunt apud Dominum.

CAP. II.

12. Non quidem abnuimus, &c.] *Secundo huic capiti inscriptionem damus:* Quod secundas nuptias videatur scriptura non adprobare; *in quo interim vel maxime Montanizat, Monogamia (vel Rhenano etiam teste) patronum agens, dum scribit* coniunctionem viri & fœminæ a Deo permissam, vnam tamen; *adferens argumentum ex Genesi, quod* Adam vnus Eua maritus, & Eue vna illius vxor, vna mulier, vna costa? *de cuius vero & sano intellectu latius libris supracitatis, aut in Prolegomenis.*

13. sed etiam plurifariam matrimoniis vti fas fuit.] *De hoc ita B. August. l. de Bon. coniugali cap.* 15. *Antiquis iustis non fuit peccatum, quod* pluribus fœminis vtebantur: *nec contra naturam hoc faciebant, quum non lasciuiendi caussa, sed gignendi hoc facerent: nec contra morem, quia eo tempore ea fiebant, nec contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum. Intelligit autem Abraham & Iacob Patriarchas.*

14 Erant & concubinæ.] *Quod proprie* concubinæ *non fuerint, sed secundariæ vxores, Abrahæ Agar & Iacob Bala & Zelpha, BB. Chrysostomus & Augustinus disertis comprobant, vel ex illo Genes.* 16. Et dedit eam viro suo vxorem. *&* Gen. 30. Deditque illi Balam in coniugium. *De* concubinis *Salomonis Regis alia ratio: nam in peccatum illi eas imputat B. August. l.* 5. *Locutionum in illud Deuteron.* 17. Non habebit Rex vxores plurimas, quæ alliciant animam eius: *faciens vim in voce:* plurimas. *nam plures etiam Dauid vxores habuerat. Atqui* passiuam licentiam, *omnibus vsurpatam, intelligit more suo, de quo latius iusra Tom. sequ. sub finem lib. de Carne Christi.*

CAP. III.

15. Sed non ideo præmiserim de libertate vetustatis. &c.] *Titulum huius capitis scripsimus:* Quod etsi bonum sit matrimonium, continentia tamen maius sit bonum. *Tractat autem id argumenti multo latius ex eadem Apostoli scriptura infra T. 5. l. de Exhort. ad castit. quo Lectorem remittimus.*

16. qui inter cetera peruersitatum suarum, &c.] *Hauddubie Marcionem notat (vti etiam adnotauit Rhenanus.) Apud illum enim, vt scribit l. 1. ad eundem;* Non tinguitur caro, nisi virgo, nisi vidua, nisi cœlebs, nisi diuortio baptisma mercata. *Vbi de nuptijs nusquam prohibitu latius.*

17. Sed etiam in persecutionibus, &c.] *Facit hoc ad initium*

A erroris Tertulliani, de quo scripsit librum De fuga in persecutione; sed paulo mitius hic loquitur quam lib. de Coron. milit. vnde mihi fit verisimile, hunc & sequentem librum illo prius conscriptos, maxime quum nulla in istis mentio Paracleti. Non male autem Rhenan. interpretatur compressum in tormentis, & distortum in equuleo. Qui etiam recte illud: Quid enim necesse est mori mihi? sic distinguit, vt quæsitiue legatur. Nam obiectio est fugientis in persecutione: quasi dicat: Christus neminem ad hoc cogit vt moriatur, qui dixit: Fugite de ciuitate in ciuitatem. Quemadmodum & illud: Si ploro, bonum est, si timeo, sic interpretatur: Si instante persecutione deploro propriam imbecillitatem, quod corpus videlicet non sufficiat tormentis sustinendis, bonum est. Si timeo, subaudi tormenta, ne scilicet propellar ad negationem, bonum est. nam vt ante dixi, priores clausulas plærumque repetere oportet.

18. dissuasio est infirmorum.] Ita lego ex 1. cod. ms. Vatic. pro eo quod Rhenan. infirmorum; ac si infirma vocet minus bona atque imperfecta. Item ex 2. Vatic. Porro plane bonum, pro: plene, quod illud Auctori in eodem etiam significatu magis sit vsitatum.

19. & meliorum donationum sectatores sumus.] Contra quam solet verti Latine donationes, quod noster interpres 1. Corin. 12. retenta voce Græca, charismata.

20. Fœlicem illum, qui similis Pauli exstiterit.] Locus contra illos, qui Paulum Apostolum coniugatum fuisse adserere non verentur: sed quia apertius istud 1. Cor. 7. exponit infra lib. de Exhort. ad B cast. eodem Lectorem remittimus, idque eo magis, vt constet de vera Auctoris sententia, quod ad coniugium Sacerdotum adtinet, & maxime ad l. de Monogamia, vbi disertis verbis præter Petrum: ceteros, inquit, Apostolos aut spadones intelligi necesse esse aut cõtinẽtes.

Cap. IV.

21. Sed carnem legimus infirmam, &c.] Inscriptionem huic capiti damus: Quod neque carnis, neque seculi necessitas ad nuptias cogat.

22. Legimus tamen & spiritum firmum.] Firmum vertit Matth. 26. pro eo, quod promptum noster interpres, Græce πρόθυμον, ad cuius significationem iste magis accedit.

23. ætatis officia defendit.] Sic (inquit Rhenan.) etiam alibi sæpe loquitur, nonnumquam cum Datiuo. Vt in lib. de Resurr. carn. Corruptionem (inquit) perpetuam veteri defendat.

24. Sororum nostrarum.] Hoc est (inquit idem) Christianarum. Similiter lib. de Anima, T. sequ. Soror quædam reuelationum charismata sortita.

25. malunt enim Deo nubere.] Potest hoc & de Viduis, & de Virginibus intelligi, quemadmodum latius infra li. de Velandis virg. num. 1.

26. volatica desideria.] Similiter alibi dixit Auctor: propter vC nius anni volaticum gaudium. Compensans autem (inquit Rhenan.) veluti pensatione facta æternorum bonorum cum mundanis istis & transitorijs. Qui etiam adnotat illud: videlicet, ironicum esse, nempe pro: Scilicet. Item tolerandæ vitæ accipi, pro sustinendæ, seu potius sustentandæ.

27. qui prohibet de crastino victuque curare.] Paucis expressit illud Matth. 6. Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? nam omnia illa victus nomine intelligit, tum hic, tum supra lib. de Idolol. c. 12. vbi pro: curare, transtulit: cogitare.

28. non Gallicos vultus.] Propter candorem (inquit Rhen.) præsertim si cum Græcis, Syris, Hispanis, aut etiam Italis hodie comparentur. D. Hieron. ad Furiam: Nec candidulus & rubicundus assecla adhæreat lateri tuo. Et ad Demetriadem: Eunuchorum quoque tibi, inquit, & puellarum & seruulorum mores magis eligantur quam vultuum elegantia. Idem ex Lactantio docet: Gallis nomen obuenisse Galatis à candore corporis, ad quod adluserit Maro, cum caneret:

-Tum lactea colla
Auro innectuntur.-

Potuisset enim alioqui dicere, candida. Sed & Amm. Marcellinus: Celsioris, inquit, staturæ & candidi pene Galli sunt omnes, & rutili, luminumque toruitate terribiles, auidi iurgiorum, & sublatius insolentes. Intelligit itaque Gallos asseclas seu famulos. Prima editio in margine habebat: mulos, pro: vultus, quod magis placet, eo quod lib. D sequ. c. 8. nu. 57. legatur: & mulabus & cinerariis peregrinæ proceritatis. quem similem huic locum esse Rhen. adnotauit. Nihil tamen in contextu immutaui, eo quod 3. ms. Vatic. vultus legant.

29. nec Germanicos baiulos.] Hoc est (inquit idem) lecticarios seruos, qui in lectica aut sella gestent. Ad hanc operam ob staturæ proceritatem, Germanis vtebantur, olim etiam Syris: vnde Iuuenalis,

Nec quæ longorum vehitur ceruice Syrorum.

Aiunt antiquitatis periti lecticam istiusmodi gestatoriam non absimilem sandapilæ fuisse, qua mortui hodie efferuntur, sed obductilem velis, si ita res postulasset, adfixis etiam inferne sustentaculis, quæ nunc suspendi, nunc dimitti possent, siquando baiulos interquiescere necessitas coegisset, denos plerumque vel duodenos, quibus etiam recentes succedebant varij. Nam non per vrbem modo, verum etiam per agros magna itinera huiusmodi gestatione conficiebantur. Seneca epist. 80. Idem quoque de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum, supra quamque turbam delicatos lectica suspendit. Idem alibi: Non faciet, inquit, te beatum turba seruorum lecticam tuam per itinera vrbana aut peregrina portantium. Et rursum alio loco: Quoties occurrit domus splendida, cohors culta seruorum, lectica formosis imposita calonibus. Porro Romanus E Pontifex vsum lecticæ ex antiquitate retinuit, vt alia multa, fauentibus & concedentibus hoc Imperatoribus, Flauio Constantino Magno, & ceteris qui hunc insecuti sunt. Nam de vehiculo, siue sella curuli, clarum testimonium habemus ex Ammiano Marcellino. Deniq; Romæ baiulos agunt hodieque Germani, Pontificij corporis gestatores ex cohorte illa stipatorum Palatina, quam à multis iam annis Romani Pontifices alunt.

Cap. V.

30. Adiiciunt quidem sibi homines caussas, &c.] Inscripsimus hoc caput: Quod nec liberorum procreatio necessaria sit. Quamquam autem paulopost malit legere Rhen. ociosum est, nos: odiosum retinuimus cum ms. & excusis codicibus. Pro eo autem quod est; isto seculo eximi, legunt ms. 3. Vat. cod. excuti. sed pro priori lectione facit illud supra lib. de Spectac. cap. 28. exire de seculo. Ibi denique, Nimirum necessaria, rursum ironiam esse adnotauit Rhenanus.

31. quæ legibus locantur.] Vtitur hic (inquit Rhenan.) Metaphora locantis aliquid, vt fiat, velut is facit, qui domum construendam alicui locat, qui conducere dicitur, & redimere, Quemadmodum vero locator conductori re perfecta pactam mercedem exoluit, F sic & leges patribus ob filios procreatos præmium conferunt. q. d. Nisi inuitaret homines propositum præmium, nemo liberos tolleret. Quod magis placet, quam quod Adnot. suis in lib. de Exhor. cast. censet legendum: cogantur, eo quod illic similiter dicat: ad quos suscipiendos legibus compelluntur homines: Inter quas (præter eas, de quibus supra Apolog. c. 4. num. 52.) erat illa xij. Tabularum; Censores, cœlibes esse prohibunto. Item illa Platonis l. 6. de Leg. quæ eos qui annis xxxv. peractis, coniuges nec haberent, nec habere vellent, pecunijs & honoribus mulctauit. Vide autem etiam de pœnis cœlibum infra Tom. 5. sub finem lib. de Monogamia.

32. in illa die expeditionis.] Dies expeditionis, vti ad marginem adnotauit Rhenanus, dies vltimi iudicii. Siue autem paulopost legas: posteritatis gratia nubet, cum excusis, siue: nubebit, cum MS. 3. Vatic. perinde est.

33. sed quum dicit, Nubebant & emebant.] Etiam hic memoria lapsus videtur Auctor, dum Sodomæ & Gomorrhæ adscribit, quod Christus narrat de diebus Noe, Matth. 24. quamquam etiam ibi non dicatur quicquam de ijs, qui emebant. Rectius lib. de Monog. T. 5. infra sub finem, omissa emptione: Nubant (inquit) huiusmodi in finem vsque, vt in ista confusione carnis, sicut Sodoma & Gomorrha & diluuii dies, ab illo vltimo exitu seculi deprehendãtur.

34. Etenim illa tunc cæcitas: &c.] Illa (inquit Rhenan.) cæcitas, videlicet non curantium Deum, sed nubẽtium & ementium, accidit ante tot secula, mundo adhuc propemodum recenti, in cuius finem nos incidimus. hoc vult dicere. Pertinet etiam hoc ad errores Tertulliani. G

Cap. VI.

35. Quod si habentes, oblitterare debent, quod habent &c.] Huic capiti titulum fecimus: Quod imitari debeant & Christianarum & Gentilium fœminarum continentiam.

36. memoriæ charissimorum maritorum parcant.] Parcant (inquit Rhenan.) hoc est, seruent. Translatione sumpta ab hominibus frugi, qui rebus suis parce vtuntur, malentes quod habent seruare quam inutiliter prodigere. Ipse cum Accusatiuo construit, vt sit parcant. pro: comparcant, nisi mauis, parentant.

37. Quot enim sunt, qui statim à lauacro carnem suam obsignant,] Siquis alius, certe hic locus, antiquissimum votum continentiæ significat, de quo latius supra l. de Cultu fœminarum, c. 6. nu. 51. & infra lib. de velan. virg. nu. 1. Simile est illud lib. de Patientia supra cap. 13. Spadonem voluntarium ad regna cæli leuat.

38. Quot item qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt.] Simile est illud infra lib. de Veland. virg. ca. 10.

10. Sine qui ex consensu contumeliam communem iam recusauerunt. Istud autem pertinet ad continentiam coniugum quam pari inter se consensu in primitiua Ecclesia vouentes, ita debitum H matrimonii sibi mutuo remittunt, & quodammodo tollunt. Atque id imprimis vsitatum fuit in iis, qui ad sacros adlegebantur ordines, iam antea coniugati, atque adeo & de Tertulliano vt idipsum credam, facit quod ad Vxorem haud dubie à se absentem, hos duos libros scripserit: maxime quum constet, in Ecclesia Latina id iam ab ætate Apostolorum etiam ex præcepto obseruatum fuisse Quo pertinet imprimis illud Decretum Clement. Romani Papæ I. Quod si post ordinationem ministro altaris contingat proprium inuadere cubile vxoris, sacrarii non intret limina. & quæ in illud commentatus est Franciscus Turrianus l. 5. pro Epist. Pontific. c. 12. nominatim ex B. Sixto Papa 3. lib. de Castit. De quo vide plura supra lib. de Cultu fœminar. c. 9. n. 51. vbi etiam de Spadonibus voluntariis.

39. saluo matrimonio.] Facit hoc pro altera Ecclesiæ sententia, quæ etiam matrimonium saluum agnoscit in B. Virgine & Ioseph, etiam si in abstinentia seu continentia perpetua vixerint, atque adeo etiam in reliquis consensu pari continentibus. Ibi autem: Durum plane & arduum, Ironiam iterum adnotauit Rhenanus, qui quamquam malit legere: continentia sanctæ fœminæ, mihi id non placet. facit enim magis ad institutum illud: continentia sancta, fœminæ post viri excessum Dei causa.

40. Romæ quidem quæ ignis illius inextinguibilis, &c.]

Alijs verbis hoc expressit sub finem libri de Monogamia mox citati: Sunt & quæ de tota continentia iudicent nos virgines Vestræ, & Iunonis Achaicæ, & Apollinis, Pythii. *Item li. de Exhort. ad castit.* Noueram virgines Vestæ apud Achaiæ ganeum, & atrocis apud Delphos. *Atqui de* Vestalibus *vide supra Apolog. cap. 26. num.* 420.

41. Acheæ Iunoni apud Ægium oppidum virgo sortitur.] *Antea erat:* Aceæ *(inquit Rhenan.) nos scripsimus:* Acheæ. *Nam* Ægium *oppidum est* Achaiæ, *vbi colebatur* Iuno. *Auctor Plinius & alij, Huius* Iunonis *ex hoc loco facit mentionem Hieronymus in Epist. ad Gerontiam, apud quem legitur in peruulgatis editionibus*, Iunonisque Achiuæ. *Gyraldus hist. Deorum syntag. 3. legit, & probat lectionem:* Acreæ Iunoni. *Verum placet magis Rhenani lectio, quod non solum excusi, sed & ms. cod. legunt, li. de Exhort. ad castit.* Iunonis Achaicæ, *sicuti etiam apud B. Hieronymum retinendum puto:* Achiuæ, *pro eo quod Erasmus legendum censet:* Argiuæ. *Idem quidem ab illo repetitur adu. Iouin. libr. 1. sed dum taxat* Iunonis virgines *vocat.*

42. & quæ Delphis insaniunt.] Antistites *has vocat lib. de Monog.* Apollinis Pythii. *vbi de iis latius.*

43. Ceterum viduas Africanæ Cereri, &c.] *Similiter lib. de Exhort. castit. paulo clarius:* Fœminas vero Cereris Africanæ, cui etiam sponte abdicato matrimonio, adsenescent, exinde adempto contactu masculorum, vsque ad oscula filiorum. *& paucioribus lib. de Monog.* Cereris sacerdotes viuentibus etiam viris & consentientibus, amica separatione viduantur. *Ex quo loco constat etiam hic legendum:* eis vtique viuentibus, *pro:* ridentibus. *Atqui quum & hic & locus duobus modo citatus nominatim legant codices omnes* Cereri, *etsi non placeat coniectura eruditissimi D. Pi. hœi (de qua supra Apolog. cap. 24. num. 383.) qua legendum censet:* cœlesti; *tamen in hoc ei assentior, vt* Deam cœlestem *existimem eandem, quæ hic* Africana Ceres *nuncupatur. Siue autem legas paulopost:* pietatis sanctæ solatia *cum excus. siue.* sancta *cum 3. ms. Vatic. cod. perinde est.*

CAP. VII.

44. Nobis continentia ad strumentum æternitatis demonstrata est, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* Quod etiam Scriptura videatur dehortari secundas nuptias. Strumentum *autem (inquit Rhenan.) pro instrumento, etiam alibi vsurpatum, vt* structus *pro* instructus, *&* structius *aduerbialiter, pro:* iustructius.

45. Nam etsi non delinquas renubendo, &c. *Hinc patet nondum omnino Montanistam fuisse Tertullianum, quum hæc scriberet, sed amore continentiæ vehementius scripsisse: quemadmodum etiam B. Hieron. Epist. modo citata ad Gerontiam de Monogamia. Quamuis enim adludat ad verba Apostoli, tamen adsertiue dicta verba pronuntiat, addendo de Apostolo:* carnis tamen pressuram subsequi dicit. *Omnino tamen illud ab errore excusari non potest quod subdit:* Quantum fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, &c. *ad quæ, aliaque eiusce modi respondebimus infra aut libru supra citatis, aut inter Prolegomena.*

46. quum digamos non finit præsidere.] Præsidebant *(inquit Rhenan.) Presbyteri & Episcopi: vnde* Præsidentes *dicti. Tertull. lib. de Coron. milit. loquens de Eucharistia:* Nec de aliorum, *inquit*, manu quam Præsidentium sumimus. *Adludit autem ad locum qui est ad Titum cap. 1.* Vnius vxoris vir. *Vide simile locum Apolog. cap. 34.* Præsident quique probati seniores, *vbi de auctoritate Episcoporum latius nu. 503. Atqui de hoc scriptura loco latius infra dictis libris de Castit. & Monogamia.*

47. quum viduam adlegi in Ordinationem, &c.] *quod hic* Ordinationem *vocat (inquit Rhenan.) in li. de Veland. virg. vocat* sedem. Ad quam, *inquit*, sedem præter annos sexaginta non tantum vniuiræ, *id est, nuptæ* aliquando eliguntur. *Respicit autem locum, qui exstat ad Timoth. priore epist. ca. 5. Quod autem hic* Ordinationem, *illic:* Viduatum *vocat, &* sedem viduarum. *Verum de hoc etiam, vbi supra, lib. de Castit. erit dicendi locus ad illud sub finem:* Quanto igitur & quæ in Ecclesiis ordinari solent.

48. Regem seculi Pontificem Maximum, &c.] *Idem repetit dicto li. de Exhort. ad cast. vbi hac de re tractabitur, & aliquid etiam dicetur Tomo sequ. li. de Præscrip. adu. hæres. c 40. n. 241.*

49. vt alicuius boni adfinis.] *ita supra li de Patientia:* Numquid impatientes pacis adfines, *& T. seq. l. adu. Hermog.* boni & mali ad finem.

CAP. VIII.

50. Nam de viduitatum honoribus, &c.] *Postremo huic capiti titulum imposuimus:* De viduitatis honoribus.

51. Iuste facite viduæ & pupillo.] *Vtrique adscribit quod Isai. secundo loco ponitur διπλώσεως. nam apud illum sic legitur:* Iudicare pupillo, & iustificate viduam. *Legimus autem mox ex 3. Vat. cod.* qui viduæ benefecerit, *pro:* benefecit.

52. cuius adsertor Dominus.] Adsertor, *inquit Rhenan. vindex est, qui aliquem vindicat in libertatem. Hic pro patrono, qui hominem tuendum suscipit. Ita li. 1 in Marc.* talis adsertor etiam damnaretur in seculo, nedum plagiatur.

53. Poterit virgo fœlicior haberi, at vidua laboriosior, &c. *His & præcedentibus ac sequentibus verbis indicat, quo sensu infra dicat libr. de Veland. virg. capit. 10.* Non enim & continentia virginitati antistat, &c. *vbi de hoc latius num. 83. Similis etiam locus est supra libr. de Patient. cap. 13. num. 85. & B. Hieronymi complures.*

54. virtus coronatur.] *Pertinet hoc ad coronam seu præmium* virtutum, *de qua supra l. de Patient. c. 11. n. 73. & 75. & lib. ad Martyras c. 3. nu. 43.*

55. Conuictum atque commercia, &c.] *Similiter (vti etiam adnotat Rhenan.) B. Hieronym. ad Eustochium. Eas autem (inquit) virgines & viduas, quæ ociosæ & curiosæ domos circumeunt matronarum, quæ rubore frontis abstrito, parasitos vincunt minorum, quasi quasdam pestes abiice.* Corrumpunt bonos mores confabulationes pessimæ *Nulla illus nisi ventris cura est, & quæ ventri sunt proxima. Istiusmodi hortari solent, & dicere: Mi catella, rebus tuis vtere, & viue dum viuis, & nunquid filiis tuis seruas: Vinosæ atque lasciuæ quiduis mali insinuant, ac ferreas quoque mentes ad delicias emolliunt.*

56. Bonos corrumpunt mores.] *Hunc Menandri versum* sanctificatum *(vti loquitur Auctor) p. r Apost. 1. Cor. 15. sic citat in Tractat. de Simpl. Prælat. seu de Vnitate Ecclesiæ B. Cypr. martyr:* Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ. *Et in sequ. lib. rursum Tertull.* Bonos corrumpunt mores confabulationes malæ.

57. per otium se veritate deducunt.] *Sic iterum legimus ex 3. ms. Vatic. ac si dicat;* se à veritate deducunt, *pro eo quod substituit ex collatione Gorzienſi Rhen.* securitatem inducunt.

ARGVMENTVM LIBRI SECVNDI AD VXOREM,

Per Iacobum Pamelium.

SCRIPTO *ad Vxorem Libro præcedenti, respectu humanæ infirmitatis ad secunda consilia conuersus, hunc quoque Librum ad eam scripsit, quo, vti saltem à matrimonio cum Gentilibus abstineat, adhortatur.*

Atque imprimis id ex Apostoli præcepto vrget, qui nubendi disciplinam præscribendo, non suadet, sed iubet; vt tantum in Domino nubant.

Neque vero sibi quemquam blandiri debere de illo eiusdem Apostoli; Si quis frater infidelem habet vxorem, & illa matrimonio consentit, ne dimittat eam, *&c. quia manifestum est, eos fideles designari, qui in matrimonio Gentili à gratia Dei inuenti fuerint.*

Proinde fideles Gentilium matrimonia subeuntes, stupri reos esse, & arcendos ab omni communione fraternitatis.

Maxime, quum Gentili iuncta fœmina Domino pro disciplina satisfacere non possit, si statio facienda sit, si ieiunia obseruanda, si procedendum erit. Quis enim coniugem suam nocturnis conuocationibus aut solemnibus Paschæ abnectantem sustinebit? quis ad conuiuium Domini, quod infamant, sine suspicione dimittet?

Et vt aliqui nostra sustineant, hoc esse delictum, quod Gentiles nostra nouerunt? Quomodo n. latebis (inquit) cum lectulum, cum corpusculum tuum signas, cum etiam per noctem oratum consurgis? Nec sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum guste? & si sciat, panem non illum credit esse qui dicitur.

Deinde, quum moretur Dei ancilla cum Laribus alienis, de cuius manu desiderabit, de cuius poculo participabit? Quid maritus suus illi, aut illa quid marito suo cantabit? quæ Christi inuocatio? quæ fomenta fidei de scripturarum interlectione? vbi diuina benedictio?

Aliam vero esse rationem, si hæc eis quoque eueuire possint, quæ in matrimonio Gentilis fidem adeptæ sunt: quia facilius tales lucrifiunt, eo quod ratum sit apud Deum matrimonium.

Quid? quod etiam Iure serui foras nubere interdicantur: & censeantur seruituti vindicandæ, quæ cum alienis seruis post dominorum denuntiationem in consuetudine perseuerauerunt.

Fœlix e contrario esse matrimonium, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio duorum fidelium; qui simul orant, simul ieiunia transfigunt; vbi sacrificia sine scrupulo, non furtiua signatio, non muta benedictio.

Ceterum, præterquam quod præcedentis libri nominatim hic fiat mentio, & non semel imitetur Auctorem, verbis pene iisdem B. Hieronymus locis infra citatis, etiam hunc viderunt ms. iam olim Trithemius & Politianus. Editus vero fuit primum cum Scholijs, deinde & Adnotationib. à Rhenano; at nuc & denuo castigatus ad tria ms. Vaticana exēplaria, & Adnotationib. auctus.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI AD VXOREM, DE MATRIMONIO CVM Gentilibus, Liber Secundus.

Cap. I.

PROXIME [2] tibi, dilectissima in Domino conserua, quid [3] fœminæ sanctæ, matrimonio quacunque sorte adempto, sectandum sit, vt potui, prosecutus sum. Nunc ad secunda consilia conuertamur, respectu humanæ infirmitatis, quarun-

1. Cor. 7.

dam exemplis admonentibus, quæ [4] diuortio, vel mariti excessu, oblata continentiæ occasione, non modo abiecerunt opportunitatem tanti boni, sed ne in nubendo quidem rursum disciplinæ meminisse voluerunt, vt in Domino potissimum nuberent. Itaque mihi confusus est animus, ne qui te nuper ad vniuiratus & viduitatis perseuerantiam hortatus sum, nunc mentione nuptiarum, [5] proeliuum tibi labendi ab altioribus faciam. Quod si integre sapis, certe scis id seruandum tibi esse, quod sit vtilius. Quod vero difficile est, & non sine necessitatibus & hoc [6] maximum propositum vitæ supremi præsidij, nec mihi de isto quoque referendi ad te causæ fuissent, nisi grauiorem meam sollicitudinem comprehendissem. Nam quanto grandis est continentia carnis, quæ [7] viduitatem ministrat, tanto si non sustineatur, ignoscibilis videri potest. difficilium enim facilis est venia. Quanto autem nubere in Domino [8] perpetrabile est, vti nostræ potestatis, tanto culpabilius est non obseruare quod possis. Eo accedit, quod Apostolus de [9] viduis quidem & innuptis, vt ita permaneant suadet, cum dicit: *Cupio autem omnes meo exemplo perseuerare.*

Vbi supra: C

De nubendo vero in Domino, cum dicit, *Tantum in Domino*, iam non suadet, sed [10] exerte iubet. Igitur in ista maxime specie nisi hoc sequimur, periclitamur: Quia suasum impune quid negligas, quam iussum, quod illud de consilio veniat, & voluntati proponatur: hoc autem de potestate descendat, & necessitate obligetur: illic libertas, hic contumacia delinquere videatur. [11] Igitur cum quædam istis diebus nuptias suas de Ecclesia tolleret, id est, Gentili coniungeretur: idque ab alijs retro factum recordarer, miratus aut ipsarum petulantiam, aut consiliariorum præuaricationem, quod nulla scriptura eius facti licentiam proferrent. Nunquid, inquam, de illo capitulo sibi blandiuntur, primæ ad Corinthios, vbi scriptum est: *Si* [12] *quis frater infidelem habet vxorem, & illa matrimonio consentit, ne dimittat eam. Similiter mulier fidelis infideli nupta, si consentaneum maritum experitur, ne dimiserit eum. Sanctificatur enim infidelis vir à fideli vxore, & infidelis vxor à fideli marito: ceterum immundi essent filij vestri.* [13] Hanc monitionem fors fidelib. iniunctis simpliciter intelligendam putent, etiam infidelibus nubere licere, qui ita interpretantur. Absit, vt sciens se circumscribat. Ceterum manifestum est scripturam istam eos fideles designare, qui in matrimonio Gentili inuenti à Dei gratia fuerunt, secundum verba ipsa: *Si quis, fidelis vxorem habet infidelem.* non dicit, vxorem ducit infidelem: ostendit iam in matrimonio agentem mulieris infidelis, mox gratia Dei conuersum perseuerare cum vxore debere: scilicet propterea, ne [14] qui fidem consecutus, putaret sibi deuertendum esse ab aliena iam extranea quodammodo fœmina. Adeo & rationem subijcit, in pace nos vocari à Domino, & posse infidelem à fideli per vsum matrimonij lucrifieri. Ipsa etiam clausula hoc ita intelligendum esse confirmat, *Vt quisque*, ait, *vocatur à Domino, ita perseueret*: vocantur autem Gentiles, opinor, non fideles. Quod si de fideli ante matrimonium pronunciasset absolute, permiserat sanctis vulgo nubere. Si vere permiserat, nunquã tam diuersam atq; contrariam permissui suo pronunciationem subdidisset, dicens: *Mulier defuncto viro libera est, cui vult nubat, tantũ in Domino.* Hic certe nihil retractandum est: nã de eo quod tractari potuisset, Apostolus cecinit: ne quod ait, *cui velit nubat*, male vteremur, adiecit, *tantũ in Domino* id est, in nomine Domini, quod est indubitate Christiano. Ille igitur Apostol⁹ sanctus, qui viduas innuptas integritati perseuerare mauult, qui nos ad exemplum sui hortatur, nullam aliam formã repetundarum nuptiarũ nisi in Domino, præscribit, huic soli cõditioni continẽtiæ detrimenta cõcedit: *Tantum*, inquit, *in Domino* Adiecit pondus legi suæ, *Tantum*. Quo sono & modo enunciaueris dictũ istud, onerosum est: & iubet & suadet, & præcipit & hortatur, & rogat & cõminatur: [16] detractata & exerta sententia est, & ipsa sui breuitate fœcũda. Sic solet. Diuina, vxor, statim obseruces. Quis n alius possit pericula multa, & vulnera fidei in huiusmodi nuptiis, quas ꝓhibet Apostolus, prouidisse: & primo quidẽ carnis sanctæ in carne Gentili inquinamentum præcauisse? Hoc loco dicet aliquis, Quid ergo refert inter eũ qui in matrimonio Gẽtilis à Domino allegitur, & olim, id est ante nuptias fidelem, vt non proinde carni suę caueant? alter arceatur à nuptiis infidelis, alter in his perseuerare videatur: cur si à Gentili inquinamur, non & ille disiungitur, quemadmodum iste nõ obligatur? Respõdebo si spiritus dederit, ante omnia alligãs Dominũ magis ratũ habere matrimoniũ non contrahi, q̃ omnino disiungi: deniq; diuortium prohibet, nisi stupri causa, continẽtiam vero commendat. Habet igitur ille perseuerãdi necessitatẽ, hic porro ẽt non nubendi potestatẽ. Tũ si secũdum scripturã qui in matrimonio Gentilis à fide deprehendũtur, ac propterea nõ inquinãtur, cũ ipsis alii quoque sanctificantur: sine dubio isti, qui ante nuptias sanctificati sunt, si extrancæ carni commisceantur, sanctificare eam non sint deprehensi. Dei autem gratia illud sanctificat, quod inuenit. Ita quod sanctificari non potuit, immundũ est: q̃ immundum est, cum sancto non habet partẽ, nisi vt de suo inquinet & occidat. [17] Hæc cum ita sint, fideles Gentilium matrimonia subeũtes, [18] stupri reos esse constat, & [19] arcẽdos ab omni cõmunicatione fraternitatis, ex litteris Apostoli dicẽtis, cum eiusmodi nec cibum sumendum. At nunquid [20] tabulas nuptiales de illo apud tribunal Domini proferemus? Et matrimoniũ rite contractum allegabimus q̃ vetuit ipse? Non adulteriũ est quod prohibetur? nõ stuprum est extranei hominis admissio? Minus tẽplũ Dei violat? minus mẽbra Christi cũ membris adulteræ cõmiscet? Quod sciam non sumus nostri, sed pretio empti: & quali pretio? sanguine Dei. Lædentes igitur carnem istam, eum lędimus. De proximo quid sibi voluit ille qui dixit, delictũ quidem esse extraneo nubere, sed minimum, cum alias deposita carnis iniuria ad Dominũ pertinentis, omne delictum voluntariũ in Domino grande sit? Quanto n. potestas vitandi fuit, tãto cõtumaciæ crimẽ oneratur. Recenseamus nunc cetera pericula & vulnera, vt dixi, fidei ab Apostolo prouisa, non carnis tantũ, ẽt ipsius spiritus, molestissima. Quis n. dubitet oblitterari quotidie fidẽ cõmercio infideli? *Bonos corrũpunt mores, cõfabulationes malæ*: quanto magis [21] cõiunctus, & indiuiduus vsus. Quæuis mulier fidelis Dominũ obseruet necesse est. Et quomodo potest duobus dominis deseruire, Domino, & marito, adde Gentili? Gentilem n. obseruando Gentilia exhibebit, formã, [22] extructionem, mũditias seculares, blanditias turpiores, ipsa etiam matrimonii secreta maculosa: non vt penes sanctos officia sexus, cum honore ipsius necessitatis, tanq̃ sub oculis Dei modeste & moderate trãsfiguntur [23] Sed viderit, qualiter viro officia

Ibidem.

Cap. II.

1. Cor. 7.

Ibidem.

Vbi supra.

D

Cap. III.

1. Cor. 7.

1. Cor. 5. 1. Cor. 6. Ibidem.

1. Cor. 11. Matth. 6.

H

Cap. IV.

pendat.

pendat. Domino certe non potest pro disciplina satisfacere habens in latere diaboli seruũ, ꝓcuratorẽ Domini sui ad impedienda fideliũ studia & officia. Vt 24 si statio facienda est, maritus de die cõdicat ad balneas: si ieiuna obseruanda sunt, maritus eadem die conuiuium exerceat: si 25 procedendũ erit, nũquã magis familię occupatio adueniat. Quis n. sinat coniugẽ suã 26 visitãdorũ fratrũ gratia, vicatim aliena & q̃dẽ pauperiora quæque tuguria circuire? Quis nocturnis conuocationib. si ita oportuerit, à latere suo eximi libenter feret? Quis denique 27 Solennibus Paschæ abnoctanté securus sustinebit? Quis ad 28 conuiuium Dominicũ illud, quod infamant, sine sua suspicione dimittet? Quis in carcerem ad 29 osculanda vincula martyris reptare patietur? Iã vero alicui fratrum ad osculum conuenire? aquã sanctorũ pedib. offerre? de cibo, de poculo inuadere, desiderare, in mente habere? Si & peregre frater adueniat, ꝙ in aliena domo hospitiũ? Si cui largiẽdũ erit, horreũ, 30 proma, præclusa sunt. [31 Sed aliqui sustinent nostra, nec obstrepunt. Hoc est igitur delictum, ꝙ Gentiles nostra mouerunt, ꝙ sub conscientia istorum sumus: quod beneficiũ corũ est, si quid operamur. Non põt se dicere nescire, qui sustinet? aut si cælatur quia non sustinet, timetur. Cum aũt scriptura vtrũq; mandet, 32 sine alterius cõscięntia, & sine nostra pressura operari Domino: nihil interest, in qua parte delinquas, aut in conscientia mariti, si sit vt patiens: aut in conflictatione tui, dũ vitatur impatiens. *Nolite*, inquit, *margarita vestra porcis iactare, ne conculcent ea, & 33 conuersi vos quoque euertant.* Margarita vestra, sunt quotidiana cõuersationis insignia. Quãto curaueris ea occultare, tanto suspectiora feceris, & magis cauẽda Gentili curiositati. Latebis ne tu, cũ 34 lectulũ, cum corpusculum tuum signas, cum aliquid immundũ flatu expuis, cum ẽt per noctem exurgis oratũ, & 35 non Magiæ aliquid videberis operari? Non sciet maritus 36 quid secreto ante omnẽ cibũ gustes? Et 37 si sciuerit, panem, non illum credit esse qui dicitur. Et hæc ignorans quisque, rationem simpliciter sustinebit, sine gemitu, sine suspicione panis an veneni? Sustinẽt quidem, sed vt inculcent, vt inludãt huiusmodi fœminis: quarũ arcana in periculũ quod credunt seruent, si forte lædantur, ipsi sustinent: quarũ dotes, obiectione nominis, mercedem silentii faciãt, scilicet apud arbitrũ spiculatorẽ litigaturi. Quod pleræque nõ ꝓuidentes, aut re excruciata, aut fide perdita recensuerunt. [38 Moratur Dei ancilla cum Larib. alienis, & inter illos omnib. honorib. dæmonũ, omnibus solennibus regum incipiente anno, incipiẽte mense, nidore thuris agitabitur. Et procedit de ianua laureata & lucernata; vt de nouo consistorio libidinum publicarũ. Discumbit cũ marito in 39 sodalitiis, sæpe in popinis. Et ministrabit nonnunquã iniquis, solita quõdam sanctis ministrare. Et non hic præiudiciũ dãnationis suæ 40 adcognoscet? Eos obseruabit, quos erat iudicatura. De 41 cuius manu desiderabit? de cuius poculo participabit? Quid maritus suus illi, vel marito quid illa cãtabit? Audiat sane, 42 audiat aliquid Dei cœna, de taberna, de gehenna. Quę Dei mentio: quæ Christi inuocatio: vbi 43 fomenta fidei de scripturarũ interlectione vbi spiritus refrigerium: vbi diuina benedictio? Omnia extranea, omnia inimica, omnia damnata 44 adterendę saluti, à Malo immissa. [45 Hæc si eis quoq; euenire possint quæ in matrimonio Gentilis fidem adeptę morantur, tamen excusantur, vt in ipsis deprehẽsæ à Deo, & iubentur perseuerare, & sanctificantur, & spem lucrationis accipiunt. Si ergo ratum est apud Deũ matrimoniũ huiusmodi, cur non prospere cedat, vt & à pressuris, & angustiis, & impedimentis, & inquinamentis nõ ita lacessatur, iam habens ex parte diuinæ gratiæ patrocinium? Nam & ad aliquã virtutem cœlestẽ documentis dignationis alicuius vocata, terrori est Gẽtili, quo minus sibi obstrepat, minus sciat, minus speculetur. Sensit magnalia, vidit experimenta. Scit meliorem factam; sic & ipse 46 candidatus est timoris. Ita facilius huiusmodi lucrifiunt, in quos Dei gratia consuetudinẽ fecit. Ceterũ aliud est, vltro & sponte in prohibita descẽdere. Quæ Domino non placent, vtiq; Dominũ offendunt, vtiq; Malo se inferunt. Hoc 47 signi erit vt solis, quod solis Pentotib. placet nomen Christianum. ideo inueniuntur qui tales non exhorreant, vt 48 exterminent, vt arripiãt, vt à fide excludant. Habes causam, qua nõ dubites, nullũ huiusmodi matrimonium prospere decurri. à Malo conciliatur, à Domino vero dãnatur. [*Ad 49 hoc quæramus an* iure, quasi reuera 50 despectatores diuinarũ sententiarũ. Nonne 51 quiq; domini & disciplinæ tenacissimi seruis suis foras nubere interdicunt: scilicet ne in lasciuiã excedant, officia deserant, dominica extraneis promant? Nonne insuper censuerunt 52 seruituti vindicandas, q̃ cum alieno seruo post dominorum denunciationem in consuetudine perseuerauerunt: Seueriores habebũtur terrenæ disciplinæ cælestib. præscriptis? vt Gentiles quidem extraneis iunctæ, libertatem suam amittant: nostrę vero diaboli seruos sibi coniungãt, & in statu suo perseuerent 53 Scilicet negabunt sibi à Domino per Apostolum eiusdem denunciatum. Quam huius amentiæ causam detineam, nisi fidei imbecillitatem pronam semper in concupiscentiam secularium gaudiorum? Quod quidem plurimum in lautioríb. deprehensum est. Nam 54 quanto dies aliqua est cõmatronã nomine inflata, tanto capacem domum onerib. suis requirit, campũ in quo ambitio decurrat. Sordent talibus Ecclesiæ. 55 Difficile in domo Dei diues, ac, si quis est, difficile cœlebs. Quid ergo faciant? Vnde nisi à diabolo maritũ petant 56 bonum exhibendæ cellæ, & 57 mulabus, & 58 cinerariis peregrinæ proceritatis? Christianus ista etiam diues fortasse non præstet. Quęso te, Gentilium exempla proponas tibi. Pleræq; & genere nobiles, & re beatæ, pessimis de ignobilibus & mediocrib. simul, coniunguntur, aut ad luxuriam inuentis, aut ad licentiam expertis. Nonnullæ se libertis & seruis suis conferunt, omnium hominum existimatione despecta, dum modo habeãt à quib. nullum impedimentum libertatis suę timeant. Christianam fidelẽ fideli re minori nubere piget, locupletiorem futuram in viro paupere? Nam si pauperum sunt regna cœlorum, quia diuitum non sunt, plus diues, in paupere inueniet maiore dote. Sit illa exæquo in terris, quæ in cœlis forsitan non erit. [59 Dubitandum, & inquirendum, & identidem deliberandum est, an ideo sit inuestis dotalib. cui Deus censum suum credidit. Vnde sufficiam ad enarrandam fœlicitatem eius matrimonii. 60 quod Ecclesia conciliat, & 61 confirmat oblatio. & obsignatum angeli renunciant, pater raro habet? 62 Nam nec in terris filij sine consensu patrum rite & iure nubent: Quale iugum Filiorum duorum vnius spei, vnius voti, vnius disciplinæ, eiusdem seruitutis? Ambo fratres, ambo conserui, nulla spiritus carnisve discretio. Atquin vere duo in carne vna. Vbi caro vna, vnus & spiritus. Simul orant, simul volutantur, & simul ieiunia transigunt, alterutro ducentes, alterutro hortantes. In 63 Ecclesia Dei pariter, in connubio Dei pariter. In angustiis, in refrigerijs, neuter alterum cælat, neuter alterum vitat, neuter alteri grauis est. Libere æger visitatur, indigens sustentatur. Eleemosynę sine tormento, 64 Sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento. Non furtiua signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio: sonant inter duos Psalmi & Hymni, & mutuo prouocant quis melius Deo suo canet. Talia Christus videns & audiens gaudet. His pacem suam mittit. Vbi duo, ibi & ipse; vbi & ipse, ibi & Malus non est. Hæc sunt quæ 65 Apostoli vox illa sub benignitate intelligenda nobis, reliquit. Hæc tibi suggere, si opus fuerit. His te ab exemplis quarundam reflecte: Non licet aliter fidelibus nubere: & si liceret, non expediret.

A
Cap. V. B
Matth. 5. 2. Cor. 9.
Matth. 7.
C
Cap. VI.
D
Cap. VII.
1. Cor. 7.
E
Cap. VIII.
2. Cor. 6.
F
Matth. 5. Cap. IX.
G
H
Matth. 18. 1. Cor. 7.

ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM ad vxorem secundum.

1. De Matrimonio Cvm Gentilibvs.] *Istud titulo adiunximus, vt norit Lector libri argumentum. Cui similem locum etiam habet B. Cyprianus lib. testimon. 3. ad Quirin. cap. 62. hoc titulo*: Matrimonium cum Gentilibus non iungendum; *vbi & adlegat tum locum 1. Corint. 7. quem hic vrget Auctor*, Tantum in Domino, *tum & alias scripturas Tob. 6. Genes. 24. 1. Esdræ 10. Reg. 3. cap. 11. Epistol. 1. & 2. Corin. 6. Qui etiam lib. de Lapsis, inter crimina collocat*: Iungere cum infidelibus vinculum matrimonii; *ad quem locum Patrum similes sententias adnotauimus num. 21. infra adhuc aliquot citaturi. cap. 1. & 3. aduersus Magdenburgenses, qui perperam inter errores Tertulliani collocare non verentur, quod dicat:* stupri reos fideles Gentilium matrimonia subeuntes.

CAP. I.

2. Proxime tibi, dilectissima in Domino conserua, &c.] *Caput hoc primum inscripsimus*: Quod tantum in Domino, id est, Christiano, nubendum præcipiat Apostolus. *Quem locum 1. Cor. 7. non modo ita interpretantur Tertullianus hic & infra lib. de Monogam. & B. Cyprianus, vbi supra, verumetiam B. Ambrosius & reliqui Latinorum in eius loci commentarijs, B. Hieronymus lib. 1. aduers. Iouinianum, hunc locum imitatus. Vbi etiam adlegat 2. Corin. 6.* Nolite iugum ducere cum infidelibus; *& præter scripturæ locum mox citata etiam locum Malachiæ*: Polluit enim sanctum Domini, & dilexit, & habuit filiam Dei alieni. *Ex eo autem quod hoc capite Tertullianus permittit viduæ secundas nuptias*, dummodo in Domino, id est, Christiano, *nubat, colligunt recte Magdenburgenses, quum hunc librum scriberet, nondum incidisse in hæresim de damnata Digamia.*

3. fœminæ sanctæ,] *Hoc est (inquit Rhenanus) Christianæ, vt infra cap.* 2. Permiserat sanctis vulgo nubere. *Item*: carnis sanctæ in carne Gentili inquinamentum; *& in libr. præcedente: cap.* 6. durum plane & arduum continentia sanctæ fœminæ. *Nam olim Christiani vocabantur* sancti. *Vnde* sanctissimi *dicti Episcopi. Quem titulum ex antiquitate retinuit Pontifex Romanus. Similiter iterum infra cap.* 3. & penes sanctos *dixit, ac cap.* 6. sancti sanctis ministrare. *Appellatione hauddubie desumpta ex illo 1. Corinth.* 7. Alioqui filii vestri immundi essent, nunc vero sancti sunt, *iuxta interpretationem BB. Chrysostom. & Ambrosii in Commentarijs, quos Auctor lib. de Anima infra Tom. sequ.* sanctitati candidatos *quam aptissime appellat, vtpote quum Apostolus etiam de nondum baptizatis loquatur.*

4. diuortio, vel mariti excessu.] *Sane hic locus intelligendus, quippe quum suam sententiam explicet infra his verbis lib. de Monogam. Tom.* 5. Repudiatis non permitteret nubere aduersus pristinum præceptum. *vbi & lib. 4. aduers. Marc. Tomo sequent. hac de re latius, contra eos qui errorem hunc Tertulliano impingunt, quasi ille censuerit licitum repudiatis nubere potissimum in Domino.*

5. procliuum tibi labendi ab altioribus faciam.] Procliuum *(inquit Rhenanus) hoc est, procliuitatem, id est, ansam ruinæ præstem.*

6. & hoc maximum propositum.] *Videtur esse (inquit idem) figura Græca, hoc est, secundum* maximum propositum, *id est, spem quæ posita est in matrimonio, tanquam in supremo præsidio vitæ commodius transigendæ, quum maritus sit auctoritatis & solatij causa mulieri necessarius.*

7. quæ viduitatem ministrat.] *Similiter dixit Apologet. cap.* 2. quæ vos aduersus formam, &c. ministret. *vbi aliquid de hac phrasi diximus Adnot. nostris n.* 29.

8. perpetrabile.] *In bonam partem & proprie hic accipitur* perpetrabile. *Nam (teste Festo)* Perpetrat, *qui peragit, perficit. Hinc Pacuuius in Teucro*: perpetrare *precibus imperia.*

9. de viduis quidem & innuptis.] *Omnino sic hoc restitui, tum quod infra c.* 2. *hunc ipsum locum citans dicat*: Ille igitur Apostolus sanctus, qui viduas innuptas integritati perseuerare mauult; *tum quod non modo Latine legatur.* Dico autem non nuptis & viduis bonum est illis, si sic permanserint: *sed & Græce, τοῖς ἀγάμοις καὶ τοῖς χήραις, maxime quum infra l. de Cast. Tom. 5. etiam sic legat Alioqui enim nihil ad institutum faceret.*

10. exerte iubet.] Exerte *(inquit Rhenan.) id est, clare & expresse. Sic paulo post etiam c.* 2. exerta sententia. *Qui addit eo loci*: Quia suasum impune quid negligas quam iussum. *subaudiri: magis. Cuiusmodi locutiones multas congestas ab eodem habes supra lib. ad Martyras c. 2. n. 15.*

CAP. II.

11. Igitur quum quædam, &c.] *Capiti huic titulum damus*: Quid sibi velit Apostolus, vbi de viro agit infideli, & vxore fideli *Quem adeo Apostoli locum pulcherrime explicat, in quo eum imitantur plerique Græcorum & Latinorum Commentarij, & B. Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian. Ignoscit, inquit, Apostolus infidelium coniunctioni, quæ habentes maritos, in Christum postea crediderunt; non his quæ quum Christianæ essent, nupserunt Gentilibus. Atqui* nuptias de Ecclesia tollere, *pro eodem habet ac*: Gentili coniungi, *eo quod fidem alteri, nempe Gentili, dando Christianis eripere videamur.*

12. Si quis frater infidelem habet vxorem, &c.] *Quod hic*: frater, *mox ab Auctore vertitur*, fidelis, *de quo plura Apolog. ca. 39. Atqui ibi*: & illa matrimonio consentit; *Paraphrastic⁹ reddit, quod ad verbum ex Græco vertit noster Interpres*: & hæc consentit habitare cum illo. *cum quo magis conuenit quod mox reciproce de viro subditur*: si consentaneum maritum experitur. *Qui interim illi conformiter legit*: Similiter mulier fidelis, *vnde apparet, olim etiam Græce lectum fuisse, ἡ γυνὴ πιστὴ pro eo quod nunc dumtaxat: ἡ γυνή. Accipit denique* ceterum, *pro alioquin more Iureconsultorum, & nominatim Vlpiani, l. Si finita § postea D. De damno infecto. Paulo post accipitur* ceterum *proprie ab Auctore, pro*: vero *de quo diximus ex Zephyro supra ad Apologet. cap.* 1.

13. Hanc monitionem, fors fidelibus iniunctis.] Fors, *pro forte hic accipitur ab Auctore. Atqui etsi 1. edit. legat*: inuinctis, *magis placet vulgata confirmata ms. cod. Vatic.* 3. iniunctis *vt accipiatur pro*: non iunctis.

14. ne qui *Pro*: ne quis (*inquit Rhenan.*) *quemadmodum alibi frequentissime.*

15. Mulier defuncto viro.] *Etiam hoc Paraphrastic⁹ transferens* defungi, *pro dormire, quod & Græce & Latine est apud Apostolum his verbis*: Quod si dormierit vir eius; *familiarissima scripturæ phrasi, vti ex Concordantijs Bibliorum manifestissimum est.*

16. detractata & exerta sententia est. *Nouus, inquit Rhenanus, huius verbi vsus* detractata. *Sic l. de Virgin. veland.* Nec detractamus, quare non & puerum nominarit. *Compositum pro simplici.*

CAP. III.

17. Hæc quum ita sint, fideles Gentilium matrimonia subeuntes, &c.] *Inscriptionem huic capiti fecimus*: Quod arcendi sint à communicatione fraternitatis, matrimonia cum infidelibus contrahentes.

18. stupri reos.] *Perperam hoc inter errores Tertulliani recensent Magdenburgenses, vti etiam supra adnot. auimus num. 1. Nam haud absimiliter. B. Hieron. lib. 1. aduers. Iouinian. At nunc (inquit) pleraque contemnentes Apostoli iussionem, iunguntur Gentilibus*: & templa Christi idolis prostituunt, *nec intelligunt, se corporu eius esse partem, cuius & costa sunt. Sic etiam B. Ambrosius alicubi.*

19. & arcendos ab omni communicatione fraternitatis.] *Ita excommunicationem Ecclesiasticam circumscribit, de qua videat Lector Adnotat. nostras in B. Cyprian. Epist. 38. num. 10. & supra Apolog. cap. 39. Quæ quid præterea iniungat, addit ex* literis Apostoli, 1. *Cor. 5. nempe*: cum eiusmodi nec cibum sumere.

20. tabulas nuptiales.] *Syngraphas, inquit Rhenanus, intelligit. Sic Cicero de Oratore*: *Nam pro* tabulis, *& contra* tabulas, *& pro testibus, vel contra testes, vel separatim dicere solemus, vel de genere vniuerso. Porro Tertullianus hic vtitur translatione actionum siue causarum forensium. Siue autem paulo post leganus*: ab Apostolo prouisa, *cum excusis, siue*: præuisa, *cum 3. Vatic. ms. cod. perinde est.*

21. coniunctus & indiuiduus vsus.] *Quum sic legant ms. dicti cod. 2. & ipse Rhenan. in Adnot. probet, magis placet, quam quod ille in 1. edit. substituerat*, conuictus, &c.

22. exstructionem.] *Sic vocat, inquit Rhenanus, exornationem, siue expolitionem, quam & expictionem appellare solet.*

CAP. IV.

23. Sed viderit qualiter viro officia pendat, &c.] *Caput hoc inscripsimus*: Quod Deo satisfacere Gentili viro nupta non possit.

24. Vt si statio facienda est.] Stationem *plerumque pro statoieiunij die accipi ab Auctore, supra satis ostendimus lib. de Orat. cap. 14. num. 58. & de Cor. milit. num. 11. Hic tamen eo quod illi opponatur* condicere ad balneas, *videtur accipi, sicuti à Rhenano accipitur, & à B. Cyprian. epist. 41. num. 10. & 42. num. 11. A militia, inquit hic Rhenanus, Romana tractum & vsurpatum hoc vocabulum, vt alia multa, hæsit in vsu Christianorum. Faciebant* stationem *milites, præsidium certo loco agitantes. Vnde &* stationarii *dicti Christiani, nunc in hac Basilica, nunc in alia conuenientes, nonnunquam apud Martyria, hoc est, Martyrum sepulchra, Deum stantes & attenti precabantur.* Stationis *vocabulum in hoc sensu non ignotum vrbi Romanæ, ex antiquitate relictum, ipsa etiam obseruatione veteri per manus tradita ac retenta.*

25. si procedendum erit.] *Similiter (quemadmodum adnotat & Rhenanus) B. Hieronym. ad Eustochium*: *Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo, nunquam causa deerit* procedendi, *si semper, quando necesse est*, processeris. *Porro* Processionum *ceremonias antiquas esse vel ex hoc loco colligere potes, certe non contemnendas, si cum adtentione animi & puritate precum peragantur. Quibus adde quod habet idem Rhenan. in argumento, quod* processiones *Ecclesiasticæ referunt Iudaicum populum obuiam Christo factum, & Apostolos exeuntes in mundum vniuersum, cum Christus in cælos ascenderet. Hæc paulo prolixius contra Magdenburgenses, qui* Processionum *ritum ad Montani ceremonias referunt; quod quam non recte, vel inde colligere est, quod fateantur alibi, librum hunc ante hæresim à Tertulliano conscriptum, vti supra adnotaui numero 2.*

26. visitandorum fratrum gratia, &c.] *Similiter dixit supra lib. de Cultu fœmin. cap* 11. Aut imbecillus aliquis ex fratribus visitandus. *Atqui ex vtroque loco hæc colligit Christianorum veterum officia Rhenan. in lib. de Coron. milit. & hic in argumento*, Stationes, ieiunium, processionem, visitationem fratrum, *hoc est, Christianorum ægrotantium*; conuocationem nonnunquam nocturnam, sollemnia Paschæ, Dominicum conuiuium, consolationem martyrum *in vinculis detentorum*, exosculationem fratrum, ablutionem pedum, peregrinorum susceptionem, communionem Eucharistiæ, Signum crucis, precationem nocturnam, Eucharistiæ priuatim ante omnem cibum degustationem; sacram Christianorum cantillationem,

27. sollemnibus Paschæ.] *De his vide infra lib. de Coron. mil. cap.* 3. *De* peruigilio *vero* Paschæ *adnotat hunc locum B. Hieron. in argumento Rhenan. Vnde reor, inquit, & Traditionem Apostolicam permansisse, vt in die Vigiliarum Paschæ ante noctem dimidiam populos dimittere non liceat, expectantes aduentum Christi (quem Iudæi tradunt media nocte venturum in similitudinem Ægyptij temporis) & postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta festum cunctis agentibus diem. Habet id ille Comment. in Matthæum, ni fallor, ad illud cap.* 24 Nescitis, qua hora dominus vester venturus sit. *Quod hausisse videtur ex Lactant. lib.* 7. *cap.* 13. *vbi inter cetera: Et hæc est nox, inquit, quæ à nobis propter aduentum Regis ac Dei nostri peruigilio celebratur. Quæ ipsa verba paucis immutatis iterũ transscripsit B. Isidorus Etymolog. li.* 6. *c.* 16. *Eiusdẽ diei* sollemnis vigiliarum Paschæ *meminit Euseb. histor. Eccles. lib.* 6. *cap.* 25. *ac* 34. *à quo vocatur*, ἡ μεγάλη τοῦ πάσχα διαγρυπνήσεως *&* ἡμέρα τῆ ὑστάτης τοῦ πάσχα παννυχίδος. *Eodem pertinet quod Gregor. Nazianz. sermone de Pascha, & Orat. funebri in patrem, scribit de nocte diem festum Paschæ præcedente, luminibus & flammis coruscantem. Item B. Gregor. Nyss. Orat. de Pascha, & Ausonius:*

Ad temet properant vigilatum conuenientes,
Nox lucem referet funalibus anteferendam, &c.

28. conuiuium Dominicum illud quod infamant.] *De* conuiuio Dominico, *seu Missa Christianorum, vide supra Adnotat. nostras lib. de Orat. num.* 1. *De calumniis vero quibus illud Gentes infamabant, totis capitibus sexto & septimo Apologetici.*

29. ad osculanda vincula martyris reptare.] *Quod* martyr *dicebatur Auctori etiam qui carcere adhuc includebatur, paratus ad martyrium, supra ostendimus lib. ad Martyras, nu.* 1. *Atqui adnotanda hæc non noua Ecclesiæ ceremonia, tum de* osculandis vinculis martyrum, *tum de* reptatione *ad eadem, vt nemo similes hodie ceremonias contemnat, quæ fiunt ad reliquias* martyrum. *Quas etiam antiquissimas esse ostendunt, qui earundem mentionem faciunt, Patres a nobis citati Adnotat. nostris in epistol.* 37. *B. Cypriani, num.* 4. *Quibus adde Theodor. de curat. Græc. affect. lib.* 8 *B. Cyril. lib.* 6. *&* 10. *contra Iulianum, B. Augustin. epist.* 43. *contra Max. Madaurensem, ac lib.* 20. *contra Faustum, cap.* 4. *&* 21. *Eodem pertinent Epitheta Reliquiis Sanctorum attributa, quibus appellatur Sanctæ BB. Hieronymo & Ambrosio, Suscipiendæ cum omni honore & amplectendæ, à Basilio Ancyrano Syn.* 7. *Actor.* 1. *Honorandæ à B. Hieronymo aduers. Vigil. Venerandæ à Rufino, Eccles. hist. lib.* 2. *cap.* 28. *Quas qui ornant, tuentur, venerantur, propinqui sanctorum dicuntur à Gregor. Nyss. Orat. in S. Theodor. quas attingere eiusmodi donum, vt supremo voto nihil magis optari possit, eodem teste ibidem; quasque omnes cum summo gaudio circumstant, benedici cupientes, ac secum referre animæ corporisque remedia, & perinde ac viuæ essent, amplectuntur, &* ore deosculantur, *sicuti idem ibidem, Cur enim non honorent (inquit Ambros. ser.* 93. *fideles, quas reuerentur dæmones? Quis ergo nobis det (inquit Chrysost. homil.* 32. *in epistol. ad Roman.) circumfundi corpori Pauli, &c. Eadem enim possunt (inquit Gregorius Nazianzenus orat. contra Iulianum) tactæ siue veneratæ, quæ animæ eorum sanctæ. Quas qui contingit (Basilio teste in Psal.* 115.) *quandam sanctificationis societatem assumit.*

30. proma, præclusa sunt.] *Intelligit (inquit Rhenan.) cellas* promas *siue promptuaria, in quibus esculenta reponuntur, & vnde cum opus est, per* promum *condum depromuntur. Lib. de Resur. carnis, apud Esaiam cap.* 26. *legit:* Populus meus introite in cellas promas? *pro quo nos in veteri Bibliorum versione habemus:* vade populus meus, in cubicula tua. *Eumque locum exponens:* Sepulchra (*inquit*) erunt cellæ promæ *& addit:* Cur cellarum promarum potius vocabulo vsus est, & non alicuius loci receptorii, nisi quia in cellis promis caro salita & vsui reposita seruatur, depromenda illinc suo tempore: *Hæc illic. Vides igitur, quid hic intelligat per* proma.

CAP. V.

31. Sed aliqui sustinent nostra, nec obstrepunt, &c.] *Inscriptionem huic capiti dedimus:* Quod Gentiles non expediat nostra nosse.

32. & sine alterius conscientia & sine nostra pressura operari Domino.] *Prioribus verbis videtur alludere ad illud Matth.* 6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus *Posterioribus vero ad illud,* 2. *Cor.* 9. Non ex tristitia aut necessitate.

33. & conuersi vos quoque euertant.] *Ad verbum transtulit, quod Græce est:* καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς *pro eo quod noster interpres paraphrastiκῶς addita voce:* canes: & canes cõuersi dirumpant vos, *saltem iuxta posteriores editiones nam in antiquioribus non habetur. Certe nec B. Cyprianus legit, bis eandem scripturam citans, lib. aduers. Demetr. & lib.* 3 *Testimon ad Quirin. cap.* 50. *hoc titulo: Sacramentum fidei non esse prophanandum. Qui etiam modo legit:* ne forte conculcent pedibus suis, *modo:* inculcent, *Auctorem hoc loco imitatus. Nam* inculcare *eodem significatu accipi adnotauimus eiusdem Cyprian. lib. ad Demetr. nu.* 3. *& similiter supra lib. de Patientia dixit Auctor:* tentationes inculcat. *c.* 15.

34. quum lectulum, quum corpusculum tuum signas.] *De more hoc* crucesignandi *antiquis etiam Christianis vsitato, vide infra Adnotat. nostras in cap.* 3. *li. de Coron. milit. Ergo (inquit Rhenanus) quod loco citato dixit:* cubilia, *hic* lectulum *vocat. Simile est etiam illud Auctoris infra sub finem:* non furtiua signatio.

35. & non Magiæ aliquid videberis operari.] *Hoc addit ob id quod præmittitur:* etiam per noctem exsurgis. *quippe quod vsitatum sit & Magis, & maxime Maleficis mulieribus, de quibus latius infra Tom. sequ. l. de Anima.*

36. quid si creto ante omnem cibum gustes.] *Quamquam recte adlegat tamquam similem locum Rhenanus ex lib. de* Coron. *milit. in hoc tamen fallitur, quod pro eodem habeat:* ante omnem cibum, *& quod ibi dicitur:* tempore victus: *quippe quum hoc potius significet prandii seu cœnæ tempus, verum correspondet potius illud quod ibidem subiicitur:* antelucanis cœtibus. *Atqui de more hoc Eucharistiam domum portandi, & secreto gustandi, vide Adnot. nostras supra l. de Orat. nu.* 1.

37. Et sciuerit, panem, non illum credit esse qui dicitur.] *Facit etiam hic locus ad confirmationem veritatis corporis Domini in Eucharistia, (de qua supra dicto l. de Orat. c.* 6. *nu.* 23. *& infra li.* 4. *adu. Marc.) quia hinc patet non esse* panem *communem, sed iuxta quod est Matth.* 6. supersubstantialem.

CAP. VI.

38. Moratur Dei ancilla cum Laribus alienis, &c.] *Titulum huic capiti damus:* Quod non possit non Gentilium sollemnia obseruare Gentili viro iuncta. *Atqui de* Laribus *vide Adnotat. nostras Apolog. num.* 188 *cap.* 13. *De* sollemnibus Regum *siue Cæsarum (nam etiam* Regum *nomen Cæsaribus tribuit alicubi, si Rhenano credendum, B. Hieronymus) ibidem num.* 461. *ac de* ianius laureatis *&* lucernatis, *num.* 464. *De quibus etiam tractat Auctor lib. de Idolol. cap.* 15.

39. in sodalitiis.] *Collegia (inquit Rhenan.) Gentilium innuit. Eadem mensa* sodales *vtuntur, vnde & Græcis* συσσίτια *dicta* sodalitates. *Cato apud Ciceron. lib. de Senect.* Sodalitates *autem, inquit, me Quæstore constitutæ sunt sacris Idæis Magnæ matris acceptis. Epulabar igitur cum* sodalibus. *Porro Licinia lex olim aduersum* sodalitia *lata est ad vitandam popularium suffragiorum corruptelam.*

40. adcognoscet.] *Hoc verbo, inquit idem, etiam in aliis libris vsus est Auctor.*

41. De cuius manu desiderabit?] *Facit ad huius intellectum quod habet infra cap.* 3. *de Coron. milit.* Sacramentum Eucharistiæ non nisi de manu Præsidentium sumimus; *vbi ea de re plura.*

42. audiat aliquid Dei cœna, &c.] *De more hoc cantandi præsertim in Ecclesia, & tempore* cœnæ Dei *seu sacrificij (non vt perperam Rhenan.* cœnæ *Christiani hominis: nam indicatur illud infra sub finem, dum dicit:* sacrificia sine scrupulo.) *vide supra Tom.* 1. *Adnotat. nostras ad illud Apologet. cap.* 39. *num.* 520. Prouocatur in medium Deo canere *Quid autem caneretur, indicat infra sub finem:* Sonant, *inquit,* inter duos Psalmi & hymni, & mutuo prouocant, quis melius Deo suo canet.

43. vbi fomenta fidei de scripturarum interlectione? vbi spiritus refrigerium? vbi diuina benedictio?] *Non pertinere istud dumtaxat (vti adnotat Rhenan.) ad Psalmos & Hymnos, patet ex einsdem Apologet. verbis istis: eodem enim multo ante:* Coimus ad scripturarum diuinarum commemorationem, &c. *tum & ex illis infra Tom. sequent. lib. de Anima:* Iam vero prout scripturæ leguntur, aut Psalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur. *Pertinent enim illa omnia ad diuersas Missæ partes, prout etiam adnotauimus lib. de Oration. num.* 1. *Atque adeo:* diuina benedictio *referri debet potius ad consecrationem Eucharistiæ, quam ad benedictionem Dei, quæ fit per Psalmos & Hymnos.*

44. atterendæ saluti.] *Sic ex ms* 3. *& partim* 1. *edit. quæ habebat:* atterrendæ, *pro eo quod substituit Rhenanus:* abterrandæ.

CAP. VII.

45. Hæc si eis quoque euenire possint, quæ in matrimonio Gentilis fidem adeptæ morantur, &c. *Huic capiti inscriptionem dedimus:* Quod alia sit ratio earum, quæ cum Gentili matrimonio ante baptismum iunctæ sunt. *Nam plurali numero hæc lego cum Latinio, eo quod sequitur:* excusantur, iubentur, sanctificantur, accipiunt. *Siue autem legas cum* 1. *edit.* vidit expedimenta, *siue cum excusis aliis, & m.* experimenta, *perinde est.*

46. candidatus est timoris, &c. *Hoc est, inquit Rhenanus, paulatim imbibit & appetere discit* timorem *Domini*, qui initium est sapientiæ, *iuxta Psalmographum. Est autem elegantissime dictum:* candidatus timoris, *translatione sumpta ab ambientibus olim Romæ magistratum, indutis* candida *veste. Atque hæc est caussa, cur Apostolus nolit deseri maritum Gentilem. Ex cohabitatione enim & ipse paulatim fiet Christianus.*

47. Hoc

47. Hoc signi erit vt solis, &c.] *Hoc est, inquit Rhenanus, hac re peculiariter sunt insignes & notabiles. Agit autem de procis matronarum Christianarum, quos ipse* Petitores *vocat. Quia ipse interim mihi non satisfacit, mecum cogitet Lector Antiquarius, quomodo locus, quem corruptum patet, possit restitui: nam ex ms. 3. mederi non licuit. Fortassis accipit illud:* vt solis, *ac si dicat: sole clarius. Verum si omittatur illud:* vt solis, *constabit sensus.*

48. vt exterminent,] Exterminare, *inquit Rhenanus, proprie est extra terminos & fines territorij siue possessionis aliquem eijcere & propellere. Sic lib. de Velandu virgin. dixit.* mulierem ream esse angelorum exterminatorum, *eiectos illos sentiens de sedibus cœlestibus ob amorem & libidinem mulierum. Hieronym. ad Eustochium: Explosis igitur & exterminatis his quæ noluntesse virgines, sed videri. Vbi* exterminatis *plus est quam explosis.* Exterminare *est, quod Germani sua lingua vocant:* vertbannen *id est, extra bonum eijcere, quam vocem Ausegisus Abbas Francicarum legum interpres, quas de Germanico sermone in Latinum vertit: Forbannire reddidit. Vnde Forobanniti in legibus Longobardorum & Alemannorum & reliquarum gentium nominis Germanici. Tum sensus erit,* vt exterminent, *hoc est, vt de possessione fidei Christianæ deijciant. Qui etiam recte adnotat:* decurri *verbum esse Tertulliani. Nam iterum cap. sequ. dixit:* in quo ambitio decurrat.

CAP. VIII.

49. Ad hoc quæramus an iure, quasi reuera, &c.] *Caput hoc inscribimus:* Quod etiam de iure eiuscemodi matrimonia rata non sint *ac si dicat: Si sententias diuinas despiciamus, quæramus, an vel de iure liceant eiuscemodi matrimonia.*

50. Despectatores.] *Hoc est (inquit Rhen.) contemptores. Sic enim vsurpat:* despectare, *vt paulo post:* omnium hominum existimatione despectandum.

51. Nonne quique domini, &c.] *Quum hoc peculiariter iure interdictum non reperiatur, videtur pertinere ad SC. Claudianum, de quo mox.*

52. seruituti vindicandas, quæ cum alieno seruo, &c.] *Plane si castigandus hic locus, pro;* vindicandos, qui, *ex coniectura, & Francisci Balduini, suis ad me missis litteris, & Latinij, eo quod Senatusconsultum Claudianum, ad quod alludit, sciamus id non nisi de mulieribus censuisse. Conuincitur eadem castigatio necessario etiam ex verbis sequentibus;* vt Gentiles quidem extraneis iunctæ, libertatem suam amittant. *Antiquatum fuit SC. illud à Iustiniano Imperatore Cod. l. 7. titul. De Senatusconsulto Claudiano tollendo, cap. 24. & Institut. De succes. libert. sublat. quæ sieb. per SC. Claudian. §. fin. Vbi interim indicat, non modo* dominorum denunciationem, *sed & Iudicum sententias prærequisitas fuisse, antequam* seruituti vindicarentur. *Vlpianus tamen consentiens Tertulliano, solum* denunciationis dominorum *meminit, Fragm. titul. 11. Sic enim habet; Maxima (inquit) capitis diminutio est, per quam & ciuitas & libertas amittitur, veluti* quum mulier alieno seruo se iunxerit denunciante domino, *& ancilla facta fuerit ex Senatusconsulto Claudiano. Disputatur autem inter doctiores, à quo SC. Claudianum dictum, an à Claudio Imperatore, an vero à Pallante Claudij liberto, nomine patroni, Claudio appellato, quem eius relationis. Auctorem fuisse Tacitus scribit lib. 12. Vtut sit, videtur primum in vsu fuisse tempore Vespasiani, de quo sic scribit Suetonius cap. 11. Libido atque luxuria nullo coercente inualuerat. Auctor itaque Senatui fuit, vt* quæ se alieno seruo iunxisset, *ancilla haberetur. Sed de his satis, quæ accepta me debere fateor eruditissimo I.C. D. Hadriano Puessio, primo apud Durcenses Iuris Ciuilis Antecessori.*

53. Scilicet negabunt sibi à Domino per Apostolum eiusdem denuntiatum.] *Ironiam esse recte adnotauit Rhenanus. Nam haud dubie adludit ad illud supracitatum ex B. hieronym. 2. Corint. 6.* Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial: *(quo pertinet illud quod paulo ante dixit:* nostræ vero diaboli seruos sibi coniungant) aut quæ pars fideli cum infideli?

54. Nam quanto dies est aliqua commatrona.] *Sic iterum lego ex 1. edit. cum 3. ms. Vatic. cod. pro eo quod substituerat Rhenan.* & matrona, *vt sit vox Tertullian. peculiaris, fortassis eodē significatu quo à Plauto in Casina vocatur; Commaritus, qui vicem mariti supplet. loquitur enim de ea quæ nondum* matrona *erat, id est, nondum matrimonio data, sed quæ se pro matrona gerebat.*

55. Difficile in domo Dei dices: ac, si quis est, difficile cœlebs.] *Adludit ad c. 19. Matthæi, vbi non modo dicitur;* Dives difficile intrabit in regnum cœlorum; *sed præterea etiam de* cœlibatu: Non omnes capiunt verbum hoc.

56. bo um exhibendæ sellæ.] *Id est (inquit Rhenan.) idoneum ad* exhibendam sellam, *in qua vel à baiulis gestetur, vel iumentis ducentibus vehatur. Vlpianus De legatis tertio: Lecticarij qui solum matremfamilias portabant, continentur legato rerum vxoris caussa paratarum; item iumenta, vel lectica, vel* sella, *vel burdones. Plura autem vide supra de* sellis, *vel lecticis, lib. præced. cap. 4. ad illud;* nec Germanicos baiulos. *num. 29.*

57. & mulabus.] *Repete (inquit idem)* bonum, *id est, aptum & sufficientem exhibendis* mulabus. *Vtebantur autem ad vehicula* mulabus *prisci. Seneca epistol. 88. Vehiculum in quo positus sum, rusticū est.* mulæ *se viuere ambulando testantur. Eadē epist. paulopost, de sumptuoso homine loquens: Quid (inquit) ad rem pertinent* mulæ *saginata, vnius omnes coloris? quid ista vehicula celata? Lampridius in Commodo Antonino: Dedit & vehicula, cum* mulabus, *& mulionibus, & iuncturis argenteis, vt ita à conuiuio redirent. Atqui hinc confirmatur mea lectio, quam amplexus sum loco libri præcedentis citato, vt legam:* Gallicos mulos, *pro eo quod alij:* Gallicos vultus.

58. & cinerariis.] *Acron (inquit Rhenan.) Grammaticus exponens illud Horatianum primo Sermonum, satyra secunda.*

--Multæ tibi tum officient res,
Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ?

Ciniflones, inquit, & cinerarii *eadem significatione apud Veteres habebantur, ab officio Calamistrorum, id est, veruum in cinere calefaciendorum, quibus matronæ capillos crispabant. Cuius rei & Virgilius meminit dicens; Vibratos calido ferro. Dicti autem Ciniflones, ab eo quod in cinerem flant ad ferrum calefaciendum, quos* Cineratios *appellant. Hæc ille. Ceterum quia hic additur,* peregrinæ proceritatis, *intelligo quos supra dixit:* baiulos Germanos. *Eorum enim Gentile fuit capillum in cirros torquere. Hinc lib. de Velan. virg. infra ca. 10. nu. 81.* aut cirros Germanorum.

CAP. IX.

59. Dubitandum & inquirendum, &c.] *Postremum hoc caput hoc titulo insigniuimus:* De matrimonio Christiano. *Atqui:* inuestis, *vox Tertulliano vsitata, & li. de Pallio, & alibi frequenter. Translatione (inquit Rhenan.) sumpta ab impubere, qui proprie* inuestis *dicitur.*

60. quod Ecclesia conciliat, &c.] *Locus insignis contra matrimonia clandestina; vnde iuxta quod optabat Rhenanus, dicens verba hæc aureis litteris scribenda, & interpretans illud:* quod pater rato habet, *de patre cœlesti: recte Concilio Tridentino damnata sunt Sess. 42. Reform. matrim. ca primo, his verbis: Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt: eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit & anullat. Atqui etiam hoc Tertullianicum esse:* rato habere, *adnotauit Rhenanus.*

61. & confirmat oblatio.] *Præterquam quod hoc ad sacrificij Christiani probationem pertinet, etiam hinc manifesta est antiqua Christianorum consuetudo, qua sacrificio confirmabantur nuptiæ. Hinc etiam Euaristus Papa epist. ad Episc. Africæ, ad quam mihi videtur adludere (quod adeo facit ad eius epistolæ auctoritatem.) Aliter, inquit, legitimum non sit coniugium, nisi ab his qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur vxor petatur, & à parentibus & à propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore* sacerdotaliter, vt mos est, cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur, &c. *Quod ipsum transcripsit in suum Decretum Gratianus 30. qu. 5. cap. Aliter. Vbi etiam de* benedictione sacerdotali *Concil. Carthag. 4. cap. Sponsus. Quin quod Traditionis eam esse Apostolicæ significet his verbis consequentibus Euaristus: Aliter enim, vt à Patribus accepimus: & à sanctis Apostolis, eorumque successoribus traditum inuenimus, non sit matrimonium.*

62. Nam nec in terris, filii sine consensu patrum rite & iure iubent. *Leges huc pertinentes reperire est Digest. lib. 23. tit. 2. De ritu nuptiarum, ca. Nuptiæ, Si nepos, Si ita pater, Oratione, Nuptiæ & filius familias. Quorum saltem 11. & 18. Iuliani, & Papiniani 35. sunt Tertulliano antiquiores, & l. Oratione, Diui Marci meminit, qui etiam Auctorem præcessit. Quin antiquiorem fuisse hanc legem Seuero & Antonino Imperatoribus, sub quibus vixit Tertullianus, patet ex l. ibidem, Qui liberos. Cod. li. 5. tit. 4. De nuptiis. li. 1. Quippe quilege priores interpretando decreuerunt requirendum arbitrium Præsidis prouinciæ, si liberos in potestate habentes, iniuria prohibuerint vxorem ducere, aut nubere, vel dotem dare noluerint, aut denique inter tutorem, matrem, & propinquos, de eligendo matrimonio non conuenit. Quas interim omnes intelligi de filiis familias nondum emancipatis conuincitur l. Filius emancipatus. de Digestorum titulo.*

63. In Ecclesia Dei pariter.] *Hoc pertinet ad confirmationem eius, quod etiam tum Christiani* Ecclesias *habuerint, de quo supra li. Idolol. ca. 7. nu. 29.*

64. Sacrificia sine scrupulo.] *Hoc similiter ad confirmandum Christianum sacrificium, de quo supra lib. de Orat. nu. 1. & de Cultu fœmin. ca. 11. nu. 65.*

65. Apostoli vox illa sub benignitate intelligenda.] *Quum videlicet, inquit Rhenanus, indulgenter loquens* mulier *(inquit)* defuncto viro libera est, cui vult nubat, tantum in Domino. *Ceterum vel ex hoc etiam loco patet Librum hunc scriptum ante errorum Montanistarum de Monogamia.*

ARGVMENTVM LIBRI DE CORONA MILITIS, PER Iacobum Pamelium.

QVVM (Romæ, quantum ex libri calce apparet) facta essent liberalitas, Donatiui dispensatione Militibus facta, præstantissimorum Impp. Cæsarum L. Septimij Seueri patris, & M. Aurelij Antonini Caracallæ filij, fortasis ob sollemnia Cæsarum votis decennalibus, Miles Christianus Tribunum accedens, qui Donatiuum singulis ex ordine erogabat, Lauream castrensem manu gestabat, quam ceteri in capite. Causam expostulatus, quū Christianum se respondisset; non licere sibi coronatum incedere; russatus suo sanguine in carcerem rapitur. De quo quum variæ essent, sententiæ, quasi qui solus videretur inter tot fratres commilitones Christianus, Tertullianus coronari capite Christianos prohibitum, hoc libro latissime deducit.

Atque imprimis obseruationem eam esse satis auctoratam cōsensus patrocinio, in quam committere delictum sit, quum laudetur fides, quæ ante credit obseruandum esse quam didicit.

Traditiones enim etiam non scriptas debere recipi, exemplo esse obseruationes sine vllius scripturæ instrumento, in Baptismate, Eucharistiæ Sacramento, Oblationibus pro defunctis, pro natalitiis, de non ieiunando die Dominico, de Crucis signaculo in fronte.

Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum traditio (inquit) auctrix, consuetudo confirmatrix, fides obseruatrix, quibus & ratio patrocinatur. Atque adeo his exemplis renunciari, posse etiam non scriptam traditionem defendi, confirmatam consuetudine, idoneaque teste ex perseuerantia obseruationis; quæ etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur.

Deinde hanc Christianam obseruationē etiā natura defendi.

Naturalem autem legem, Dei esse in naturalibus tabulis scriptam.

Et vero ex origine ipsa, Coronarum vsum interdictum, quum Claudius Saturninus libro de Coronis, ab iis significet ortas, quos seculum Deos credidit.

Neque obstare quod multa alia ab iis prolata, in nostris tamen vsibus, & in Dei rebus deprehendantur, quia meras illa vtilitates necessariis necessitatibus vitæ humanæ procurent; at quæ hunc ordinem excesserint, non conuenire vsibus nostris.

Quis denique (inquit) Patriarchæ, Prophetes, Leuites, Sacerdos, ἄρχων seu Iudex, vel postea Apostolus, Euangelizator, aut Episcopus inuenitur coronatus? neque ipsum Dei templum, nec arca, nec tabernaculum, nec altare, nec candelabrum. Quæ omnia portendebant homines Dei coronari non debere; nisi forte sicuti Christus coronatus est.

Proinde quum mortuorum sit coronari & Idolorum, apud quæ ipsæ fores, hostiæ, ara, & sacerdotes coronantur; Christianis non licere.

Iam vt ad causas coronarum veniatur, militiam imprimis in castris æmulis Christi non conuenire Christianis.

Deinde vt liceat certe causam coronarum contra eos facere, seu Laurea ista coronentur, seu Myrto, siue Olea; idq; siue in Donatiui dispensatione, siue in triumpho, siue in sollemnibus Cæsarum, Castrensibus vel Munificis coronis coronentur milites.

Eiusdem esse generis coronas Laureas publicorum ordinum, Aureas Magistratuum, siue Hetruscas, aut Prouinciales; item eas quibus publici equi coronantur, aut vulgus in Principalib. & Municipalibus sollemnitatibus, aut sponsæ in nuptiis, aut serui manumissi; denique & Agonisticas, & quibus coronantur Lupanaria, pristina, carcer, Ludus, Amphitheatra, spoliaria, ipsæque Libitinæ.

Nullo itaque modo capiti inferendas Idololatriæ manus, maxime quum Christus sertum ex spinis pro vtroque sexu subierit.

Quinpotius coronam vitæ exspectet, ad quam ille inuitat, quā Apostolus repositam sibi merito confidit, ac victoriæ quam accepit in visione angelus, vt vinceret, qua sedent Protopresbyteri coronati, & ipse Filius hominis supra nubem micat.

Ceterum Tertulliani esse hunc Librum; vel ex eo manifestum est, quod Librum citet de Spectaculis Græco quoque stylo à se conscriptum, cuius alibi frequenter meminit. Deinde multa ijsdem pene verbis repetat, quibus supra in Apologetico, & Libris de Idololatria, ac de Velandis virginibus. Imitantur etiam eundem BB. Hieron. & Basilius locis infra citatis, & ex c. 4. locum integrum transscripsit B. Isidorus Etym. l. 5. c. 3. Viderunt proinde etiam Manuscriptos Trithemius & Politianus. Primus autem edidit Rhenan. non semel castigatum ex Paterniac. Hirsaug. & Gorzien. codicibus; & initio Scholiis, deinde & Adnotationibus, quibus Traditiones Ecclesiasticas non scriptas mire confirmat, illustrauit. Nos easdem (paucis immutatis, in quibus hallucinabatur) partim hic retinuimus, partim supra, quæ nempe ad Missæ sacrificium pertinent, Libro de Oratione: partim infra, quæ Baptismi Sacramentum concernunt, libro de Baptismo, nostris Adnotationibus inseruimus; & iam postremum ex tribus ms. Vati. codicibus denuo castigauimus, & ex Plinio integram Coronarum materiam ita deduximus, vt posthac alio Cōmentario eius argumenti non sit opus.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE CORONA MILITIS LIBER.

PROXIME facta est liberalitas præstantissimorum Imperatorum. Expungebantur in castris milites laureati. Adhibetur quidē illic magis Dei miles, ceteris cōstantior fratrib. qui se duobus dominis seruire non posse præsumpserat, solus libero capite, coronamento in manu ocioso. Vulgata iam & ista disciplina Christianorum relucebat. Deniq; singuli designare, eludere eminus, infrendere cominus in nostrum. Tribuno defertur, & persona iam ex ordine accesserat. Statim Tribunus, Cur, inquit, tam diuersus habitu? Negauit illi cum ceteris sibi licere. Causas expostulatus, Christianus sum, respondit. O militem in Deo glorioſum! Suffragia exinde, & res apud Acta, & reus apud Præfectos. Ibidem grauissimas penulas posuit reuelari auspicatus. speculatoriam morosissimam pedibus absoluit, terræ sanctæ insistere incipiens gladium nec dominicæ defensioni necessarium reddidit: laurea & de manu claruit. Et nunc russatus sanguine suo, ſpe calceatus, de Euangelii paratura succinctus acutiore verbo Dei, totus de Apostolo armatus, & de martyrii candida laurea melius coronatus, donatiuum Christi in carcere expectat. Exinde sententiæ superillo, nescio an Christianorum, non enim aliæ Ethnicorum, vt de abrupto, & præcipiti, & mori cupido, qui de habitu interrogatus nomini negotium fecerit, solus scilicet fortis, inter tot fratres cōmilitones solus Christianus. Planè superest vt etiam martyria recusare meditentur, qui prophetias eiusdem spiritus sancti respuerunt. Mussitant denique tam bonam & longam sibi pacē periclitari. Nec dubito quasdam scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de ciuitate in ciuitatem: Nullam enim aliam Euangelii memoriam curant. Noui & Pastores eorum in pacē leones, in prælio ceruos, Sed de quæstionibus confessionum alibi docebimus. At nunc quatenus illud opponunt: Vbi autem prohibemur coronari? Hanc magis localem substantiam causæ præsentis aggrediar, vt & qui ex sollicitudine ignorantiæ quærunt, instruantur: & qui in defensione delicti contendunt, reuincantur (ipsius vel maxime exemplo) Christiani laureati, quibus in solatium quæstio est, quasi aut nullum aut incertum saltem haberi posset delictum, quod patiatur quæstionem. Nec nul-

A
Cap. II.

lum autem nec incertum, hinc interim ostendam. [21 Neminē dico fidelium coronam capite nosse alias extra tempus tentationis eiusmodi. Omnes ita obseruāt à catechumenis vsque ad cōfessores, & martyres, vel negatores. Viderint, vnde auctoritas moris, de qua cum maxime quæritur. Porro cū quęritur cur q̄d obseruetur, obseruari interim cōstat. Ergo nec nullū nec incertū videri potest delictum, 22 quod committitur, in obseruationem suo iam nomine vindicandam, & 23 satis auctoratam consensus patrocinio. Plane; sic tamen vt ratio quærenda sit sed salua obseruatione, 14 nec in destructionem eius, sed in ædificationem potius, quo magis obserues cum fueris etiam de ratione securus. Quale est autem vt tunc quis in quæstionem prouocet obseruationem, cum ab ea excidit? & tunc requirat vnde habuerit obseruationem, cum ab ea desiit? quando etsi ideo velit videri ad quæstionem vocare, vt ostendat se

1. Cor. 11.

B

non deliquisse in obseruationis destitutione, nihilominus deliquisse eum constet retro in obseruationis præsumptione. Sic enim non deliquit hodie suscepta corona, deliquit aliquando recusata. Et ideo non ad eos erit iste tractatus, quibus non competit quæstio, sed ad illos qui studio discendi, non quæstionem deferunt, sed consultationem. Nam & semper quæritur de isto, & 25 laudo fidem quæ ante credit obseruandum esse quam didicit. Et 26 facile est statim exigere, vbi scriptum sit, ne coronemur. At enim vbi scriptum est, vt coronemur? Expostulantes enim scripturæ patrocinium in parte diuersa, præiudicant suæ quoque parti scripturæ patrocinium adesse debere. Nam si ideo dicetur coronari licere, quia nōn prohibeat scriptura, æque retorquebitur ideo coronari nō licere, quia scriptura nō iubeat. Quid faciet disciplina? vtrumque recipiet, quasi neutrum prohibitum sit? An vtrunq; reiiciet, quasi neutrū præceptum sit? Sed quod non prohibetur, vltro permissum est. Imo prohibetur, quod non vltro est permissum. [27 Et quandiu 28 per hanc lineam ferram reciprocabimus, habentes obseruationem inueteratam, 29 quæ præueniendo statum fecit? Hanc si nulla scriptura determinauit, certe consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quęramus an & traditio non scripta non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationum, quas sine vllius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. 30 Denique vt à baptismate ingrediar, Aquam adituri, ibidem, sed & aliquānto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Euangelio determinauit. Inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus. Exque ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. 31 Eucharistię Sacramentum & 32 in tempore victus, & 33 omnibus mandatum à Domino, 34 etiam antelucanis cœtibus, 35 nec de aliorum manu quam præsidētium sumimus. 36 Oblationes pro defunctis, 37 pro natalitiis, annua die facim⁹. 38 Die Dominico ieiunio nefas dicimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten vsque gaudemus. 39 Calicis aut panis etiam nostri, aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad 40 omnem progressum, atque promotū, ad omnem aditū, & exitum, ad vestitū, & calceatū, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunq; nos cōuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus [41 Harum & aliarum eiusmodi disciplinarū si legē expostules scripturarū, nullam inuenies: traditio tibi prætēdetur auctrix, cōsuetudo cōfirmatrix, & fides obseruatrix. Rationē traditioni, cōsuetudini, fidei, patrocinatur aut ipse pspicies aut ab aliquo q. perspexerit disces. Interim nonnullam esse credes cui debeatur obsequium. Adiicio vnum adhuc exemplum quatenus & de veteribus docere conueniat. 42 Apud

Isai. 7.

C

Cad. III.

D

Cap. IV.

Iudæos tam solenne est fœminis eorum velamen capitis, vt inde noscantur. Quæro legem. Apostolum differo. Si Rebecca conspecto procul sponso velamen inuasit, priuatus pudor legem facere non potuit, aut causæ suæ fecerit. Tegantur virgines solæ, & hoc nuptum venientes, nec antequam cognouerint sponsos. Si & 43 Susanna in iudicio reuelata, argumentum velatæ præstat, possum dicere, & hic velamen arbitrii fuit. Rea venerat, erubescens de infamia sua, merito abscondens decorem, vel quia timens iam placere. Ceterum in 44 stadio mariti nō putem velatam deambulasse, quæ placuit. Fuerit nunc velata semper. In ipsa quoque legem habitus requiro, vel in quacunque alia. Si legem nusquam reperio, sequitur vt traditio consuetudini morem hunc dederit, habiturum quandoq; Apostoli auctoritatem ex interpretatione rationis. His igitur exemplis renunciatum erit, 45 posse etiam non scriptam traditionē in obseruatione defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste probatæ tunc traditionis experseuerantia obseruationis. 46 Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex: nec differt, scriptura an ratione cōsistat, quādo & legē ratio cōmendet. Porro si lex ratione constat, lex erit omne iam quod ratione constiterit à quocunque productum. 47 An nō putas omni fideli licere cōcipere & constituere, dūtaxat quod Deo congruat, quod disciplinæ conducat, quod saluti proficiat, dicente Domino: *Cur autem non & à vobis ipsis quod iustum est iudicatis?* vt non de iudicio tantum, sed de omni sententia rerum examinandarum. Dicit & Apostolus. *Si* 48 *quid ignoratis, Deus vobis reuelabit:* Solitus & ipse consilium subministrare, cum præceptum Domini non habebat: & quædam edicere à semetipso, 49 sed & ipse spiritum Dei habens deductorem omnis veritatis. Itaque consilium & edictum eius diuini iam præcepti instar obtinuit, de rationis diuinæ patrocinio. Hanc nunc expostula, saluo traditionis respectu, quocunque traditore censetur: nec auctorem respicias, sed auctoritatem: & in primis consuetudinis ipsius, quæ propterea colenda est, ne non sit rationis interpres: vt si hanc Deus dederit, tunc discas, curnam obseruanda sit tibi cōsuetudo. [50 Sed cur maior exigitur ratio Christianarum obseruationum, cum illas etiam natura defendit, quæ prima omnium disciplina est? Ideoque hæc prima prę scribes coronam capiti non conuenire. Puto autem, naturæ Deus, noster est, 51 qui figurauit hominem: & fructibus rerum appetendis, iudicandis, consequendis, certos in eo sensus ordinauit, per propria membrorum quodammodo organa; 52 Auditum in auribus fodit, visum in oculis accendit, gustum in ore concluſit, odoratum in naribus ventilauit, contactum in manibus æstimauit. Per hæc exterioris hominis ministeria, interiori homini ministrantia, fructus munerum diuinorū ad animam deducuntur à sensibus. Quis igitur fructus ex floribus? 53 substantia enim propria, certè præcipua coronarum, flores agri. Aut odor, inquis, aut color, aut pariter vtrunque. Qui erunt sensus coloris, odoris? Visus, opinor & odoratus. Istos sensus quæ membra sortita sunt? oculi, nisi fallor, & nares. Vtere itaque floribus visu & odoratu, quorum sensuum fructus est. Vtere per oculos & nares, quorum sensuum membra sunt. Substantia tibi à Deo tradita est, habitus à seculo: quamquam nec habitus extraordinarius ordinario vsui obstrepit. Hoc sint tibi flores & 54 inserti & innexi, & in filo, & in scirpo, quod liberi, quod soluti: spectaculi scilicet, & spiraculi res. 55 Coronam si forte fascem existimas florum per seriem comprehensorum, vt plures semel portes, vt omnibus pariter vtaris: iam vero & in sinum conde, si tanta munditia est: in lectulum sparge, si tanta mollitia est: in poculū crede, si tanta innocentia est. Tot modis fruere, & quot sentis. Ceterum in capite quis sapor floris? quis coronæ sensus, nisi vinculi tantum? Quia neque color cernitur, neque odor ducitur, nec teneritas commendatur. Tam contra naturam est florem capite sectari, quam cibum aure,

E
1. Cor. 11.
Gen. 24.

Dan. 13.

F

Luc. 12.

Philip. 3.

Ioan. 16.

Cap. V.

G

Gen. 1.

H

quam

quam ſonum nare. Omne autem quod contra naturam eſt, monſtri meretur notã penes omnes, penes nos vero etiam elogium ſacrilegii, in Deum naturæ dominum & auctorem. [56 Quæres igitur Dei legẽ, habens communem iſtam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apoſtolus ſolet prouocare: vt cum in velamine fœminæ: *Nec natura vos*, inquit, *docet*? Vt cum ad Romanos: *Natura facere*, dicens, *Nationes ea quæ ſunt legis*: & legem naturalem ſuggerit, & naturam legalem. 57 Sed & in priore Epiſtola, naturalem vſum conditionis in non naturalem maſculos & fœminas inter ſe demutaſſe affirmans, ex retributione erroris in vicem pœnæ, vtique naturali vſui patrocinatur. Ipſum Deum ſecundum naturam prius nouimus, 58 Deum appellantes Deorum, bonum præſumentes, & iudicem inuocantes. Quæris, an 59 conditioni eius fruendę natura nobis debeat prę-ire, ne illa rapiamur, qua Dei æmulus vniuerſam conditionem certis vſibus homini mancipatam, cum ipſo homine corrupit. Vnde eam & Apoſtolus inuitam ait vanitati 60 ſuccidiſſe, vanis plurimum vſibus, tum turpibus, & iniuſtis, & impiis, ſubuerſam. Sic itaque & circa voluptates ſpectaculorum infamata conditio eſt, ab eis, qui natura quidem, Dei omnia ſentiunt, ex quibus ſpectacula inſtruuntur, ſcientia autem deficiunt. Illud quoque intellige, omnia à diabolo eſſe mutata. 61 Sed & huic materiæ propter ſuauiludios noſtros Græco quoque ſtylo ſatisfecimus. [62 Proinde coronarii iſti agnoſcant interim naturæ auctoritatem, communis parentis nomine, qua homines, & propriæ religionis pignora, qua Deũ naturę proximo colentes: atq; ita, velut ex abundanti, ceteras quoq; rationes diſpiciant, quæ noſtro priuatim capiti coronamentis & quidẽ omnibus interdicunt. Nam & vrgemur à communione naturalis diſciplinæ, conuerti ad proprietatem Chriſtianæ totam iam defendendam, per ceteras quoque ſpecies coronarum, quæ aliis vſibus proſpectæ videntur, vt ex aliis ſubſtantiis aſtructę, ne quia non ex floribus conſtant, quorum vſum natura ſignauit (vt ipſa hæc 63 Laurea militaris) non credantur admittere ſectæ interdictionẽ, quia euaſerint naturæ præſcriptionẽ. Video igitur & curioſius & plenius agendum ab originibus vſque ad profectus & exceſſus rei: Litteræ ad hoc ſeculares neceſſariæ. De ſuis enim inſtrumentis ſecularia probari neceſſe eſt: quantulas attigi, credo ſufficient. Si 64 fuerit aliqua Pãdora, quam primam fœminarum memorat Heſiodus, hoc primum caput coronatum eſt à Charitibus, cum ab omnibus muneraretur: vnde Pandora. Nobis 65 vero Moyſes Propheticus, non poeticus paſtor, principem fœminam Euam facilius pudenda foliis quam tempora floribus incinctam, deſcribit. Nulla ergo Pandora. Sed & de mendacio erubeſcenda eſt coronæ origo. Iam nũc & de veritatibus ſuis. Certe enim ceteros fuiſſe conſtat auctores rei vel illuminatores. 66 Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum, 67 Iouem Diodorus poſt deuictos Titanas hoc munere à ceteris honoratum. Dat & 68 Priapo tænias idem, & 69 Ariadnæ ſertũ ex auro & Indicis gemmis: Vulcani opus, Liberi munus: poſt & ſidus. 70 Iunoni vitem Callimachus induxit. Ita & Argis ſignum eius palmite redimitum, ſubiecto pedibus eius corio Leonino, inſultantem oſtentans nouercam de exuuiis vtriuſque priuigni. 71 Hercules nunc populum capite præfert, 72 nunc oleaſtrũ, 73 nunc apium. Habes 74 tragœdiam Cerberi, habes Pindarum, atque Callimachum, 75 qui & Apollinem memorat interfecto Delphico dracone, laureã induiſſe qua ſupplicem. 76 Erant enim ſupplices coronarii apud veteres. 77 Liberum, eundem apud Ægyptios Oſirin, 78 Harpocration induſtria 79 hederatum argumentatur, quod hederæ natura ſit cerebrum ab 80 heluco defenſare. Sed & alias 81 Liberum principẽ coronæ plane laureæ, in qua ex Indis triumphauit, etiã vulgus agnoſcit, cum 82 dies in illum ſolennes Magnã appellat coronã. Si & 83 Leonis Ægyptii ſcripta euoluas, prima 84 Iſis repertas ſpicas capite circuntulit, rem magis ventris. Plura quærentibus omnia exhibebit præſtantiſſimus in hac quoq; materia cõmẽtator 85 Claudius Saturninus. Nã eſt illius de Coronis liber, & origines, & cauſas, & ſpecies, & ſolennitates earũ ita ediſſerens, vt nullã gratiam floris, nullã lætitiã frondis, nullũ ceſpitẽ, aut palmitem, 86 non alicui capiti inuenias conſecratum. Quo ſatis inſtruimur, quam alienum iudicare debeamus coronati capitis inſtitutionem, ab eis prolatam, & in eorum deinceps honorem diſpenſatam, quos ſeculũ Deos credidit. Si enim mẽdacium diuinitatis diabolus operatur, in hac etiam ſpecie, à primordio mendax, ſine dubio & eos ipſe proſpexerat, in quibus id mendacium diuinitatis ageretur. Quale igitur habendum eſt apud homines veri Dei, quod à candidatis diaboli introductũ, & ipſis à primordio dicatum eſt, quodq; iã tunc Idololatrię initiabatur ab idolis, & idolis adhuc viuis? non quaſi aliquid ſit idolum, ſed quoniam quæ 87 idolis alii faciũt, ad dæmones pertinent. Porro ſi quæ alii idolis faciũt, ad dæmones pertinent, quanto magis quod ipſa ſibi idola fecerunt cum aduiuerent? Ipſi ſcilicet ſibi procuraue-runt dæmones, per eos in quibus eſurierant, antequam procurauerant. [88 Tene interim hanc fidẽ, dũ incurſũ quæſtionis excutio. Iam enim audio dici: Et alia multa ab eis prolata, quos ſeculum Deos credidit: tamen in noſtris hodie vſibus, & in priſtinorum ſanctorum, & in Dei rebus, & in ipſo Chriſto deprehendi, non alias ſcilicet hominem functo quam per communia iſta inſtrumenta exhibitionis humanę. Plane ita ſit, nec antiquius adhuc in originem diſceptabo. 89 Primus Mercurius litteras enarrauerit; neceſſarias confitebor & commercii rebus, & 90 noſtris erga Deũ ſtudiis. 91 Sed etſi neruos idem in ſonum ſtrinxit, non negabo & hoc ingeniũ 92 cum ſanctis feciſſe, & Deo miniſtraſſe, audiẽs Dauid. 93 Primus medelas Æſculapius exploraverit; 94 memini & Eſaiã Ezechiæ languẽti aliquid medicinale mãdaſſe. Scit & Paulus ſtomacho vinũ modicum prodeſſe. Sed & Minerua prima molita ſit nauẽ, videbo nauigantẽ Ionã & Apoſtolos. Plus eſt quod & Chriſtus veſtietur: habebit etiam penulã Paulus. Si & vniuſcuiuſq; ſupellectilis & ſingulorum vaſculorũ aliquẽ ex diis ſeculi auctorẽ nominaris, agnoſcã neceſſe eſt & recumbentẽ in lectulo Chriſtum, & cum peluem diſcipulorũ pedibus offert, & cũ aquam ex vrceo ingerit, & cum linteo circunſtringitur, 95 propria Oſiridis veſte. Huiuſmodi quæſtioni ſic vbique reſpondeo, admittens quidem vtenſilium communionem, ſed prouocãs eam ad rationalium & irrationalium diſtinctionem, 96 quia paſſiuitas fallit obumbrans corruptelam conditionis, qua ſubiecta eſt vanitati. Dicimus enim ea demum & noſtris, & ſuperiorum vſibus, & Dei rebus, & ipſi Chriſto competiſſe, quæ meras vtilitates, & certa ſubſidia, & honeſta ſolatia neceſſariis neceſſitatibus vitæ humanæ procurent: vt ab ipſo Deo inſpirata credantur propiore proſpectore, & inſtructore, & oblectatore ſi forte hominis ſui. Quæ vero hunc ordinem exceſſerint, ea non conuenire vſibus noſtris, præſertim quæ propterea ſcilicet nec apud ſeculũ, nec in Dei rebus, nec in conuerſationibus Chriſti recognoſci eſt. [97 Quis denique Patriarches, quis Prophetes, quis Leuites, aut Sacerdos, 98 aut ἀρχων, quis vel poſtea Apoſtolus aut Euangelizator, aut Epiſcopus inuenitur coronatus? Puto nec ipſũ Dei templum, nec arca teſtamenti, 99 nec tabernaculum martyrii, nec altare, nec candelabrum: quib. vriq; & in prima dedicationis ſolennitate, & in ſecunda reſtitutionis gratulatione competiſſet coronari, ſi dignũ Deo eſſet. Atquin ſi figuræ noſtræ fuerũt (100 nos enim ſumus & tẽpla Dei, & altaria, & luminaria, & vaſa) hoc quoq; figurate portendebãt, homines Dei coronari nõ oportere. Imagini veritas reſpondere debebit. Sed forſitan oppones ipſum Chriſtum coronatũ. Ad hoc breuiter interim audies. Sic & tu coronare, & licitũ eſt. Tamen nec illam impietatis contumelioſæ coronam 101 populus conſciuit. Romanorũ militum commentum fuit, ex vſu rei ſecularis, quem populus Dei nec publicæ vnquã lætitiæ, nec ingenitæ luxuriæ nomine admiſit; facilius cum tympanis & tibiis & pſalteriis reuertens de captiui-

A Cap. VI. 1. Cor. 11. Rom. 2. Rom. 8. B Cap. VII. C D E 1. Cor. 10. Cap. VIII. F G Rom. 8. Cap. IX. H 3. Reg. 6. & 8. 1. Eſdr. 7. 1. Cor. 10. 1. Cor. 3. Zachar. 9. Philip. 2. Rom. 9. Matt. 27. Iſai. 38. 1. Timot. 5. Ionæ 1. Luc. 8. Act. 13. & deinceps. 2. Tim. 4. Ioan. 13.

captiuitate Babyloniæ, quam cum coronis: & post cibũ & potum exurgens ad ludendum sine coronis. Nã neq; lætitiæ descriptio, neque luxuriæ denotatio, de coronæ decore, aut dedecore tacuisset: adeo & Esaias, *Quando*, inquit, *cum tympanis & tibijs & psalterijs bibũt vinum*: dicturus esset etiam cum coronis, si vnquam hic vsus fuisset & in Dei rebus. [102 Ita cum idcirco proponis: Deorum secularium commenta etiam apud Deum deprehendi, vt inter hæc coronam quoque capitis communi vsui vindices: ipse tibi iam præscribis non habendum in communione vsus apud nos, quod non inueniatur in rebus Dei. Quid enim tam dignum Deo, quam quod indignum idolo? Quid autem iam dignum idolo, quam quod & mortuo? 103 Nam & mortuorum est ita coronari: 104 vel quoniam & ipsi idola statim fiunt & habitu & cultu consecrationis, quæ apud nos secunda idololatria est. Igitur qui sensu careant, illorum erit proinde vti carere, cuius sensu carerent æque, si abuti vellent, si sensu non carerent. Nulla vero distantia est abutendi, cum veritas cessãt vtendi, cessante natura sentiendi; quave quis abutatur, cum non habeat qua vtatur. 105 Nobis autem abuti apud Apostolum non licet, facilius non vti docentem, nisi quod nec abutuntur qui nihil sentiunt: sed vacat totum, & est ipsum quoq; opus mortuum, quantum in idolis: viuum plane quantum in dæmoniis, ad quæ pertinet superstitio. *Idola Nationum*, inquit Dauid, *argentum & aurum: Oculos habent, nec vident: nares habent, nec odorantur; manus, nec contrectabunt.* Per hæc enim floribus frui est. Quod si tales edicit futuros, qui idola fabricantur, tales iam sunt qui secundum idolorum ornatum quid vtuntur. *Omnia munda mundis, ita & immunda omnia immundis*: nihil autem immundius idolis. Ceterum substantiæ mundæ vt Dei res, & hac sua conditione communes vsui: sed 106 ipsius vsus administratio interest. Nam & ego mihi gallinaceum macto, non 107 minus quam Æsculapio Socrates: & si me odor alicuius loci offenderit, 108 Arabię aliquid incendo, sed nõ eodẽ ritu, nec eodẽ habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola. Si enim verbo nudo conditio polluitur, vt Apostolus docet: *Si* 109 *quis autẽ dixerit, hoc idolothytum est, non contigeris*: multo magis cum habitu, & ritu, & apparatu Idolothytorum contaminatur. Ita & corona idolothytorum efficitur. Hoc enim ritu, & habitu, & apparatu, idolis immolatur auctoribus suis: quorum eo vel maxime proprius est vsus, ne in communionem possit admitti, quod in Dei rebus non inuenitur. Propterea Apostolus inclamat: 110 *Fugite idololatriam*: omnem vtique & totam. Recogita syluam, & quantæ latitant spinæ. Nihil dandum idolo, sic nec sumendum ab idolo. 111 Si in idolo recumbere alienum est à fide, quid in idoli habitu videri? *Quæ communio Christi & Beliæ? & ideo fugite.* Longum enim diuortium mandat ab idololatria, in nullo proxime agendum. 112 Draco etiam tetrenus de longinquo non minus spiritu absorbet alites. Ioannes. 113 *Filioli*, inquit, *custodite vos ab idolis*: non iam ab idololatria quasi ab officio, sed ab idolis, id est, ab ipsa effigie eorum. Indignum enim, vt imago Dei viui, idoli & mortui fiat. Vsq; adhuc proprietatem istius habitus & ex originis censu, & ex superstitionis vsu idolis vendicamus, ex eo præterea, q̃ dum in rebus Dei nostri non refertur, magis magisque imago illorum deputatur, in quorum & antiquitatib. & 114 solennitatibus, & 115 officijs 116 conuenitur. 117 Ipsæ denique fores, 118 ipsæ hostiæ & 119 aræ, 120 ipsi ministri & sacerdotes eorum coronantur. Habes omnium collegiorum sacerdotalium coronas 121 apud Claudiũ. Sed & illam interstruximus distinctionem differentiæ rationalium & irrationalium, eis occurrentem, qui cõmunionem in omnibus de quorundam exemplorum occasione defendunt. Ad hanc itaque partem causas iã ipsas coronarias inspici superest, vt dum ostendimus extraneas, immo & contrarias disciplinæ, nullam earum rationis patrocinio fultam probemus, quod posset habitus eiusmodi quoque communioni vindicari: sicut & quidã, quorum exẽpla nobis obiectantur. [122 Etenim vt ipsam causã coronę militaris aggrediar, puto prius conquirendum, an in totũ Christianis militia cõueniat. Quale est alioquin de accidentibus retractare cum à præcedẽtib. culpa sit? 123 Credimusne humanum, sacramentum diuino superduci licere, & in alium dominum respondere post Christum, & 124 eierare patrẽ ac matrem, & omnem proximum, quos & lex honorari & post Deum diligi præcepit? Hos & Euangelium solo Christo pluris non faciens, sic quoq; honorabit? Licebit in gladio conuersari. 125 Domino pronunciante: *Gladio periturum, qui gladio fuerit vsus?* Et prælio operabitur filius pacis, 128 cui nec litigare conueniet? 127 Et vincula & carcerem, & tormenta, supplicia administrabit, 128 nec suarum vltor iniuriarum? 129 Iam & stationes aut alij magis faciet quã Christo? aut & dominico die, quando nec Christo? Et excubabit pro templis 130 quibus renunciabit? 131 & cœnabit illic, vbi Apostolo non placet? Et 132 quos interdiu exorcismis fugauit, noctib. defensabit, 133 incumbens & requiescens super luncho, quo perfossum est latus Christi? Vexillum quoq; portabit æmulum Christi? & signum postulabit à principe, qui iam à Deo accepit? 134 Mortuus etiam tuba inquietabitur æneatoris, qui excitari à tuba angeli expectat. 135 Et cremabitur ex disciplina castrensi Christianus, cui cremare non licuit, cui Christus merita ignis indulsit? Quanta alia in delictis circumspici possunt castrensium munium, transgressioni interpretanda? Ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre, transgressio est. Plane si quos militia præuentos fides posterior inuenit, alia conditio est, 136 vt illorum quos Ioannes admittebat ad lauacrum; vt 137 Centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, & quem Petrus catechizat. dum tamen suscepta fide atque signata aut deserendum statim sit, vt multis actum: 138 aut omnib. modis cauillãdum, ne quid aduersus Deum committatur, quæ nec ex militia permittuntur; aut nouissime perpetiendum pro Deo, 139 quod æque fides pagana condixit. Nec enim delictorum impunitatem, aut 140 Martyriorum immunitatem militia promittet, Nusquã Christianus aliud est. Vnum Euangelium, & idem Iesus: negaturus omnem negatorem, & confessurus omnem confessorem Dei: & 141 saluam facturus animam pro nomine eius amissam, perditurus autem de contrario aduersus nomen eius lucri habitam. 142 Apud hunc tam miles est, paganus fidelis: quam paganus est, miles infidelis. Non admittit status fidei, allegationem necessitatis. Nulla est necessitas delinquendi, quibus vna est necessitas non delinquendi. Nam & ad sacrificandum & directo negandum, necessitate quis premitur tormentorum siue pœnarum: 143 tamen nec illi necessitati disciplina conniuet: quia potior est necessitas timendæ negationis & obeundi martyrii, quam euadendæ passionis & implendi officij. Ceterum subuertit totam substantiam sacramenti causatio eiusmodi, vt etiam voluntariis delictis 144 fibulam laxet. Nam & voluntas poterit necessitas contendi, habes scilicet vnde cogatur. Vel ipse hæc præstruxerim, & ceteras officialium coronarũ causas, quib. familiarissima ista 145 ducatio necessitatis: cũ idcirco aut officia fugiẽda sint, ne 146 in delictis incidamus, aut & martyria tolerãda sint, vt officia rũpamus. De prima specie quæstionis ẽt militiæ ipsius illicitæ, plura nõ faciunt, vt secũda reddatur. Nisi omni ope expulero militiã, frustra iã de corona militari prouocarim. Puta deniq; licere militiã, vsq; ad causã coronæ. [147 Sed & de corona prius dicã. Laurea ista 148 Apollini vel Libero sacrata est: illi vt 149 Deo telorũ, 150 huic vt Deo triũphorũ, sic docet Claudius. 151 Quanq̃ ex myrto ait milites redimiri solere. Veneris n. myrtũ matris Æneæ, non laurum, ẽt amiculæ 152 Martis, per Iliã & Romulos Romani. Sed ego Venerem non credo ex hac parte cũ Marte Romanã, qua pellicis dolor est. 153 Quin & olea milit ã coronari à Minerua, 154 non solũ artiũ, sed armorũ quoq; dea: & pacẽ cũ Nuptuno inisse, ex hac arbore coronatã. In his erit serti militaris superstitio vbiq; polluta, & polluẽs omnia, quæ iã polluãtur & causis. 155 Ecce ani-

A
1. Esdr. 2. & 3. Exod. 32. Isai. 15.
Cap. X.
Psa. 113.
B
1. Cor. 7.
Tit. 1.
1. Cor. 10.
C
1 Cor. 10. 2. Cor. 6.
1. Ioan. 5.
Baruch. 6.
D
Cap. XI.
E
Exod. 20. Leuit. 19. Matt. 22. 1. Cor. 8. Matth. 6.
1. Cor. 8.
Ioan. 19.
F
Luc. 3. Matth. 3. Act. 10.
Matth. 10.
G
H
Cap. XII

A

ceannua votorum nuncupatio quid videtur? Prima in principiis, secunda in Capitoliis. Accipe post loca, & verba, Hunc tibi Iupiter bouem cornibus auro decoratis vouemus esse futurum. Cuius sententiæ vox est? vtique negationis. Etiamsi tacet illic Christianus ore. coronatus capite respondit.156 Eadem laurea in Donatiui dispensatione denunciatur. Plane non gratuita idololatria, aliquibus aureis venditans Christum, vt argenteis Iudas. Hoc erit: *Non potestis Deo seruire & mammonæ:* mammonæ manum tradere, & à Deo absistere. Hoc est reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo: nec homini Deo reddere, & denarium Cæsari auferre. 157 Triumphi laurea foliis struitur.158 hinc aduerbis159 lemniscis,160 inauratur lamnulis, vnguentis delibuitur à lacrymis coniugum & matrum, fortasse quorundam & Christianorum: & 161 apud Barbaros enim Christus. Qui hanc portauerit in capite causam, nonne & ipse pugnauit? Est & 162 alia militia regiarum familiarum. 163 Nam & castrenses appellantur 164 munificæ & ipsæ solennium Cæsareanorum. Sed & tu proinde miles ac seruus alterius es: & si duorum, Dei & Cæsaris, certe tunc non Cæsaris cum te Deo debes, etiam in cõmunibus credo potiori. [165 Coronant & publicos ordines laureis publicæ causæ: 166 Magistratus vero insuper aureis, vt Athenis, vt Romæ. 167 Præferuntur etiam illis Hetruscæ. Hoc vocabulum est coronarũ, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Iouem insignes ad deducendas thensas cum palmatis togis sumunt. 168 Sunt & prouinciales aureæ, imaginum iam non virorum, capita maiora quærentes. Sed tui ordinis, & tui magistratus, & 169 ipsum Curiæ nomen, Ecclesia est Christi. 170 Illius es, conscriptus 171 in libris vitæ. Illic purpuræ tuæ, sanguis Domini: & clauus latus in cruce ipsius; illic 172 securis ad caudices arboris posita; illic virga ex radice Iesse. 173 Viderint & publici equi cum coronis suis, Dominus tuus, vbi secundum scripturam Ieruſalem ingredi voluit, nec asinum habuit priuatum. *Isti in curribus, & isti in equis,* 174 *nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.* 175 Ab ipso incolatu Babylonis illius in Apocalypsi Ioannis submouemur, nedum à suggestu. Coronatur & vulgus nunc ex 176 Principalium proprietatum exultatione, nunc ex Municipaliũ sollennitatum proprietate: & est omnis publicæ lætitiæ luxuria captatrix. Sed tu peregrinus es mundi huius, ciuis supernæ Ieruſalem. 177 *Noster,* inquit, *municipatus in cœlis.* Habes tuos census, tuos Fastos: nihil tibi cum gaudiis seculi; immo contrarium debes. *Seculum enim gaudebit, vos vero lugebitis.* Et puto, *fœlices,* ait, *lugentes,* non coronatos. 178 Coronant & nuptiæ sponsos: & 179 ideo non nubimus ethnicis, ne nos ad idololatriam vsque deducant, à qua apud illos nuptiæ incipiunt. 180 Habes legem à Patriarchis quidem, habes Apostolum in Domino nubere iubentem. 181 Coronat & libertas secularis. Sed tu iam redemptus es à Christo, & quidem magno. Seruum alienum, quomodo seculum manumittet? Et si libertas videtur, sed & seruitus videbatur. Omnia imaginaria in seculo, & nihil veri. Nam & tunc liber homini eras redemptus à Christo: & nunc seruus es Christi licet manumissus ab homine. Si veram putes seculi libertatem, vt & coronam cõsignes, redisti in seruitutem hominis, quam putas libertatem: amisisti libertatem Christi, quam putas seruitutem. 182 Nunquid & Agonisticæ causæ disputabuntur, 183 quas statim tituli sui damnant, & sacras & funebres scilicet: hoc enim supereſt vt Olympius Iupiter, & Nemæus Hercules, & 184 misellus Archemorus, 185 Antinous infœlix in Christiano coronentur, vt ipse spectaculum fiat, quod spectare non debeat. Vniuersas (vt arbitror) causas enumeramus, nec vlla nobiscum est: omnes alienæ, prophanæ, illicitæ, 186 semel iam in sacramenti testatione eieratæ. Hæ enim erant pompæ diaboli & angelorum eius, officia seculi, honores, solennitates postulatrices, falsa vota humana seruitia, laudes vanę, gloriæ turpes: & in omnibus istis idololatria in solo quoq; censu coronarũ, quibus omnia ista redimita sunt. Præfabitur quidē Claudius etiam 187 cœlum syderibus apud Homeri carmina coronatũ, certe à Deo, certe homini: igitur & homo ipse à Deo coronandus est. 188 Ceterũ à seculo cononantur & lupanaria, & latrinæ & pistrina, & carcer, & 189 ludus, & ipsa 190 amphitheatra, & ipsa spoliaria, 191 ipsæq; libitinæ. Quã sacer sanctus, quãque honestus ac mundus sit habitus ille, noli de vno poetico cœlo, sed de totius mundi cõmerciis æstimare. 192 At enim Christianus nec ianuã suam laureis infamabit, si norit quantos Deos etiã hostiis diabolus affinxerit, Ianũ à ianua, Limentinũ à limine, Forculũ & Cardãa à forib. & cardinibus, & apud Græcos Thyræũ Apollinẽ, & Antelios dæmones. [193 Tanto abest vt capiti suo manus inferat idololatriæ immo iam dixerim Christo, si quidẽ *viri caput Christus est,* tam liberum quã & Christus ne velamento quidem obnoxium, nedum obligamẽto. Porro & quod obnoxium est velamẽto caput fœminæ iã hoc ipso occupatum non vocat etiã obligamento. Habet humilitatis suæ sarcinam. Si nudo capite videri non debet propter angelos, multo magis coronato: fortasse tunc illo coronato scandalizauerit. Quid n. est capiti fœminę corona, q̃ formæ lena, quã summa lasciuiæ nota, extrema negatio verecundiæ, conflatio illecebræ, Propterea non ornabitur operosius mulier ex 149 Apostoli prospectu, vt nec crinium artificio coronetur. Qui tamen & viri caput est, & fœminæ facies, vt Ecclesiæ Christus Iesus, quale, oro te, sertũ pro vtroque sexu subiit? ex spinis opinor & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis: abstulit autem virtus crucis, omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens. Certe præter figuram contumelia in prõptu est, & turpitudo & decoratio, & his implexa sæuitia, quæ tunc Domini tempora & fœdauerunt & lancinauerunt: vti tu nunc laurea, & myrto & olea, & illustriore quaque fronde, & quod magis vsui est, 195 centenariis quoque rosis ex horto Midæ lectis, & vtrisque liliis, & omnibus violis coroneris, etiam gemmis forsitan & auro: vt & illam Christi coronam æmuleris, quę postea ei obuenit: quia & 196 fauos post fella gustauit, nec ante rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quã rex Iudæorum proscriptus in crucem; minoratus primo à patre modicum quid citra angelos, & ita gloria & honore coronatus. Si ob hæc caput ei tuum debes, tale si potes ei repende, quale suum pro tuo obtulit: aut nec floribus coroneris, si spinis non potes: quia non floribus potes. [197 Serua Deo rem suam inattaminatam. Ille eã, si volet, coronabit. Immo & vult. Denique inuitat: 198 *Qui vecerit,* inquit, *dabo ei coronam vitæ.* Esto & tu fidelis, ad mortem. Decerta & tu 199 bonum agonem, cuius coronam & Apostolus repositam sibi merito confidit. Accipit & angelus victoriæ coronam procedens in candido equo, vt vinceret. Et alius Iridis ambitu ornatur cœlesti. 200 Protosedent & Presbyteri coronati: 201 eodẽq; auro & ipse Filius hominis supra nubẽ micat, Si tales imagines in visione, quales veritates in repræsentatione? Illas aspice, illas odorare, Quid caput 202 strophiolo aut dracontario damnas, diademati destinatũ? 203 Nam & *reges nos Deo & patri suo fecit Christus Iesus.* Quid tibi cũ flore morituro? Habes florẽ ex virga Iesse, super quẽ tota diuini spiritus gratia requieuit, florẽ incorruptũ, immarcessibilem, sempiternũ: quẽ & 204 bonus miles eligendo, in cœlesti dignatione, ordinatione profecit. 205 Erubescite Romani cõmilitones eius, iã non ab ipso iudicãdi, sed 206 ab aliquo Mithtæ milite. Qui quũ initiat 207 in spelęo in castris vere tenebrarũ, coronã interposito gladio sibi oblatã 208 quasi mimũ martyrii, dehinc capiti suo accommodatam, monetur obuia manu capite depellere, & in humerum si forte transferre dicens, Mithram esse coronam suam. Atque exinde nunquam coronatur: id quod in signum habet ad probationem sui, sicubi tentatus fuerit de Sacramento: statimque creditur Mithræ miles, si deiecerit coronam, si eam in Deo suo esse dixerit. Agnoscamus ingenia diaboli, idcirco quædam de diuinis affectantis, vt nos de suorum fide confundat & iudicet.

A
Matth. 26. Matth. 6. Matth. 22.
B C. XIII.
Philip. 4. Apoc. 13. Matth. 27. Matth. 3. Isai. 11. Matth. 21. Psal. 19. Apoc. 80.
C
Philip. 3. Ioan. 16. Matth. 5.
Gen. 24. 1. Cor. 7.
Gal. 3. 1. Cor. 7.
D
E
Ca. XIV. 1. Cor. 11.
1. Cor. 11.
F
1. Tim. 2. Matth. 27.
Isai. 5.
Psal. 23. Matth. 27. Psal. 8.
Cap. XV.
G
Apocal. 2. & 3. 2. Timot. 4. Apocal. 6. Apoc. 10. Apoc. 4. Apoc. 14. Apocal. 1. Isai. 11.
H

A

ADNOTATIONES
IACOBI PAMELII IN LIBRVM de Corona Militis.

1. DE CORONA MILITIS.] *Facit magnopere ad Libri huius totius intellectum, quod habet de* CORONIS *Plinius l.21.c.2.& 3. Tenuioribus (inquit) vtebantur antiqui,* strophia *appellantes: vnde nata* Strophiola. *Quin & vocabulum ipsum tarde communicatum est, inter sacra tantum & bellicos honores* coronis *suum nomen vindicantibus. Cum vero è floribus fierent* serta, *à serendo, serieve appellabantur. Quod apud Græcos quoque non ita antiquitus placuit. Arborum enim ramis* coronari *in sacris certaminibus mos erat primum, postea variari cœptum mistura versicolori; florumque inuicem odores coloresque accendere Sicyonij: Idque factum est post Olympiadem centesimam. Sic* coronis e floribus *receptis, paulomox subiere, quæ vocantur* Ægyptiæ, *ac deinde* Hybernæ, *cum terra flores negat, ramento è cornibus tincto. Paulatimque & Romæ subrepsit appellatio,* corollis *inter initia propter gracillitatem nominatis; mox &* corollariis, *postquam è lamina ærea tenui inaurata aut inargentata dabantur. Crassus diues, primus* argento auroque *folia imitatus, Ludis suis* coronas *dedit. Accesseruntque &* lemnisci, *quos adiici ipsarum* coronarum *honos erat, propter* Hetruscas, *quibus iungi nisi* aurei *non debebant. Puri diu fuere ij. Cælare eos primus instituit P. Claudius Pulcher, bracteasque etiam* Philyræ *dedit. Deinde etiã huc pertinent, quæ habet idem de* coronis militum, *li.16.cap.4. Hinc (inquit)* ciuicæ coronæ, militum *virtutis insigne clarissimum. Cedunt his* murales vallaresque, & aureæ, *quamquam pretio antecedentes. Cedunt &* rostratæ. *Item li.22.ca.3.* Corona *quidem nulla fuit* graminea *nobilior in maiestate populi terrarum Principis, præmijs* gloriæ. Gemmatæ *&* aureæ, vallares, murales, rostratæ, ciuicæ, *triumphales post hanc fuere, suntque cunctæ magno interuallo, magnaque differentia. Ceteras omnes, singuli & Duces ipsi Imperatoresque* militibus *aut aliquando Collegis dedere. Ceteras Imperatores,* gramineam *solam* Miles *Imperatori. Eadem vocatur* Obsidionalis.

B

CAP. I.

2. Proxime facta est LIBERALITAS, &c.] *Caput hoc primum merito inscribitur:* Libri de Corona Militis argumentum. *Atqui legunt quidem ms.3. Vatic. codices:* Liberalitate; *verum magis placet lectio Gorzunsis codicis secundum Rhenanum* LIBERALITAS, *vt adludat Auctor ad Numismata, quæ etiamnum exstant apud Goltzium & alios, in quibus ex vno latere inscribitur:* IMP. CÆS. L. SEPT. SEV. PERT. AVG. *ex altero vero:* LIBERALITAS AVGG. SC. *hoc est, Imperatori Cæsari Lucio Septimio Seuero Pertinaci Augusto; & Liberalitas Augustorum, Senatusconsulto. Quam adeo recte interpretatur Rhenanus de* Donatiuo *Militibus dato: nam eo adludens Auctor paulopost dicit:* Donatiuum Christi in carcere exspectat. *de quo interim latius infra ca. 12. vbi loquitur de* Laurea in Donatiui dispensatione. *Eodem etiam adludit lib. de Præscript. adu. hæret. c. 2. his verbis:* Quis, *inquit,* miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus regibus, Donatiuum & stipendium captat, nisi plane desertor & transfuga, & rebellis?

C

3. præstantissimorum IMPERATORVM] *Videlicet (vti & adnotauit Rhen.)* L. Sept. Seueri patris, & M. Aurel. Antonini Caracallæ filii, sub quibus Tertullianum floruisse D. Hieron. auctor est in Illustribus Ecclesiæ viris. *Porro ornat eos honorifico epitheto, cum dicit,* præstantissimorum. *Sane etiam tum angustioribus rebus Christianis honorificentissime locuti sunt de* Imperatoribus *veteres scriptores; vt cum ad Scapulam Præsidem scribens Tertullianus:* Colimus ergo, *inquit,* & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum, & quicquid est, à Deo consecutum, solo Deo minorem. *At iam prouectioribus parcius loquuntur, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus & alii.*

4. Expungebantur in castris milites Laureati.] *Ex supradictis nu.2. manifestum est recte subaudiri à Rhenano:* Donatiuo. *Hoc est:* Donatiuum *promissum militibus sollemniter exsoluebatur, siue præstabatur. Indicauimus in scholijs librorũ præcedentium, huius vsum verbi declarantes, Metaphoram hinc deductam videri quod in perscriptionibus siue libellis debita continentibus, eorum nomina quibus satisfactum est, puncto notentur. De quo vide supra lib. adu. Iud. ca.4. n. 5. Legimus autem ex 3. ms. Vatic. cod.* qui se duobus dominis seruire non posse præsumpserat. *nam si, vti antea, affirmatiue legeretur, magis conueniret coniectura nostra, & Latinii:* præsumpserant.

D

5. Vulgata iam & ista disciplina Christianorum, &c.] *Huc pertinet illud Apologetici ca.42. Tom.1.* Non emo capiti coronam, &c. *& quod supra li. de Spect. c.11. dixit:* idololatria conspurcat de coronis profanis. *Idem quod habet B. Iustinus Martyr Apolog. ad Antoninum. Sed neque victimis multis & florum* coronis *colimus, &c. Illud quoque B. Cypriani lib. de Lapsis: Frons cum Dei signo pura diaboli* coronam *ferre non potuit. Denique Auctorem imitatus Minutius in Octauio (qui liber perperam Arnobii octauus liber à quibusdam appellatur) Sane quod* caput non coronamus, *ignoscite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire, &c. quæ infra suo loco citabimus. Porro iterum legimus ex ms. 3. Vatic. quod habebant priores excusi, & Paterniacensis ac Hiersaugiensis codices,* eludere eminus, infrendere cominus, *& deinde nunc primum:* in nostrum, *nempe militem.* Tribuno defertur, *id est: accusatur, pro eo quod ex Gorziensi substituerat Rhenanus:* eludere eminus, infrendere. Continuo murmur Tribuno defertur. *Infinitiua autem verba:* designare, illudere, infrendere, *exponi debent pro Præteritis imperfectis Indicatiui, id est: designabant, eludebant eminus, infrendebant cominus. Aut certe verbum Cœperunt subaudiendum.*

E

6. Tribuno.] Tribunum Militum *intelligit, qui pro more habebat (iuxta quod Seuerus narrat in vita S. Martini, adnotante etiam Rhenano) vt singulis ex ordine vocatus* Donatiuum *erogaret: quo pertinet illud:* & persona iam ex ordine accesserat.

O militem in Deo gloriosum.] *Alludit inquit (Rhenanus) ad illud Apostoli:* Qui gloriatur, in Domino glorietur.

8. Suffragia exinde.] *Nam (inquit idem) res in consultationem venerat, quid esset de eo faciendum.*

9. apud acta,] Acta *(inquit Rhenan.) commentarij sunt, quos conficit Respublica. Hoc declarat Tertullianus lib. in Marc. 5. sic scribens:* Plane profiteri potest semetipsum quis. Verum professio eius alterius auctoritate conficitur; alius scribit, alius subscribit, alius obsignat, alius Actis refert. *Ergo significat hic etiam rem istam in* Acta *relatum.*

10. grauissimas penulas.] Penula *(inquit idem) quæ & lacerna, vestimenti genus itinerarium & arcendæ pluuiæ accommodatum, apud veteres, teste Ælio Lampridio.*

F

11. reuelari auspicatus.] *Auspicari (eodem adnotante) vsurpat pro simpliciter incipere. Similiter dixit supra lib. de Patientia:* malitiam ab impatientia auspicatam. *Accipitur autem proprie* reuelari, *pro detegi, tum hic, tum cap. 4. vbi legitur:* Susanna in iudicio reuelata.

12. speculatoriam morosissimam.] Caligam *militarem recte interpretatur Rhenanus. Hinc &* militia caligata *apud Auctorem, lib. de Idolol. c.19. num. 147. Alludit autem ad diuinam visionem, quæ Moysi apparuit.*

13. spe calceatus, de Euangelii paratura, &c.] *Paraphrasticos expressit quod est ad Ephes. 6.* calceati pedes in præparationem Euangelii; *item:* succinctus acutiore verbo Dei, *pro illo:* succincti in veritate gladio spiritus, quod est verbum Dei. & totus de Apostolo armatus, *alludens ad illud:* Accipite totam armaturam Dei, *saltem quemadmodum legit B. Cyprian. ad verbum ex Græco, πανοπλίαν, sicuti etiam adnotauimus ad illam epist. 56. nu. 30. Similiter etiam dixit lib. de Fuga in persecut. T. 5.* tam plene ab Apostolo armatus.

14. Martyrii candida.] *Huc alludere videntur BB. Ambros. & August. in illo Cantico: Te Deum laudamus: te* Martyrum candidatus *laudat exercitus. B. Cypr. alicubi Martyribus purpuream, Virginibus* candidam *coronam adscribere mauult.*

G

15. inter tot fratres commilitones.] *Ergo (vti recte adnotauit Rhen.) & Christiani militabant. Hoc non mirum; nam ex militibus multi conuertebantur ad Christum, ceu de Diuo Martino legimus. Qui locus diligenter notandus contra eos, qui ex cap. 11. infra perperam colligunt nullam militiam Christianis licitam, atque adeo contra Erasmi librum de Bello.*

16. vt etiam Martyria recusare, &c.] *Pertinet hoc ad errorem Tertull. de quo latius l. de Fuga in persecut.*

17. Mussitant denique, &c.] Mussitant *(inquit idem) id est; occulte conqueruntur. Sic Hieronym. ad Ruffinum: Tu qui in Latinis* mussitas, *& testudineo gradu moueris potius quam incedis. Et ad Hedibiam: Et taciti me iure reprehendunt, quod audeam ad stirpem generis sui quippiam* mussitare. Periclitari *autem, id est in periculum vocari, tanquam ea bona ac longa pace non sint vsuri diutius.*

18. in pace leones, in prælio ceruos.] *Sapiunt hæc prouerbialem formulam, de quibus latius inter nostra Prolegomena.*

19. de quæstionibus confessionum.] *Loquitur (inquit idem) de* confessionibus *nominis Christiani. Sic adu. Praxeam:* Nisi spiritus Dei sit in nobis, qui & loquitur de nobis, quæ sunt confessionis. *Legimus autem cum Paterniacensi, Hirsaugiensi, & 3. Vatic. mss. codd. iterum:* At nunc quatenus illud opponunt, *pro eo quod ex Gorziensi restituerat Rhenanus:* At nunc quia maxime, *eo magis quod sequatur.*

H

20. ipsius vel maxime exemplo.] *Subaudi (inquit idem)* Militis, *qui maluit exautorari & supplicio addici, quam coronam in capite gestare. Sensus istorum verborum est & ordo, Vt &* Christiani laureati, *id est, quos lauream in capite ferre non pudet, &* quibus in solatium quæstio *ista* est, qui in defensione delicti contendunt, reuincantur, *ipsius vel maxime exemplo, hoc est, ipsius militis, de quo nunc loquimur.*

CAP. II.

21. Neminem dico fidelium coronam capite nosse, &c.] *Titulum huic capiti dedimus:* Quod coronam capite nosse contra obseruationem Christianam, atque adeo delictum sit. *Atqui de* Catechumenis *infra Tom. 3. lib. de Præscript. adu. hæres. de* Confessoribus & Martyribus *supra lib. ad Martyras nu. 1.*

22. quod committitur in obseruationem.] *Accipitur hic* committi *pro delinquere, eadem significatione, qua Iureconsulti* in commissum cadere *dicunt: quo pertinet etiam titulus, De publicis vectigalibus &* commissis. *De alia significatione etiam Auctori vsitata, vide supra lib. ad Martyras n. 11.*

23. saris auctoratam.] *Etiam hic alia significatione (quam eodem lib. ad Mart. nu. 60.)* auctoratam *vocat auctoritate præditam & confirmatam, siue authenticam.*

24. nec in destructionem eius, sed in ædificationem. *Alludit ad illud Apostoli 2. Corinth. 13.* In ædificationem, non in destructionem.

25. & laudo fidem, quæ ante credit obseruandum esse quam didicit. *Respicere videtur ad illud Isai. 7. iuxta 70.* Nisi credideritis, non intelligetis, *quemadmodum non semel citatur à B. Cyprian. Locus insignis contra eos, qui fidem sensu aut scientia metiri volunt.*

26. Et facile est statim exigere: vbi scriptum est, &c. *Locus alter adnotandus contra eos, qui nihil hodie volunt recipere, nisi quod scriptum est: contra quos pulcherrime scribit Vincentius Lirinensis, lib. de Prophan. hæres. nouitate. Verum eodem etiam pertinet integrum sequens caput.*

CAP. III.

27. Et quamdiu &c.] *Inscriptionem capiti huic fecimus:* Quod debeat recipi traditio etiam non scripta. *In quo imitantur Auctorem non solum BB. Basilius & Hieronymus locis infra citatis, & Origenes homil. in Numeros, sed vel ipse etiam B. Cyprianus, quantumuis alij pro se illum citent in contrarium, vti deduximus in Epist. eius 74. ad Pompeium. num. 7. Quo loco etiam videre est conformem Veterum tam ante quam post Tertullianum,* de Traditionibus non scriptis *consonantiam, quorum quosdam locos ad institutum nostrum propius accedentes infra quoque citabimus. Vnde patet non aliud esse quam calumniam, qua Magdenburgenses volunt hanc suam de* Traditionibus non scriptis *sententiam hausisse Tertullianum ex Montanno, quum econtrario (teste Euseb. hist. Eccles. lib. 5. cap. 61.) primus Montanus legatur noua quædam ingessisse* Traditioni *contraria maxime quum etiam lib. de Præscript. adu. hæres. Auctor* Traditionum *præscriptione vtatur: idque ante omnem hæresim, ad quam postquam cœpit declinare, ipse etiam sieuti Montanus, consuetudines antiquas minoris cœpit æstimare, vt patet lib. seq. cap. 1. num 2. & 3. Qui adeo manifesti erroris conuincuntur infra, quum de singulis exemplis demonstrabimus, etiam ante Tertullianum & Montanum vsitatas fuisse, quas hoc capite recenset, ceremonias Ecclesiasticas. Certe de* Traditionibus *in genere apertiores sunt loci apud B. Irenæum lib. 3. cap. 1. 2. 3. & 4. qui Montanum præcessit: in quem pulcherrime etiam & exactissime commentatus est inuster Feu-ardentius, quo, vt pluribus non sit opus, Lectorem remittimus.*

28. per hanc lineam serram reciprocabimus.] *Quia hoc habet Prouerbij specimen, latius de eo inter nostra Prolegomena.*

29. quæ præueniendo statum fecit?] *Simili phrasi dixit l. 4. adu. Marc.* statum scripti & voluntatis. *Sed & Quintil. vsurpatur* statum facere *l. 3. c. 6.*

30. Denique vt à Baptismate ingrediar, &c.] *Multa hic pulcre Rhenanus de* Baptismatis *ceremoniis. Verù ad Librum de Baptismo differimus; Magdenburgensibus vero, qui omnes has ceremonias hic enarratas Montanicas calamniantur, hoc vnum respondemus, dictum Librum conscriptum fuisse à Tertulliano ante omnem hæresim, quemadmodum ibi in Argumenta latius; atq; adeo quum eodem illic aut aliis certe libris eodem tempore conscriptis recenseantur ab Auctore, plane conuinci, non à Montano, sed à primitiua Ecclesia profectas. Perinde est autem siue legas:* per totam hebdomadam *cum exc. siue* hebdomadem *cum 3. Vat. MS. cod.*

31. Eucharistiæ Sacramentum.] *De* Eucharistia, *quod* Sacramentum *sit, etsi nemo est qui dubitet, ostendemus infra To. sequ. ad li. 4. adu. Marc. ex definitione* Sacramenti, *quemadmodum ab Ecclesia peculiariter accipitur. Deinde huius* Sacramenti, *quatenus & sacrificium est, ceremonias (quas pleraſque hic recenset Rhenanus) eo quod proprie magis eo pertinent supra recensuimus, & ex Tertulliani aliis locis comprobauimus libr. de Oratione num. 1. ordine quidem alio sed magis congruenti.*

32. & in tempore victus, &c. *Videtur ad locum hunc alludere B. Cyprianus Epist. 63. ad Cæcilium sub fine, his verbis: At enim, inquit, non mane (quod hic dixit* antelucanis cœtibus*) sed posse cœnam (id enim esse videtur:* in victus tempore*) mixtum calicem obtulit Dominus. Numquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, vt sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus? Cui respondet: Christum offerre opertebat circa vesperam diei, &c. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus. Idem itaque est, ac si dicat: Christus præcepit* in victus, *id est, cœnæ,* tempore, *Eucharistiæ Sacramentum sumi, & tamen nos etiam* antelucanis cœtibus *ieiuni, &* ante omnem cibum *(vti loquitur libro 2. ad Vxorem supra) illud gustamus. De quo vide plura initio Adnotat. nostrarum in dictum libr. de Orat. & maxime in dictam epist. B. Cypr ian. num. 46.*

33. & omnibus mandatum à Domino, &c.] *Similiter hic, ei quod dicit:* omnibus, *correspondet, quod subiungitur:* nec de aliorum manu quam præsidentium, *ac si dicat: Etsi Christus instituens hoc Sacramentum, dixerit* omnibus, *Accipite & manducate: tamen non nisi de* manu præsidentium *sumimus. Locus alter, quo comprobatur, de modo sumendæ Eucharistiæ nihil certi præscriptum fuisse à Christo, iuxta illud B. August epist. 119. ad Ianuar. Neque enim, inquit, præcepit Christus, quo deinceps ordine sumeretur hoc Sacramentum, vt Apostolis, per quos Ecclesia dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si ille hoc monuisset (quod proprie ad id quo loco præcedit pertinet) vt post alios cibos semper sumeretur, credo quod eum morem nemo variasset. Proinde etiam ibi* mandatum à Domino, *non debet* Mandare, *accipi pro præcipere, sed proprie pro, agendum committere: qua significatione dixit etiam Auctor initio li. 3. adu. Marc.* quem numquam mandator designauit, *id est (vti interpretatur etiam Rhenanus) qui aliquid agendum committit.*

34. etiam antelucanis cœtibus.] *Plinii Secundi hac de re epistolam ad Traianum, quam hic Rhenanus citat, reperire est apud ipsum quoque Tertullianum, ne hic prolixiores simus, Apolog. ca. 2. Atque adeo non potest istud ad nouam Montani institutionem pertinere, quemadmodum calumniantur Magdenburgenses, quum ab initio Ecclesiæ, immo ab Apostolis ipsis vsitati fuerint* antelucani cœtus, *quibus ieiuni communicabant fideles, vti modo dictum est.*

35. nec de aliorum manu quam præsidentium.] *Ad eosdem pertinet quod prius dixit, de Baptismo loquens:* sub Antistitis manu; *& illud (vti recte adnotauit Rhenanus) Apolog. cap. 39.* Præsident probati quique seniores. *Loquitur autem non solum de Episcopo, sed & Presbyteris & Diaconis vtrobique, de quibus latius lib. de Præscript. adu. hæres. Tom. sequ. cap. 41. Atqui etiam hanc traditionem Apostolicam fuisse, non Montanisticam, præterquam quod etiam agnoscant Magdenburgenses, confitentes (tum ex hoc loco, tum ex eo lib. de Cast. Tertull.) quod* Ecclesiæ auctoritas differentiam constituerit inter Ordinem plebem *in administratione Sacramentorum Certe (vt obuiemus Caluinistis id negantibus) ante omnem suspicionem hæreseos; lib. de Præscript. adu. hæres. iam dicto hæreticis improperat Auctor:* Nam & laicis sacerdotalia munera iniungunt. *Deinde ijsdem pene verbis (quem adeo hic imitatus Auctor videtur) B. Iustinus Martyr 2. Apolog. ad Antoninum Pium:* Præsidens *vero, inquit, postquam gratiarum actionem perfecit, & populus vniuersus apprecatione læta eam adprobauit, qui apud nos vocantur Diaconi atque Ministri, distribuunt vnicuique præsentium, vt participet eum in quo gratiæ actæ sunt, panem & vinum & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos vocatur Eucharistia, quod nulli alij participare licitum est, quam veram esse doctrinam credenti, & lauacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita vt Christus tradidit viuenti. Eodem pertinet quod punitum scribat. B. Cyprian lib. de Lapsis quendam: Qui maculatus (idol latria nempe) sacrificio a sacerdote celebrato, partem cum ceteris ausus est latenter accipere, sanctum enim Domini edere & contrectare non potuit; cinerem ferre se apertis manibus inuenit. Qui ijs verbis significant propterea institutum ab Ecclesia,* non de aliorum quam Præsidentium manu sumere, *vt ne indignis administretur Eucharistia, iuxta illud Apostoli (vbi iuxta B. Aug. morem communicandi huius Sacramenti præscripsit) 1. Cor. 11.* Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

36. Oblationes pro defunctis, &c.] *Simile est illud lib. de Monog. infra Tom. 5.* Pro anima eius *(nempe mariti)* oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium; & offerat annuis diebus dormitionis eius. *Item lib. de Exhort. ad castit.* Etiam repete apud Deum, pro cuius spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas. Scabis ergo ad Deum cum tot γνωρίμοις, quot illa oratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis illas duas per sacerdotem *(quod adnotandum, vti confitet, Auctorem de* oblationibus, *quæ per* sacerdotem Deo sacrificantur, *etiam hic loqui)* de monogamia, ob pristinum de virginitate sancitum, circumdatum virginibus & viduitis, & ascendet sacrificium tuum libera fronte. *Vide (vel teste etiam Rhen.) Anniuersariorum etiam eleemosynis origo, quæ apud nos perpetuo instituuntur. Sed respondent Magdenburgenses, has oblationes pro defunctis originem habere à Montano. Quibus imprimis oppono consuetudines seu obseruationes Ecclesiasticas hic præmissas, quas pene omnes pro legitimis agnoscunt (vti suo loco latius)* de Baptismate *& de* Sacramento Eucharistiæ, *& eas quæ subsequuntur de* ieiunio vetito in die Dominico, ac à die Paschæ in Pentecosten; *denique & de* signaculo crucis quæ frontem terimus. *Quidni ergo etiam agnoscant* oblationes annuas pro defunctis, & pro Natalitiis? *Verum familiare est illis, quod de reliquis hæreticis profitetur Auctor libr. de Præscript. adu. hæres. Tom. sequent.* Ista hæresis non recipit quasdam scripturas *(addere licet ad institutum* & traditiones*)* & si quas recipit, adiectionib. & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit; & si recepit, non recipit integras. At *(vti ibidē mox subiungit)* vbi apparuerit veritas disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas & scripturarum & expositionum & traditionum Christianarum, &c. *Ex quo recta consequentia constabit, hanc esse Traditionem legitimam, si ab Apostolis ipsis profectam ostenderimus. Huc pertinet inprimis quod disertis verbis Patres veteres adtestantur,* commemorationem defunctorum in sacrificio, *Apostolicam esse, quemadmodum videre est Leiturgicon nostrorum Latinorum Tom. 1 pag. 77. 78. & 79. Est enim eiusdem rationis, commemorationem defunctorum in Missa facere, &* Oblationes pro defunctis facere: *Quid? quod etiam id Apostolum Petrum præcepisse locuples testis B. Clemens Papa 1. Epist. 1. vt celebrentur exequiæ mortuorum hymnis, precibus, & Lectionibus sacris. Deinde etiam Leiturgiam* pro defunctis *reperire est, tum apud eundem Clementem, Constitutionum Apostolicarum libr. 8 tum apud Dionysium Areopagitam sub finem libr. de Hierarch. Eccles. Quam adeo late contra Magdenburgenses vindicat Franciscus Turrianus libr. 5. Defensionum pro Canonibus Apostolorum & Epistolis primorum Pontificum,*

& Commentariis suis in dictas Constitutiones Apostolicas, vt pluribus non sit opus. Duos dumtaxat locos rariores ex illo, (à Garetio non visos in libro suo quem scripsit: Mortuos iuuari viuorum precibus) Lectori hic indicabimus. Alter est Eusebij Alexandrini hom. εἰς τὴν κυριακήν. Memento (inquit) in oblatione (Græce προσκομιδῇ) etiam eorum qui iam de vita decesserunt, προαπελθόντων, parentum ac fratrum; hoc si feceris, magnam eis requiem præbes. Alter Ephrem Syri, in Sermone de sua morte, vbi ex illa Iudæorum consuetudine de qua Apostolus 1. Cor. 15. vt qui baptizantur pro mortuis; infert, multo magis posse sacerdotes noui Testamenti ἐν προσφοραῖς λατρειῶν, id est, oblationibus & precibus, debitum mortuorũ dissoluere. His adde B. Cypriani locum epist. 66. qui tam suo quam Concilij Carthaginiensis nomine, scribens ad Episcopos Antecessores, refert statutum, vt si quis frater clericum tutorem nominasset, non offeretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Vbi vide Adnotat. nostras num. 13. Iam vero defunctorum Anniuersariis, pro quo dicit Auctor, oblationes defunctorum annua die fieri, videre est B. Ambrosium de Obitu fratris, Orat. 2. vbi etiam de die depositionis defuncti, tertio, trigesimo, & quadragesimo, Orat. de Obitu Theodosii.

37. pro Natalitiis annua die.] Hallucinari hic grauiter Rhenanum, quod locum hunc intelligit de Natalitiis cuiusque more ethnicorum, qui natalem diem, quo quis natus erat, geniali lætitia celebrabant. quin potius intelligendum de Natalitiis Martyrum (quæ ipsa partim hic, partim supra libr. ad Marc num. 22. agnoscit) latissime deduximus in epist. B. Cypriani 34. num. 13. ad illud: quoties martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus. Quum citentur autem à nobis loco citato de Festis Natalitiis martyrum multo antiquiores Tertulliano, Smyrnensis in pass. B. Polycarpi, & dictus Clemens Papa 1. certe constat (vt omittam Martyrologiorum ad eam rem per eundem Clementem institutionem, quæ Fastos Ecclesiæ infra vocat Auctor cap. 13.) non à Montano primum ortas oblationes in Natalitis, quemadmodum calumniantur Magdenburgenses. Quibus hic licet addere testimonium citatum in nostris Leiturgicis pag. 476. B. Hieron. lib. 2. in epist. ad Galat. cap. 4. super, Dies obseruatis; vbi pulchre eum locum explicat aduersus nostri seculi Aristarchos, quo approbat etiam conuentum ad sacrificia Festis diebus Martyrum. Omitto Origenem de celebrando Natali SS. Innocentium, & Præfationes & Collectas in Festis complurium Sanctorum Martyrum eorundem, quas reperire est vbi supra in Missa Ambrosiana: item BB. Augustin. & eiusdem ac Chrysostomi, Ephrem, Athanasii, aliorumque veterum Homilias, Tractatus & Sermones, qui passim exstant in Sanctorum Natalitiis. Addam dumtaxat dicti Eusebij Alexandrini alterum testimonium ex homil eius de Sanctis colendis, citatum ab eodem Turriano, vbi idem argumentum tractat supradicti operis lib. 5. cap. 17. Ob hanc igitur caussam præcepit nobis memorias Sanctorum, Græce τῶν ἁγίων μνείας vt acceptis hymnis, & auditis laudibus, benignum Deum exorent, vt preces nostras caducas admittat.

38. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, &c.] Integrum hunc locum Tertulliani B. Hieronym. adu. Luciferianos (vti etiam ante me adnotauit Rhenanus) videtur æmulatus, his quidem verbis: Nam & multa alia, quæ per traditionem, inquit, in Ecclesiis obseruantur auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt, velut in lauacro ter caput mergitare; deinde egressos, lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem; die Dominico, & per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, & ieiunium soluere; multaque alia quæ scripta non sunt, rationabilis sibi obseruatio vindicauit. Item quod ad ieiunium adtinet, idem li adu. Montanum: Non quo, inquit, & per totum annum, excepta Pentecoste (id est, vti Auctor: à die Paschæ in Pentecosten) ieiunare non liceat. Qui & dictæ Traditionis rationem reddit Prolog Comment. in Epist. ad Ephesios: Pentecosten, inquit, tempus lætitiæ atque victoriæ, quo non genua flectimur, nec curuamur, sed cum Domino ad cœlorum alta sustollimur. Cui non absimiliter B. August. epist. 119. ad Ianuar. c. 15. Propter hoc, inquit, ieiunia relaxamus, & stantes oramus, quod est signum resurrectionis. Vnde etiam omnibus diebus Dominicis ad altare id obseruatur. & cap. 17. Vt autem stantes in illis diebus & omnibus Dominicis oremus, vtrum vbique seruetur, ignoro tamen quid in eo sequatur Ecclesia, dixi, vt potui; & arbitror esse manifestum. Et latius paulo B. Maximus Taurinensis Episcopus, hom. 1. de Pentecoste; ac Isidorus lib. 1. Offic. Eccles. c. 33. denique Hrabanus noster libr. 2. de Instit. Cleric. c. 42. Quid? quod & Niceni Concilij can. 20. idipsum iam ante hos tres Patres constitutum est, quod hanc Traditionem non mandasset obseruari, si à Montano profecta esset. Cuius certe contrarium probatur de genuflexione ex B. Iustino Martyre, Respons. ad Orthod. c. 115. & de ieiunio, ex c. 94. Can. Apostol. Porro de die Dominico vide Adnot. nostras in Tertull. Apolog. c. 16. nu. 246. & in epist. B. Cyprian. 33. nu. 7. De eodem, & Pentecoste, id est, tempore à die Paschæ in Pentecosten, lib. de idolol. supra cap. 14. num. 109. & 110. E quibus quum constet & Dominicum diem, & Pascha, & Pentecosten, ab Apostolis instituta, non possunt non & hos dies Festos adprobare, non Magdenburgenses modo, sed & Caluini asseclæ, & Aristarchi huius temporis omnes. De Paschæ denique sollemnibus supra latius l. 2. ad Vxorem.

39. Calicis aut panis etiam nostri.] Quod addit: etiam nostri, facit ad distinctionem Eucharistiæ Sacramenti, in quo non panis & calix communes proponuntur, sed ipsum corpus & sanguis Christi, quæ in terram decuti nefas esset. Locus adeo faciens ad veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, de qua latius supra libr. de Orat. cap. 6. nu. 23. & infra lib. 4. adu. Marc.

40. Ad omnem progressum, &c. frontem crucis signaculo terimus.] Locus maxime insignis de vsu signaculi crucis apud Christianos antiquissimo, quem adeo omittere maluerunt Magdenburgenses quam recensere, dumtaxat negantes ea ætate in Baptismo adhibitum fuisse signum crucis. Verum non solum Patres posteriores, sed etiam ante Tertullianum B. Iustinum Martyrem id agnouisse ostendimus. Adnotat. nostris in B. Cyprian. epist. 56. num. 31. Etsi enim vbi de Baptismo agit, expresse non meminerit, certe eadem Apologia dicit nihil sine hac figura crucis administrari. Cui adde B. Dionysium Areopagitam libr. de Eccles. Hierarch. qui crucis signaculi vsum in Baptismo, & consecratione Chrismatis, toties nominatim recenset. BB. Ignatij quoque & Martialis testimonia, etiam Origenis apud Euseb. lib. 6. cap. 43. quæ breuitatis gratia omitto; quare calumniantur, dum ad Montani ceremonias id referunt. Certe morem, quo crucis signaculo frontem terimus ad omnem progressum, ad omnem promotũ (vbi promotus, sicuti & calceatus, iuxta quartam inflexionem, pro calceatione capi adnotauit Rhenanus) ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad sedilia, ad cubilia, quacumque nos conuersatio exercet: Magdeburgenses quum ipsi vtantur cum ceteris Lutheranis, non diffitentur antiquissimum. Eundem interim (contra Caluinistas) etiam omnibus Veteribus vsitatum fuisse comprobauimus ex alijs in B. Cyprian. Adnotat. nostris in epist. 63. num. 39. & lib. 3. Test. ad Quirin. c. 22. n. 105. Quibus si addidero alios locos Tertulliani, finem fecerim. Est alter supra lib. aduers. Iud. Tom. 1. cap. 11. vbi postquam de signo Tau attulit scripturam Ezech. 9. addit. Huius autem signi sacramentum variis modis prædicatum est. Quod ipsum explicat lib. 3. adu. Marc. Ipsa est enim litera Tau, nostra autem T. species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & catholicam Ierusalem. Denique adhuc apertior l. 2. ad Vxorem: Latebis ne, (inquit) tu, cum lectulum, cum corpusculum tuum signas.

CAP. IV.

41. Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules, &c.] Quum caput hoc eiusdem sit argumenti cum præcedenti, titulo nouo non est opus. Atqui contra calumnias Magdeburgensium has Traditiones à Montano, originem sumpsisse calumniantium, vel iste locus imprimis facit, quod addat Auctor: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix. Si enim nouæ essent Montani institutiones, iam in consuetudinem non abiissent, & proinde nec Traditiones dicerentur. Nam, vti loquitur c. præced. consuetudo sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si traditum prius non est? Legunt autem ms. 3. Vatic. & fidei confirmatrix, pro: fides, sed non placet; nam tria membra fecisse Auctorem patet ex eo, quod mox tria illa à se mutuo distinguit, cum subdit: traditioni, consuetudini, fidei. Porro (inquit Rhenanus) in volumine Decretorum, quod Burchardus VVormatiensis Episcopus ante Gratianum congessit, repperi caput quoddam sub Basilij nomine (nempe libro de Spiritu sancto) cum hoc Tertulliani loco consentiens. Id est quinti libri, qui de Vniuersali Ecclesia inscribitur CCXXIII. Sic autem habet: Ecclesiasticarum (inquit) institutionum quasdam scripturis, quasdam vero Apostolica auctoritate Traditiones, per successiones, in mynisterio confirmatas accepimus. Quibus par virtus, & idem vtrisque pietatis affectus quin sit, quotus quisque vel aliquantum sacrarum expertus scripturarum hæsitauerit? Si enim attentauerit consuetudines Ecclesiæ, non scripturas (opinor legendum, non scriptas) à Patribus traditas nihil æstimare, quantum religio detrimenti latura sit, despicientibus liquido constabit. Quæ enim, vt iam inde ordiamur, scriptura salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri? Quæ multifariam digesta super panem & calicem prolixæ orationis & consecrationis verba commendauit? Nam non modo quod in Euangelio continetur, vel Apostolo, in Secretis dicimus, sed & alia complura adijcimus, magnam quasi vim consummandis accommodantia mysterijs. Quæ Orientem versus nos orare litterarum forma præstituit: Benedicimus fontem Baptismatis, oleum vnctionis. Huc accedit quod ter immergimus quos baptizamus, oleo vngimus, verbis abrenuntiare satanæ & angelis eius informamur. Vnde & hæc & alia in hunc modum non pauca, nisi quia tacita ac mystica traditione à Patribus Ecclesiastico more, reuerentiori diligentia, sunt in mysterijs obseruata silentio, quam publicata scripto? Hactenus ille. Porro non me fugit, idem caput à Gratiano repetitum esse distinct. XI. Verum quia mendosissime legitur in vulgatis Decretorum codicibus, indubie studio deprauatum ac mutatum, volui sinceram lectionem hic proponere. Itaque per Christum te rogo, Lector, vt cum excusis libris conferas. Videbis quam corrupte multa apud Gratianum legantur. Quasi enim parum fuisset præter innumeras clausulas vitiatas, pro attentaueris scribere, attenderimus; pro multifariam, trifariam; pro accommodantia, commodantia; ausus est tandem deprauator, quicumque ille fuit, quod erat: Huc accedit quod ter immergimus quos baptizamus, oleo vngimus, sic immutare: Huc accedit quod ter oleo inungimus quos baptizamus: propterea quod pro trina illa Veterum mersione, cuius Tertullianus quoque meminit, Ecclesia simplam induxerit: & recte quidem, ne videamur apud nos, qui tertio mergunt, hæreticorum probare assertionem, dum sequimur morem, quemadmodum ad Leandrum Episcopum scribit Gregorius Pontifex. Adtende quantum sibi quidam permittant in inuertendis Veterum

scriptis

A *ſcriptis, cum tamen vnuſquiſque liber non aliter ſit legendus, quam ab ipſo Auctore eſt ſuo ſeculo proditus. Quis vero non rideat Gratiani gloſſematarium, deprauatas hoc loco dictiones & ſententias inſulſe exponentem? Hæc Rhenanus, haud immerito de corruptiſſimo Gratiani Decreto: quare ſummopere deſideratur ab omnibus noua, quam adornari iuſſit ſanctiſſimus Dn. noſter Gregorius Papa xiij. eiuſdem recognitio. Porro addit ibidem Rhenanus: De ceremonijs & Eccleſiaſticis quibuſdam ordinationibus poſt primordia naſcentis Chriſtianiſmi inſtitutis abſque ſcriptura hauddubie, meminit & Hrabanus Maurus in Epiſtola quadam ad Regenbaldum, quemadmodum citat idem Burchardus ſexto libro, qui eſt de Sacramentis, in hæc verba: Igitur, vt B. Ambroſius teſtatur, poſtquam omnibus locis Eccleſiæ ſunt conſtitutæ, & officia ordinata, eſt aliter compoſita res quam cœperat. Primum enim omnes docebant, & omnes baptizabant, quibuſcunque diebus & temporibus fuiſſet occaſio. Nec enim Philippus tempus quæſiuit aut diem quo Eunuchum baptizaret, neque ieiunium interpoſuit. Neque Paulus & Silas tempus diſtulerunt, quo cuſtodem carceris baptizarent cum omnibus eius. Neque Petrus clericos habuit, aut diem quæſiuit, quando Cornelium cum omni domo ſua baptizauit. Nec ipſe, ſed iuſſit fratribus, qui cum illo erant apud Cornelium in Ioppe. Adhuc enim præter ſeptem diaconos nullus fuerat ordinatus. Vt ergo creſceret plebs & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt & Euangelizare, & baptizare, & ſcripturas in Eccleſia explanare. At vbi omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, conuenticula conſtituta ſunt, & B rectores, & cetera officia in Eccleſia ſunt ordinata, vt nullus de clero auderet, qui ordinatus non eſſet, quod ſciret non ſibi creditum vel conceſſum. Et cœpit alio ordine & prouidentia gubernari Eccleſia, in qua ſi omnes eadem poſſent, irrationale eſſet, & vulgaris res & viliſſima videretur. Hinc eſt ergo, vnde nunc neque Diaconi in populo prædicant, neque ceteri vel laici baptizant, neque quocunque die credentes tinguntur niſi ægri. Ideo non per omnia conueniunt ſcripta Apoſtoli, ordinationi quæ nunc in Eccleſia eſt: quia hæc inter initia ſunt ſcripta. Nam & Timotheum Apoſtolum à ſe creatum, Epiſcopum vocat, quia primi Presbyteri Epiſcopi appellabantur, vt recedente eo ſequens ei ſuccederet. Denique apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus. Sed quia cœperunt ſequentes Presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio, proſpicientis conſilio, vt non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum, multorum ſacerdotum iudicio conſtitutũ, ne indignus temere vſurparet & eſſet multis ſcãdalũ. Hæc Hrabanus noſter.*

42. Apud Iudæos tam ſolemne eſt, &c.] *De velandis fœminis. omnibus cuiuſcunq; generis, ordinis, conditionis, dignitatis, ætatis, ex Apoſtolo, exſtat integer liber Auctoris, quem ſuſpicor hoc poſteriorem, eo quod hic ſubdat:* Quæro legem, Apoſtolum differo. *nam illic id potiſſimum probat auctoritate Apoſtoli Pauli* 1. *Corin* 11. *Vbi etiam adfert* Rebeccæ *exemplum c.*11. *Legimus autem ex* 3. *ms.* Nec antequam cognouerint ſponſos, *pro:* cognouerunt.

43. Si & Suſanna in iudicio reuelata, argumentum velatæ C præſtat.] *Paraphraſticῶs explicat quod legitur Danielis* 13. At ini qui iuſſerunt diſcooperiri eam; erat enim cooperta. *Atqui vel hinc comprobatur auctoritas huius hiſtoriæ de* Suſanna, *quamquam Græce dumtaxat legatur. Sed & à B. Cypriano citata eſt epiſt.* 40. *ac li. de Bono pudicit. item ab Origene li. de ſingularitate Clericorum, qui & librum integrum de eius auctoritate contra Africanum ſcripſit. Ab alijs quoque Veteribus, quemadmodum adnotauimus ad librum eiuſdem de Orat. Domin. n.* 59: *Quibus adde, quod à Theodotione Epheſio Græce ea deſcripta ſit ex exemplari Græco, quod fortaſſis ad manum non eſſet Hebræum, atque adeo etiamnum in exemplaribus Græcis primo loco collocetur, eo quod Daniele adhuc puero contigerit: quem ordinem etiam non nouum eſſe patet ex Synopſi ſcripturarum B. Athanaſii, vbi initium Prophetiæ Danielis ab hac hiſtoria recenſet:* καὶ ἦν ἀνὴρ οἰκῶν ἐν Βαβυλῶνι, *quemadmodum ante me quoq; adnotauit eruditiſſimus vir Sixtus Senenſis, Biblioth. ſanctæ l.*1. *Qui etiam lib.*8. *hæreſ.*6. *latiſſ. omnia in contrarium argumenta diſſoluit, quam adſcribit Anabaptiſtis, de Manichæorum fontibus hauſtam: & inter ceteros etiam B. Ignatium citat epiſt. ad Magneſianos. Meminerunt præterea eiuſdem hiſtoriæ BB. Irenæus lib.*4. *cap.*44. *Dionyſ. Areopag. cap.*7. *de Diuin. nom. & alij poſt B. Hieronym. Patres omnes.*

44. in ſtadio mariti.] *Similiter lib. ad Martyr. c.*2. ſtadia opaca aut porticus, *dixit. Accipit autem (adnotante Rhenano)* ſtadii *nomine, hypathram, hoc eſt, ſubdiualem ambulationem, quam & xyſtum nuncupat Vitruuius, quemadmodum ibi latius diximus Adnotat. noſtris nu.*28. *Græce eſt apud Danielem* παράδεισος, *quod La-* D *tinus vulgatus interpres Pomarium vertit, & alii Hortum. Xenephonti quoque Viridarium ſignificat.*

45. poſſe etiam non ſcriptam traditionem.] *Cum Tertulliano (inquit Rhenanus) mire faciunt ea quæ D. Hieron, ad Lucinium ſcribit, qui quæſierat de Sabbato, vtrum ieiunandum eſſet: & de Euchariſtia, an accipienda quotidie. Nec vero ſolum Tertulliano conſentiunt, verum etiam ad ſedandos horum temporum tumultus nonnihil conducunt. Sic autem eius verba habent: Sed ego illud te breuiter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fide non officiant, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt: Nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti. Atque vtinam omni tempore ieiunare poſſimus, quod in Actibus Apoſtolorum diebus Pentecoſtes, & die Dominico Apoſtolum Paulum & cum eo credentes feciſſe legimus; nec tamen Manichææ hæreſeos accuſandi ſunt, cum carnalis cibus præferri non debuerit ſpirituali, Euchariſtiam quoque abſque condemnatione noſtri, & pungente conſcientia, ſemper accipere, & Pſalmiſtam audire docentem:* Guſtate & vi- E dete, quoniam ſuauis eſt Dominus; *& cum eo canere:* Eructauit cor meum verbum bonum. *Nec hoc dico, quod Dominicis diebus ieiunandum putem, & contextas ſexaginta diebus ferias auferam; ſed vnaquæque prouincia abundet in ſenſu ſuo, & præcepta maiorum leges Apoſtolicas arbitretur.*

46. Conſuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege ſuſcipitur, cum deficit Lex, &c.] *Locum hunc tranſcripſit integrum B. Iſidorus (quemadmodum primus mihi indicauit Latinius) Etym. lib.*5. *c.*3. *& ex illo Gratianus Decret. diſt.*1. *c.* Conſuetudo, *præterquam quod legant:* dumtaxat quod religioni congruat, quod diſciplinæ conueniat, *pro eo quod nos:* quod Deo congruat, quod diſciplinæ conducat. *Exſtant vero etiam in Iure ciuili leges de* Conſuetudinibus.

47. An non putas omni fideli licere, &c.] *Verba hæc omiſſa ſunt à B. Iſidoro, aut quod ad inſtitutum conſuetudinis non facerent, aut quod etiam ipſe iudicaret ſane locum hunc intelligendum, quum alioqui ſibi contrariari videretur Auctor: neque enim etiam de Iure ciuili particulari perſonæ licet aliquid nouum concipere & ſtatuere, quod poſtea pro conſuetudine habeatur. Aut certe inter errores eius reponendum, de quibus inter noſtra Prolegomena.*

48. Siquid ignoratis, Deus vobis reuelabit.] *Noua eſt lectio:* Siquid ignoratis, *& differens etiam ab eo quod Græce eſt:* εἴ τι ἑτέρως φρονεῖτε, *quod recte vertitur à noſtro interprete:* ſiquid aliter ſapitis. *At recte legit:* reuelabit, *cum codicibus Apoſtoli emendatioribus, pro eo quod vulgati:* reuelauit. *nam Græce eſt:* ἀποκαλύψει.

F 49. ſed & ipſe ſpiritum Dei habens deductorem omnis veritatis.] *Etiam hinc colligere eſt: ſcriptum hunc librum ante illum de Veland. virginib. nam ibi in ſolo Montano agnoſcit completum illud Ioan.*16. Quum venerit ille ſpiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem: *hic vero in Apoſtolo Paulo eundem ſpiritum Dei agnoſcit. Ita miſer paulatim ex vno errore in alium, ac demum in hæreſin lapſus eſt, de quo latius in vita Auctoris. Placet autem quod Rhenanus cenſuit legendum:* conſilium & edictum eius, *eo quod præceſſerit:* & quædam edicere.

CAP. V.

50. Sed cur maior exigitur, &c.] *Caput hoc inſcripſimus:* Quod natura ipſa præſcribat coronam ex floribus, capiti non conuenire.

51. qui figurauit hominem.] *Quod hic:* figurauit, *vertit lib. de Reſurr. carnis:* finxit, *& li.*1. *adu. Marc.* fecit. *B. autem Cypr. Epiſt.* 74. *ad Pompeium:* plaſmauit, *noſter interpres Gen.*1. creauit, *Gen.*2. formauit. *Latinus denique* 70 *interpres, modo:* fecit, *modo:* formauit. *Græce priori loco eſt:* ἐποίησεν, *poſteriori:* ἔπλασεν.

52. Auditum in auribus fodit, &c.] *Pulcra eſt circumſcriptio ex ipſis organis membrorum quinque ſenſuum hominis.*

G 53. ſubſtantia enim propria, certe præcipua coronarum, flores.] *Facit ad loci huius intellectum quod ſupra n.*1. *de* coronis, *ſeu* ſertis è floribus, *ex Plinio allegauimus.*

54. & inſerti & innexi, & in filo, & in ſcirpo.] *Duo genera* ſertorum *ſignificat, quorum altero flores* ſcirpo inſerti, *altero* filo *erant* innexi.

55. Coronam ſi forte faſcem exiſtimas florum per ſeriem comprehenſorum.] *Hinc confirmatur mea in Plinium ibidem caſtigatio: qua cenſui ſupra legendum:* Cum vero fierent è floribus ſerta, à ſerendo, ſerieve appellabantur, *pro eo quod corrupt. legebatur:* ſeruiæ: *maxime quod Varro. de ling Latin. l.*5. ſerta *à* ſerie *deriuet præſertim quum fateatur Turnebus legi in Vietis & fugientibus libris:* ſeriue, *pro quo ipſe putat legendum:* ſatiuæ. *ſed illud puto magis germanum. Atqui illud:* ſi tanta innocentia *eſt, recte interpretatur Rhenan. ſi flores tam ſint innoxii & ſalubres.*

CAP. VI.

56. Quæres igitur Dei legem, habens, &c.] *Inſcribimus hoc caput:* Quod natura legis Dei auctoritatem obtineat. *Cui ſimile eſt illud l.*5 *adu. Marc. Tom. ſequ.* ipſa natura quæ legis eſt inſtar ignorantibus legem. *vbi explicat eandem ſcripturam Apoſtoli Rom.*2. Natura faciunt quæ ſunt legis, *pro quo noſter interpres:* naturaliter.

57. Sed & in priore Epiſtolæ.] *Sic lego ex ms. cod.* 1. *Vat. Et vero neceſſario ita legendum, vt ſubintelligatur:* parte, *ſeu* capite: *quum præmiſerit;* ad Romanos, *vna vero dumtaxat ſit* Apoſtoli ad Ro- H manos Epiſtola. *Addit interim ibi Auctor:* conditionis, *quod non eſt apud Apoſtolum.*

58. Deum appellantes Deorum.] *De naturali hac Dei cognitione latius ſupra T.*1. *lib. de Teſt. Animæ c.*2. *præſertim de talibus vocibus etiam Ethnicorum,* Deus bone, Deus iudicabit, *quibus & bonum & iudicem Deum confitentur. De appellatione item,* Deum Deorum *infra T. ſequ. l.* 1. *adu. Marc.*

59. conditioni.] Conditio *& paulo ante, & mox ibi,* vniuerſam conditionem, *item paulo poſt:* infamata conditio eſt, *recte adnotauit Rhenan. accipi pro rebus creatis ſeu creatione: nam etiam alibi id Auctori frequens eſt. Sic lib. de Reſur. carn.* homini addicta conditione: *& iterum:* ipſam conditionem colentes aduerſus conditorem. *Atqui legunt quidem* 2. *ms. Vatic. cod.* certis vſibus hominum mancipatam. *ſed placet magis Tertullianica phraſis:* homini mancipatam.

60. ſuccidiſſe.] *Id vſurpat (inquit Rhenan) vt in aliis libris*

ſæpenu-

A

sæpenumero, pro: succubuisse, vel subiectum esse, vti transtulit noster interpres Rom. 8. Legimus autem paulo post iterum ex 3. ms. Vatic. cod. Paterniacensi, ac Hirsaugiensi: qui natura quidem, Dei, omnia sentiunt. nam: Dei, sustulerat Rhenanus.

61. Sed & huic materiæ, &c.] Alludit hauddubie ad librum Spectaculorum, non modo Latino, sed & Græco stylo à se scriptum.

CAP. VII.

62. Proinde coronarii isti agnoscant, &c.] Titulum huic capiti damus: Quod vel ex origine Idololatrica reliquarum coronarum, eas interdictas constet.

63. Laurea militaris.] Ita circumscribit ad distinctionem aliarum laurearum coronarum, de quibus infra cap. 12.

64. Si fuerit aliqua Pandora, &c.] Πανδώρα ab omnibus (inquit Rhenan.) omnium Deorum donis nomen habet; ad quod alludit hic Tertullianus, cui hoc peculiare est, quod à Charitibus caput eius coronarum dicit. Atqui: primam fœminarum non modo Hesiodus memorat, qui libro qui inscribitur: Opera & dies, late eius ortum describit, sed etiam Pausanias in Atticis. Vide Palæphatum lib. Incredibilium. Similiter autem inter ea quæ multis constructa sunt, Pandoram Hesiodi, recenset auctor infra Tom. sequent. l. adu. Valent. imitatus Iren. l. 2. cap. 19.

B

65. Nobis vero Moyses Propheticus, non Poeticus pastor.] Moysen pastorem fuisse (inquit Rhenan.) indicant Exodi verba c. 4. Moyses autem pascebat oues Ietro soceri sui sacerdotis Madian. Cumq; minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Oreb. Porro per Poeticum pastorẽ intelligit Hesiodum, qui ad Heliconem paternarum ouium custodẽ agens, cum Musas conspexisset, & ab eis ad Hippocrenen, id est, Caballinum fontem deductus fuisset, statim excellentissimus Poeta factus est. Vnde illud Ouid.

Non mihi sunt visæ Clio Cliusue sorores,
Seruanti pecudes vallibus Ascra tuis.

Adnotauit idem: ceteros, Gentiles intelligi paulo post.

66. Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum.] Pherecydes (quantum colligo) Syrius citatur ab Auctore, cuius Theogoniam 10. libris descriptam citat Clemens Alexandrinus 5. Stromatum, scribens eum fuisse obscurum & ænigmaticum. De quo latius infra lib. de Anima, sequ. Tomo.

67. Iouem Diodorus, &c. [Rerum (inquit Rhenanus) forsan antiquarum lib. 3. c. 5. Nam illic Iouis & Titanum certamen descripsit. Hic autem variam historiam libris 40. conscripsit, quam Bibliothecam nominat. Floruit Augusti temporibus: 30. annis Asiam & Europam peragrauit. de quo Iustinus Martyr & Eusebius plura. Vide Adn. nostras ad cap. Apolog. 10. nu. 154.

C

68. Dat & Priapo tænias idem.] Ταινίαι (inquit Rhenan.) vittæ sunt & ligamenta capitis. Quod ad verbum habet ex B. Hier. in c. 4. Isai. Auctor hic abutitur ea voce, pro sertis adinstar vittarum. Citat autem & istud ex Diodoro. Coronabatur autem Priapus (si Gyrald. creditus) ex iis quæ hortensia erant.

69. & Adriadnæ sertum, &c. post & sydus.] Cum Hirsaugiensi (inquit Rhenanus, cui adiicio etiam 3. ms. Vat.) codice consentiens & Gorziensis, quemadmodum docet collatio, habet Thesidus. Pro quo corrupto vocabulo, meum secutus iudicium, posui in contextu: post & sidus. Nam quide signis cælestibus apud nos scripsere, Iul. Hyginus, & innominatus Interpres fragmenti Phænomenon Arati, citant Auctorem qui Cretica prodiderit, referentem cum liber ad Minoem regem venisset, vt Ariadnem filiam eius duceret vxorem, coronam dono Ariadnæ dedisse. Vulcani opere factam ex auro & gemmis preciosis. Ea talis fulgoris fuit, vt Thesea ex labyrintho liberaret, quæ post mortem Ariadnes astris à Libero est adfixa. Commemoratur id & ab Arato in Phænomenis his carminibus:

Αὐτοῦ κἀκεῖνος στέφανος, τὸν ἀγαυὸς ἔθηκε
Σῆμ' ἔμεναι Διόνυσος ἀποιχομένης Ἀριάδνης.

Quæ Germanicus Cæsar, nisi fallit titulus, sic vertit:

Clara Ariadnææ propius stant signa coronæ:
Hunc illi Bacchus thalami memor addit honorem.

Rufus Fest. Auienius sic:

D

Aspice ceu rutilis vibret lux Gnosia flammis,
Hæc quondam Bacchi monumentum fulget amoris:
Hæc Ariadnæi capitis testatur honorem.

Ceterum quia corrupta lectio Thesidus habet, & tradunt eius coronæ beneficio, quæ propter gemmas vsque adeo fulserit, à labyrintho Theseum liberatum, putaui aliquando legendum: post Thesei dux quod videlicet illud sertum sua luce eduxerit Theseum. Verumenimuero maius coronæ Ariadnææ præconium est, quod in cœlum inter astra fuerit translata, quam quod Theseo è labyrinthi tenebris educendo dux fuit. Idcirco maluimus in contextu scribere: post & sidus.

70. Iunoni vitam Callimachus induxit, &c.] Apud Græcos (teste Plin. li. 21 c. 3.) de Coronis priuatim scripsere Mnestheus atque Callimachus Medici. Ex quibus etiam multa transscripsisse se libro eodem indicat in suo Indice, & deinde multa etiam ad Medicinam pertinentia libris 23. 24. 25. 26. 27. & præterea ex Callimacho li. 30. Citat autem hunc locum Gregorius Gyraldus hist. Deorum Syntag. 3. explicans illud: de exuuiis vtriusque priuigni, Bacchi scilicet & Herculis. De Hercule id manifestum est: de Baccho nescio an ipse alicubi pingi soleat cum leoninis exuuiis.

71. Hercules nunc populum capite præfert.] Populum Herculi dicatam lib. 12. c. 1. Plinius tradit, & Macrobius illud Vergilij de Saliis eius sacerdotibus explicat, Saturn. l. 3.

E

Populeis adsunt euincti tempora ramis.

72. nunc oleastrum.] Olympiæ (inquit Plinius lib. 16. cap. 14.) Oleaster ex quo primus Hercules coronatus est, & nunc custoditur religiose.

73. nunc apium.] Apio (inquit idem l. 19. c. 8.) honos in Achia, coronare victores sacri certaminis Nemeæ. Quum autem illud in honorem Herculis fieret, non mirum si & Hercules apium capite præferat.

74. Habes Tragœdiam Cerberi, &c.] videtur Tragœdia illa Cerberi meminisse coronæ populeæ; Pindarus oleastri, Callimachus apij. Exstant autem Pindari Olympia, Pythia, Nemæa, Isthmia.

75. qui & Apollinem memorat.] Videtur hoc referri ad Callimachum. Attamen videat curiosus Lector, num & Pindarus habeat idipsum in suis Pythiis. Atqui Apollini sacram Laurum scribit Plinius l. 12. cap. 1. atque adeo adsuetos Reges Romanos Laurum Delphicam illi dono mittere l. 15. c. 30.

76. Erant enim supplices coronarii apud Veteres.] Piæ memoriæ eruditissimus vir, Alanus Copus, qui Vaticanos codices ms. meo nomine cum excusis contulit, ad intellectum huius loci adnotauit, ex Aristophanis Pluto ad marginem; quod coronam capite gestabant qui supplicabant, id est, qui Diis litabant.

F

77. Liberum, eundem apud Ægyptios Osirin.] Idipsum pluribus prosequitur Plutarchus, & ante eum Diodorus Siculus l. 1. vnde & Hedera, de qua mox, Cynosiris dicta. Similiter Euseb. de Præparat. Euang. lib. 2. cap 1. Asserunt (inquit) Ægyptij, &c. regnum aliquando obtinuisse Saturnum, qui sorore Cybele in vxorem ducta, Osirin & Isin genuit; aut, vt plurimi dicunt, Iouem & Iunonem. Hos vniuersum orbem imperio subiugasse, ac quinque Deos procreasse aiunt: Osirin, Isin, Typhona, Apollinem, ac Venerem. Osirin Dionysium (quem hic Liberum vocat Auctor) Isin, Cererem esse autumant. Quos matrimonio coniunctos, cum in regno successissent, plurimum generi hominum contulisse. Quæ verba ea de caussa in medium adducere libuit, vt concordia ineatur inter Lactantium lib 1. cap. 21. Lucanum, ac alios qui Osirin Isidis filium, & Diodorum, eosque, qui Osirin Isidis maritum & fratrem tradiderunt; quum priores de filio, posteriores de patre loquantur. Meminit certe Osiridis quoq; filij Auctor l. 1. aduers. Marc. Sic & Osirin, quod semper sepelitur, & in viuis quæritur, & cum gaudio inuenitur (iuxta illud Lucani.

Numquamque satis quæsitus Osirus.)

reciprocarum frugum, & viuidorum elementorum, & recidiui anni fidem argumentantur.

G

78. Harpocration.] Ego eum Auctorem puto intelligi, cuius exstat Romæ in Vaticano ms. Liber περὶ φυσικῶν δυνάμεων, quippe quum ad Physicam rationem referatur id quod sequitur.

79. hederatum.] Plinius (quemadmodum etiam Rhenanus adnotauit) lib 16. c. 4. Feruntque primum omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo ex hedera Item c. 34. Alexandrum vero ob raritatem ita coronato exercitu, victorem ex India rediisse, exemplo Liberi patris, cuius Dei & nunc adornant thyrsos, galeasque etiam & scuta in Thraciæ populis, sollemnibus sacris.

80. ab heluco.] Significat helucus (inquit Rhenan.) auctore Sexto Pompeio languidum, & semisomnum, & hesterno vino languentem; sic dictum ab hiatu oris & oscitatione. Quamquã Tertullianus pro ipsa potius affectione capitis videtur vsurpare, qua procliues in somnum reddimur, quam Græci καρηβαρίαν appellant. De hederæ vi frigorifica, multa sunt apud Auctores. Porro tradit Athenæus eos qui profusius biberent apud Veteres, fasciis primum circumligare caput solitos. Deinde vt aliquid ornatus accederet, alios postea corollas excogitasse. Sed & pectora cinxisse coronis vnguentatis quosdam. Fortassis eodem alludit Plinius l. 24. c. 10. quum de 20. generibus hederarum loquens; Capitis (inquit) dolorem sedant, præcipue cerebro continentique cerebrum membranæ vtiliter mollibus impositis foliis.

H

81. Liberum Principem coronæ planæ Laureæ, in qua ex Indis triumphauit, &c.] Ad victoriam Indicam pertinet, quod habet, vbi supra. Euseb. In India multas Liberum vrbes construxisse. De eodem Plinius l. 8. c. 2. Romæ iuncti Elephantes primum subiere currum, Pompeii Magni Africano triumpho? quod prius India victa triumphante Libero Patre memoratur. Atqui Laurus (inquit idem lib. 15. cap. 30.) triumphis proprie dicatur, vt nomo miretur post hac, si etiam Laurea Libero detur.

82. Dies in illum sollemnes Magnam appellat coronam.] Peculiare est hoc Auctori, dies Liberi solemnes, Magnam coronam appellari à vulgo.

83. Leonis Ægyptii.] Ego eundem hunc esse existimo Leonem citatum à Clemente Alexandrino lib. 1. Stromat. qui tractauit. de Diis qui sunt in Ægypto.

84. prima Isis repertas spicas capite circumtulit.] Hinc etiam comprobatur, de quo supra num. 77. Cererem eandem fuisse, quæ Isis ab Aegyptiis dicebatur: quippe cui ab omnibus inuentio spicarũ adtribuatur. Atqui ex spicis, siue spiceam coronam omnium primã apud Romanos in honore fuisse tradit Plinius lib. 18. cap. 2.

85. Claudius Saturninus. Nam est illius de Coronis liber.] Peculiare est, & hoc Auctori, quod Claudii Saturnini librum de Coronis memoret.

86. non alicui capiti inuenias consecratum.] De quorum capite loquatur, indicat verbis sequentibus; in eorum honorẽ deinceps

dispensatam, quos seculum deos credidit. *Quod ipsum indicat Plinius his verbis li. 16. cap. 5. Post* Liberum Patrem *Deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul consecratis. Atqui paulo post pro:* aduiuerent, *legendum putat Latinius:* adhuc viuerent. *sed illud magis placet, quia Tertullianicam phrasim redolet.*

87. quæ Idolis alii faciunt.] *Non placet hic mihi interpretatio Rhenani: sed puto* alios *hic intelligi Gentiles, quemadmodum supra* ceteros. *Illud autem:* in quibus esurierant. *interpretatur Rhenanus in quibus esuriem passi fuerant, significans idolothytorum denoratores.*

CAP. VIII.

88. Tene interim hanc fidem, &c.] *Non aliud est hoc caput quam* Obiectionis cuiusdam solutio, de aliis rebus quæ in vsu sunt Christianis, habentibus tamen suam ab Idolis originem.

89. Primus Mercurius literas enarrauit.] *Vide supra lib. de Test. Animæ, c. 5. n. 25. Hic vnum addam Tertull. conforme testimonium Cassiodori Variarum lib. 8. epist. 12.* Litteras, *inquit*, primum, *vt frequentior tradit opinio,* Mercurius *reparator Artium multarum, volatu Strymoniarũ auiũ collegisse memoratur. Nam & hodie grues, quum classe conficiantur, Alphabeti formas natura imbuente describunt. Quem in ordinem decorum redigens, vocalibus consonantibusque congruenter admixtis, viam sensualem reperit, per quam alta perens, ad penetralia prudentiæ mens possit velocissime peruenire.*

90. & nostris erga Deum studiis.] *Magna sane (inquit Rhenanus) literarum laus, dum Christo etiam inseruiunt. Adtendant hoc qui contra literas & disciplinarum cognitionem oblatrant.*

91. Sed & si neruos idem in sonum strinxit.] *Idipsum adtestantur commentatores in Homeri Odysseam, quum non modo litteras, sed & Musicam eius inuentum faciunt.*

92. cum sanctis fecisse.] *Quemadmodum (inquit Rhen.) perquã eleganter dicimus Chrysostomum facere cum Hieronymo, significare volentes eum consentire cum illo, sic Tertullianus dicit*, cum sanctis fecisse, *quod sanctos adiuuit, siue sanctis in vsu fuit. Hoc loquendi modo & in precedentibus libris vsus est.*

93. Primus medelas Æsculapius explorauerit.] *Vide Adnotat. nostras in Apolog. c. 14. num. 209. & c. 23 nu. 361.*

94. memini & Esaiam, &c. [*Locus est (vt etiam adnotauit Rhen.) Esai. 38. Et iussit* Esaias, vt tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus eius, & sanaretur.

95. propria Osiridis veste.] *Auctor est, inquit idem, Herodotus, nefas apud Ægyptios fuisse laneas vestes in ades sacras inferre. proinde lineis vtebantur.*

96. qua passiuitas fallit.] Istud *ex margine in contextum substitui, quia frequentissima est vox Tertulliano*; passibilitas *autem rarissime, aut nunquam vsitata.*

CAP. IX.

97. Quis denique Patriarches, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus*: Quod nemo in scripturis coronatus legitur præter Christum, quem adeo imitari liceat in corona spinea. *Atqui de Hierarchia Ecclesiastica, quam hic adtingit, latius infra Tom. sequ. l. de Præscript. adu. hæreses.*

99. aut Ἄρχων.] Ἄρχων, *inquit Rhenanus, princeps: vt de Iairo Luc. 8.* ᾧ ὀνόματι ἄρχων τῆς συναγωγῆς ὑπῆρχε: *& de Nicodemo, Ioan. 3.* ἄρχων τῶν Ἰουδαίων.

98. nec tabernaculum martyrii.] Μαρτυρίῳ *voce Græca vtitur, pro eo quod Latine vocatur* tabernaculum testimonii.

100. nos enim & templa Dei sumus.] *Alludit ad scripturas, Apostoli ad Corinthios:* Templum enim Dei estis vos *Osee 9.* Et replebuntur vt phialæ & cornua altaris. *Item illud*: sicuti luminaria in mundo lucentia; & Aliud quidem fecit Deus vas in honorem, &c.

101. populus conscium.] *Id est (inquit Rhenan.) decreuit, siue communi sententia statuit. Hoc enim* conscisceere *significat. Liuius: Quod Senatus populi Romani Quiritium censuit, consensit*, conscium, *vt bellum priscis Latinis fieret, &c. Alibi: Itaque consentio* conscisco*que. Non aliter autem hic dicit*: Nec illam impietatis contumeliosæ coronam populus conscium, *quam Liuius*, conscisceere *facinus.*

CAP. X.

102. Ita quum idcirco proponis, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* Quod quum mortuorum aut Idolorum corona sit, Christianos non deceat. *Siue autem* vendices *legas cum 1. ms. Vat. cod. siue*: vindices *cum reliquis tam exc. quam ms. perinde est.*

103. Nam & mortuorum est ita coronari, &c.] *Quod aut mortuis aut Diis consecrabantur corona, in hac verba, ad quæ etiam alludit Rhenanus, habet Plinius l. 21. c. 3. Primũ ex lege xij. Tabularũ his verbis: Quis ergo honos? Vt ipsi* mortuo, *parentibusque eius, dum intus positus esset, foris sue ferretur, sine fraude esset imposita. Vbi adluditur ad eum morem, quo & intus positum, & elatum funus, & seipsos coronis ornabant. Eodem pertinet illud eiusdem capitis: Corona Deorum honos erant, & Larium publicorum priuatorumque, ac sepulcrorum ac Manium.*

104. vel quoniam & ipsi Idola statim fiunt.] *Quod ex mortuis hominibus Dij fiant, tractauit late Auctor supra Tom. 1. Apolog. cap. 10. & 11. & nominatim etiam* de habitu & cultu consecrationis, *c. 12. de quo ibidem in Adnot. nostris n. 176.*

105. Nobis autem abuti apud Apostolum non licet.] *Alludit ad illud Apostoli*: Sic vtamur mundo isto, quasi non abutamur, *de quo supra lib. de Cult. fœmin. c. 9. nu. 50.*

106. sed ipsius vsus administratio interest.] Interest (*inquit Rhenan.*) *pro differt.*

107. non minus quam Æsculapio Socrates.] *Hoc iussit (inquit Rhenan. quum in carcere esset, paulo post bibiturus venenum. Quam ipsam historiam late prosequitur Auctor initio lib. de Anima, infra Tom. sequenti.*

108. Arabiæ aliquid incendo, &c.] *De hoc vide supra T. 1. in Apol. c. 30. Adn. nostras num. 442.*

109. Si quis autem dixerit: hoc Idolothytum est, non contigeris.] *Istud ex Apost. 1. Cor. 10. vbi retinuit vocem Græcam* εἰδωλόθυτον, *pro eo quod noster interpres vertit*: immolatum Idolis. *Mirum est autem quomodo legat*: non contigeris, *quum Græce sit*: μὴ ἅψῃ, *quod non aliter potest transferri quam sicuti noster interpres*, ne manducaris.

110. fugite Idololatriam.] *Etiam hic vocem Græcam retinuit* εἰδωλολατρείαν, *pro qua proprie transtulit Latinus interpres Idolorum culturam.*

111. Si in Idolio incumbere, &c.] *Alludit ad illud eiusdem Apostoli eiusdem Epist cap. 8. Si enim quis viderit eum qui habet scientiam*, in Idolio recumbentem.

112. Draco etiam terrenus, &c. Draco *hic ab Auctore pro Basiliseo vsurpatur, de quo scribit B. Isidorus Etymol. l. 12. c. 4.* Βασιλίσκος *Græce, Latine interpretatur Regulus, eo quod rex serpentium sit. Ad eius adspectum nulla auis volans, illæsa transit, sed quamuis procul sit, eius ore contusa deuoratur. Quod eleganter expressit Auctor his verbis*: de longinquo spiritu absorbet alites.

113. Filioli, *inquit*, custodite vos ab Idolis.] *Etiam hic retenta ab Auctore vox Græca* εἰδώλοις, *pro eo quod noster interpres Latine vertit simulacris; quod ipsum explicat, quum subiungit*: id est, ab ipsa effigie eorum.

114. solemnitatibus.] *De* Idolorum sollemnitatibus *aliquid diximus supra li de Idolol. c. 13. & 14.*

115. & officiis.] *Similiter dixit dictol. c. 16.* Circa officia vero priuatarum & communium sollemnitatum. Officia *autem (inquit Rhenan. vocat ministeria, quæ Gentilium sacris, aut ipsis alioqui Gentilibus impenduntur, vt infra*: Et implendi officii. *Eadem significatione infra c. 11.* Officiales coronas *dixit, id est, vti idem interpretatur, quas Christiani gestabant ex* officio, *quo Gentili ab erant obligati: vt quum militarent, aut in similibus reb. Quod indicatur his verbis ibi sequentibus*: quum idcirco aut officia fugienda sint. *Nec absimiliter li. de Spectac. c. 7.* quot officia moueantur. *Simili phrasi etiam* officia militaria *dixit sub finem li. de Fuga in persecut. infra Tom. 5.*

116. conuenitur.] *Pro inuenitur (inquit Rhenan.) vt l. adu. Marc. 2.* Cum vtrumque conueneris in creatore. *hoc est: deprehenderis: & li. 4.* hæc conueniemus. *Quib. adde & illud eiusdem li* quemcumq; conueneris in via.

117. Ipsæ denique fores.] *De coronatis foribus sen ianuis apud ethnicos late Rhen. Apol c 35. Vbi vide Adnot. nostras n. 464. Hic tamen proprie videtur agere de* Templorum foribus, *iuxta illud Maronis:*

-& festa fronde reuinctum.

118. ipsæ hostiæ.] *Apud Persas (inquit Gyraldus de nat. Deorum Syntag. 17.) non modo qui sacrificabat, sed & hostia, & qui sacris intererant, festa fronde coronabantur. Indis contra, nam ipsis coronatus sacrificabat nemo.*

119. & aræ.] *Super* aras, *inquit idem, sacra facturi, cespites ex gramine siue verbenas apponere solitt erant. Ipsas etiam* aras, *quoniam & hæ peculiares Diis fuere, vt & iã victimus, quas prius* hostias *dixit, suorum numinum frondibus ornare par erat, vt Ioui, esculo, Apollini, lauro: Minervæ, olea: Veneri, myrto: Herculi, populo; Baccho, hedera. Hinc illud Maronis 3. Æneid.*

-Ramis tegere em vt fi ondentibus *aras.*

120. ipsi ministri & sacerdotes, &c.] *Huc pertinet illud Plinij supra etiam citatum c. 17. Deorum honori sacrificantes sumpsere*, victimis *simul coronatus.*

121. apud Claudium.] Claudium *Saturninum intelligit, de quo supra c. 7. Legimus autem ex 3. ms Vatic. cod.* Sed & illam interstruximus *pro*, instruximus, *magis enim conuenit consequentibus*: distinctionem differentiæ.

CAP. XI.

122. Etenim vt ipsam caussam coronæ militaris, &c.] *Titulum huic capiti dedimus*: De militia quæ Christianis sit licita, aut illicita. *Cui similis fuit. Tractatus supra l. de Idol. cap. 19. hoc titulo:* Neque militiam licitam, quæ cum Idololatria aliquid commune habet. *Eligat etiam hic Lector eundem si velit, titulum quum vtriusque loci idem sit argumentum, quamquam prima facie etiam omnem militiam, nimio metu Idololatriæ, videatur improbare. Eam vero esse Auctoris li. de Idol. sententiam patet vel ex illo Epiphonemate:* Nullus habitus licitus est apud nos, illicito actui astrictus. *Iam vero quis ille* illicitus actus, *nempe cum Idololatria coniunctus, antea dixit*: Non conuenit, *inquit*, sacramento diuino & humano signo Christi & diaboli, castris lucis & castris tenebrarum. *Cui similia etiam hic*: credimus ne humanum sacramentum diuino superduci licere? *Eodem pertinent illa, vtpote*

A Idololatria contaminata: Et excubabit pro templis quibus renuntiauit,& cœnabit illic vbi Apostolo non placet? Et quos interdiu exorcismis fugauit, noctibus defensabit? vexillum denique portabit æmulum Christi: *Et rursum iisdem pene verbis quibus alibi:* Ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre, transgressio est. *Denique non alienus à communi sententia sic concludit:* Puta denique licere militiam vsque ad caussam coronæ; *ac si dicat, vsque ad habitum aliquem Idololatriæ, qualis est corona. Et vero primo capite supra dixit plures fuisse* commilitones Christianos, *quos non reprehendit de Militia, sed de corona solummodo. Deinde & lib. Apolog. c. 5. & ad Scapulam, c. 4.* Germanicam sitim Christianorum Militum precationibus ad Deum factis impetrato imbri discussam contestatur. *Quorum hauddubie orationes nō tanti momenti apud Deū fuissent, si illicita omnino fuisset in totum Militia Christiana. Certe Scorpiaco aduers. Gnost. c. 2. non omnem Militiam à se improbari, vel ex hoc indicat, quod adferat exempla complura veteris Testamenti, quibus bellum indicitur à Domino aduersus ciuitates quæ Idololatriam commiserint. Quas ipsas etiam scripturas allegat B. Cyprianus ad idem institutum, lib. de exhortat. ad Mart. cap. 5. addens præterea: Quod si ante aduentum Christi circa Deum colendum & idola spernenda hæc præcepta seruata*
B *sunt, quanto magis post aduentum Christi seruanda sunt? Hinc & Lactantio l. 6. cap. 19. Bella quidem reprehenduntur, sed quæ contra iustitiam nata sunt. Hinc etiam B. Augustin. quum innumeris pene locis de iure Christiani belli scripserit, certe expressoid fecit Epist. 5. ad Marcellinum, & 50. ad Bonifacium Comitem; denique contra Faustum Manichæum, nam & Manichæorum erat hic error, latissime l. 22. à cap. 74. vsque ad 79. Quando itaque tales loci apud primos illos Veteres reperiuntur, quibus videntur prima facie contra sentire, intelligendi sunt aut de militia sub imperatoribus ethnicis, aut de bello iniusto, quale initio Ecclesiæ existimabatur, si Christiani in Imperatores suos persecutores insurrexissent; à qua calumnia se purgare nitebantur; sed vbi Christiani facti sunt ipsi Imperatores, ab eo tempore longe aliam rationem fuisse, late deduxit B. Augustin. dicta epist. 50. Quæ omnia eo latius, quod hic Rhenanus & alij quidam omnem militiam Christiano illicitam velint prætendere, maxime autem Erasmus in cap. 22. Lucæ, comment. 11. Qui quum pro suo errore perperam citet B. B. Chrysostomum & Ambrosium, putaui operæpretium locos eorum adferre, qui pro nobis faciunt. Chrys. itaque homil. 21. in Act. Apostol. agens de Cornelio Centurione, eius exemplo milites adhortatur, vt in pietate & timore Dei illum imitentur, ac de iusto (non iniusto) lucro eleemosynas faciant. Deinde apertius homcontr. Iud. Gentil. & hæret. Tom. 3. de altero Centurione agens, cuius mentio Matth. 8. Militiam, inquit, prætexis & dicis, Non possum esse pius. Centurio nonne miles erat, de quo* Iesus ait: Neque in Israel tantam fidem inueni? Nihilque nocuit illi militia sua. *Ambros. vero præterquam quod Offic. lib. 1. cap. 4. à virtute bellica commendet Iesum Naue, Gedeonem, Ionatham & Machabæos, serm. 7.* Non enim militare, *inquit*, delictum est, *sed propter prædam militare. Propterea enim prouidentia diuina militibus stipendia sunt constituta, ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur. Quodipsum ibi comprobat exhortatione B. Ioannis Bapt. Lucæ 3.* Estote contenti stipendiis vestris. *Et (ne forte quis obiciat illum Sermone Ambrosij non esse sed Maximi) eadem illa postrema verba reperire est apud illum. Porro paulo post legimus ex 3. MS. Vat.* quum a præcedentibus culpa sit.

123. Credimusne humanum sacramentum diuino superduci licere, &c.] *Alludit ad Sacramentum & responsionem siue contestationem fidei in Baptismo factam, de quibus supra c. 3. & infra latius initio l. de Bapt. Tom. sequenti.*

124. & cierare patrem & matrem, &c.] *Alludit ad verba* Sacramenti, *quo se milites obstringebant (teste Vegetio de re militari li. 2.) num quam deserturos militiam pro rep. Romana; atque adeo* cierabant, *id est, renunciabant seu abdicabant, quemadmodum supra diximus alicubi,* patrem & matrem & proximum.

125. Domino pronunciante: Gladio periturum qui gladio fuerit vsus?] *Similiter dixit supra l. de Idolol.* Quomodo autem bellabit, &c. sine gladio quem Dominus abstulit. *Verum disertus verbis adjecit B. Hilarius Can. 32. in Matth.* id non intelligi de iis qui gladio aut iudicij officio aut resistendi latronibus necessitate fuerint vsi. *Quem ideo sen[illegible] etiam Apostolus Paulus satis insinuat, quum, ea Christi præuentione non obstante, Ro. 13. inquit:* Non enim sine caussa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui male agit. *Quo adludens Auctor supra Tom. 1. lib. ad Scapulam, cap. 4.* vel quia & vos, *inquit*, sub gladio estis.

126. cui nec litigare conueniet?] *Adludit ad illud 1. Cor. 6.* Iam quidem omnino delictum est, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? *Atque adeo non male interpretatur Rhenanus:* litigare, *votem Iureconsultorum, Actionem vel in personam vel in rem apud iudicem suscipere verum aduertendum quod continuo subiungit ibidem Apostolus:* Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis; *vti videatur magus de iniustis litibus agere.*

127. Et vincula & carcerem, &c. & supplicia administrabit.] *Hæc verba indicat, se non de simplici Milite agere, sed etiam de eo, qui (vti adnotauit etiam Rhen.) commentariensem aut carnificem agat. Vide supra l. de Idol. c. 17. n. 134.*

128. nec suarum vltor iniuriarum.] *Si adludat ad illud Matth. 5.* Ego dico vobis, non resistere aduersus malum, *& c. respondet B. Augustin. l. 22. contra Manich. c. 76 Intelligunt, inquit, hanc præparationem non esse in corpore, sed in corde. Nam, vti subdit postea, & Christiani Imperatores, de inimicis sacrilegis, qui sibem suam in sacramentis Idolorum dæmoniorumque posuerant, gloriosissimam victoriam retulerunt.*

129. Iam & Stationes aut alii magis faciet quam Christo.] *Exstat lib. 12. Codicis Iustinani Tit. de Curiosis & Stationariis. Loci vero huius intellectus haberi potest supra ex c. vlt. lib. de Oratione:* Si Statio, *inquit*, de militari exemplo nomen accipit, nam & militia Dei sumus, vtique nulla lætitia siue tristicia obueniens castris, Stationes militum rescindit: *Vbi vide Adnot. nostrarum aliam longe n. 58, sententiam de* Stationibus, *quam Rhenani hoc loco, aut nostram priorem ad Epist. 41. B. Cypr. n. 10. nempe quod* Stationes *& ibi, & hic, & l. de Ieiunio infra T. 5. accipiantur, nō de conuentibus Ecclesiasticis, in quibus fere stantes orabant, sed de statu ieiuniorum diebus; metaphora à militibus orta, quod quamdiu in statione erant, ieiunare eos oportebat. Et vero hic aliter accipi non posse, manifestum est ex verbis sequentibus:* aut & die Dominico, quando nec Christo. *Nam vti supra locutus est c. 3.* Die Dominico ieiunium nefas dicimus, ergo nec Christo fiebant die Dominico ieiunia; *& econtrario magis diebus Dominicis fiebant* Stationes, *id est, à stantibus officia diuina, iuxta illud eiusdem c. 3.* Die Dominico, &c. nefas, vel de geniculis adire.

130. quibus renunciauit,] *Vtpote in baptismo, quum diabolo & pompis eius renunciauit. quod alia phrasi infra repetiuit cap. 13.* semel iam in sacramenti testatione eierauæ, *De quo etiam infra latius Tomo sequent. lib. de Baptismo.*

131. & cœnabit illic vbi Apostolo non placet.] *Adludit ad illud Apostoli, quod sic c. præced. expressit.* Si in idolio recumbere alienum est a fide, *vti etiam adnotauit Rhenanus.*

132. Et quos interdiu exorcismis fugauit.] *Attende (inquit idem Rhenan.)* exorcismorum *antiquitatem; de quibus etiam latius dicto l. de Baptismo. Hoc autem vult, quod* excubando pro templis *Idolorum*, dæmones defensabit, quos interdiu exorcismis fugauit.

133. incumbens, &c. super luncho, quo perfossum est latus Christi.] λόγχος (*vti ad marginem etiam adnotauit Rhen.*) *castrensis vox* ἀπὸ τῆς λόγχης, *qua vsus est ipse quoque Euangelista Ioannes c. 19. & Ianceam recte vertit Latinus interpres; vbi adeo castigandos censeo vulgatos codices Græcos, qui legunt* λόγχῃ, *quum legendum potius sit* λόγχῃ.

134. Mortuus etiam tuba] *Innuit (inquit Rhen.) morem castrensem, quo* mortui *milites tubicinis cantu, quem hic æneatorem vocat, deplorabantur. Nostrates milites ad canina pellis, hoc est, tympani pulsum efferuntur, vt habet vulgaris cantio iocans in milites.*

135. Et cremabitur ex disciplina Castrensi.] *Hinc illud (inquit Rhenan.) Tom seq. l. de Resurr. car. in principio.* At ego magis ridebo, *inquit*, vulgus, tunc quoque quum ipsos defunctos atrocissime exurit. *& mox:* cum crematis, cremat. *Plinius l. 7. c. 54. Ipsum* cremare *apud Romanos non fuit veteris instituti, terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos eius cognouere, tunc institutum. Probat autem è contrario Auctor eodem libro eum Ecclesiæ morem (de quo ibi latius)* quo mausoleis & monumentis sequestrantur corpora.

136. vt illorum quos Ioannes admittebat ad lauacrum.] *Idem exemplum citauit supra l. de Idol. Certe non modo B. Ambrosius, vbi supra, sed & B. Augustin. ex hoc loco scriptura, de militibus à B. Ioanne Baptista baptizatis, Militiam non interdictam adstruit his verbis, l. 22. supra citato contra Faustum c. 47. Alioquin (inquit) Ioannes quum ad eum baptizandi Milites venirent, dicentes:* Et nos quid faciemus? *responderet eis: Arma abijcite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, posternite neminem. Sed quia sciebat, eos, quum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis,* Neminem concusseritis, *& c. ne prolixiores simus. Quod ipsum etiam in suum Decretum transcripsit Gratianus nobiscum sentiens, 23. qu. 1. c. Paratus in fine.*

137. vt Centurionum fidelissimorum.] *Alterum intelligit Archisynagogum, de quo Christus Matth. 8. dixit:* Non vidi fidem tantam in Israel: *alterum Cornelium, de quo Actib. Apost. Quibus ipsis exemplis Militiam adprobatam à B. Chrysostomo supra ostendimus, & priori etiam vtitur B. Augustin. vbi supra, & Auctor l. de Idololatria.*

138. aut omnibus modis cauillandum.] Cauillari *(inquit Rhen.) tradunt à cauendo dictum Grammatici. Hic pro cauere sumit. Atqui vel iste locus sententiam de Militia, Christianis an licita, plus satis indicat. Nam quum dixisset:* aut deferendum esse susceptæ fide, aut signata *(quorum prius ad baptismum, posterius ad Catechumenos adtinet, de quo etiam initio l. de Baptismo) quasi sepsū corrigens:* aut omnibus modis cauillandum, ne quid aduersus Deum committatur: *& ne quis eo vsque militiam extendat, vt aut* delictorum impunitatem, aut martyriorum immunitatem promittat, *addit?* aut perpetiendum pro Deo, *eo nempe casu, quo aliquid faciendum foret aduersus Christi fidem.*

139. quod æque fides pagana condixit.] *Hoc est, vti recte Rhenanus, quod* fides *ethnico Duci vel Imperatori data promisit ex pacto, nempe extrema perpeti, & mortem, nam id significat hic* condicere. *Plinius in Præfatione ad Vespasianum: cum hanc operam* condiceret, *non eras in hoc albo: id est, ex pacto pollicerer.*

140. aut martyriorum immunitatem.] *Vbique* martyria *(inquit Rhenan.) crepat Tertullianus. Paulo post:* Quia potior est necessitas timendæ negationis & obeundi martirii, quam euadendæ passionis & implendi officii.

141. &

A

141. & saluam facturus animam pro nomine eius amissam, &c.] *Quod Matthæus passiue:* Qui perdiderit animam suam, inueniet eam; *ipse, quomodo id fiat, explicans, Christo adtribuit quod ipse* saluam facturus sit, *& econtrario,* lucri habitam perditurus. *Atqui* lucri habere *dixit (vti adnotat etiam Rhen.) quemadmodum sub finem l.5. adu. Marc.* lucri ducere, *& eodem libro:* boni ducere.

142. Apud hunc tam miles est, paganus fidelis: quam, &c.] *Elegantissima (inquit Rhen.) sententia constans ex contrariis. Hic oportet scire,* paganum *duo significare, tum eum qui miles non est, vnde Persius se semipaganum vocat, tum eum qui Christum minime agnoscit. Certe est etiam hæc vox* paganus *Iureconsultorum. Hinc illud Scæuolæ, D. ad Legem Falcidiam. l. vlt. Miles si dum* paganus *erat, fecerit testamentum, &c. B. autem Aug. Auctorem secutus, & reliqui Doctores Ecclesiastici, peculiariter fere accipiunt pro ethnico.*

143. tamen nec illi necessitati disciplina conniuet.] *Æditio* 1. *& ms.* 3 conibet.

144 fibulam laxet.] *De hoc inter Prouerbiales formulas in nostris Prolegomenis. Legimus autem:* nam & voluntas poterit, *ex* 3. *ms. Vat. cod. pro:* poterat.

145. ducatio necessitatis.] *Supra dixit (inquit Rhenan.)* Ducator *pro duce, hic habes* ducationem *pro* ducatu. *Q. D. excusant* necessitatem, *qua duce in hæc delicta incidant; non autem sponte sua.*

146. in delictis incidamus] *Sic dictum, inquit idem, vt illud adu. Hermogenem:* ante eam in bono conuertisset, *& adu. Iudæos:* Legis præcepta reformantem in hominis salute. *Est autem & hoc Tertulliano familiarissimum, vt* in *cum Ablatiuis coniungat, quod alij cum Accusatiuis.*

B

Cap. XII.

147. Sed & de corona prius dicam.] *Titulum huic capiti damus:* Quod ipse coronarum caussæ contra Christianos faciant. *Incipit autem loqui (inquit Rhenan.) de* corona *triumphali, propter quam incœpta est disputatio.*

148. Apollini vel Libero sacrata est.] *De* Liberi *&* Apollinis Laurea *diximus supra c 7. Propterea vero adnotat ex Plinio Rhenanus, quod* Laurus *spectatissima reperiatur in monte Parnasso, ideoque grata* Apollini. *Habet id Plinius l.15. c. vlt.*

149. illi vt Deo telorum.] *Huc pertinet quod à Platone* Apollo *dicatur ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id est, à iaculando, vnde etiam factum, vt cum arcu & sagittis eius simulacra formari soleant.*

150. huic vt Deo triumphorum.] *Alludit ad ea simulacra* Liberi; *quibus effingebatur in curru pampineo triumphans, qui Pantheris modo, modo Tigribus ac Lyncibus trahebatur, vti Gyraldus testatur hist. Deorum synt.* 8. *Nominatim autem etiam Plinius l.7. ca.* 56. Liber *pater, inquit, diadema Regum insigne &* triumphum *inuenit.* Claudius *autem de quo hic loquitur, idem est qui supra c.* 7.

C

151. Quamquam ex myrto ait milites redimiri solere, &c.] Myrtus *(inquit Rhen. ex Plinio l.15. c.29.) bellicis quoque se rebus inseruit, triumphansque de Sabinis Postumius Tubertus in Consulatu (qui primus omnium ouans ingressus vrbem est, quoniam rem leuiter sine cruore gesserat)* myrto *Veneris victricis coronatus incessit, optabilemque arborem etiam hostibus fecit. Hæc postea ouantium fuit corona. Quibus & hæc addit ibidem Plinius: Massurius Auctor est curru quoque triumphantes* myrtea corona *vsos. L. Piso tradit, Papyrium Massium, qui primus in monte Albano triumphauit de Corsis,* myrto *coronatum, Ludos Circenses spectare solitum. Marcus Valerius duobus coronis vtebatur,* Laurea *&* myrtea, *qui & hoc vouerat.*

152. Martis per Iliam & Romulos Romani, &c] *Pulcre sic restituit hunc locum Rhenanus, & sensum quoque explicuit. Non est mirum Romanos, milites* myrto coronari *solitos olim, quum hæc arbor Veneri sit consecrata, quæ non solum Troiana est propter filium Æneam ex Anchise conceptum, verum etiam amicula* Martis, qui per Iliam & Romulos Romanus est, *id est, eo quod ex Ilia Remum & Romulum Romæ conditores sustulerit: Romani Martis amica, qui Romuli & Remi sit pater. Verum* ego, *iocans inquit Tertullianus,* non arbitror Venerem eatenus esse valde Romanam, *siue amare Romam,* quatenus pellicis Iliæ dolor est. *Fit enim verisimile Venerem, quæ sola amasio suo Marte potiri cupiebat, non parum offensam* Iliæ *concubitu, vnde Romulus & Remus progeniti, conditores vrbis Romæ. Quos ambos intelligit, quum dicit* Romulos, *ceu nos mutauimus. Nec caret alioqui gratia variatio numeri. Sic & Castores dicimus τοὺς διὸς κούρους. Pertinere autem huc videtur, quod habet Plinius lib.16. cap.4. Romulus* frondea *(quantum hinc apparet ex myrto) coronauit Hostum Hostilium, quod Fidenam primus occupasset.*

D

153. Quin & olea militiam coronari à Minerua, &c.] *Athenis (inquit idem lib. eiusdem cap. vlt.)* olea *durare traditur in certamine edita à* Minerua. *Quod de* certamine cum Neptuno *interpretatur Auctor. Certamen vero ipsum occasione regionis Trœzeniorum describit Pausanias histor. lib.2. Hinc exstant nummi veteres, quibus vno ex latere inscribitur* D. C LOD. SEPT. ALB. Cæs. *& ab altero Coss. II. ac* Mineruæ *Pacific. SC. cum effigie* Mineruæ oleam *manu tenentis.*

154. non solum Artium, sed & armorum Dea.] *Vide Isidorum Etymol. lib.8. cap. de Diis Gentium. Ab armis autem vocata fuit, & στρατεία, id est, militaris, & ἀρεία, id est, Martia Minerua. testibus Phurnuto & Luciano.*

155. Ecce annua votorum nuncupatio, &c.] *Hinc intelligi datur, quid sibi velint Numismatum inscriptiones variæ, & nominatim hæ de Seuero Imperatore,* IMP. CÆS. L. SEPT. SEV. PER. AVG. *vno ex latere; & ex altero:* Vota publica suscepta: *item de Antonino, vna ex parte:* ANTONINVS PIVS AVG. *& ex altera:* VOTA SVSCEPTA DECEMNALIA. *item:* ANT. PIVS AVG. COS. III. *&* Vota soluta Deo. *Id autem quotannis sollemne fuisse hic significat Auctor, sed maxime* In principio Imperii, *etiam addens locum,* in Capitoliis: *& verba:* Hunc tibi Iupiter bouem cornibus auro decoratis vouemus esse futurum. *De qua auri vsurpatione etiam in hæc verba Plinius lib.33. c.3. Deorum vero honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quam vt* auratis cornibus *hostiæ maiores dumtaxat immolarentur.*

E

156. Eadem Laurea in Donatiui dispensatione, &c.] *Vide supra c.1. Quod ipsum eleganter hic comparat cum proditione Christi per* Iudam acceptis argenteis, *atque adeo, vti etiam Rhen. eleganter dicit:* non esse gratuitam idololatriam, *vtpote ipsa captatrix doni, atque hoc etiam quod subiungit:* denarium Cæsari auferre, *id est, non dare Cæsari, sed ab eo* Donatiuum *accipere.*

157. Triumphi Laurea foliis struitur.] *Hoc est, inquit Rhenan. quod Plinius de* Lauro *scribit: Vnius* folia *distinguuntur appellatione.* Lauream *enim vocamus.* Laurus *autem, inquit idem Plinius lib.* 15. *cap.*30. Triumphis *proprie dicatur. Duo eius genera tradit Cato, Delphicam, & Cypriam: Illam æquali colore, viridiorem maxime baccis, atque è viridi rubentibus: Hac victores Delphis coronari, &* Triumphantes *Romæ. Sterilem vero baccarum, quod maxime miror, aliqui* triumphalem, *eaque dicunt* triumphantes *vti, nisi id à D. Augusto cœperit, vt docebimus ex ea* Lauru, *quæ ei missa è cælo, minima est altitudine, folio crispo ac breui, inuentu rara. Inter caussas autem cur in* triumphis *vsitata, eam quoque reddit, quod sola manusatarum receptarumque in domos fulmine non icitur. Vbi & plura videat Lector, ne hic sim prolixior. Atqui pro:* struitur. *ms.* 3. *Vat.* instruitur, *sed illud magis Tertullianicum est.*

F

158. Hinc aduerbis.] Hinc *omnino legendum esse satis constat, pro:* hanc. *Quid vero sibi velit vocabulum:* aduerbis, *recte adnotauit Rhenanus se nescire. Ego addo vocem esse corruptam, & videri aliquod verbum substituendum, qualia sunt quæ sequuntur:* inauratur, *&* delibuitur, *fortassis quemadmodum & Rhenanus aut Gelenius in margine,* ambitur, *quod maxime placet, aut:* adornatur, *aut:* adumbratur, *vel:* aduestitur. *Lectori autem liberum iudicium permitto, donec ex aliquo ms. cod. melius aliquid proferamus. Fortassis etiam non male legatur:* aduersis.

159. lemniscis.] *Sunt* lemnisci, *inquit Rhenan. auctore Pompeio Festo, fasciolæ dependentes ex coronis. Docti colligunt ex Plinio, tuniculas fuisse ex libro ipso Tiliæ arboris, cuius eiusdem libelli sint, id quod Auctores vocant Philyras. De* lemniscis *sic Plinius lib.* 21. *ca.*3. *vbi de coronis loquitur, quæ ex foliis aureis & argenteis constabant. Accesserunt quoque, inquit, &* lemnisci, *quos adiici ipsorum coronarum honos erat propter Hetruscas, quibus iungi nisi aurei non debebant. Ab huiusmodi* lemniscis *coronæ* lemniscatæ *dictæ sunt. Hactenus Rhenan. qui videtur respicere ad Politianum in Miscellaneis, qui multa adfert de* lemniscis, *tum ex Plinio l.16. c.14. & de* lemniscatis *coronis. ex numismatibus antiquis ac Suetonio, tum denique de* philyris, *ex quibus* lemnisci *fiebant, ex Nica in Comment. Græcæ linguæ, & ipso Tertulliano, hoc loco. Eodem pertinet etiam illud Horatij:* Displicent nexæ philyra coronæ.

G

160. inauratur lamnulis.] *intelligit* lamnulas *æreas, quæ deaurari solent, idque ex ære* coronario, *de quo Plinius lib.33. cap.9. & lib.34. c.8. In Cypro (inquit) æs* coronarium *est & regulare, vtrumque ductile.* Coronarium tenuatur in laminas; *taurorumque felle tinctum,* speciem auri in coronis *histrionum* præbet. *Quamquam interim A. Gellius etiam vere aureas fuisse scribat triumphales coronas, quæ imperatoribus ob honorem triumphi mittebantur ex auro coronario.*

161. & apud Barbaros enim Christus.] *Videtur agere de Parthis & Armeniis, aliisque barbaris à Seuero domitis, quos iam tum Christianos fuisse supra videre est lib. aduersus Iudæos cap 7. Adnot. nostrarum nu.*30. *& deinceps.*

162. Est & alia militia regiarum familiarum.] *Intelligit (inquit Rhen.) milites illos Romanorum perpetuos, qui sunt veluti familia Imperatoris.*

163. Nam & Castrenses appellantur.] Castrensis *est (inquit A. Gellius libro 5. capite 6.)* corona, *qua donat eum Imperator, qui primus castra hostium pugnans intrauit. Ea corona insigne valli habet. Hinc &* vallares *vocantur à Plinio, citatis locis initio lib. huius num.*1.

H

164. Munificæ & ipsæ.] *Apud Festum (inquit Rhenan.) legimus:* Munifices *vocatos milites, qui non vacabant, sed munus Principi faciebant. Qui vacabant, vocabantur Beneficiarij. Sed & Vegetio* Munifices *sunt milites, qui munus faciunt, à quo liberi sunt, Immunes qui dicuntur. Expone ergo* munificæ, *id est, ad munus* sollemnium Cæsareanorum *adstrictæ & obligatæ. Posterior ætas* munificum, *pro* munifice *vsurpauit. Nam & Paulus Iurecons. in cap. Munus. De verborum significatione,* Munus *etiam officium significare docet, vnde munera militaria, & quosdam milites* munificos *vocari. Vide etiam plura de* Munere *supra li. de Spectac. c.12. nu.*114 *&* 115. *De* solemnibus Cæsarum *autem, Apolog. capite 35. numero* 461.

Cap. XIII.

165. Coronant & publicos Ordines laureis, &c.] *Quum eiusdem sit argumenti hoc caput, nouo titulo nō est opus. Huc autē pertine-*

re videtur illud Plin. ſupracitato cap. vlt. l. 13. Laurus Romanis præcipue lætitiæ victoriarumque nuntia additur litteris & militum lanceis faſces imperatorum decorat. Ex his in gremio Iouis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam noua victoria adtulit.

166. Magiſtratus vero inſuper aureis.] *Vide de his ſupra initio operis n. 1. & cap. præced. & infra ex Plinio, vbi de* Gemmatis *agitur n. 167.*

167. Præferuntur etiam illis Hetruſcæ. Hoc vocabulum eſt, &c.] Hetruſcas coronas *commemorat Plin. li. 12. c. 3. verbis ſupra citatis cap. præced. vbi de* Lemniſcis *egimus. Hic autem etiam quales fuerint, deſcribit Auctor, nempe:* quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Iouem inſignes, ad deducendas thenſas cum Palmatis togis ſumebant. *Videtur eodem pertinere, quod ſcribit Plinius. li. 12. cap. 3. & 4. de* gemmatis & aureis coronis, *& lib. 37. cap. 2. de Pompeio quod in triumpho 33. ex margaritis coronas habuerit. Denique quod eodem teſte lib. 33. cap. 1. Triumphantibus* corona aurea *ſuſtineretur à tergo. Atqui ad eaſdem adludit Auctor ſupra lib. de Spect. c. 7.* de thenſis de coronis, *vbi vide Adn. noſtras n. 63. de* Palmata veſte, *Apolog. c. vlt. n. 620.*

168. Sunt & Prouinciales aureæ.] *Ad loci huius intellectum facit illud libro de Idolol. c. 18.* & coronæ aureæ ſacerdotum Prouincialium, *à quibus hic indicat etiam ipſa Deorum capita fuiſſe ijſdem coronis coronata.*

169. & ipſum Curiæ nomen, &c.] *Proprie hic* Curia *accipitur locus, nempe (teſte Feſto) vbi publicas curas gerebant. De alijs eiuſdem ſignificationibus vide Apolog. cap. 39. num. 511. &* de clauo lato, *ſiue* lato clauo, *lib. de Idolol. cap. 18. num. 141. ac de* purpuris, *ibidem nu. 136. & 141.*

170. Illius es, conſcriptus.] Conſcripti *(teſte Feſto) dicebantur qui ex Equeſtri ordine Patribus adſcribebantur, vt numerus Senatorum expleretur: quod ipſum Liuius l. 2. ab Vrbe condita.*

171. in libris vitæ.] *Malim legere*, in libro vitæ, *quia ſcriptura vbique in ſingulari numero vtitur; ſed nolui adhuc immutare, quod conſentiant cum excuſis ms. 3. Vatic. cod. Idque eo magis, quod à Sixto Senenſi Bibliothecæ Sanctæ lib. 2. Quintuplex* Liber vitæ *explicetur ex varijs ſcripturis, (quo compendij ergo Lectorem remitto) & nominatim vnus, cuius ſit mentio Philipp. 4. ac Apoc. 2. & alterius Apocal 20. prior* Vitæ æternæ, *alter* Vitæ *vniuſcuiuſque vſque ad obitum.*

172. illic ſecuris ad caudices arboris.] Caudex *hic accipitur ab Auctore pro ſtirpe radicis, quemadmodum & à Plinio l. 16. Quædam (inquit) arbores ſimplices, quibus à radice* caudex *vnus, & oliuæ, ficus, viti. Noſter interpres & Matth. & Luc. 3. vertit ad verbum ex Græco paulo aliter:* ad radicem arborum.

173. Viderint & publici equi cum coronis ſuis.] *De his exſtat apud Plinium lex 12. Tabularum: Quam ſerui* equive *meruiſſent; pecunia partam lege dici, nemo dubitauit.*

174. nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.] *Confirmatur hinc eorum cod. ms. Latinorum lectio, qui addunt:* Domini; *nam & Græce additur κυρίου.*

175. ab ipſo incolatu Babylonis, &c.] *Alludit ad illud Apocal. 18.* Exite de illa *(nempe Babylone)* populus meus, *& cetera, quæ ſequuntur; vbi etiam* ſuggeſtum Babylonis *meretricis magnæ reprehendit, id eſt, ornatum eius. nam id ſignificari voce Tertull.* ſuggeſtus, *ſupra docuimus alicubi.*

176. ex Principalium proprietatum.] *Recte hic Rhenan. Ob natalem videlicet Principum, aut victorias, & cauſas ſimiles. Nam eadem phraſi dixit Apolog.* Reſcripta & Edicta Principalia. Municipales *item* ſolemnitates, *Feſtos dies cuiuſque* Municipii.

177. Noſter *(inquit)* Municipatus in cœlis.] *Tranſtulit* municipatus, *pro eo quod Græce eſt, πολίτευμα, & apud noſtrum interpretem:* conuerſatio.

178. Coronant & nuptiæ ſponſos.] *Huc pertinet quod* ſponſa *ad virum iterparans, ex verbena, quæ Veneri dicata eſt, & floribus herbiſque à ſe lectis,* corollam *texere ſoleat, eamque ſecum deferre: nam emptagestare ſerta vitio dabatur. Item quod Sponſus domi illam operiens, paratu magno ianuam coronare, multaque Lauro exornare ſoleat, quemadmodum auctor eſt Alexander ab Alexandro, Genial. dier. l. 2. c. 5.*

179. & ideo non nubimus ethnicis, &c.] *De hoc Argumento ſupra tractat auctor toto lib. 2. ad Vxorem, vbi latius.*

180. Habes legem à Patriarchis.] *Alludit ad præcepta* Patriarcharum *Abrahæ & Iſaac:* Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chanaam, *Gen. 24. & 28.*

181. Coronat & libertas ſecularis.] *Quum pleraque* Manumiſſionis *inſignia recenſeat Auctor Tom. ſequen. lib. de Reſurrectione carn. mirum eſt quod* coronam *non commemoret.*

182. Nunquid & Agoniſticæ cauſſæ, &c.] *Sentit (inquit Rhen. de certaminibus Gymnicis, quorum victores* coronabantur. *Eodem pertinet quod habet Plin. li. 16. ca. 4. de* coronis ex hedera. *Nouiſſime (inquit) & in ſacris certaminibus vſurpatæ, in quibus hodieque non victori datur ſed patriam ab eo* coronari *pronunciatur. Et peculiariter* Delphis Lauro *coronari ſolitos victores l. 10. c. vlt.* Pinea corona apud Iſthmum. *l. 15. c. 10.* Ex Apio in Nemæis certaminibus, *li. 19. c. 8. Ex* Oleaſtro *denique* Olympiæ, *l. 15. c. 4.*

183. quas ſtatim tituli ſui damnant.] *De his late Auctor & ex inſtituto ſupra l. de Spect. c. 6. n. 51. vbi vide Adn. noſtras, præſertim de Olympijs Ioui dicatis certaminibus, nu. 108. de* Nemæis *Herculi ſacris. n. 109.*

184. & miſſellus Archemorus.] Archemorus *(inquit Rhenan.) Lycurgi filius à ſerpente læſus adhuc infans perijt, ex incuria nutricis ſuæ Hypſipyles, quæ illum in gramminibus reliquerat, oſtenſura Græcis ſiti laborantibus Langiam fontem. In eius pueri memoriam annuus agon inſtitutus eſt. Et quia perijt adhuc infans,* miſſellum *vocat, non miſerum.*

185. & Antinous infœlix.] *Hunc (inquit idem) Hadrianus Cæſar in deliciis habuit, & tam tenere dilexit, vt ab illo ciuitatem Ægypti cognominarit, vbi &* agonem *illi quotannis celebrandum inſtituit. Quam rem in litteras pulchre retulit Egeſippus, ſic ſcribens, referente Hieronymo: Tumulos (inquit) mortuis templaque fecerunt, ſicut vſque hodie videmus. E quibus eſt &* Antinous *ſeruus Hadriani Cæſaris, cui & gymnicus agon exercetur apud* Antinoum *ciuitatem, quam ex eius nomine condidit, & ſtatuit prophetas in templo hæc ille. Notat ἀνθρωπον Tertull.* Alioqui ſi ſic homo Deum commentabitur, quomodo Romulus Conſum, & Tatius Cloacinam, & Hoſtilius Pauorem, & Metellus Alburnum, & quidem ante hoc tempus Antinoum, &c.

186. ſemel iam in ſacramenti teſtatione eieratæ.] *Sic omnino legimus, pro:* tentatione, *vt accipiatur pro:* conteſtatione, *quæ vox Auctori etiam de* Sacramento *baptiſmi non eſt inuſitata, quemadmodum latius infra Tom. ſequent. l. de Baptiſ. numero 1. Placet autem magis lectio excuſorum:* Hæ enim erant pompæ diaboli, &c. *quam 3. ms. cod. Vatic.* erunt. *nam agit de* eieratione *iam facta. Siquis autem (Rhenan. inquit) hic obiiciat. Tertullianus ante dixit:* Aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia ſub antiſtitis manu conteſtamur, nos renunciare diabolo, & pompæ & angelis eius: *Et hoc loco dicit:* Semel iam in ſacramenti teſtatione eierare, *Is ſcire debet,* Semel *hic accipi pro prorſus & omnino, ita vt ſemel feciſſe ſufficiat.*

187. etiam cœlum ſyderibus apud Homeri carmina coronatum.] *Huic loco (inquit idem) ſubſcribit Plinius (lib. nempe 16. cap. 4.) Antiquitus quidem (inquit) nulla niſi Deo dabatur. Ob id* Homerus cœlo *tantum eas & pralio vniuerſo tribuit.*

188. Ceterum à ſeculo coronantur & lupanaria, &c.] *Videtur intelligere coronas, quibus Lares publici vel priuati in ſingulis domibus coronabantur, atque adeo & in* lupanaribus, latrinis, & piſtrinis, & carcere, & ſpoliarijs, *hoc eſt ſpeluncis latronum, iuxta illud Plinii ſupra citatum libro 21. capite 3.* & Larium *priuatorum publicorumque.*

189. & Ludus.] Ludum *litterarium intelligit, de quo ſupra Auctor li. de Idolol. cap.* 10. Flore ſcholæ coronandæ.

190. & Amphitheatra.] *Inter* Amphitheatrorum adparatus *etiam* coronas *recenſet Auctor ſupra li. de Spectac. cap. 12. vbi quid* Amphitheatrum, *Adnotat. numero 126.*

191. ipſæque libitinæ.] *Recte Pithæus Aduerſ. li. 2. c. 15. de* ſepulcralibus coronis *interpretatur, de quibus etiam illud Plinii ſupracitatum l. 21. c. 3. ac ſepulcrorum & Manium.*

192. At enim Chriſtianus nec ianuam ſuam, &c.] *De hoc ſupra Apologet. cap. 35 num. 464. De* Diis *vero* Oſtiorum *li. de Idolol. c. 15. num. 113. 114 115. 116. 117. 118. Cuius loci conſideratione malui retinere:* Cardam, *ſeu* Cardeam, *cum editionibus excuſis, quam* Carnam *ſecundum 3 ms. cod. maxime quod à* cardinibus *ita dictum adſerat tum hic Tertull tum etiam B. Cypriani li. de Idol vanitate, vti etiam illic adnotauimus n. 30.*

Cap. XIV.

193. Tanto abeſt vt capiti ſuo manus inferat Idololatriæ, &c.] *Caput hoc inſcribimus:* Quod capiti nullo modo corona conueniat, niſi ad inſtar Chriſti ſpinea. *Illud autem:* Tanto abeſt, *phraſis eſt (vti etiam Rhenanus.) Auctori familiaris. Porro de* velamento capitis *virus interdicto, &* cui obnoxium eſt fœminæ caput, *latiſſime toto li. de Velandis virgin. Cuius quum hic etiam mentio non fiat, veriſimile non fit quod ſupra cenſui ca. 4. librum hunc illo priorem eſſe. Lego autem omnino cum Latinio:* Quid enim eſt capiti fœminæ, *pro:* capite. *Malim autem legere paulopoſt:* Propterea non ornabitur operoſius mulier, *pro eo quod eſt:* coronabitur, *eo quod ſequatur,* vt nec crinium artificio coronetur, *& quod Apoſtolus ornatum quidem eius, non coronam interdicat.*

194. ex Apoſtoli proſpectu.] *Hoc eſt (interprete Rhenan.)* proſpicientia *prouidentiaque, quippe qui* ornatum operoſiorem, *vt modo diximus, in fœminis prohibuerit 1. Tim. 2. Adnotata erat varia lectio à Latinio:* præſcripto *ſed illud magis Tertullianicum eſt. Eſt autem mira locutio paulopoſt, vbi nuncupatur* fœminæ facies Chriſtus, & viri caput.

195. centenariis quoque roſis.] *ms 3. & 1. editio:* centaureis. *Verum lego cum Rhenan.* centenariis, *eo quod* roſæ centifoliæ *meminerit Plin l. 21. cap. etiam vbi de coronis agit, quamquam neget Tiberii Principatu nondum* roſam centifoliam in coronis *additam. Atqui de* Midæ roſeto *vide ſupra T. li. de Pall. c. 2. nu. 43.*

196. fauos poſt fella guſtauit.] *De hoc Prouerbio vide noſtra Prolegomena. Atqui pro:* ſi forte, *cenſet legendum Latinius:* ſi potes.

Cap. XV.

197. Serua Deo rem ſuam inattaminatam, &c.] *Titulum poſtremo huic capiti damus:* Quod à Chriſto corona exſpectanda *Locus inſignis pro* corona, *ſeu* mercede bonorum operum, *ſeu* meritorum noſtrorum, *de quibus tamen latius ſupra li. ad Martyras, cap. 3 num. 43. & lib. de Patientia, cap. 11. num. 73. ac 75. & cap. 13. num. 82.*

198. Qui

198. Qui vicerit, dabo ei coronam vitæ. Esto & tu fidelis ad mortem.] *Sicuti alias sæpe, sic & hic memoria quantum adpareat lapsus, ex duobus scripturæ testimoniis vnum conficit. Nam Apoc. 2.* Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *& Apoc. 3.* Qui vicerit, sic vestietur, &c. *Item:* Qui vicerit, faciam illum columnam.

199. bonum agonem.] *Similiter B. Cypr. ex epist. 3. & l. 3. Testim. ad Quir. c. 16. qui vocem Græcam, ἀγῶνα, Latinam fecerunt, pro eo quod noster interpres:* certamen *vertit, 2. Timot. 4.*

200. Protosedent & Presbyteri, &c. *Mirabilis (inquit Rhenanus) verbi compositio ex peregrino & nostro, quamuis & nostrum à Græco ἔζω detortum sit. Adludit autem ad locum Apocalypseos 4.* Et super thronos viginti quatuor seniores, *&c. Atqui etiam hic seruata est ab Auctore vox Græca:* πρεσβύτεροι.

201. eodemque auro, &c.] *Et hic (inquit Rhenanus) locus est Apoc. 14. Propterea post toties citatam Apoc. inquit:* Si tales imagines in visione, quales veritates in repræsentatione. *Loquitur autem de visione Ioannis, qui scripsit Apocalypsin.*

202. Stophiolo aut dracontario.] *Tenuioribus (inquit idem ex Plinio l. 21. c. 2.) scilicet* coronis *vtebantur antiqui,* strophia *appellantes, vnde nata* strophiola. *Porro* Dracontarium *videtur eius seculi vocabulum fuisse, pro corolla. Ego vero puto* Dracontarium, coronam *intelligi confectam aut ex* dracontia *herba antidoto aduersus venena, cuius meminit Plin. l. 24. cap. 19. aut ex gemmis* draconitis, *de quibus idem l. 37. ca. 10. & Auctor supra l. de Hab. mulieb. c. 6. n. 52.*

203. Nam & Reges nos Deo, &c. fecit.] *vertit ad verbum ex Græco βασιλεῖς, pro eo quod noster interpres:* regnum.

204. bonus miles.] *Loquitur (inquit Rhenanus) de* Milite *isto, qui coronam in manu, non in capite gestauerat, ob eam rem in carcerem raptus.*

205. Erubescite Romani commilitones.] *Hinc patet Romæ hunc librum scriptum fuisse.*

206. sed ab aliquo Mithræ milite, &c.] *Huius (inquit Rhenanus,) Dei* Mithræ *meminit in Præscriptionibus, de diabolo nostræ religionis sacra (immo* sacramenta*) imitante loquens.* Tingit & ipse quoldam *(inquit)* vtique credentes & fideles suos. Expiationem delictorum de lauacro repromittit. Signat illic in frontibus milites suos. Celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam. *Quæ postrema verba: & sub gladio redimit coronam, hic exponuntur. Nam hanc ceremoniam hoc loco explicat, quam demiror à nemine fuisse commemoratam D. Hieronymus tantum obiter indicat, quum ad Lætam de Institutione filiæ scribens: Ante paucos (inquit) annos propinquus vester Gracchus nobilitatem patritiam Ionans nomine, quum præfecturam gereret vrbanam, nonne* specum Mithræ, *& omnia portentuosa simulacra, quibus Gorax, Niphus,* Miles, *Leo, Perses, Helios, Bromius pater, initiantur, subuertit, fregit, excussit? Vbi vides* Militis *fieri mentionem, cuius initiationem, in* specu Mithræ *hoc loco describit Tertullianus. Lactantius siue Lutatius Statij interpres vltimum carmen primi Thebaidos exponens:* Indignata sequi torquentem cornua *Mithram, scribit Apollinem à diuersis gentibus varijs appellari nominibus. Apud Achemenios enim Titan vocatur, apud Ægyptios Osiru, apud Persas, vbi in antro colitur,* Mithra *nominatur. Et si nullum simulacrum fingebatur reluctantis tauri cornua retentare, quo significatur Lunam ab eo lumen accipere, quum acceperit ab eius radijs segregari. Erat autem ipse Sol Leonis vultu cum tiara prisco habitu, vtrisque manibus, ceu diximus, bouis cornua comprimens. Siquidem Sol principale signum inculcat & frenat, Leonem scilicet, ideo quod hic Deus ceteros sui nominis & potentiæ impetu excellat, vt inter reliquas feras Leo: vel quod sit rapidum animal. Hæc ex illo Commentario propterea paulo prolixius retuli, vt melius intelligatur Tertulliani locus ille 1. lib. adu. Marc. quum inquit:* Sicut aridæ & ardentis naturæ Sacramenta Leones Mithræ philosophantur. *Meminit & Martianus Capella* Mithræ, *quum canit lib. 3. de nupt. Mer. & Philog.*

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirin,
Dissona sacra *Mithram.*---

Plura dicto lib. de Præscript. adu. hær. cap. 40. Tom. sequ. videat Lector, tum de Mithra, *tum de* diabolo diuina adfectante, *vti paulo post Auctor commemorat.*

207. in spelæo & castris vere tenebrarum.] *De hoc* spelæo *latius in hæc verba B. Iustinus Martyr aduersus Tryphonem: Porro quando illi qui* Mithræ initiationes *(sic enim verto, pro eo quod aliy: initia) tradunt, è petra eum natum esse memorant (de quo vide etiam testimonium B. Hieron. infra Tom. sequ. lib. de Præscript. adu. hæres. supradicto num 271.)* & spelæum nominant eum locum, vbi initiari ei credentes perhibent; *non ego hic, quod à Daniele dictum est, Lapidem absque manibus abscissum de monte ingenti, & quod ab Esaia est promulgatum, eos sequutos esse, atque hæc consimiliter instituisse sciamicuius Prophetiæ promulgationis etiam verba omnia imitari sunt conati. Nam & iuste rectèque agendi præcepta, vt apud illos dicuntur, arte quadam effecerunt. Verba Esaiæ sunt talia cap. 33.* Audite qui longe estis quæ fecerim, & cognoscite propinquantes fortitudinem meam. Desciuerunt in Syon iniqui. Corripiet tremor impios. Quis annuntiabit vobis locum sempiternum: Ambulans in iustitia *(hinc apud illos, de quibus supra, recte agendi præcepta)* loquens viam rectam, odio habens iniquitatem & iniustitiam, manus obtinens puras à muneribus, obturans aures, vt ne audiat iudicium sanguinis iniusti, connuens oculis vt ne videat iniustitiam. Hic habitabit in excelso specu petræ fortis. *(hinc Speæi imitatio.)* Panis dabitur ei *(ex quo desumpta apud illos* panis oblatio, *cuius mentio sit libro de Præscript. adu. hæret.)* & aqua eius fidelis *(quo pertinet, de qua ibidem, tinctio.)* Regem cum gloria videbitis *(quod ad resurrectionem pertinet)* & oculi vestri longe prospicient. Anima vestra meditabitur timorem Domini: *(hinc ibidem expiatio delictorum.)* Vbi est litteratus? vbi sunt Consiliarii? vbi est eos, dinumerans qui aluntur, paruum & magnum populum? Quo cum consilia non agitarunt, neque profunditatem vocum sciuerunt, ita vt non audirent, Populus vitiosus, & non est audienti scientia? *Quod ipsum rursum paucioribus his verbis non multo post repetit: Quod vero (inquit) Esaias de symboli arcanique specus vaticinio præloquutus sit, vobis recensui, sed eorum gratia, qui hodie vobiscum venere, locum eum repetam: insuper hoc addens, propter verba eius cemodi, eos qui* Mithræ mysteria *instituerunt in loco qui apud illos* spelæum *vocetur, suos* initiate, *sacraque sua arcana peragere, diaboli instinctu agitatos. Atqui* spelæum *istud primum Zoroastres in Persidis montibus dicasse fertur prope fontes, iuxta quod habet Porphyrius in Comment. antri Nympharum, ex 13. Odyss. Homeri.*

208. quasi nimium martyrii] *Hoc est (inquit idem Rhenanus) imitamentum* martyrii, *quod pro Christo tolerant Christiani. Quare & hanc lectionem retinendam duxi, pro eo quod in excusis subrepserat:* minimum, *maxime quum illud etiam legant 3. ms. cod. Vatic. Vnde nec placet lectio Gyraldi hist. Deorum syntag. 7. qui legit:* munus. *Maxime quod haud absimiliter B. Gregor. Nazian. Orat. 1. in Iulian. Imper. scribat: Ab illo fuisse comparata martyria Christianorum cruciatibus, quæ in* Mithræ *sacris celebrabantur. Super quo loco (vti citatur ibidem à Gyraldo) vetus commentator.* Mithra, *id est, Sol, cui celebritates fiunt, & imprimis à Chaldæis. Cui Deo qui vocant initiari, duodecim contumeliis afficiuntur, per verbera, calorem, frigus, & illa eiuscemodi. Qui proinde putat fuisse etiam ea sæua, quæ Commodus Imperator homicidio polluit.*

ARGVMENTVM LIBRI DE VELANDIS VIRGINIBVS

Per Iacobum Pamelium.

QVVM prætextu contrariæ consuetudinis, contra quam Apostolus præceperat, non modo nuptæ, & virgines hominum, seu seculares quæ ad nuptias virorum adspirant; sed & virgines Dei, quæ Christo nupserant, præsertim in Ecclesiis caput non velarent; quod antea Græce, nunc Latine quoque ostendit, virgines velari oportere.

I. Imprimis autem consuetudinem aduersus veritatem non præscribere, ex eo docet, quod, Regula fidei vna irreformabili manente, cetera disciplinæ & conuersationis admittant nouitatem correctionis.

II. Maxime quum Ecclesiarum, quas Apostoli seu Apostolici viri condiderunt, consuetudo opponatur, nobis autem & illis vna fides, vnus Deus, idem Christus, eadem spes, eadem lauacri Sacramenta, vna Ecclesia.

III. Proinde quum arbitrio cuiusque permissa res esset, vt quæque voluisset, aut velari, aut non tegi, sicut & nubere; temerariam audaciam reprehendit, qua virgines hominum ambibant aduersus virgines Dei, quod aliter (velatæ inquam) illæ incederent: immo sacrilegis manibus dicatum Deo habitum a virgine electu detraherent.

IV. Neque vero obstare quod opponitur, nullam mentionem virginum ab Apostolo factam, vbi de velamine præfinit, sed tantum mulieres nominatas; quia Spiritus sanctus vno nomine Mulieris etiam virginem intelligi voluit, vt pote quod generale sit vocabulum, vti & Fœmina.

V. Ad sexum enim pertinere, non ad gradum sexus, probat scriptura Geneseos; qua Eua mulier est cognominata, adhuc fœlix, adhuc virgo: post matrimonii vero connexum, mulier eius.

VI. Sic & Apostolum mulierem vocare Virginem Mariam, quam vtique virginem constat fuisse, licet Hebion resistat: & Angelum Gabrielem ad Virginem missum, cum benedicit illam, inter mulieres deputasse.

VII. Iam vero etiam ipsas rationes virginibus competere, per quas Apostolus docet velari fœminam oportere.

VIII. Eadem itaque ratione virginem in muliere intelligendam, qua puerum in viro; vtpote quum Adam adhuc integer ante nuptiarum congressum vir sit cognominatus in Genesi, & apud Apostolum vox: Omnis, tam de viro quam de muliere, æque virginem in viro atque in muliere comprehendat.

IX. Alia item disciplinæ Ecclesiasticæ præscripta de muliere in virginem

A ginem spectare, nam nec virgini, quantumuis carnem suam sanctificare proposuit, licere in Ecclesia docere, tinguere, offerre, aut sacerdotalis officii sibi sortem vendicare.

X. Non itaque magis de! ere virgines honorigeram notam virginitatis suæ (non velando se) præferre; quam tot viros virgines, tot spadones, qui nulla sibi defendunt continentiæ insignia, quæ tamen virginitate fœminarum est laboratior.

XI. Ad responsionem autem ex diuerso, quasi à natiuitate proinde virginem operiri oporteat respondet? Apostolum intelligi debere, ex quo se virgo intelligere cœperit, post contestatam maturitatem? interserens exempla tum Rebeccæ, quæ velata sponso suo occurrit, (nec minus post continentiæ votum virgini id faciendum) & ethnicorum, apud quos velatæ ad virum ducuntur.

XII. Proinde tegantur superiora, cuius inferiora nuda non sunt, nec eas imitentur, quæ sola capitis nuditate virginitatem nundinant.

XIII. Deinde si & apud ethnicos propter homines iam nupturæ caput velant, saltem in Ecclesia virginitatem abscondant, vt in occulto mercedem apud Deum mereantur, quæ tantam oblationem Deo offerunt ipsius corporis & spiritus sui, cum illam ipsam naturam conferant.

B XIV. Neque vero cogendas ceteras ad huiusmodi opus virginitatis; quia vbi coactio, illic necessitas; vbi necessitas, illic infirmitas; & proinde facile ruunt, & funem longum delictorum sibi adtrahentes, intecto tamen permanentes capite, ne prodantur, virgines sub Deo sementiuntur.

XV. Sed enim vera & pura virginitas, etiam fœminarum oculos timens, confugit ad velamẽ capitis tamquam clypeum, quo bonum suum protegat aduersus ictus tentationum, aduersus iacula scandalorum, aduersus fascinum etiam apud ethnicos metuendum.

B Scripturam itaque legem hanc de velamine condidisse, naturã contestari, disciplinam exigere maxime in virgine quæ Christo nupsit, illi tradidit carnem suam, illi sponsauit maturitatem suam; qui quum alienas sponsas & maritatas velari iubeat, vtique multo magis suas.

XVI. Postremo & eas, quæ in nuptias inciderunt admonet, vt ne quidem in momento horæ à disciplina velaminis exoleſcant, tum Apostoli verbis, tum Arabicarum fœminarum quæ faciem totam contegunt, & reuelationis cuiusdam exemplis: præsertim vero ne inter Psalmos aut in Oratione ipsa, vel quacunque Dei mentione, retectæ perseuerent.

XVII. Ceterum librum hunc germanum esse patet ex eius hoc Epiphonemate, Pax & gratia à Domino nostro Iesu redũdet, cum SEPTIMIO TERTVLLIANO, cuius hoc opusculum est. Deinde eundem imitatur B. Cyprian. lib. de Disciplina & habitu virginum, locis infra citatis. Habuerunt denique MS. Trithemius Catal. Script. & Politianus epist. 5. lib. 4. Æditus autem fuit primum à Rhenano ex Paterniacensi & Hirsaugiensi exemplaribus MS. cum Scholiis, deinde castigatus ex cod. Gorzensi, additis Adnotationibus; quibus accesit etiam recognitio Sigismundi Gelenii ex Britannico codice. Non tamen eiusmodi, quin plures adhuc loci recogniti fuerint à nobis ex 3. MS. Vatic. codicibus, & Adnotationibus quoque nostris locupletati. F

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE VIRGINIBVS VELANDIS LIBER.

Cap. I. ROPRIVM [2] iam negotium passus meæ opinionis, [3] Latine quoq; ostendam, virgines nostras velari oportere, ex quo tranſitũ ætatis suæ fecerint: Hoc exigere veritatẽ, cui nemo præscribere potest, non spatiũ temporũ, non patrocinia personarũ, non priuilegiũ regionũ. Ex his enim fere cõsuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in vsum per successionem corroboratur, & ita aduersus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non

C consuetudinem cognominauit. Si semper Christus, & *Ioan. 14.* prior omnibus: æque veritas sempiterna & antiqua res: Viderint ergo quibus nouum est quod sibi vetus est. 4 Hæreseis non tam nouitas quam veritas reuincit. Quodcunque aduersus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. Ceterum suo vitio quis quid ignorat. Quod autem ignoratur, fuit tam requirendum, quam recipiendum quod agnoscitur. 5 Regula quidem fidei vna omnino est, sola immobilis, & irreformabilis, credendi scilicet in vnicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & filium eius Iesum Christum, natum ex virgine Maria, crucifixũ sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum à mortuis, receptũ in cœlis, sedentem nunc ad dexteram Patris venturum iudicare viuos & mortuos, per carnis etiam resurrectionem. Hac lege fidei manente, cetera iam disciplinæ & conuersationis, admittunt nouitatem correctionis, o-

D perante scilicet & proficiente vsq; in finem gratia Dei. Quale est enim vt diabolo semper operante & adiicięte quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut cessauerit, aut proficere destiterit, [6] cum propterea Paracletũ miserit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur & ordinaretur & ad perfectum perduceretur disciplina, ab illo vicario Domini Spiritu sancto *Adhuc*, inquit, *Ioan. 16.* *multa habeo loqui vobis sed non dum potestis ea baiulare: Cũ venerit ille Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem*, 7 *& superuenientia renunciabit vobis.* 8 Sed & supra de hoc eius opere pronunciauit. Quæ est ergo Paracleti administratio nisi hæc, quod disciplina dirigitur, quod scripturæ reuelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur? Nihil sine ætate est, & omnia tẽpus expectant. Deniq; Ecclesiastes. 9 *Tempus*, inquit, *omni rei.* Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoueri: Granum est primo, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuscula enititur. Deinde rami & frõdes inualescunt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, & flos de germine soluitur, & de flore fructus aperitur. Is quoq; rudis aliquandiu & informis, paulatim ętatẽ suã dirigens, [10] eruditur in mansuetudinem saporis. Sic & iustitia (nam idem Deus iustitiæ & creaturæ) primo fuit in rudimentis, natura Deum metuens: dehinc per legem & Prophetas promouit in infantiam: dehinc per Euangelium efferbuit in iuuentutem: nunc per Paracletum componitur in maturitatem. Hic erit solus à Christo magister & dicendus & verendus. *Non enim ab se loquitur*, [11] sed quæ mandantur à *Ioan. 16.* Christo. [12] Hic solus anteceſſor, quia solus post Christum. Hunc qui receperunt, veritatem consuetudini *Cap. II.* anteponunt. Hunc qui audierunt vsque non olim prophetantem, virgines contegunt. [13] Sed nolo interim hunc morem veritati deputare. Consuetudo sit tantisper, vt consuetudini etiam consuetudinem opponam. Per Græciam & [14] quasdam Barbarias eius, plures Ecclesiæ virgines suas abscondunt. Est [15] & sub hoc cœlo institutum istud alicubi, ne qui gentilitati Græcanicæ aut Barbaricæ consuetudinem illam asscribat. Sed eas ego Ecclesias proposui, quas & ipsi Apostoli vel Apostolici viri condiderunt, & puto ante quosdam. Habent igitur & illæ eandem consuetudinis auctoritatem, tempora & anteceſſores opponunt magis quã posteræ istæ. Quid obseruabimus, quid diligemus? Non possumus respuere consuetudinem, quam damnare non possumus, vtpote nõ extraneã, quia nõ extraneorum, cum quibus scilicet communicamus [16] ius pacis, & nomen fraternitatis. Vna nobis & illis fides, vnus

Deus

Deus, idem Christus, eadem spes, eadem 17 lauacri sacramẽta. 18 Semel dixerim, vna Ecclesia sumus. Ita nostrum est, quodcunque nostrorum est. Ceterum diuidis corpus: tam hic, sicut in omnibus varie institutis & dubiis & incertis fieri solet, adhibenda fuit examinatio, 19 quæ magis ex duabus tam diuersis consuetudinibus disciplinę Dei conueniret. Et vtique ea deligenda, quæ virgines includit, soli Deo notas, quibus præter quod à Deo non ab hominibus captanda gloria est, etiam ipsum bonum suum erubescendum est. Virginem magis laudando quam vituperando confundas: quia delicti durior frons est, ab ipso & in ipso delicto impudentiam docta. Nam illam consuetudinem, quæ virgines negat dum ostendit, nemo probasset, nisi aliquæ tales quales virgines ipsæ. Tales enim oculi volent virginem visam, quales habet virgo quæ videri volet. Inuicem se eadem oculorum genera desiderant. Eiusdem libidinis est videri, & videre. Tam sancti viri est 29 sub fundi, si virginem viderit, quam sanctæ virginis, si à viro visa sit. [21 Sed nec inter consuetudines dispicere voluerunt illi sanctissimi antecessores. Tamen tolerabilius apud nos ad vsque proxime vtriq; consuetudini communicabatur. Arbitrio permissa res erat, vt quæque voluisset aut tegi aut prostitui, sicut & nubere: quod & ipsum neq; cogitur neq; prohibetur. Cõtenta erat veritas pasci cum consuetudine, vt tacite sub consuetudinis nomine frueretur se vel ex parte. Sed quoniam cœperat agnitio proficere, vt per licentiam vtriusque moris indicium melioris partis emergeret, statim ille aduersarius bonorum, multoque institutorum, opus suum fecit. Ambiunt virgines hominũ aduersus virgines Dei, nuda plane fronte temerarie audaciam excitatæ. Et virgines videntur quæ aliquid à viris petere possunt, nedum tale factum, vt scilicet æmulæ earum, tanto magis liberæ, quanto Christi solius ancillæ, dedantur illis. Scandalizamur, inquiunt, quia aliter aliæ incedunt: & malunt scandalizari, quã prouocari. 22 Scandalum, nisi fallor, non bonæ rei sed malæ exemplum est, ædificans ad delictum. Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem. Si bonum est modestia, verecundia fastidium gloriæ, soli Deo captans placere: agnoscant malum suum, quę de tali bono scandalizantur. Quid enim si & incontinentes dicant se à continentibus scandalizari, continentia reuocanda est? & ne multi nobis scãdalizentur, 23 monogamia recusanda est? Cur non magis hæ quærantur scandalo sibi esse petulantiam, impudentiam ostentatitiæ virginitatis? Propter eiusmodi igitur capita nundinatitia, trahantur virgines sanctæ in Ecclesiam, erubescentes quod cognoscantur in medio, pauentes quod detegantur accersitæ quasi ad stupri. Nõ minus enim & hoc pati nolunt. Omnis publicatio virginis bonę stupri passio est. Et tamẽ vim carnis pati minus est; quia de officio naturæ venit. Sed cũ spiritus ipse violatur in virgine, sublato velamine didicit amittere quod tuebatur. 24 O sacrilegæ manus, quæ dicatũ Deo habitũ detrahere potuerunt! Quid peius aliquis persecutor fecisset, si hoc à virgine electũ cognouisset? Denudasti puellã à capite, & tota iam virgo sibi non est: alia est facta. Exurge igitur veritas, & quasi de patientia erumpe, nullam volo consuetudinem defendas: nã iã & illa consuetudine, sub qua te fruebaris, expungitur. Te esse demõstra quæ virgines tegit. Ipsa scripturas tuas interpretare, quas consuetudo non nouit. Si enim nosset, nunquam esset. [25 Quatenus autem & de scripturis aduersus veritatem argumentari consuetudo est, statim opponitur nobis; nullam mentionem virginum ab Apostolo factã, vbi de velamine præfinit, sed tantum mulieres nominatas: cum si voluisset, & virgines tegi, de virginibus quoque cum mulieribus nominatis pronunciasset: 26 quomodo illic, inquit, vbi de nuptiis tractat, quid obseruandum sit etiam de virginibus, declarat: Itaque non contineri eas lege velandi capitis, vt non nominatas in hac lege: immo ex hoc nõ velari qua non iubentur, quæ nec nominantur. Sed & nos eandem argumẽtationem retorquemus. Qui enim sciebat alias vtriusque generis facere mentionem, virginis dico, & mulieris, id est, non virginis, ex causa distinctionis in his in quibus non nominat virginem, non faciens distinctionẽ, ostendit conditionis communionem. Ceterum potuit hic quoq; constituere differentiam inter viginem & mulierem, sicut alibi dicit. 27 *Diuisa est mulier & virgo*: igitur quas non diuisit, tacendo 28 inalterauit. Nec tamen quia illic diuisa est & mulier & virgo, hic quoque patrocinabitur illa diuisio, vt quidam volunt. Quanta enim alibi dicta, non valent, vbi dicta scilicet non sunt, nisi si eadem sit causa, quæ alibi, vt sufficiat semel dictum? Illa autem causa virginis & mulieris longe diuisa est ab hac specie. *Diuisa est*, inquit, *mulier & virgo*. quare? *quoniam innupta*, id est, virgo, *cogitat ea quæ sunt Domini, vt sit sancta, & corpore & spiritu. Nupta autem* id est, non virgo, *cogitat quomodo placeat viro*. Hæc erit interpretatio diuisionis illius, nullum habens locum in isto capitulo, in quo neque de nuptiis, neque de animo & cogitatu mulieris & virginis, pronunciatum, sed de capite velando. Cuius nullam volens esse discrepationem, Spiritus sanctus vno nomine mulieris, etiam virginem intelligi voluit, quã proprie non nominando à muliere non separauit, & non separando coniunxit ei à qua non separauit. Nouum est nunc ergo principali vocabulo vti, & cetera nihilominus in eo vocabulo intelligi, vbi nulla est necessitas singillatim distinguendæ vniuersitatis? Naturaliter compendium sermonis & gratum & necessarium est; quoniam sermo lacinios us, & onerosus & vanus est. Sic & generalibus vocabulis cõtenti sumus comprehendentibus in se specialium intellectum. Ergo iam de vocabulo ipso. Naturale vocabulũ est fœmina. 29 Naturalis vocabuli generale mulier. Generalis etiam speciale, virgo, vel nupta, vel vidua, vel quot etiã ætatis nomina accedunt Subiectum igitur est generali speciale, quia generale prius est: & 30 subiectiuum anteces siuo, & portionale vniuersali: in ipso intelligitur cui subiicitur, & in ipso significatur, quia in ipso continetur. Sic nec manus, nec pes, nec vllum membrorũ desiderat significari corpore nominato. Etsi mundum dixeris, illic erit & cœlũ, & quæ in eo, sol & luna, & sidera, & astra, & terra, & freta, & 31 omnis cẽsus elementorũ. Omnia dixeris, cũ id dixeris ꝙ ex omnibus constat. Sic & mulierẽ nominando, quicquid est mulieris, nominauit. [32 Sed quoniam ita mulieris nomen vsurpant, vt non putent competere illud nisi ei soli quæ virum passa sit; probari à nobis oportet proprietatem eius vocabuli, ad sexum ipsum, non ad gradum sexus pertinere, quo cõmuniter etiam virgines censeantur. Cum hoc genus secundi hominis à Deo factum est, in audiutorium hominis; fœmina illa, statim mulier est cognominata, adhuc fœlix, 33 adhuc digna paradiso, adhuc virgo. *Vocabitur*, inquit, *mulier*. Habes itaque nomen, non dico iam virgini commune, sed proprium. quod à principio virgo sortitia est. Sed ingeniose quidam de futuro volunt dictum. *Vocabitur mulier*, quasi quæ hoc futura esset, cum virginitatem resignasset: quoniam & adiecit, *Propterea relinquet homo patrem & matrem & 34 conglutinabitur mulieri suæ, & 35 erunt duo in carnem vnam*. Ostendant igitur primo, vbi sit subtilitas ista, si de futuro mulier cognominata est quod interea vocabulum acceperit. Non potest enim sine vocabulo præsentis qualitatis suæ fuisse. Ceterum quale est vt quę in futurum vocaretur nomine designato, in præsenti nihil cognominaretur? Omnibus animalibus Adam nomina imposuit, & nemini ex futura conditione, sed ex præsenti institutione, cui conditio quæcunque seruiret, hoc appellata, quod à primordio voluit; quid ergo tunc vocabatur? Atquin quotienscumque in scriptura nominatur, mulier appellatur, antequam nupta, & nunquam virgo cum virgo. Hoc nomen tum vnum illi fuit, & quando nihil 36 prophetico modo dictum est. Nam cum scriptura refert fuisse nudos duos, Adam & mulierem eius, nec hoc de futuro sapit, quasi mulierẽ dixerit eius in præsagio vxoris. Sed quoniam & innupta illius mulier, vt de substantia ipsius: *Hoc*, inquit, os

A B C D E F G H

Cap. III. Cap. IV. 1. Cor. 11. 1. Cor. 7. 1. Cor. 7. Cap. V. Gen. 2. Ibid. paulo prius. Ibid. in fine. Ibid. antea.

A

ex oſsibus meis, & 37 caro ex carne mea: vocabitur mulier. Hinc ergo tacita conſcientia naturæ, ipſa diuinitas animæ in vſum ſermonis eduxit neſcientibus hominibus (ſicut & alia multa, quæ ex ſcriptura fieri & dici ſolere alibi poterimus oſtendere) vti mulieres noſtras dicamus vxores, quanquam & improprie quædam loquamur. 38 Nam & Græci qui magis vocabulo mulieris in vxore vtũtur, 39 alia habent propria vocabula vxoris. Sed malo hunc vſum ad ſcripturæ teſtimonium deputare. Vbi enim duo in vnam carnem efficiuntur per matrimonij nexum, caro ex carne, & os ex oſſibus, vocatur ſecundum originem mulier eius, ex cuius ſubſtantia incipit cenſeri facta vxor. Ita mulier non natura nomen eſt vxoris, ſed vxor conditione nomen eſt mulieris. Denique mulier & non vxor dici poteſt, non mulier autem vxor dici non poteſt, quia neceſſe. Conſtituto igitur nomine nouæ fœminæ, quod eſt mulier, & explicito quod prius fuit, id eſt, nomine aſſignato, conuertit iam ad propheticam rationem, vti diceret, 40 *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem.* Adeo ſeparatum eſt nomen à prophetia, quantum & ab ipſa perſona, vt non vtique de ipſa Eua dixerit, ſed in illas fœminas futuras, quas in 41 matrice generis fœmininini norminarit. Alioqui non Adam relicturus erat patrem & matrẽ, quos non habebat, propter Euam. Ergo non ad Euam pertinet, quia nec ad Adam, quod prophetice dictũ eſt. De maritorum n. conditione prædictum, qui ob mulierem parentes ſuos erant relicturi, quod in Euam cadere non potuit, quia nec in Adam. Si ita res eſt, apparet non propter futurum, mulierem cognominatam, ad quam futurum non pertinebat. Eo accedit, quod ipſe rationem eius nominis ædidit. Cum enim dixiſſet, *Vocabitur mulier,* 42 *quoniam ex viro ſuo ſumpta eſt*, & ipſo adhuc virgine. 43 Sed dicemus & de viri nomine ſuo loco. Nemo itaq; nomen ad prophetiam interpretetur, quod ex alia ſignificatione deductum eſt: præſertim cum appareat, vbi de futuro nomen acceperit, illic ſcilicet, 44 vbi Eua cognominatur, perſonali iam vocabulo, quia naturale præceſſerat. Si enim Eua mater viuentium eſt, ecce ex futuro cognominatur, ecce vxor & non virgo prænunciatur, hoc erit vocabulum nupturę. Ex nupta enim mater. Ita hic quoque oſtenditur non de futuro mulierem tunc nominatam, quæ poſtmodum acceptura erat futuræ conditionis ſuæ nomen. Reſponſum ſatis eſt ad hanc partem. [45 Videamus nunc ſi & Apoſtolus formam vocabuli iſtius ſecundum Geneſim obſeruet, ſexui deputans illud, ſic mulierem vocans virginem Mariam, quemadmodum & Geneſis Euã. Scribens enim ad Galatas, *Miſit*, inquit, *Deus filium ſuum factum ex muliere.* Quam vtiq; virginem conſtat fuiſſe, 46 licet Hebion reſiſtat. Agnoſco & angelum Gabrielem ad virginem miſſum: ſed cum benedicit illam, inter mulieres, nõ inter virgines deputat? 47 *Benedicta tu inter mulieres*: ſciebat & angelus mulierem etiam virginẽ dici. Sed & ad hæc duo ingenioſe quidam reſpondiſſe ſibi viſus eſt, quoniam quidem deſponſata eſt Maria, idcirco & ab angelo & ab Apoſtolo mulierem pronunciatam. 48 Deſponſata enim, quodammodo nupta. Tamen inter quodammodo, & verum, ſatis intereſt dumtaxat hoc in loco. Nam alibi ita ſane habendũ eſt. Nunc vero nõ quaſi iam nuptam mulierem Mariam pronuntiauerunt, ſed quaſi nihilominus fœminam, etiãſi non ſponſam, quaſi hoc à primordio dictam. Illud enim præiudicet neceſſe eſt, à quo forma deſcendit. Ceterum quod pertineat ad hoc capitulum, ſi hic deſponſatæ adæquatur, vt ideo mulier dicta ſit Maria, non qua fœmina, ſed qua marita iam ergo Chriſtus non ex virgine natus eſt, quia ex deſponſata quæ virgo eſſe deſierit hoc nomine. Quod ſi ex virgine natus eſt, licet ex deſponſata tamen integra, agnoſce mulierem etiam virginem, etiam integram dici. Hic certe nihil prophetice dictum videri poteſt, vt futuram mulierem, id eſt, nuptam Apoſtolus nominarit, dicendo, factum ex muliere. Non enim poterat poſteriorẽ mulierẽ nominare, de qua Chriſtus naſci non habebat, id eſt, virum paſſam: ſed illa quæ erat præſens, quæ erat virgo, & mulier vocabatur poſt vocabuli huius proprietatem, ſecundum primordii formam, virgini, & ita vniuerſo mulierum generi defenſam. [49 Cõuertamus ad ipſas iã rationes recenſendas, per quas Apoſtolus docet velari fœminam oportere, an eædem ẽt virgininibus competant: vt ex hoc quoq; vocabuli cõmunio inter virgines & non virgines conſtet, dum eædem velaminis cauſæ in vtraque parte deprehendũtur. Si caput mulieris, vir eſt, vtique & virginis, de qua fit mulier, illa quæ nupſit: niſi ſi virgo tertiũ genus eſt mõſtruoſum aliquod ſui capitis. Si mulieri turpe eſt radi ſiue tonderi, vtique & virgini 50 Proinde viderit ſeculũ æmulum Dei, ſi ita virgini cæſum capillum decori mẽtitur, quemadmodum & puero permiſſum. Ergo cui ęque non conuenit radi ſiue tonderi, æque conuenit operiri. Si gloria viri eſt mulier, quanto magis virgo, quæ & gloria ſibi eſt? Si mulier ex viro & propter virum, coita illa Adæ virgo primum fuit. 51 Si mulier poteſtatem habere ſuper caput debet, vel eo iuſtius virgo, ad quam pertinet quod in cauſa eſt. Si enim 52 propter angelos, ſcilicet quos legimus à Deo & cœlo excidiſſe, ob concupiſcentiam fœminarum: quis præſumere poteſt tales angelos, maculata iam corpora, & humanæ libidinis reliquias deſideraſſe, vt non ad virgines potius exarſerint, 53 quarum flos etiam humanam libidinem excuſſat? Nam & ſcriptura ſic ſuggerit, *Et factum eſt*, inquit, *cum cœpiſſent homines plures fieri ſuper terram, & filiæ natæ ſunt eis. Conſpicati autem filij Dei, filias hominum, quod pulchræ eſſent, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerunt.* 54 Hic enim nomen mulierum Græcum, vxores ſapit, quia de nuptiis mentio eſt. Cum ergo filias hominum dicit, manifeſte virgines portendit, quæ adhuc apud parentes deputarentur: nam nuptæ maritorum nuncupantur: cum potuerit dixiſſe vxores hominum æque, non adulteros nominans angelos, ſed maritos, dum innuptas ſumunt filias hominum, quas natas ſupra dixit, ſic quoque virgines ſignificans. Supra natas, at hic angelis nuptas, aliud eas neſcio quam natas, & dehinc nuptas.

Debet ergo adumbrari facies tam periculoſa, quæ vſque ad cœlum ſcandala iaculata eſt, vt cum Deo aſſiſtens, cui rea eſt angelorum exterminatorum, 55 ceteris quoque angelis erubeſcat, & malam illam aliquando libertatem capitis ſui comprimat, iam nec hominum oculis offerendã Sed & ſi contaminatas iã fœminas angeli illi appetiſſent; tanto magis propter angelos virgines velari debuiſſent, quanto magis propter virgines angeli deliquiſſe potuiſſent. Si aũt & naturæ præiudiciũ adiicit Apoſtolus, quod honor ſit mulieris redundãtia capillorum, quia coma pro operimento eſt: vtique hoc maxime virginis inſigne eſt, quarũ & ornatus ipſe, proprie ſic eſt, 56 vt concumulata in verticem, ipſam capitis arcem ambitu ciniũ contegat. [57 Horũ certe omnium contraria efficiunt, ne vir caput velet: ſcilicet quia non ſit naturaliter conſecutus ambitionẽ capillorum, quia radi ſiue tonderi non ſit turpe illi, quia nõ propter illum angeli exorbitarint, quia gloria & imago Dei ſit, quia caput eius Chriſtus. Itaque cum de viro & muliere Apoſtolus tractet, cur illam oporteat velari, illũ vero non, apparet cur & virginis ſilentiũ fecerit: eadẽ ratione ſcilicet virginem in muliere intelligendã ſinens, 58 qua & puerũ vt in viro deputandũ non nominauit totũ ordinẽ vtriuſq; ſexus propriis vocabulis cõplexus, mulieris & viri. Sic Adã ẽt adhuc integer, vir in Geneſi eſt cognominatus: *Vocabitur*, inquit, *mulier, quia de viro ſuo ſumpta eſt.* 59 Sic vir Adã ante nuptiarũ congreſſum, quẽadmodũ & Eua mulier. De vtraq; parte ſatis ad vniuerſam ſpeciẽ cuiuſq; ſexus Apoſtolus pronũciauit, & breuiter & plene, tã inſtructa definitione, *Omnis*, inquit, *mulier.* Quid eſt omnis? niſi omnis generis, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis. Siquidem omne totum eſt, & integrum & nulla ſui parte defectum. Pars autem mulieris & virgo eſt. Æq; & de viro non velando, *Omnis*, inquit. Ecce duo diuerſa nomina, Vir & Mulier, Omnis vterque. Duæ leges ob-

noxiæ

Vbi ſupra. B

Gen. 3.

C

Cap. VI.

Gal. 4.

Luc. 1.

D

Gal. 4.

E

Cap. VII.

1. Cor. 11.

Ibid.

Gen. 2.

1. Cor. 11.

F

Gen. 6.

G

1. Cor. 11. Cap. VIII.

H

Gen. 2.

1. Cor. 11.

Ibid.

noxiæ inuicem, hinc velandi, inde nudandi. Igitur si eo quod dictum sit *omnis vir*, commnne est nomen viri etiam nondum viri, [60] masculi inuestis: commune autem cum sit nomen secundum naturam, communis est & lex non velandi eius, [61] qui inter viros virgo est secũdum disciplinam: cur non præiudicatum sit proinde & mulierem virginem omnem muliere nominata contineri consortio nominis, vt contineatur & cõmunione legis. Si virgo mulier non est nec vir inuestis est. Si non operitur virgo, quia mulier non sit, operiatur inuestis, quia vir non sit. Eiusdem virginitatis æqua sit venia. Sicut virgines non coguntur velari, ita pueri non iubeantur reuelari. Cur ex parte definitionem Apostoli agnoscimus absolutam, circa omnem virum, [62] nec detractamus, quare non & puerum nominarit: ex parte autem præuaricamur, æque absoluta ea circa omnem mulierem? *Si quis*, inquit, *contentiosus est, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Ostendit contentionem aliquam de ista specie fuisse, ad quam extinguendam toto compendio vsus est: neq; virginem nominans, vt ostenderet dubitandum de velanda non esse, & omnem nominans mulierem, cum nominasset virginem. Sic & ipsi Corinthii intellexerunt. [63] Hodie deniq; virgines suas Corinthii velant. Quid docuerint Apostoli, qui didicerunt, approbant. [[64] Videamus nunc, an sicut naturæ & causæ argumenta virgini quoque competere monstrauimus, ita etiam disciplinæ Ecclesiasticæ præscripta de muliere in virginem spectent. [65] Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, [66] nec tinguere, [67] nec offerre, [68] nec vllius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vendicare. Quæramus an aliquid horum virgini liceat. Si virgini non licet, sed in omnibus eadem conditione subiicitur, & necessitas humilitatis cum muliere censetur, vnde illi vnum hoc licebit quod omni fœminæ non licet? Quid prærogatiuę meretur aduersus cõditionem suam, si qua virgo est, & carnem suam sanctificare proposuit? [69] Idcirco velaminis venia fit illi, vt in Ecclesiam notabilis & insignis introeat, vt honorem sanctitatis in libertate capitis ostendat? Potuit dignius honorari aliqua prærogatiua virilis aut gradus, aut officii. plane scio alicubi virginem [70] in viduatu ab annis nondum viginti collocatam. [71] Cui si quid refrigerii debuerat [72] episcopus, aliter vtiq; saluo respectu disciplinæ præstare potuisset, ne tale nunc miraculũ, ne dixerim monstrum, in Ecclesia denotaretur: virgo vidua hoc quidẽ portentuosior, quod nec qua vidua caput texit, vtrunque se negans, & virginem quæ vidua deputetur, & viduam quæ virgo dicatur. Sed ea auctoritate illic sedet intecta, qua & virgo. [73] Ad quam sedem præter annos sexaginta non tantum vniuitæ, id est, nuptæ aliquãdo eliguntur, sed & matres & quidem educatrices filiorum: scilicet, vt experimentis omnium affectuum structæ, facile norint ceteras & consilio & solatio iuuare, & vt nihilominus ea decucurrerint, per quæ fœmina probari potest: adeo nihil virgini ad honorem de loco permissum est. [[74] Sic nec de aliquibus insignibus. Ceterũ satis inhumanũ, si fœminę quidem per omnia viris subditæ, honorigerã notam virginitatis suæ præferant, qua suspiciantur & circumspiciantur & magnificẽtur à fratribus, [75] viri autem tot virgines, tot spadones voluntarii [76] cæco bono suo incedant, nihil gestantes, quod & ipsos faceret illustres. Debebunt etiã & ipsi [77] aliqua sibi insignia defendere, [78] aut pennas Garamantũ, [79] aut crobylos Barbarorum, aut [80] cicadas Athenienſiũ, aut [81] cirros Germanorum, [82] aut stigmata Britonum: At ex diuerso fiat, capite velati in Ecclesia lateant. Certi sumus Spiritũ sanctũ magis masculis tale aliquid subscribere potuisse, si fœminis subscripsisset: cũ præter sexus auctoritatem, etiam ipsius continentiæ nomine masculos potius honorari oportuisset. Quorum quando sexus auidior & calidior in fœminas, tanto continentia maioris ardoris laboratior, ideoque dignior omni ostentatione: si ostentatio, virginitatis est dignitas. [83] Non enim & continentia virginitati antistat, siue viduorum, [84] siue qui ex consensu contumeliam communem iam recusauerunt? Nam virginitas gratia constat, continentia vero virtute. Non concupiscendi-, cui concupiscendo inoleueris, grande certamen est. Cuius autem concupiscendi ignoraueris fructum, facile non concupisces, aduersarium non habens, concupiscentiam fructus. Quomodo ergo non magis viris aliquid tale Deus in honorem subscripsisset, vel quia familiariori, scilicet imagini suæ vel quia plus laboranti? Si autem nihil masculo, multo magis fœminæ. [[85] Sed ꝙ supra intermisimus, ex parte subsequutæ disputationis, ne cohærentiam eius dispergeremus, nunc responso expungemus. [86] Vbi enim gradum fiximus de Apostoli absoluta definitione, omnem mulierem etiam omnis ætatis intelligendam: respõderi ex diuerso habebat, ergo à natiuitate & à primo nomine ætatis virginem operiri oportere. Non ita est: sed ex quo se intelligere cœperit, & censum naturæ suæ intrare, & de [87] virginis exire, & pati nouũ illud quod alterius ætatis est. Nam & principes generis Adam & Eua quam diu intellectu carebant, nudi agebant, At vbi [88] de arbore agnitionis gustauerunt, nihil primum senserunt, quam erubescendum. Itaq; sui quique sexus intellectum tegmine notauerũt. Sed & si propter angelos velanda est, sine dubio ab ea ætate lex velaminis operabitur, à qua potuerunt filiæ hominum concupiscentiã sui adducere, & nuptias pati. Ex illo enim virgo desinit, ex quo potest non esse. Et [89] ideo penes Israel illicitum est ad virũ tradere, nisi post contestatã sanguine maturitatem: ita ante hũc indicem [90] acerba res est. Igitur si tam diu virgo, quã diu acerba est, desinit virginem cum matura cognoscitur, & vt virgo iam legi applicatur, sicut & nuptiis. Et [19] desponsatæ quidẽ habẽt exemplum Rebeccæ, quæ cum ad sponsum ignotũ adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cognouit esse, quẽ de longinquo perspexerat, non sustinuit dexteræ colluctationem, nec oculi congressionem, nec salutationis communicationẽ, sed confessa quod senserat, id est, spiritu nuptam, negauit virginem velata ibidem. O mulierem iam de Christi disciplina! [92] Ostendit enim etiam nuptias de aspectu & animo fieri, quemadmodum stuprum: nisi quod etiam Rebeccam quidam adhuc velant: de ceteris vero, id est, quæ desponsatæ non sunt, viderit parentum procrastinatio ex [93] angustiis vel scrupulositate descendens, [94] viderit & ipsum continentiæ votum. Nihil pertinet ad ætatem sua spatia currentem, suaque debita maturitati luentem. Alia in occulto mater, natura: & alius in latenti pater, tempus, filiam suam legibus suis maritarunt. Aspice nuptam iam illam tuam virginem, & animam expectatione, & carnem transfiguratione, [95] cui tu secundum paras maritum. [96] Iam & vox obsolefacta est, & membra completa sunt, & pudor vbique vestitur, & [97] menses tributa defendunt: ac tu mulierem negas quam muliebria pati dicis. Si congressio virl mulierem facit, non tegantur, nisi post ipsam nuptiarum passionem. [98] Atquin etiam apud ethnicos velatæ ad virum ducuntur. Si autem ad desponsationem velantur, quia & corpore & spiritu masculo mixtæ sunt per oscuium & dexteras, per quæ primum resignarunt pudorem spiritu, per commune conscientiæ pignus, quo totam condixerunt confusionem, quanto magis tempus illas velabit, sine [99] quo sponsari non possunt, & quo vrgente sine sponsalibus virgines desinunt esse? Tempus etiam ethnici obseruant, vt ex lege naturæ iura sua ætatibus reddant. [100] Nam fœminas quidem à duodecim annis, masculum vero, à duobus amplius ad negotia mittunt, pubertatem in annis, non sponsalib. aut nuptiis decernẽtes. Mater familię vocatur, licet virgo, & paterfamiliæ, licet inuestis. A nobis nec naturalia obseruantur, quasi alius sit Deus naturæ quam noster. [[101] Agnosce & mulierẽ, agnosce & nuptã de testimoniis & corporis & spiritus, quæ patitur & in conscientia & in carne. Hę sunt tabellæ [102] priores naturaliũ sponsalium & nuptiarum. Impone velamen extrinsecus habenti

benti tegumen intrinsecus. Tegantur etiam superiora, cuius inferiora nuda nō sunt. Vis scire, quæ sit ætatis auctoritas? Propone vtramque, immature compressam in habitu mulieris, & quę maturitate progressa in virginitate duret cum suo habitu, facilius illa mulier negabitur, quam ista virgo credetur. Tāta est adeo fides ætatis, vt nec habitu obstrui possit. Quid quod etiā hæ nostræ etiam habitu mutationem ætatis confitentur, simulq; se mulieres intellexerunt, de 103 virginibus educantur, à capite quidem ipso deponentes quod fuerunt: vertūt capillum, in acu lasciuiore comam sibi inferunt, crinibus à fronte diuisis apertam professæ 104 mulieritatem. Iam & consilium formæ à speculo petūt, & faciem morosiorem lauacro macerant, forsitan & aliquo eam medicamine interpolant, 105 pallium extrinsecus iactant, 106 calceum stipant multiformem, plus instrumenti ad balneas deferunt. Quid singula persequar? Solennem manifestæ paraturæ totam circumferunt mulieritatem. Sed 107 virginari volunt sola capitis nuditate, vno habitu negantes quod toto suggestu profitentur. [1 0 Si propter homines habitu abutuntur, impleant illum etiam in hoc, vt & apud ethnicos caput velent. Certe in Ecclesia virginitatem suam abscondāt, quam extra Ecclesiam cælant. Timent extraneos, reuereantur & fratres: aut constanter audeant & in vicis virgines videri, sicut audent in Ecclesiis. Laudabo vigorem, si aliquid & apud ethnicos virginitatis nundinarint. Eadem natura foris quæ & intus, eadem institutio apud homines & apud Dominum eadem libertate constat. 109 Quo ergo foris quidem bonum suum abstrudunt, in Ecclesia vero prouulgant? Exposco rationem. Vtrumne vt fratrib. suis placeant, an vt ipsi Deo? Si vt ipsi Deo: tam idoneus est ad conspicienda quæque in occulto fiunt, quam iustus ad remuneranda quę soli sibi fiunt. Denique præcipit, nihil 110 debuccinemus eorum 111 quæ apud illum mercedem merebuntur, nec ea ab hominib. compensemus. 112 Quod si vnius Victoriati, vel quamcunq; eleemosynæ operationem, sinistra conscienta facere prohibemur, quātum tenebrarum circumfundere debemus, cum tantam oblationem Deo offerimus, ipsius corporis & ipsius spiritus nostri, cum illam ipsam naturā consecramus. Ergo quod non potest videri propter Deum fieri, quia sic fieri Deus non vult, sequitur vt hominum gratia fiat: vtiq; primo illicitum, vt gloriæ libidinosum. Gloria enim illicitum est eis, quorum probatio in omni humiliatione constat. Et 113 si à Deo confertur continentiæ virtus; *Quid gloriaris quasi non acceperis?* Si vero nō accepisti, quid habes quod datum tibi non est? Hoc ipso aut constat à Deo datam tibi non esse, quod illam nō soli Deo præstas. Videamus ergo quod humanum est, an firmum sit & verum. [114 Referunt aliquando dictū à quodam, cum primum quęstio ista tentata est, & quomodo ceteras sollicitabimus ad huiusmodi opus: Scilicet fœlices nos facient, si plures erunt, & non Dei gratia vel merita cuiusque, Virgines Ecclesiam, an Ecclesia virgines ornat Deo, siue commendat? Confessus est igitur gloriam esse in causa. Porro vbi gloria, illic sollicitatio, vbi sollicitatio, illic coactio, vbi coactio, illic necessitas, vbi necessitas, illic infirmitas. Merito itaque dum caput non tegunt vt sollicitentur gloriæ causa, ventres tegere coguntur infirmitatis ruina. Æmulatio enim illas, non religio producit: aliquando & ipse Deus venter earum, quia facile virgines fraternitas suscipit. Nec tantum autem ruunt, sed & 115 funem longum delictorum sibi adtrahunt. Prolatæ enim in medium, & publicato bono suo elatæ, & fratribus omni honore & charitatis operatione cumulatæ, dum non latent vbi quid admissum est, tantum de decoris cogitant quantum honoris habuerunt. Si intectum caput virginitati ascribitur, si qua virgo exciderit de gratia virginitatis, ne prodatur, intecto permanet capite: & tunc iam alieno ambulat habitu, id est, quem sibi vendicat virginitas: permanet nihilominus in habitu, vel tunc saltem alieno, ne scilicet mutatione prodatur. Consciæ muliebritatis, iam indubitate audent nudo capite ad Deum adire. Sed æmulator Deus & Dominus, qui dixit, *Nihil* 116 *occultū quod non reuelabitur*, plerasq; etiam in conspectum deducit. Non enim confitebuntur, nisi ipsorum infantium suorum vagitibus proditæ. Quantum autem plures, nō etiam de pluribus sceleribus suspectas habebis? Dicam licet nolim difficile mulier semel fit, quæ timet fieri: quæque iam facta potest virginē mentiri sub Deo, quāta item circa vterum suum audebit, ne etiam mater detegatur? Scit Deus quot iā infantes & perfici & perduci ad partum integros duxerit, debellatos aliquādiu à matribus: Facillime semper concipiunt, & fœliciſſime pariunt huiusmodi virgines, & quidem simillimos patribus. Hæc admittit flagitia coacta & inuita virginitas. Ipsa concupiscentia non latendi non est pudica: patitur aliquid quod virginis non sit, studium placendi vtique & viris. Quantum velis bona mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis & multis, dum digitis demonstrātium titillatur, dum nimium amatur, dum inter 117 amplexus & oscula assidua concalescit. Sic frons duratur, sic pudor teritur, sic soluitur, sic discitur aliter iam placere desiderare [118 Sed enim vera & tota & pura virginitas, nihil magis timet quam semetipsam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet: confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat aduersus ictus tētationum, aduersus iacula scandalorum, aduersus suspiciones, & susurros, & æmulationum, 119 ipsum quoque liuorem. 120 Nam est aliquid etiam apud ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infœliciorem laudis & gloriæ enormioris euentum. Hoc nos interdum diabolo interpretamur, ipsius est enim, boni odium. Interdum Deo deputamus. illius est enim, superbiæ iudicium, extollētis humiles, & deprimentis elatos. Timebit itaque virgo sanctior, vel in nomine fascini: hinc aduersarium, inde Deum; illius liuidum ingenium, huius censorium lumen: & gaudebit, sibi soli & Deo nota. Sed & si cui innotuerit, sapit si 121 tentationibus gradum obtraxerit. Quis n. audebit oculis suis premere faciem clausam, faciem nō sentientem? faciem (vt dixerim) tristem? Quicunq; malus cogitatus ipsa seueritate frangetur. Iam se etiā mulierem negat, quæ virginem cælat. [122 In his consistit defensio nostrę opinionis secundum scripturam, secundū naturam, 123 secundum disciplinam. Scriptura legem condit? natura contestatur, disciplina exigit. Cui ex his consuetudo opinionis prodest, vel qui diuersæ sententiæ color est? Dei est scriptura, Dei est natura, Dei est disciplina. quicquid contrarium est istis, Dei non est. Si scriptura incerta est, natura manifesta est. Et de eius testimonio scriptura incerta non potest esse. Si de natura dubitatur, disciplina quid 124 magis Deo ratum sit ostendit. Nihil est illi carius humilitate, nihil acceptius modestia, nihil perosius gloria, & studio hominib. placendi. Illud itaque sit tibi & scriptura, & natura, & disciplina, quod ratum Deo inueneris, sicut iuberis omnia examinare, & meliora quæq; sectari. Superest etiam vt ad ipsas conuertamur, quo libentius ista suscipiant. Oro te siue mater soror, siue filia, virgo, 125 secundum annorum nomina dixerim, vela caput: si mater, propter filios: si soror, propter fratres: si filia, propter patres: omnes in te ætates periclitantur, indue armaturā pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Ad imple habitu mulieris. Vt statum virginis serues, mentire aliquid ex his quæ intus sūt, vt soli Deo exhibeas veritatem, quanquam non mentiris nuptam. 126 Nupsisti enim Christo: illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam. Incede secundum sponsi tui voluntatem. Christus est, qui & alienas spōsas & maritatas velari inbet, vtique multo magis suas. [127 Sed & vos admonemus alterius pudicitiæ mulieres, quæ in nuptias incidistis, ne sicā disciplina velaminis exolescatis, ne quidē in momēto horę, vt quia reiicere illā nō potestis, alio modo destruatis, neq; tectæ, neq; nudæ incedentes. 128 Mitris n. & lanis quædā non velant caput, sed conli-

gant,

A B Cap. XIII. C Matth. 6. Sap. 8. 1. Cor. 4. Cap. XIV. D E Matrona. Cap. XV. F G Cap. XVI. H Ca. XVII.

gant, à fronte quidem protectæ: qua proprie aũt caput est, nudę. Alię modice linteolis, credo ne caput premãt, nec ad aures vsq; demissis cerebrotenus operiũtur. Miserear si tam infirmo auditu sunt, vt per tegmen audire non possint. Sciant quia totũ caput mulier est. Limites & fines eius eousq; porrigũtur, vnde incipit vestis. Quãtum resoluti crines occupare possũt, tãta est velaminis regio, vt ceruices quoq; ambiãtur. Ipsæ n. sunt quas subiectas esse oportet; propter quas potestas supra caput haberi debet, velamen iugum illarum est. Iudicabũt vos 129 Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoq; ita totam tegunt, vt vno oculo liberato, contentę sint dimidiam frui lucem quam 130 totam faciem prostituere. Mauult fœmina videre quã videri. 131 Quas propterea infœliciſſimas ait Romana quædam regina, quod adamare magis quam adamari possint, cum sint vel ex alterius infœlicitatis, & quidem frequentioris, immunitate fœlices, quia facilius adamari quam adamare fœminæ possint. Et ethnicæ quidem disciplinæ 132 meracior, & (vt ita dixerim) barbarior modestia. Nobis Dominus etiam reuelationib. 133 velaminis spatia metatus est. Nam cuidã sorori nostræ angelus in somnis ceruices, quasi applauderet, verberans, Elegãtes, inquit, ceruices, & merito nudæ. bonum est vsq; ad lũbos à capite veleris, ne & tibi ista ceruicum libertas non prosit. Et vtique quod vni dixeris, omnib. dixeris. Quãtam autem castigationẽ merebuntur etiam illæ, 134 quę inter Psalmos, vel in 135 quacunque Dei mentione retectæ perseuerãt? Meritone etiam 136 in Oratione ipsa facillime 137 fimbriam, aut villum, aut quodlibet filum cerebro superponunt, & tectas se opinantur? Tanti caput suum metiuntur. 138 Aliæ quib. plane maior est palma omni fimbria & filo, non minus capite suo abutuntur, vt 139 bestia quædam magis quam auis, licet pennata, breui capite, protracta, ceruice, cetera altegradia. Hanc aiunt, cum delitescendum habet, caput solum plane totum in condensum abstrudere, reliquam se in aperto relinquere. Ita dũ in capite secura est, nuda qua maior est, capitur tota cum capite. Tales erunt & istæ minus quam vtile est tectæ. Oportet ergo omni tempore & omni loco memores legis incedere, paratas & instructas ad omnem Dei mentionem: qui si fuerit in pectore, cognoscetur & in capite fœminarum. Hæc cum bona pace legentibus, vtilitatem consuetudini præponentibus, pax & gratia à Domino nostro Iesu redunder, cum 140 Septimio Tertulliano, cuius hoc opusculũ est.

AD NOTATIONES
IACOBI PAMELII IN LIBRVM de velandis virginibus.

DE VIRGINIBVS VELANDIS.] *Si vsquam alibi, certe hic adfirmare possum, quod quum multa alia Rhenanus probe tractauerit Tertulliani loca, in nonnullis visus est parum fauente, ne dicam inuita, Delia venari. Quippe qui sub finem Argumenti, Auctorem omnino aliter interpretetur quam ipse scripserit, in hæc verba: Porro (inquit) obseruandum, eas* virgines *quæ* velatæ *in Ecclesiam* ventitabant, virgines Dei *hic dici, illas vero quæ foris quidem, hoc est, in vicis, propter ethnicos velabantur, ceterum in ipso cœtu Christianorum siue Ecclesia nudato stabant capite*, virgines hominum *appellari, iuxta illud Geneseos*, filii Dei, & filiæ hominum. *Neque enim* virgines hominum *quas vocat Auctor in Ecclesiis dumtaxat, sed & in vicis & vbique retecto capite incedebant, donec iam desponsatæ & nuptiis essent proximæ. Atque hinc dicuntur cap.* 3. non regi, sed prostitui, *&c.*: nuda plane fronte temeratie audaciam excitatæ, *tamquam* quæ aliquid à viris peterent, ambire aduersus virgines Dei, eo quod aliter incederẽt, *nempe velatæ. Deinde easdem increpat, quod*, quum reliquo habitu mulieritatem profiterentur, sola capitis nuditate virginari, *id est: pro virginibus haberi* vellent. *At econtrario* virgines Dei *increpat, quod quum foris* velari *soleant, in Ecclesia ostentationis gratia caput nudent. Sic capite* 9. vt in Ecclesiam notabilis & insignis introeat, vt honorem sanctitatis in libertate capitis ostendat. *& capite* 13. Certe *(inquit)* in Ecclesia virginitatem suam abscondant, quam extra Ecclesiam cælant. Timent extraneos, reuereantur & fratres. Aut constanter audeant & in vicis virgines videri, sicut audent in Ecclesiis. *Verum de hoc hactenus.*

Alius est error Rhenani manifestior, qui ex ipso contextu Auctoris conuincitur, quod dubitet, an virgines Dei, *de quibus supra, consecratæ fuerint, aut professionem fecerint, addens nullam prorsus eius rei hic mentionem fieri. Cuius tamen contrarium mecum iudicabit æquus Lector, qui sequentes Tertulliani phrases penitus inspexerit. Primum capite* 3. *dicuntur* tanto magis liberæ, quanto Christi solius ancillæ. *Item* virgines sanctæ. *Quod vt queat alio retorqueri, certe illud non potest:* O sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum *(en consecrationem etiam ipsius Velaminis virginum Dei, de quo tamen etiam Rhenan. negat hic agi)* detrahere potuerunt. Quid peius aliquis persecutor fecisset, si hoc à virgine electum *(en voluntariam electionem)* cognouisset? *Cui similiter c.* 9. Si qua *(inquit)* virgo est, & carnem suam sanctificare proposuit. *Iam vero ad professionem numquid illud pertinet cap.* 11. Viderit & ipsum continentiæ votum? *Apertius est illud cap.* 13. Cum tamen oblationem Deo offerimus, ipsius corporis & ipsius spiritus nostri, cum illam ipsam naturam consecramus. *Denique & illud cap.* 16. Nupsisti enim Christo; illi tradidisti carnẽ tuam, illi sponsasti maturitatem tuam. *Bene quidem habet, quod melius Erasmo sentiens, ibidem subiungit. Posterior ætas, nempe D. Ambrosii, sacratas virgines habuit, & velatas ab Episcopo. Hinc illud apud eum Auctorem lib* 3. *de Virginibus: Discite quantas Alexandrina, totiusque Orientis & Africana Ecclesia quotannis* sacrare *consueuerint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic* virgines consecrantur. *Item mox aiunt etiam plerique maturioris ætatis* virgines esse velandas. *Neque eo abnuo, Sacerdotalis esse cautionis debere, vt non temere puella veletur. Et infra: nec mirere in adolescentulis professionem. At etiam media illa ætate, immo & ab Apostolorum temporibus, continentia in viris supra ostendimus lib. de Cultu fœmin. capite* 9. *num.* 51. *& in fœminis, Virginitatis voti antiquitatem, Adnotat. nostris in dictum li. B. Cyp. de Hab. virg. num.* 18. *& in epist.* 62. *ad Pompon. de Virgin. nu.* 9. *Loci autem ibi ex Tertulliano præterea citati sunt isti. Alter lib.* 1. *ad Vxorem*: Quæ *(inquit)* nulla formæ vel ætatis occasione præsse mariti sanctitatem anteponunt. Malunt enim Deo nubere; Deo speciosæ, Deo sunt puellæ; cum illo viuunt, cum illo sermocinantur, illum diebus ac noctibus tractant; orationes suas velut dotes illi adsignant; ab eodem dignationem velut munera maritalia, quotiescunque desiderant, consequuntur. *Et quod ad professionem proprie pertinet (nam de vidua eandem rationem esse ibidem diximus:)* Nihil *(inquit)* viduitati apud Deum subsignatæ necessarium est quam perseuerare. *Alter vero sub finem libri Exhortat. ad castit.* Quantæ igitur *(inquit)* & quæ in Ecclesiis ordinari in Ecclesia solent, quæ Deo nubere maluerunt, quæ carnis suæ honorem instituerunt, quæque se iam illius pudoris filias dedicauerunt. *Eodem pertinet & illud libro de Resurrect. carn. Tom. sequ.* Virginitas quoque & viduitas Deo adolentur: *& quod apertius est lib. de Monogamia, vbi tractans locum Apostoli* 1. *Timot.* 4. Habentes *(inquit)* iudicium quod primam fidem rescinderunt, illam videlicet, a qua in viduitate inuentæ & professæ eam, non perseuerant. *De recentioribus taceo, quandoquidem Rhenanus circa Ambrosii ætatem, Virginum velatarum professionem agnouit. Addam dumtaxat eos auctores veteres, apud quos, quum de Virginitate ex professo scripserint, non dubium quin dogma hoc catholicum confirmatum reperire sit. Sunt autem præter Tertullianum & B. Cyprianum BB. Xystus Papa II. Athanasius. Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus. Item Ambrosii libri De Virgin.* 3. *Exhort. ad Virg. Ad virg. lapsam de institutione Virg. D. Hieronymus de Virgin. ad Eustochium & ad Demetriadem, Augustini libro de virginitate & epistola ad Armentarium ac Paulinam. Præterea libri eiusdem argumenti Iuliani Toletani, Fulgentij, Auiti Viennensis Leandri Hispalensis. Quibus adde Bernardi seu Cluniacensis seu alterius libros tres insignes de Virginitate, quos penes me ms. habeo.*

Errant denique crassissime Magdenburgenses, dum inter nœuos Tertulliani collocant: Quod hoc libro Virgines voluerit velari, sicut maritatas. Verum quum nullis rationibus errorem id esse comprobent, & econtrario pro se auctor ipsum Apostolum non semel alleget, putaui esse superuacaneum iis hac de re respondere. Neque enim video quid ad illud Apostoli respondere queant, 1. *Corinth.* 11. Omnis mulier orans aut prophetans non velato capite deturpat caput suum. Vnum enim est, ac si decaluetur. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tondere aut decaluari, velet caput suum, &c. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter angelos; *vbi* potestatem *accipi pro* velamine *infra latius suo loco dicemus. Hic sufficiat addidisse illud Auctoris infra capite* 8. Omnis *(inquit)* mulier. Quid est omnis? nisi omnis generis, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis? Si quidem omne, totum est, & integrum, & nulla sui parte defectum. Pars autem mulieris & virgo est, *&c. quæ compendij gratia omittimus.*

CAP. I.

2. Proprium iam negotium passus meæ opinionis, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* Quod consuetudo veritati contraria nõ præscribat. *Similes autem loci sunt apud B. Cyprianum epistola* 63. *ad Cæcilium: Neque enim hominis* consuetudinem *sequi oportet, sed Dei* veritatem. *Item epist.* 73. *ad Iubaianum: Proinde frustra quidem, qui ratione vincuntur*, consuetudinem *nobis opponunt, quasi* consuetudo maior sit veritate, *aut non id sit*

in spi-

A *in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit à Spiritu sancto ordinatum. Et ad Pompeium epist.* 74. Consuetudo sine veritate vetustas erroris est. *Quos locos ea de caussa citauimus, quod in iis ad verbum fere Auctorem in hoc capite imitetur. Neque interim hæc faciunt contra* consuetudinem, cui veritas suffragatur, *quia B. Augustin. docet, nihil debere firmius retineri, de quo latius Adnotat. nostris in dictam epist. ad Iubaianum numero* 50. *Pro quo facit illud Apostol. infra citatum*; Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei, *ex quo proinde à contrario sensu constat* Ecclesiæ consuetudinem obseruandam esse. *Item illud Auctoris capite* 2. Habent Ecclesiæ Apostolicæ consuetudinis auctoritatem, *&* Non possumus respuere consuetudinem, quam damnare non possumus. *Denique quod supra lib. de Coron. milit. cap.* 4. *vbi etiam hoc ipsum argumentum tractat*: His (*inquit*) exemplis renuntiatum erit, posse etiam non scriptam traditionem in obseruatione defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste probatæ tunc traditionis ex perseuerantia obseruationis. Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex *Vbi vide Adnotat. nostras numero* 27. 41. 42. *&* 46.

3. Latine quoque ostendam.] *Ex hoc loco recte colligit Rhenanus, librum huius argumenti Græce quoque scripsisse Auctorem. Id est enim, quod vult supradictis obscurissimis illis verbis,* negotium passus meæ opinionis. *Verum de hoc latius infra Tom.* 5. *inter fra-* B *gmenta librorum Tertull. qui desiderantur.*

4. Hæreseis non tam nouitas quam veritas reuincit.] *Quum vbique fere contrarium inculcet Auctor. nempe vnam ex præcipuis esse contra hæreticos Præscriptionibus, quod* nouitate reuincantur, *sicut, late deduximus lib. de Præscripsit. adu. hæret. num.* 1. *&* 182. *ac integris* 29. 30. *&* 31. *capitibus, videtur istud pertinere ad initiū sui erroris. Nam & mox num.* 6. *disertis verbis meminit* Paracleti (*quo nomine haudubie Montanum intelligit*) a Domino missi.

5. Regula quidem fidei vna omnino est, sola immobilis, &c.] *Sic cum excusis, M S.* 1. *Vatic. alii*; inuiolabilis, *quod perinde est. Similiter autem dixit lib.* 1 *adu. Marc.* Stabat (*inquit*) fides semper in creatore & in Christo eius, sed cōuersatio & disciplina nutabat: Nam alii de Idolothyto edendo, alii de mulierum velamento, &c. disceptabant, de Deo nemo. *Ex quo loco patet variam etiā fuisse, de* mulierum velamento, *aliquando sententiam. Atqui* Regulam (*seu Symbolum*) fidei, *iisdem pene verbis immo integram repetit libris de Præscript. adu. hæres. & adu. Praxeam infra To. sequ. quo Lectorem remittimus. Ad librum priorem adnotasse contenti quod ex hoc loco illic suppleri debeant:* omnipotentem *&* sub Pontio Pilato, *& hic ex l. ad Praxeam* mortuum & sepultum. *Hic autem omisit fortassis ex proposito mentionem Spiritussancti, quod iam inciperet Montanizare, secus libro illo priori, quem adhuc catholicus conscripsit. Atqui quod* Deus sit omnipotens, *late tractat Rufinus in Symbolo inter opera B. Cypriani, qui etiam legit illud* sub C Pontio Pilato. *Cum* 3. *Vatic. denique legimus*: tertia die, *eo quod sic etiam habeat lib. de Præscr. adu. hæres.*

6. cum propterea Paracletum miserit Dominus, &c.] *Pertinent hæc & sequentia ad finem huius capitis vsque ad hæresim Tertulliani ac Montanistarum, qui Montanum Paracletum faciebant, contra quam latius in nostris Prolegomenis. Hoc hic dixisse sufficiat, quod ineptissime, quæ de* Spiritu sancto *prædixit Christus, ipse suo* Paracleto *adscribat.*

7. & superuenientia renuntiabit vobis.] *Ad verbum ex Græco (vti ante me ad marginem adnotauit Rhenanus)* καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν *De reliquis huius scripturæ vide infra initium lib. de Monog. vbi ad idem institutum ea sinistre interpretatur.*

8. Sed & supra de hoc eius opere pronunciauit.] *Alludit ad illa verba eiusdem capitis præcedentia*: Si non abiero Paracletus nō veniet ad vos, *&c.*

9. Tempus (*inquit*) omni rei.] *Ad verbum etiam hoc ex Græca* 70 *edit.* καιρὸς τῷ παντὶ πράγματι.

10. eruditur in mansuetudinem saporis.] *Ita dixit* (*inquit Rhenan.*) erudiri in fructum, de flore, *in lib. de Carne Christi*: Quia per florem (*inquit*) & ex flore omnis fructus eruditur in fructum.

11. sed quæ mandantur à Christo.] *Hic videtur aliud exemplar habuisse, sicuti fere in scripturis noui Testamenti & Psalmis: nihil enim tale hodie legitur, sed ad verbum ex Græco:* quæcumque audiet, loquetur. D

12. Hic solus antecessor.] *Aliter hic videtur accipi* Antecessor *quam paulo post, vbi agnoscit* in Ecclesiis Græciæ tempora & antecessores: *quia ibi videtur proprie accipere pro iis qui tempore antecesserunt, hic vero pro eo qui honore antecessit & auctoritate: alioqui enim sibi videretur contradicere. Posteriorem hanc acceptionem iureconsultis etiam adtribuit Iustinianus, quod aliis qui Ius non didicere, honore antecedant: qua significatione etiam Auctor Apostolos* Antecessores *vocauit (vti etiam ante me adnotauit Turnebus) de Paulo Apostolo loquens lib. adu. Marc.* 1. *&* 5. *his verbis:* cum Apostolis antecessoribus conferebat, *&* qua dexteras ei darent antecessores. *Quo fit vt etiam capite sequenti Apostolos intelligi existimarim, nisi hic vteretur hac exceptione:* Hic solus Antecessor. *Atqui etiam noua phrasis est*: vsque non olim, *pro: non ita pridem, quod initio cap.* 3. *dixit:* ad vsque proxime.

CAP. II.

13. Sed nolo interim hunc morem, &c.] *Titulum huic capiti* E *dedimus:* Quod in Ecclesiis per Græciam Apostolicis hæc consuetudo velandarum virginum vsitata fuerit. *De quibus Ecclesiis, vt ne hic sim prolixior, latius lib. de Præscript. adu. hæres. Tom. sequ. ac lib.* 4. *adu. Marc. illuc etiam differentes Rhenani bonam hac de re Adnotationem.*

14. & quasdam Barbarias.] *Quid hic, inquit Rhenanus, audimus: etiam* Barbariæ *sunt in Græcia*: Barbaria *pro regione Barbarorum etiam alibi vtitur, vt adu. Marc. l.* 1. Iam & bestiis illius Barbariæ, importunior Marcion. *Loquitur autem de Ponto.*

15. Est & sub hoc cœlo institutum istud alicubi.] *Europæ* cœlum *intelligit, in qua alicubi indicat virgines velari solitas.*

16. ius pacis & nomen fraternitatis, &c.] *Etiam de hoc vide librum de Præscript. adu. hæreses eodem loco.*

17. lauacri sacramenta.] *Quamquam nescio an quis vmquam dubitarit, an Baptismus (quem* lauacri *nomine intelligit)* sacramentum *sit, de eo tamen etiam ibi, & latius lib. de Baptismo. Alludit autem ad illud Apostoli Ephes.* 4. Vnum corpus. & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. F

18. Semel dixerim, vna Ecclesia sumus.] *Libro de Vnitate Ecclesiæ B. Cyp. dictam etiam scripturam adfert ad eandem comprobandam, & alias præterea multas: ad quem librum Lectorem remittimus, & nostras in eundem Adnotationes. vterque autem illud*; vnum corpus, vnam Ecclesiam *interpretatur.*

19. quæ magis ex duabus, &c.] *Quæ (inquit Rhenan.) pro vtra: qui etiam recte interpretatur illud*, quæ virgines includit, *velamine nempe, id est, velat. Atqui imprimis pulcra est sententia: quod* in omnibus variè institutis & dubiis, & incertis adhibenda sit examinatio, quæ magis ex tam diuersis consuetudinibus disciplinæ conueniat. *Siue autem paulo post legas* : aliquæ tales *cum exc. aut:* aliqui *cum* 3. *MS. perinde est.*

20. subfundi.] *Hoc verbo (inquit Rhenan.) etiam alibi vtitur lib. de Exhor. ad castit.* Imo subfusio pigris simul ad continentiā Deo exhibendam.

CAP. III.

21. Sed nec inter consuetudines dispicere, &c.] *Inscriptionem hanc huic capiti facimus*: Quod vtraque consuetudo Carthagini libera fuerit, tegi vel non, sicut & nubere. *Atqui obscurum illud:* aduersarius bonorum multoque institutorum, *videtur sic interpretandum? aduersarius bonorum, multoque magis bonorum institutorum, vt* multoque *accipiatur pro multo magis.*

22. Scandalum, nisi fallor, non bonæ rei sed malæ exemplum est, ædificans ad delictum.] *Pulcra* scandali *definitio, ex qua proinde recte concludit*; Quid enim si & incontinentes dicant, se a continentibus scandalizari, continentia reuocanda est *: ac si dicat, minime. Atqui de virorum continentia vide lib. præced. de Cultu fœmin. c.* 9. *de virgin. initio huius lib. cap.* 1. *Legunt autem* 3. *MS. cod.* mundinatitia capita, *pro eo quod est* nundinatitia, *& similiter infra c.* 13. si aliquid & apud ethnicos virginitati, mundinarint, *pro* nundinarint. *sed neutrum placet. Siue autem cum iisdem MS. legas*; arcessitæ quasi ad stuprum, *siue* accersitæ *cum excus. perinde est. Quomodo etiam indifferens est lectio* non minus enim & hoc pati nolunt, *quod excusi, aut* volunt, *quod habent MS.* G

23. monogamia recusanda.] *Etiam hoc ad hæresim Tertulliani pertinet, de qua latius tum in eius libri argumento, tum lib.* 2. *ad vxorem, & Exhort. ad castit. ac in Prolegomenis inter errores eius.*

24. O sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt, &c.] *Quod prius dixit:* sublato velamine, *hic*; dicatum Deo habitum *vocat; vt hinc appareat iam ab ea ætate quasdam Virgines Dei* velamine *vti solitas: quod ipsum in Epist.* 62. *B. Cyprian. num* 9. *Comprobauimus. Idque etiam ex lectione, iuxta id quod sequitur*: Quid peius aliquis persecutor fecisset, si hoc à virgine electum cognouisset? *de quo & similibus infra locis supra latius nu.* 1. *Ex Vatic. vero MS.* 3. *cod. paulo post restituimus vocem Tertulliano vsitatissimam*, expungitur, *pro eo quod erat* : expugnatur. H

CAP. IV.

25. Quatenus aūt & de scripturis, &c.] *Insigniuimus hoc caput hac inscriptione.* Quod Apostolus velamen præfiniens, mulieris nomine etiam virgines intelligat.

26. quomodo illic (inquit) vbi, &c.] *Recte adnotauit Rhenanus:* inquit, *accipi sicuti & alibi frequenter, pro* : inquiunt. *Addidimus vero particulam negantem. vbi legimus* : immo ex hoc non velari qua non iubentur. *Item ex M S.* 3. *Vatic. legimus*: Qui enim ciebat alias, *pro*: in aliis.

27. Diuisa est mulier & virgo.] *Ad verbum expressit quod Græce est.* 1. *Cor.* 7. μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ παρθένος. *Pro quo noster interpres:* diuisus est. Et mulier innupta & virgo, *plane diuerso sensu. B. autem Cypr. l. de Habit. virg. & l.* 3. *Testim. ad Quirin. omisso illo:* & diuisus est, *siue:* & diuisa est, *non aliud quam*: Sic & mulier. Et virgo innupta. *Explicat autem mox suam lectionem, dicens*; Quoniā innupta, id est, virgo, cogitat, &c. nupta vero, id est, non virgo, &c.

tamen sententiam. Verunt tamen legisse Auctorem alicubi cum nostro interprete Latino: Et diuisus est: videtur indicare B. Hieronym. li 1. adu. Iouin. vbi dicit: Certe & Tertullianus cum adhuc esset adolescens, lusit in hac materia, defendens disertus verbis, in Latinus codicibus tunc lectum fuisse, quemadmodum hodie in Græcis, sed eam lectionem non esse Apostolicæ veritatis, & Apostolum legisse: & diuisus est, ac deinde: Mulier innupta & virgo.

28. inalteruauit.] *Vsurpat hoc Auctor, pro.* non alteruauit, *sicuti alibi* incriminari, *pro:* non criminari. *Lego autem paulopost ex ms. 2.* mulieris & virginis, *pro:* muliebri: *De voce autem:* singillatim, *vide adnot nostras in B. Cypr. li. de Orat. Dominica, n.* 18.

29. Naturalis vocabuli generale mulier.] *Etiam apud Iureconsultos* Mulierem generale vocabulum esse *patet ex Vlpiano, l. Quæritur. D. de Ædilit. edicto, vbi* mulier *dicitur etiam ea, quæ virum non agnouit.*

30. subiectiuum antecessiuo.] *Quandoquidem hæc duo tamquam relatiua commemorat, oportet vt subiectiuum accipiat, pro eo quod subijcitur seu succedit. De* portionali *autem infra latius To. 5. li. de Ieiun. Legimus vero cum ms. 3. Vatic.* in ipso intelligitur, *pro:* intelligetur, *quia subditur:* & in ipso significatur.

31. & omnis census elementorum.] *Similiter dixit Apolog. ca. 7.* Census istius disciplinæ à Tiberio est. *Accipit autem* censum, *pro recensitione.*

CAP. V.

32. Sed quoniam ita mulieris nomen, &c.] *Huius capitis titulus constituitur:* Quod ex scriptura Geneseos comprobetur, generale esse mulieris vocabulum. *In quo Auctorem imitatur B. Augustin. de fide contra Manich. c. 22. adducens illud Genes. 2.* Formauit eam in mulierem.

33. adhuc digna paradiso, adhuc virgo.] *Haud absimiliter paulopost:* Quoniam ex viro suo sumpta est, & ipso adhuc virgine. *In quibus locis Tertullianum imitatur B. Hieronym. dum disertus verbis alicubi dicit: Quamdiu in paradiso fuerunt Adam & Eua, fuisse virgines. Item & B. Augustin. li. 14. de Ciuit. Dei, cap. 26. Siue autem legas cum excus.* quoniam & adiecit, *siue cum ms.* adiicit, *perinde est.*

34. & conglutinabitur mulieri suæ.] *Ad verbum etiam ex Græco transtulit illud:* καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, *voce composita à κόλλη, quod gluten significat.*

35. & erunt duo in carnem vnam.] *Hanc veram esse lectionem, pro eo quod erat:* in carne vna, *censeo, tum ex eo quod paulopost sequitur:* vbi enim duo in carnem vnam efficiuntur, *tum quod similiter legat Auctor l. de Anima, tum denique quod non modo Gen. 2. sed & Matth. 19. 1. Cor. 6. & Ephes. 5. legatur Græce* εἰς σάρκα μίαν.

36. Prophetico modo.] *Nam* Prophetæ *(inquit Rhenan.) solent de futuris ceu de præsentibus loqui. Sensum eundem habet quod sequitur.* Ad Propheticam rationem *item:* ad Prophetiam interpretetur. *Alludit autem ad illa verba sequentia:* Hoc os ex ossibus meis, &c. *quæ prophetasse dicitur ab Auctore iam dicto libr. de Anima.*

37. & caro ex carne mea vocabitur mulier.] *Hic prætermisit voculam Græcam:* αὕτη, *& proinde sine distinctione coniunxit duo commata, quum aliter Græce & Latine legatur:* Hæc vocabitur.

38. Nam & Græci, qui magis vocabulo mulieris in vxore vtuntur, &c.] *Vocem γυνὴ intelligit, quæ quamquam locis pradictis, vbicumque vertit Auctor* mulier, *accipiatur generaliter pro muliere, sicuti etiam vocatur* γυναικὶ ὁμοίως, *muliebri sexui similis, frequentius tamen pro* vxore *vsurpatur.*

39. alia habent propria vocabula vxoris.] *Huc spectat imprimis quod* vxor *dicatur Platoni* νομ. 8. γυνὴ, γαμετὴ *quemadmodum Xenophonti in Oeconomicis. Deinde hæc sunt eiusdem synonyma:* σύνοικος, ἄλοχος, ἄκοιτις, παράκοιτις.

40. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem.] *Etsi refragantibus exemplaribus etiam ms. ita legendum censeo, eo quod sequatur Auctor:* Propterea, *& lib. de Anima:* Propter hoc; *nam* propter hanc, *quod legebatur, nullo pacto significare potest phrasis Græca* ἕνεκα τούτου, *quæ est Gen. 2. & Matt. 19. neque etiam illa:* ἀντὶ τούτου, *quæ est Ephes. 5. quibus etiam correspondet Latinus interpres transferens aut:* Quamobrem, *aut:* Propter hoc.

41. matrice generis fœminini.] *Similiter dixit Auctor li. 4. adu. Marc.* matricem religionis, *& B. Cypr. Romanam Ecclesiam Ecclesiæ Catholicæ* matricem *dicit epist. 45.*

42. quoniam ex viro suo sumpta est.] *Quum nomini* mulier *hæc ratio nominis non videatur competere, alludere censeo Auctorem ad Platonem, cui alicubi* γυνὴ *dicitur, quasi* γονὴ, *id est, fœtus seu propagatio, vt pote* ex viro sumpta. *Addit autem* suo, *quia Græce additur iuxta 70.* αὐτῆς, *quod Hebræi non legunt.*

43. Sed dicemus & de viri nomine suo loco.] *Infra nempe ca. 8. vbi de eo latius.*

44. vbi Eua cognominatur, &c.] *Videtur Auctor apud 70. legisse Gen. 3. sicuti & ex Hebræo interpres B. Hieronymus:* καὶ ἐκάλεσεν Ἀδὰμ τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Εὔα, *pro eo quod hodie legitur:* ζωὴ. *nam* Eua *idem sonat quod vita, maxime quum subiungat:* Si enim Eua mater viuentium est.

CAP. VI.

45. Videamus nunc si & Apostolus, &c.] *Similis est præcedenti huius capitis titulus:* Quod eodem mulieris generali vocabulo Maria virgo appelletur. *Ad quod quum adferat dumtaxat duos locos, alterum Luc. 1. alterum Gal. 4. licebit illis addere illud Io. 2.* Quid mihi tecum est mulier? *item eiusdem c. 19.* mulier, ecce filius tuus.

46. licet Hebion resistat.] *De* Hebionis *hæresi infra sub finem l. de Præscript. adu. hæreses.*

47. Benedicta tu inter mulieres.] *Expressior est hæc versio quam vulgata:* in mulieribus, *quam interim etiam habet interpres B. Hieron. eodem c. in benedictione Elizabeth.*

48. Desponsata enim quodammodo nupta. Tamen inter quodammodo, & verum, &c.] *Videtur hoc pertinere ad errorem Tertulliani, quem habet l. de Monog. quod post partum Christi primum nupserit Virgo Maria, de quo inter Prolegomena latius.*

CAP. VII.

49. Conuertamus ad ipsas iam rationes recensendas, &c.] *Inscribitur hoc caput:* Quod rationes quibus Apostolus docet fœminam velari debere, etiam in virgines competant. *Legimus autem secundum 3. ms. cod. Vatic.* Conuertamus *absolute, eo quod ca. 5. præcedent dixerit similiter:* conuertit iam, *pro quo tamquam elegantius substitutum erat:* conuertamur.

50. Proinde viderit seculum æmulum Dei, &c.] Æmulum Dei seculum *intelligit Christianum. Nam* Æmulum, *& Æmulari, fere in bonam partem accipitur ab Autore, pro imitatore, & imitari. Sunt eiusmodi loci frequentes, adnotati sub finem lib. de Patientia, quibus interim fere cum Datiuo vsurpat- quare & hic mallem legere:* æmulum Deo, *nisi illud legerent cod ms. Atqui* cæsum capillum *correspondet ei quod dixit:* tonderi, *quemadmodum illud etiam li. de Cult. fœmin.* barbam acrius cædere; *at quod hic radi, ibi dixit:* interuellere, & primam quamque subducere lanuginem.

51. Si mulier potestatem habere super caput debet.] *Quid hic* potestatis *nomine intelligatur, infra explicat ca. vlt.* Ipsæ enim, *inquit,* sunt, quas subiectas esse oportet; propter quas potestas haberi supra caput debet. Velamen iugum illarum est. *cui similis est locus adu. Marc. l. 5. Quod enim ex Græco ad verbum* ἐξουσίαν ἔχειν, *vertit cum Tertull. Ambros.* potestatem habere, *eodem modo explicat, addens in Commentario:* Per potestatem velamen significauit. *Hinc fit, vt etiam paraphrasticῶς B. Hieronym. verterit,* velamen; *non modo in vulgata versione, sed etiam in illud Matth. 18.* Angeli eorum, *&c. Quod ipsum interpretatur Synodus Gangrena. ca. 17. Comas, quas Deus in memoriam subiectionis mulieri dedit. Cui similiter B. Chrysost. in Comment.* potestatem *interpretatur* velum subiectionis insigne. *Et horum sententiam vel inde confirmari scripsit Ioan. Quintinus, quod radere caput in seruis signum fuerit Manumissionis, vti patet ex Plautino Sosia in Amphitryone.*

52. propter angelos, quos legimus, &c. excidisse, ob concupiscentiam, &c.] *Rursum hoc ad errorem Tertull. pertinet, cuius meminit supra libro de Idolol. de Habit. mulieb. & de Cultu fœmin. de quo inter Prolegomena latius B Ambrosius vero Angelos Episcopos interpretatur, iuxta Apocalypsim B Ioannis Apostoli. Legimus autem mox:* tales angelos, *pro* quales.

53. quarum flos etiam humanam libidinem excussat.] *Ita prorsus legendum, pro eo quod erat corruptissime (contra quam hominem Christianum loqui decebat)* excusat, *ne dicam etiam contra quam Iureconsultum conueniebat, quum non ignoraret Virginum defloration em legibus ciuilibus interdictam.*

54. Hic enim nomen mulierum Græcum, vxores sapit.] *Quum Genes. 6. habeatur vox* γυναῖκας, *quæ & mulieribus & vxoribus communis est, vt supra diximus nu. 38 ca 5 præceden. Videtur potius alludere ad phrasin Græcam,* ἔλαβον ἑαυτοῖς γυναῖκας, *quæ haud dubie non aliud etiam Thucydidi significat, quam:* accipere sibi vxores.

55. ceteris quoque angelis erubescat.] *Hic videtur quasi secundam interpretationem dare illius:* propter angelos, *hoc est ob reuerentiam angelorum bonorum iuxta quod loca supracitata B. Hieron. interpretatur, qui & vnicuique animæ ab ortu nativitatis, vti ille inquit, in custodiam delegati sunt, & diuinis efficiis [ad quæ videtur alludere Auctor, quum dicit:* Deo assistens *] adsistere solent, vti alias latius.*

56. vt concumulata in verticem, &c.] *Alludit ad morem etiamnum in Germania obseruatum, & per quasdam Belgij prouincias, quo non alio ornatu vtuntur virgines, quam capillorum suorum in verticem concumulatione.*

CAP. VIII.

57. Horum certe omnium contraria efficiunt, &c.] *Huic capiti inscriptionem dedimus:* Quod vocabulo generali; Omnis, vir & fœmina omnis intelligatur.

58. qua & puerum vt in viro deputandum.] *Sic legimus ex 3. ms. Vat. cod. Simili autem phrasi dixit Plinius natur. histi. l. 1. c. 17.* Virorum *caldaria supina fluitare, fœminarum prona, id enim etiam de pueris verum esse experientia docet, alioquin magis proprie* pueri *mares dicuntur.*

59. Sic vir Adam ante nuptiarum congressum.] *Alludit ad propriam viri significationem, qua sexum respuit aut ætatem, non autem nuptiarum congressum.*

60. masculi inuestis.] Inuestis *(inquit Rhen.) impuberem significat,*

A

ficat, ficut Vefticeps iam puberem. Eft autem receptum inueftis *vocabulum apud Auctores pro imberbi, à veftiendo. Etymologiam explicat paulo poft:* Et pudor, *inquit*, vbi veftitur. *Simpliciter tamen Auctor accepit hanc vocem lib. de Pall. c. 3. quum de Adam:* nudus, *inquit*, & inueftis.

61. qui inter viros virgo eft.] *Addimus:* eft *ex 3. ms. cod. Vatic. Similiter dixit infra c. 10.* Viri autem tot virgines, tot fpadones voluntarii, *phrafi magis Ecclefiafticis quam profanis fcriptoribus vfitata. Eodem pertinet illud etiam quod mox fubiungit:* Eiufdem virginitatis æqua fit venia.

62. nec detractamus.] *Similiter dixit ab initio libr. 2. ad Vxorem, cap. 2. fupra,* Detractata & exerta fententia eft, *nouo vfu huius verbi (vti illic adnotat Rhenan.) quo accipit compofitum pro fimplici. Quare non placet varia lectio 1. edition. in margin.* nec retractamus.

63. Hodie denique virgines fuas Corinthii velant.] *Explicat hic quam Ecclefiam fupra intellexerit c. 2. quum dixit:* per Græciã & quafdam Barbarias eius plures Ecclefiæ virgines fuas abfcondunt. *Nam &* Apoftolicam *effe* Corinthiorum Ecclefiam *patet ex Apoftoli duabus ad eos Epiftolis, è quibus etiam hæc fcriptura de Velandis mulieribus defumpta eft. Atque hoc eft quod fubiungit:* Quid docuerint Apoftoli, qui didicerunt, adprobant.

B

CAP. IX.

64. Videamus nunc, an ficut naturæ & cauffæ, &c.] *Titulum huic capiti dedimus:* Quod præfcripta difciplinæ Ecclefiafticæ de muliere etiam in virginem fpectent. *Ita enim legimus ex 3. l. ms. Vatic. pro eo quod erat:* fpectant.

65. Non permittitur mulieri in Ecclefia loqui.] *Senfum potius tranftulit hic Auctor quam verba Apoftoli 1. Cor. 14. priora & pofteriora coniungens; deinde illud:* fed nec docere *& 1. ad Tim. 2. c. Quæ prædicatio mulieribus interdicitur (vel Rhenano tefte.)*

66. nec tinguere] *Sic ms. pro:* tingere. *De quo fupra lib. de Patient. num. 14. Atqui quod mulieribus tinctionem, id eft, baptifmum non permittit Auctor, fane intelligendum: in* Ecclefia *nempe, vt illud ad omnia hæc referatur, nam in neceffitate id illis permittitur. De quo interim latius lib. de Præfcript. adu. hæref. & lib. de Baptif. fequ. Tomo.*

67. nec offerre.] Offerre, *fi vfquam alibi, hic accipi pro* facrificare *(vti loquitur Rhenan) Miffam celebrare mulieri non permittitur; alibi igitur vbi permittit viduæ* offerre annuis diebus dormitionis fui mariti, *aut debet accipi, pro:* oblationes offerre in facrificio, *aut certe quemadmodum loquitur l. de Exhort. ad caft.* offerre & commemorare per facerdotem. *Loci adnotatu digni ad confirmationem facrificij Miffæ, quemadmodum l. præc. etiam adnotauimus, & l. de Orat. n. 1. ac aliis quoque locis ibidem citatis latius.*

C

68. nec vllius, &c. facerdotalis officii fortem fibi vendicare.] *Clericorum officium ita circumfcribit. nam* κλῆρος *à forte nuncupatur, vt diximus ex B. Hieron. ad epift. 6 B. Cypr. num. 1. Vfque adeo autem hoc verum eft vt non* mulieribus *modo, fed &* virginibus facratis *fit interdictum facra vafa, vel pallas contingere, aut incenfum circum altare deferre, per B. Soterem Papam Epift. 2. iam ante Tertulliani ætatem. quare videtur ad illam alludere, vt vel hinc comprobetur eius Epift. Decretalis auctoritas.*

69 Idcirco velaminis venia fit illi.] *Recte hoc interpretatur Rhenanus, ac fi dicat, gratia fit illi, ne* velamen *geftet, feu illud remittitur ei, quemadmodum dixit Tacitus lib. 10. Exilij* veniam. *De voce autem* notabilis, *fiue* notabiliter, *vide Adn. noftras in B. Cyp. de Difcip. & hab. virg. nu. 37.*

70. in viduatu.] Viduatum *(inquit Rhen.) accipit pro ordine viduarum, quæ poft annum 60. ab Epifcopis in eum numerum afcifcebantur.*

71 Cui fi quid refrigerii.] Refrigerium *accipit pro fubfidio feu fubminiftratione, vti vertit interpres apud Apoftolum. Similiter dixit fupra lib. ad Scapulam.* Indigentibus refrigeramus, *id eft, refrigerium adferimus. Sic abfolute lib. adu. Praxeam:* apud Abraham fub quercu refrigerauerit.

72. Epifcopus.] *De* Epifcopo *& aliis ordinibus Ecclefiafticis videat Lector infra Adnot. noftras in lib. de Præfcript. adu. hæref. ad illud:* Itaque alius hodie Epifcopus, alius cras. *Paulo poft 3. ms. cod. habent:* illic fedet contecta; *fed inftituto magis conuenit Rhenani lectio:* intecta, *ex Gorzienfi cod. Eft autem monftri fimile inter vetulas iam canas federe puellam virginem* intecto *capite.*

D

73. Ad quam fedem, &c. eligantur] *Quod hic* ad fedem eligi, *fupra l. 1. ad Vxorem dixit:* in ordinationem adlegi, *de quo ibi latius. Adludit autem ad Apoft. 1. Tim. 5. de Viduis.*

CAP. X.

74. Sic nec de aliquibus infignibus, &c.] *huius capitis titulus à nobis ponitur:* Quod non magis fœminæ quam viri notam virginitatis fuæ præferre debeant.

75. Viri autem tot virgines, tot fpadones.] *Vide hac de re librum præcedentem de Cult. fœmin. Eodem pertinet quod paulo poft dicitur de iifdem:* tanto continentia maioris ardoris laboratior. & Virginitas gratia conftat, continentia vero virtute, &c.

76. cæco bono fuo, &c.] Cæcum *(inquit Rhen.) vocat quod non videtur. Ita fcopulos in mari latentes Poetæ* cæcos *vocant. Sic in Valentinianis:* Alte habitet, *inquit*, in cæca detrudatur.

77. aliqua fibi infignia defendere.] Defendere fibi, *pro arrogare. Itaque (inquit Rhenan.) fæpe loquitur per verbum* defendo, *vt paulo fuperius:* fecundum primordii formam, virgini, & ita vniuerfo mulierum generi defenfam.

E

78. aut pennas Garamantum.] *Inter femiferos, inquit idem, illos Libyæ populos funt &* Garamantes. *Virgilius:*

-aut Rhodope, aut extremi *Garamantes.*

Plinius tradit eos matrimoniorum exortes, paffim cum fœminis degere.

79. aut crobylos Barbarorum.] *Prima editione Rhen. legebat* Scrobulos *& fcholiis ad marg. interpretabatur, tamquam* fcrobuli, *voces diminutiuæ à fcrobe, foramina effent aurium, per quæ Barbari traiicerent gemmas & annulos. Deinde in altera* Strobulos, *adiecta Adnot. ifta:* Strobulus *Græcis pineam nucem fignificat, geftamen ex auro Barbarorum quorumdam. At rectius Adrianus Iunius Animadu. li. 2. de Coma c. 1. cenfuit legendum* crobylos *cui etiam adfentitur Ioan. Harrifius,* κρώβυλος *enim eft, inquiunt illi, crinium plexus in acumen definens, iuxta interpretem Thucydidis l. 1. Lucianum in Nauigio, & Plutarchum. Eodem pertinet etiam illud Theophylacti epift. quadam:* κρωβύλῳ καὶ τέττιγι ὁ Γοργίας σεμνύνεται, *id eft,* crobylo & cicada *fuperbit Gorgias. Erant autem* crobyli, *feu* cicadæ, *virorum, quod* κόρυμβοι *mulierum.*

F

80. Cicadas Athenienfium.] Athenienfes *(inquit Rhenan.) in capillis* cicadas *ferebant, hoc argumento oftendere volentes fe effe indigenas, quemadmodum funt* cicadæ. *Dicti funt hinc* τεττιγοφόροι, *quafi dicas* Cicadiferos *Nam* Cicadas *Græci vocant* τέττιγας. *Huius rei meminit & Ariftophanes Comicus. Quibus adde prædictos Auctores Græcos, qui fere* κρωβύλους καὶ τέττιγας *coniungunt, & præcipue Thucydidem, qui difertis verbis initio hift. Athenienfium mentionem facit. Philoftratus item l. 2. Helladicon, & Afius Poeta Samius & in Ciri Virgilius, quorum verba videre eft apud Iunium, ne prolixiores fimus. Hic vnicum fufficiat Gregorij Nazianzeni carmen:*

Cecropidæ indigenæ natam tellure *cicadam*
Innodant *cirris.*--

81. aut cirros Germanorum.] Cirri *(inquit Rhenan.) capilli capitis funt, fic dicti, quod quafi incircumtorti.* Germanorum *autem fuit obliquare crinem, & in nodum fubftringere. Hinc illud Martialis:*

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Quibus adde illud Nazianzeni, & interpretis Thucydidis, qui cirros *tranftulit, quod Græce erat:* κρωβύλων. *Dicuntur autem &* cirratæ *puellæ Ammiano, iuxta quod adnotauit Turneb. Adu. l. 28. c. 26. vbi & hunc locum citat.*

82. aut ftigmata Britonum.] Britanni *(inquit Rhenan.) fuper Ligerim, hofpites in Gallia, cuius maritimam partem ex aduerfa veteri Britannia, quæ nunc Anglia eft, aduecti quondam occupauere, follemniter certis notis apud fuos inurebantur. Horum meminere pofteriores fcriptores, Aufonius, Sidonius Apol. Atqui & Romanis poftea vfitatum fuiffe, vt in manibus eorum, qui in milites adfcribebantur,* ftigmate *notarentur, teftes funt Aetius & Veget. de re milit. l. 1. & 2. Item de feruorum* ftigmatibus *infra, lib. de Refurr. carnis. Legimus autem paulo poft ex 3. ms. Vat. cod.* etiam ipfius continentiæ nomine.

G

83. Non enim & continentia virginitati antiftat, &c.] *Imprimis* Non *pro:* Nonne, *accipitur, vti fupra libris præcedentibus. Deinde,* virginitati antiftat, *recte interpretatur Rhenan. ac fi dicat:* excellit virginitatem. *Nam hoc verbo etiam alibi vfus eft. Quamquã interim non alia ratione id verum fit, quam ob difficultatem, vtpote quum (vti fubiungit)* non concupifcendi, cui concupifcendo inoleueris, grande certamen fit, & qui concupifcendi fructum ignorauerit, facilius non concupifce. *Cui prorfus fimilia habent alicubi BB. Ambrofius, Hieronymus, Auguftinus, difficiliorem facientes ftatum vidualem virginitate, quamquam tamen in fe virginitas fit excellentior per fe ipfa confiderata. Vide fimilem locum fupra l. 1. ad Vxor. c. 8.*

84. fiue qui ex confenfu contumeliam communem iam recufauerunt.] *Pertinet illud:* contumeliam communem, *ad errores, feu potius næuos Tertulliani, qui tanto flagrabat virginitatis & continentiæ amore, vt ita legitimum viri & vxoris congreffum appellet:* contumeliam communem, *hoc loco, & infra c. 11. vti adnotauit Rhenan. fub finem argumenti,* confufionem. *Verum de hoc latius inter Prolegomena noftra. Pro Antidoto autem hic feruire poterit, quod l. de Pudicitia vocet:* benedictionis concubitum. *De continentia autem coniugum ex mutuo confenfu alibi latius; nam etiam non femel eius facit mentionem Auctor.*

H

CAP. XI.

85. Sed quod fupra intermifimus, &c.] *Huic capiti infcriptionem dedimus:* Quod velari debeat virgo, ex quo fe intelligere cœpit, & fenfum naturæ fuæ.

86. Vbi enim gradum fiximus.] *De Prouerbiali formula,* Gradum figere, *inter Prolegomena latius.*

87. & de virginis exire, &c.] *Subaudi (inquit Rhenan.) fenfu. Intelligit autem idem in eo quod fequitur:* pati nouum illud, *menfium purgationem. Vnde mox:* nifi poft conteftatam *inquit*, fanguine maturitatem. *Item:* Iam & vox obfolefacta eft, & membra completa funt, & pudor vbique veftitur, & menfes tributa defendunt.

88. de arbore agnitionis.] *Simpliciter dixit, quod fcriptura*

agni-

agnitionis *boni & mali, idque ab euentu, qui posteà subsecutus est. Legimus autem more Tertullianico ex 3. ms.* Itaque sui quique sexus, *pro*: quisque; *nam & cap. 13. infra legitur*: quæque in occulto fiunt, *pro*: quæcunque.

89. Et ideo penes Israel illicitum est ad virum tradere, &c.] *Hactenus reperire non potui quo loco scriptum sit; nescio an adludat ad c. 22. Deuter. de signis virginitatu.*

90. acerba res est.] Acerba *proprie accipitur, pro*: immatura, *translatione ab immaturis fructibus. quod uelhis uerbis subsequentibus indicat*: Igitur si tam diu virgo, quamdiu acerba est, desinit virginem. *Quod postremum recte adnotauit Rhenanus figuram esse Græcam.*

91. Et desponsatæ quidem habent exemplum Rebeccæ, &c.] *Similiter supra l. de Coron. milit.* Si Rebecca conspecto procul sponso, velamen inuasit, priuatus pudor legem facere non potuit, aut caussæ suæ fecerit. Tegantur virgines solæ, & hoc nuptum venientes, nec antequam cognouerint sponsos. *Accipitur autem hic*: simul, *pro*: simulac, *quemadmodum etiam initio libri 4. adu. Marc. ibi*: simul crediderunt. *Habent vero MS.* salutationis communionem. *sed vulgatum est Auctori*: communicationem.

92. Ostendit enim etiam nuptias de adspectu & animo fieri.] *Huc pertinet illud Apostoli 1. Cor. 7.* Vt sit sancta corpore & spiritu. *Quod ipsum de stupro adsumitur à Christo, illis verbis*: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus est eam in corde suo.

93. ex angustiis. *Hoc est (inquit Rhenan.) ex tenuitate facultatum siue fortunarum. Nam (vt est apud Satyrographum)*

Non facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.--

Huiusmodi puellæ pauperiores difficilius etiam maritum inueniunt. qui etiam recte interpretatur illud: vel ex scrupulositate, *hoc est, ex morositate parentum, quibus nullus gener placet.*

49. viderit & ipsum continentiæ votum.] *Nullus est apud veteres locus apertior de* voto continentiæ. *Verum de hoc latius tum l. præced. de Cult. fœm. tum initio huius n. 1. tum denique Adnotat. nostrus in B. Cypr. locis ibidem citatis.*

95. cui tu secundum paras maritum.] *Sensus est (inquit Rhen.) Virgo tua, quam tu adhuc virginem existimas, propter ætatem desiit esse virgo, non quidem à viro corrupta, sed ab ætate. Proinde* maritus *quem ei trades*, secundus erit.

96. Iam & vox obsolefacta est.] *Intelligit (eodem adnotante) robustiorem factam. Nam, auctore Plinio, vox roboratur à decimo tertio anno. Eadem in senecta exilior.*

97 & menses tributa defendunt.] *Innuit (inquit idem) mensiruos illos mulierum cursus; sic enim Plinius vocat. Infra habes lib. 3. ad Marc.* Nam & mulierculæ nonnunquam prægnantes sibi videntur, aut sanguinis tributo, aut aliqua valetudine inflatæ.

98. Atqui etiam apud Ethnicos velatæ ad virum ducuntur.] *Vsque adeo verum hoc est, vt inde à nubendo siue* velando *nuptiæ dicantur. Hinc illud Varronis lib. 4. de ling. Lat. Neptunus, quod mare terras obnubat, vt nubes cœlum*, à nuptu, *id est, opertione, vt antiqui*, à quo nuptu nuptiæ *dicta. hinc illud Poetæ*:

Lutea demissos *velauit* flammea vultus.

99. sine quo sponsari non possunt.] Sponsari (*inquit Rhenan.*) *pro* desponsari, *vt infra*: illi sponsati maturitatem tuam. *Legimus autem more Tertullianico*: quo virguente, *pro*: virgente, *ex 3. MS. Vat. Cod.*

100. Nam fœminas quidem à xii. annis, &c.] *De hoc loco eleganter in hac verba Iureconsultus longe eruditissimus Antonius Contius Subsecuarum Lectionum lib. 2. cap. 12. Verum est (inquit) olim* fœminas anno xii. *tutela liberari solitas, & biennio quidem citius quam masculos. Quamuis, vt ait Cicero pro Cecinna & Murena, maior esset in eis sexus & consilij imbecillitas. Id Macrobius ait fieri, propter votorum festinationem, sicuti & octauo die nomen illis imponi, masculis nono. Plutarchus autem id fieri putat, quod citius in fœminis naturalis vigor proficiat*: (*ad quod videtur mihi Auctor noster omnino respicere illis verbis*: vt ex lege naturæ iura sua ætatibus reddant.) *Erat quidem (addit Contius) pupilla, à negotiorum quidem tutela liberabantur, nondum tamen ab auctoritatis tutela; quod eleganter Tertull. verborum Iuris expertissimus expressit, dicens*: ad negotia mittunt. *Nam etsi propria negotia agere poterant fœmina pupillari tutela liberatæ, tamen quia adhuc sub muliebri tutela erant, testari non poterant nisi tutore auctore, iuxta Vlpiani frag. tit. de test. & tit. vlt. Item nec manumittere, nec agere, nec se obligare, nec ciuile negotium gerere poterant. hactenus ille.*

Cap. XII.

101. Agnoscere & mulierem, &c.] *Inscripsimus hoc caput*: Quod sola capitis nuditas ostentetur ab illis virginibus, quæ reliquo habitu mulieri tatem produnt.

102. tabellæ natutalium sponsalium & nuptiarum.] *Phrasis Iureconsultorum, qua alludit ad* Tabellas *tum* sponsalium, *tum* nuptiarum, *inter eos qui coniugio iunguntur* quæ naturalia *dum vocat, perstitit in Metaphora c. præced.* natura, &c. & tempus, filiam suam legibus suis maritarunt. *Differunt autem* sponsalia à nuptiis *quod* spondebatur (*vti loquitur Varro de ling. Lat. l. 5.*) *filia* nuptiarum *caussa, quum despondisse dicebatur, quod de sponte eius, id est, voluntate, exierat, &c. ne sim prolixior.*

103. de virginibus educantur.] *Vsurpat (inquit Rhenan.)* educare *pro*: educere. *Sensus est*: *De numero virginum* educuntur, *eximunturque. Nam, ni fallor*, ducatorem *supra dixit, ductorem, siue ducem significans. Similiter autem dixit supra lib. de Pall. c. 2.* Chaldæum. semen in Ægyptum educatur. *Illud autem*: deponentes quod fuerunt, *interpretatur idem Rhenan. puellaria virgunculatum redimicula. &*: faciem morosiorem *intelligit inelegantiorem, & qua difficilius nitescat.*

104. mulieritatem.] *Ita noua voce vocat, quam alij, & ipse Auctor infra c. 14.* muliebritatem, *non modo hic, sed & paulopost, dicens*: totam circumferunt mulieritaem.

105. pallium extrinsecus iactant.] *Quale fuerit* Pallium *muliebre, videre est Adnotat. nostris in li. de Pallio, nu. 5.*

106. calceum stipant multiformem.] *Quæ sunt (inquit Rhen.) admodum puellæ, vniformi genere calceorum vtuntur, Grandiores multiformi, pro diuersitate loci, temporis, & rei. Dixit autē*: stipant, *ne videlicet follicet calceus, vt vtar verbo Hieronymi & Ambrosii.*

107. Sed virginari volunt.] *Recte adnotat idem scribendum*: virginari, *vt sit verbum Deponentale, hoc est virgines agere. Alludit autem ad vocem Græcam παρθενίνειν.*

Cap. XIII.

108. Si propter homines habitu abutuntur, &c.] *Titulum capiti huic dedimus* Quod non solum foris, sed & in Ecclesia virgines velari debeant. *Atqui quod* Fratrum *nomine Christiani intelliguntur, ostendimus Adnot. nostris ad Apol. c. 39. n. 505.*

109. Quo ergo.] *Id est, ad quid, vt etiam adnotauit Rhen. Sic li. de Resurrect. carn. To. sequent.* Quo ergo legimus, *& lib. 5. adu. Marc.* Quo iam mihi duos. *Legunt autem 2. Ms.* peruulgant. *sed magis placet*: prouulgant.

110. debuccinemus.] *Hunc locum (inquit Rhen.) imitatus D. Hieron. in epist. ad Eustochium dixit*: *Quum manum egenti porrexerint*, buccinant. *Alludit autem ad illud Matth. 6.* Noli tuba canere ante te. *& c. Pro quo vertit B. Cyp.* buccinare. *Test. li. 3. ad Quirin. c. 40. Ad verbum, ex Græco σαλπίσῃς.*

111. quæ apud illum mercedem merebuntur.] De mercede apud Deum *videat Lector Adnotat. nostras in lib. ad Martyras cap. 3 num. 4. & lib. de Patient. cap. 11. nu. 73. De* meritis *autem eiusdem lib. cap. 13. num. 82.*

112. Quod si vnius Victoriati.] *Plinius (inquit Rhenan.) lib 33. cap. 3. Qui nunc, inquit*, Victoriatus *appellatur, lege Clodia percussus est. Antea enim hic nummus ex Illyrico aduectus, mercis loco habebatur. Est autem signatus Victoria, & inde nomen. Porro*: gloriæ libidinosum *recte interpretatur Rhenan. quod sit ob libidinem & cupiditatem gloriæ.*

113. Et si à Deo confertur continentiæ virtus.] *Alludit ad illud Sapientis 8.* Vt sciui, quoniam non possem esse continens, nisi Deus det.

Cap. XIV.

114. Referunt aliquando dictum à quodam, &c.] Quod non curandum an in Ecclesia multæ, sed & veræ sint virgines.] *Est autem notandus locus contra abusum quorundam parentum, qui etiam subinde compellunt* ad huiusmodi opus, *id est (interprete etiam Rhenano) ad virginitatem. Qua consideratione habita, non mirum est quod subiungit Auctor*: Vbi sollicitatio, illic coactio, vbi coactio, illic necessitas, vbi necessitas, illic infirmitas. *De tali enim* necessitate, *& tali* coacta *& inulta virginitate, loqui se, disertis verbis indicat, non autem ea necessitate, qua quum ex voto voluntario sit, felix est, quia ad bonum compellit: & proinde talibus Deus dat gratiam, sicuti aufert e contrario iam dictis, item eis*, quarum (*vt cum Auctore loquar*) Deus venter est, *id est, qua solius ventris gratia religionem adeunt.*

115. funem longum delictorum sibi adtrahunt.] *De hoc Prouerbio*: funem longum adtrahere, *vide inter ceteras Prouerbiales formulas in nostris Prolegomenis. Siue autem paulo post legas cum excusis*: quem sibi vendicat virginitas, *siue cum ms. Vatic. 2.* vindicat, *perinde est.*

116. Nihil occultum quod non reuelabitur.] *Græce exemplaria imitatur, qua legunt* ἀποκαλυφθήσεται. *Sunt nihilominus etiam Latina exemplaria ms. additionis vulgatæ, qua sic legunt*: reueletur. *Atqui non multo post, vbi legunt excusi.* non est pudica, *ms. 3. Vatic. habent*: compudica..

117. inter amplexus & oscula.] *Hoc autem (inquit Rhenan.) faciebat fraternitas. Nam osculo se quondam salutabant Christiani. Et ante dixit*: facile virgines fraternitas suscipit, *fit autem susceptio per amplexum.*

Cap. XV.

118. Sed enim vera & tota & pura virginitas, &c.] *Tractatum huius capitis insigniuimus hoc titulo*: Quantum boni velamen adferat veris virginibus. Tota *autem accipitur, pro*: integra: *quare & retinuimus eam vocem cum 3. ms. Vat.*

119. ipsum quoque liuorem.] Liuorem *accipit Auctor, vti ex sequ. patet, pro*: odio, *& mox* liuidum, *pro inuidioso. Similiter & B. Cypr. qui librum scripsit de zelo &* liuore, *& B. Hieronymus, eundem librum citans in epistolam Apostoli ad Gallat. 5.*

120. Nam est aliquid etiam apud ethnicos metuendum, quod fascinum vocant.] *Inuidia, quam Auctor (vti diximus)* liuorem *nuncupat, magnam vim ad nocendum antiqui putabant, cum eam sola voluntate, & ipso adflatu ac contagione maleficam & venenatam esse, & hominibus, quibus male vellet, obesse grauiter censerent. Hinc illud Horatij:*

Non isthic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat, non odio obscuro morsuque venenat.

Item illud Maronis, quod ad institutum magis pertinet:

Nescio quis teneros oculis mihi *fascinat* agnos.

Hanc ergo ab ethnicis fascinium *dictam recte dicit Auctor, & ad odium diaboli refert, atque adeo adinstar illorum, qui varia contra* fascinum, *præsertim in pueris, adhibebant remedia,* velamen capitis virginibus *proponit.*

121. si tentationibus gradum obtraxerit.] *Est & hæc Prouerbialis formula, de qua late in nostris Prolegomenis.*

CAP. XVI.

122. In his consistit defensio nostræ opinionis, &c. *Epilogus est hoc caput omnium præcedentium,* quod ad virgines velandas attinet. *Quo repetit paucis, conformem esse suam opinionem scripturæ, naturæ & disciplinæ.*

123. secundum disciplinam.] *Quod* disciplinam *Christianam intelligat, patet ex Epithetis eius, quibus ornatur ab Auctore. Appellatur enim mox, & supra c. 2.* Disciplina Dei, *cap. 9.* disciplina Ecclesiastica; *cap. vero 11.* Christi disciplina. *Item lib. de Patient. supra cap. 1.* Dominica disciplina, *& alibi:* disciplina salutaris; *& l. de Cult. fœmin.* disciplina seruorum Dei. *Quare & alibi, vbi simpliciter* disciplina *ab Auctore vocatur, similiter accipienda, quemadmodum & paulopost bis, & dict. lib. de Patient. cap. 4. & 12. ac Tom. sequent. lib. de Præscript. adu. hæres. & de Resurr. carn. denique & initio lib. aduers. Valentinianos. Vbi etiam propriam eius significationem indicat, quum dicit:* & disciplina non terretur. *Accipi enim pro seueritate castigatrice, ostendimus initio lib. B. Cypr. de Disc. & hab. virginum, num. 1.*

124. quid magis Deo ratum sit.] *Harrisius putat legendum & hic, & paulopost:* gratum. *Verum placet prior lectio, vt* ratum *accipiatur pro firmo seu certo. Nam videtur opponere hoc illi, quod in fine cap. 13. supra dixerat:* Videamus ergo quod humanum est, an firmum sit. *Atqui legimus cum Rhenano:* nihil perosius, *vt accipiatur pro exosius, etsi refragantibus exemplaribus ms qui:* operosius *legunt, sed non recte, quum opponatur* perosius *illi quod præcedit:* nihil acceptius.

125. secundum annorum nomina dixerim.] *Subindicat olim fœminas Christianas* sorores *solere nuncupari à* fratribus, *hoc est, Christianis, qui in nulla erant dignitate;* filias vero *à* Patribus, *hoc est, Episcopis & Presbyteris. Hinc patet, noua nomina non esse in Ecclesia &* Patrum *&* Fratrum, *item* Filiarum, *&* Sororum.

126. Nupsisti enim Christo, &c.] *Vt alia, de quibus supra, phrases aliter fortassis detorqueri possent, certe hic locus non potest aliter intelligi quam de* virginibus, *quæ Christo suo sponso continentiam suam consecrarunt, & professæ sunt. Verum de hoc latius supra initio huius libri num. 1.*

CAP. XVII.

127. Sed & vos admonemus alterius pudicitiæ mulieres, &c.] *Hic veluti coronidis vice addit Auctor etiam aliud caput:* Quod non modo virginibus *(de quibus hactenus egit)* sed & nuptis mulieribus conueniat velaminis disciplina.

128. Mitris enim & lanis, &c. *Similiter Plinius l. 35. c. 9.* Capita mulierum mitris *versicoloribus operuit. & Cicer. de Aruisp. respons. A* mitra, *à mulieribus solus, purpureisque fasciolis. Erat enim* mitra, *corona muliebris, atque adeo vti Auctor:* non velabat, sed congelabat caput, *ex qua pendebant fasciolæ, quæ phylla dicebantur.*

129. Arabiæ fœminæ, &c.] *De* Arabia *vide Adnot. nostras infra l. 3. adu. Marc.*

130. quam totam faciem prostituere.] Quam *(vti & ante me Rhen. accipitur pro:* potius quam. *Similis est locutio supra l. ad Martyr. c. 2.* Exisse vos è carcere, quam in carcerem introisse intelligemus. *Item in Valentinianis:* Vbi superindui potuit, quam despoliari. *Illic ex aliis Auctoribus complura exempla adduximus.*

131. Quas propterea infœlicissimas ait Romana quædam Regina, &c.] *Locus obscurissimus & nescio an corruptus, nisi forte intelligat illud:* magis adamare quam adamari, *id est, maiori feruore: illud vero* facilius adamari quam adamare, *id est, citius in earum amorem alios viros ruere, quam fœminas in virorum.*

132. Meracior & (vt ita dixerim) barbarior.] *Quia comparatiui noui sunt, addit:* vt ita dixerim. *Atqui* meracior, *purior intelligitur, Metaphora à vino meraco sumpta.*

133. Velaminis spatia metatus est.] Metatus est *(inquit Rhenan. hoc est præscripsit, definiuit. Metaphora sumpta à castrorum locatione, quæ metari proprie dicuntur. Hoc verbo quoque vsus est supra, lib. de Pall. Tom. 1.* Nostra certe metatio. *& infra Tom. 3. lib. adu. Marc.* Tempore arbitro & metatore initii & finis. *Denique lib. adu. Valent.* Metatur medietatem. *Vide autem & nostras Adnotat. in B. Cypr. epist. 22. nu. 1. vbi habes quicquid adnotauit alibi Rhenanus.*

134. quæ inter Psalmos, &c.] *Recte adnotat Rhenanus* Psalmos *olim legi, vel potius cani solitos in Ecclesia. Quod ipsum latius tractauimus c. 39. Apolog. n. 520.*

135. vel in quacumque mentione Dei.] *Vide (inquit idem) quanta priscorum reuerentia fuerit, vel erga Dei, vel Domini nomen?*

136. in Oratione ipsa.] *Loquitur (eodem adnotante) de* Oratione *quæ fiebat in Ecclesia.* Oramus *(inquit in Apologetico, c. 39.)* etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum & potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. *Atqui* Orationis *nomine sacrificium Ecclesiæ ab Auctore solere intelligi ostendimus, li. de* Oratione *n. 1. Quod confirmatur vel ex eo, quod loco eius quod modo dictum est:* Oramus pro Imperatoribus, &c. *lib. ad Scapulam cap. 2. supra Tom. 1. dicat:* sacrificamus pro salute Imperatoris, &c. *vbi etiam aliquid diximus hac de re nu. 11.*

137. fimbriam, aut villum, aut quodlibet filum.] *Tria sunt tegmina capitis muliebris, aliis Auctoribus ignota præter* filum, *quod agnoscit etiam Arnobius l. 6. cum dicit:* filum capitis *prostituti Cythereia in simulacra traducere. Existimo idipsum, quod ex* filo *factii reticulum vocant: fortassis autem* villum *nuncupat, quod Nonius Marcellus capitium, &* fimbriam *: quod & ipse, & Auctor lib. de Pallio c. 4. caliendrum, aut quod* crepitulum *ibidem vocatur.*

138. aliæ quibus plane maior est palma.] *Quum constanter legant:* palma *cod. omnes tam exc. quam MS. magis placet adnotatio marginalis Rhenani, aut alterius, vt* palma *accipiatur pro velo palmato, quam vt legatur,* palla, *quod in Adnot. suis ille contendit.*

139 vt bestia quædam, &c.] *Struthiocamelum (inquit Rhenan.) intelligit, cuius in initio 10. l. meminit Plinius. Eius verba quoniam ad hunc locum faciunt, libet adscribere; Auium (inquit) grandissimi & pene bestiarum generis, Struthiocameli Africi vel Æthopici, altitudinem equitis insidentis equo excedunt: celeritatem (sic enim nos in castigationibus nostris legendum monuimus) vincunt; ad hoc demum datis pennis, vt currentem adiuuent. Cetero non sunt volucres, nec à terra tolluntur. Vngulæ his ceruinis similes, quibus dimicant, bisulcæ comprehendendis lapidibus vtiles, quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus. Concoquendi sine delectu deuorata, mira natura: sed non minus stoliditas, in tanta reliqui corporis altitudine, quum colla frutice occultauerint, latere sese existimantium. Præmia ex his ouis, propter amplitudinem pro quibusdam habita vasis, conosque bellicos, et galeas adornantes penna. Hæc Plinius. Ceterum Tertullianus Struthiocamelum eleganter bestiam altegradiam appellat, quod alte incedat longis prædita cruribus, quales sunt & ciconiæ & grues. Adnotat idem ibi esse figuram Græcam:* cetera altegradia. *Cui similis est & ista phrasis:* quum habet delitescendum, *hoc est, vt delitescat.*

140. cum Septimio Tertulliano.] *De nomine* Septimii, *& cognomine* Tertulliani, *videat Lector vitam Auctoris. illud familiæ est, hoc Gentis. Hinc autem manifestum est (vti etiam in Argumento adnotauimus) librum esse nostri Auctoris.*

FINIS TOMI SECVNDI OPERVM Q. SEPTIMII FLORENTIS
Tertulliani Carthaginiensis Presbyteri.

Q. SEPTIMII FLORENTIS

TERTVLLIANI CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, OPERVM

TOMVS TERTIVS,

QVI COMPLECTITVR SCRIPTA ADVERSVS HÆRESEIS, CVM SVIS ARGVMENTIS ET ADNOtationibus, per Iacobum Pamelium.

De præſcriptionibus aduerſus Hæreticos.	pagina 234.
De Baptiſmo aduerſus Quintillam.	pag. 277.
Aduerſus Hermogenem.	pag. 293.
Aduerſus Valentinianos.	pag. 315.
De Anima aduerſus Philoſophos & hæreticos	pag. 341.
De carne Chriſti, aduerſus quatuor hæreſeis	pag. 390.
De reſurrectione Carnis.	pag. 407.
Aduerſus Marcionem lib. I.	pag. 455.
Aduerſus Marcionem lib. II.	pag. 462.
Aduerſus Marcionem lib. III.	pag. 480.
Aduerſus Marcionem lib. IV.	pag. 501.
Aduerſus Marcionem lib. V.	pag. 562.
Aduerſus Gnoſticos Scorpiacum.	pag. 592.
Aduerſus Praxean.	pag. 606.

IACOBI PAMELII
DE LIBRORVM TERTII TOMI ORDINE PRÆFATIO AD LECTOREM.

TOMI tertij operum Tertulliani aduersus hæreseis ordinis, vti iuxta promissum reddamus rationem: Primum duo illi libri locum occupant, quos ante omnem errorem ab Auctore conscriptos constat; nempe: DE PRÆSCRIPT. ADVERSVS HÆRETICOS, ad quem in sequentibus frequens adlusio, & DE BAPTISMO ADVERSVS QVINTILLAM. Secundum alij tres; quum iam inciperet nonnihil ad errores inclinare, editi; ADVERSVS HERMOGENEM, ADVERSVS VALENTINIANOS, ac, DE ANIMA ADVERSVS PHILOSOPHOS ET HÆRETICOS; quorum duo posteriores, prioris, prout etiam libri de Anima qui sequuntur, mentionem faciunt. Tum deinde, libri septem, vno eodemque tempore, circa annum Seueri Cæsaris XV. sic elucubrati, vt nisi diuersi essent argumenti, sibi mutuo deberent interijci, vt pote: DE CARNE CHRISTI ADVERSVS QVATVOR HÆRESEIS, ac: DE RESVRRECTIONE CARNIS, quos continuo stylo scriptos manifestum est: & ADVERSVS MARCIONEM LIBRI QVINQVE; quorum quartus citatur libro de Carne Christi, & vicissim quinto eius operis libro adlegatur de Resurrectione Carnis liber. Posthæc SCORPIACVM ADVERSVS GNOSTICOS, in quo adludit Auctor ad libros aduersus Marcionem. Denique aduersus PRAXEAN liber, vbi paulo vehementius sui Paracleti mentionem facit. Quos, & potissimum primum De Præscriptione aduersus hæreticos librum, Lector candide, si diligenter perlegeris, munieris etiam aduersus huius tempestatis hæreseis; discesque verissimum esse illud Tertulliani; Hæreseis demonstrasse, vicisse est. vale igitur, & iuxta Apostoli sententiam Hæreticum hominem post vnam atque alteram correptionem deuitans, memineris nihil prodesse cum hæreticis disceptationem.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI ADVERSVS HÆreſes, ſcripta.

ARGVMENTVM LIBRI DE PRÆSCRIPTIONIBVS ADVERSVS HÆRETICOS PER Iacobum Pamelium.

ADVERSVS *hæreticos ſiue hæreſeis tum temporis graſſantes ſcripturus Tertullianus, videns diſputationibus nihil aut parum profici, certis Præſcriptionibus, ſiue doctrinarum retractatu (vti ipſe alibi loquitur) reuincendos exiſtimauit.*

Priuſquam autem ad propoſitum veniat: docet non oportere nos admirari ſuper hæreſeis, eo quod prænunciatæ fuerint.

Sed abominandas potius, & præcauendas, tamquam mortem æternam adferentes, nihil virium habentes, niſi apud eos qui in fide infirmi ſunt.

Neque ſcandalizari quemquam oportere, ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi doctor, ſi etiam martyr lapſus à regula fuerit, quia ex perſonis non probatur fides, ſed ex fide perſonæ.

Quinpotius memores ſimus tam Dominicarum quam Apoſtolicarum litterarum, quæ futuras hæreſeis prænuntiarunt, & fugiendas præfinierunt.

Non modo diſſenſionum & ſchiſmatum, ſed etiam ipſarum hæreſeon nomine.

Quippe quum Epiſtola ad Titum Apoſtolus hæreticum deſcribens, hæreſeis dictas inſinuat Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis ſiue ad inſtituendas, ſiue ad ſuſcipiendas, eas vtitur.

Ipſas denique hæreſeis quum à Philoſophia ſubornentur, eo & curioſitatis nomine etiam caueri oportere ab Apoſtolo præſcriptum.

Nihil autem obſtare illud: Quærite & inuenietis; *id enim dictum ad eos, quibus nondum agnitus Chriſtus.*

Nobis autem qui iam credidimus, aliud non quærendum.

Alioqui ſi ſemper quærimus, numquam inueniemus, nunquã credemus.

Nemo enim quærit, niſi qui aut non habuit, aut perdidit.

Si tamen adhuc quærendum ſit, non apud hæreticos, ad quos vetamur accedere, ſed in noſtro, à noſtris, & de noſtro quæramus.

Regulam enim (ſeu ſymbolum) fidei nobis præſcriptam, vt iam hinc, quid credamus, profiteamur.

Hanc à Chriſto inſtitutam nullas apud nos habere quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt; & quæ hæreticos faciunt.

Porro ad propoſitum veniens Tertullianus, præſcribit non admittendos hæreticos ad vllam de ſcripturis diſputationem.

Primum, quod fides noſtra obſequium Apoſtolo debeat, diſputationem prohibenti, dum poſt vnam correptionem conuenire hæreticum interdixit.

Deinde quod nihil proficiat congreſſio ſcripturarum: quum hæreſeis quaſdam non recipiant? & ſi quas recipiant, adiectionibus & detractationibus interuertant, aut non recipiant integras: & ſi aliquatenus integras, diuerſas expoſitiones comminiſcantur.

Ille etiam, cuius cauſſa in congreſſum ſcripturarum deſcendis, incertior diſcedet, de pari altercatione negandi & defendendi.

Illud itaque ſolum diſputandum, quibus competat fides, cuius ſint ſcripturæ, à quo, per quos, & quibus ſit tradita diſciplina qua Chriſtiani fiunt.

Atqui à Chriſto vnam eiuſdem fidei doctrinam Apoſtoli tradidit, qui eam Nationibus promulgauerunt, & Eccleſias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus ceteræ Eccleſiæ quotidie mutuantur vt Eccleſiæ fiant; ita vt tot actã Eccleſiæ, vna ſit illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes.

Hanc itaque dirigit alteram præſcriptionem; Non alios recipiendos prædicatores, quam quos Chriſtus inſtituit, & proinde eam doctrinam recipiendam, id ſine dubio tenentem, quod Eccleſia ab Apoſtolis tam viua voce quam per Epiſtolas, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit? hoc itaque teſtimonium veritatis doctrinæ noſtræ, quod cum Eccleſiis Apoſtolicis communicemus.

Apoſtolos autem (quicquid in contrarium ſoleat dicere diuerſa pars) omnia & ſciſſe, & tradidiſſe, quibus & omnes ſcripturas ediſſerere dignatus eſt, & Spiritum ſanctum miſit, qui eos deduceret in omnem veritatem.

In Petro enim non reprehenſam ignorantiam aliquã à Paulo, ſed conuerſationem.

Idque pro temporibus, perſonis, & cauſis.

Neque vero occultum aliquod Euangelium prædicaſſe Apoſtolos;

Quamquam non paſsim, nec inconſiderate omnibus.

Vnam etiam Regulam fidei eos inſtituiſſe, tam ad Eccleſias correptas poſtea emendatas, quam ad eas quas commendarunt.

Quod autem apud multos vnum inuenitur, non cenſeri erratum, ſed traditum.

Hæreſeis potius erraſſe, quæ vera doctrina ſunt poſteriores.

Marcionem enim & Valentinum, in Catholicam primo doctrinam apud Eccleſiam Romanenſem ſub Epiſcopatu Eleutherii credidiſſe; donec ob inquietam curioſitatem ſemel & iterum eiecti, nouiſſime in perpetuum diſſidium relegati, venena doctrinarum ſuarum diſſeminarunt. Atque idem de aliis iudicium: qui virtutibus & miraculis nouos ſe Apoſtolos eſſe probare nequeunt.

Id itaque eſſe verum & Dominicum, quod prius ſit traditum; falſum, quod poſterius.

Si interim quædam ſint hæreſeis iam inde ab ætate Apoſtolica; præſcribendum vti euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſsiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis aut Apoſtolicis viris habeat anteceſſorem, quemadmodum Smyrnæorum & Romanorum Eccleſia; quod quum probare non poſsint, in cõmunicationem non recipiantur.

Quid quod iam tum ab Apoſtolis & demonſtratæ & eieratæ fuerint, ex quibus & reliquas hæreſeis omnes ſua ſemina ſumpſiſſe.

Atque adeo, quum habeant cum illis conſortium ſuæ prædicationis, habere etiam damnationis conſortium, maxime quum ab Apoſtolis prænunciatæ fuerint.

Nullam autem è contario dictarum præſcriptionum competere aduerſus noſtram diſciplinam.

Percurrenti enim Eccleſias Apoſtolicas, apud quas adhuc ipſæ cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, & inter eas Roma-

A nam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est (vbi Petrus & Paulus coronati) constabit eandem Apostolis suam potasse fidem, per quam aqua signat, Spiritus sanctus vestit, Eucharistia pascit.

XXXVII. Quum igitur ius veritas adiudicetur quicunque in ea Regula incedimus: quam Ecclesia ab Apostolis accepit; constare propositum suum definiens non esse admittendos hæreticos ad ineundam de scripturis prouocationem, quum Christiani non sint, & proinde exhæredati a possessione Christianarum literarum.

XXXVIII. Maxime quum illis non possit succedere corruptela doctrinæ sine corruptela instrumentorum, deprehensa in scripturis detractione, vel adiectione, vel transmutatione; & interpolatione, qua alius manu scripturas, alius sensus expositiones interuertit.

XXXIX. In eo comparandi illis, qui Virgiliocentonas & Homerocentonas composuisse leguntur.

XL. Fieri hæc autem eodem diaboli instinctu, qui ipsas quoque res Sacramentorum diuinorum in Idolorum mysteriis æmulatur; exempli gratia, qui quosdam tinguit, expiationem delictorum de lauacro repromittit, signat in frontibus, celebrat & panis oblationem.

XLI. B Non omittendam denique, qua contra eos præscribamus, ipsius etiam hæreticæ conuersationis descriptionem; vbi, quis catechumenus, quis fidelis, incertum; pariter enim adeunt, pariter audiunt, pariter orant; qui pacem cum omnibus miscent; quorum mulieres audeant exorcismos agere, forsitan & tinguere. Quorum ordinationes temerariæ; & alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie presbyter, qui cras laicus; nam & laicis sacerdotia munera iniungere.

XLII. In verbi quoque administratione negotium illis esse, non ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi, nec suis Præsidibus reuerentiam præstent; & hinc apud eos schismata non parere, quantumuis tamen a regulis suis inter se varient, & etiam ab auctoribus suis.

XLIII. Notata etiam fuisse eorum commercia cum Magis, Circulatoribus, Astrologis, Philosophis, vt adeo doctrinæ ipsorum non veræ index sit disciplina non bona.

XLIV. Postremo, si forte præscriptionibus his non moueantur, ad futuri iudicij metum & hæreticos prouocat, & eos qui aures hæreticis accomodant.

XLV. C Porro hoc institutum semel adgressus, etiam specialiter, initio facto à Iudaismo, hæreticos omnes ad sua vsque tempora recenset, & imprimis Dositheum, Sadducæos, Pharisæos.

XLVI. Deinde eos, qui ex Euangelio hæretici esse voluerunt, Simonem Magum, Menandrum, Saturninum, Basilidem, Nicolaum.

XLVII. Quibus adiungit Ophitas, Cainæos, Sethoitas.

XLVIII. Præterea Carpocratem, Cerinthum, Hebionem.

XLIX. Valentinum deinceps, ac eius sequaces Ptolomæum, Secundum, Heracleonem.

L. Marcum item & Colarbasum.

Post hæc Cerdonem, Marcionem, eiusque discipulos Lucanum & Appellem.

Tatianum inde; & eos qui secundum Phrygas dicebantur, κατὰ Proclum, ac secundum Aeschinem, Montanistas.

Deniq; Blastum, Theodotũ vtrumque, Praxean & Victorinũ.

Ceterum præterquam quod ad librum hunc adludat Auctor infra initio librorum aduersus Hermogenem, 4 aduers. Marcion. & aduers. Praxean, eam repetens præscriptionem, de qua c. 28. 29. & 31. id verum esse quod prius sit traditum, falsum quod posterius: certe etiam nominatim eius meminit lib. De carne Christi, & lib. 1. adu. Marcionem. Priori loco: Sed plenius (inquit) eiusmodi Præscriptionibus aduersus omnes hæreses, alibi iam vsi sumus. Posteriori: Sed alius (inquit) libellus hunc gradum sustinebit, aduersus hæreticos, etiam sine retractatu doctrinarum reuincendos, quod hoc sint de Præscriptione nouitatis. Vbi duos titulos huius libri indicat De Præscriptionibvs Adversvs Hæreses, siue Adversvs Hæreticos. Minime vero illum, quem quidem breuitatis gratia legunt: De Præscriptionibvs Hæreticorvm, quia ille argumento libri contradicit, in quo vti in nostris Adnotationib. infra latius, præscriptionibus variis vtitur, non hæreticorum, sed aduersus hæreses. Atqui in codice Anglico MS. Ioannis Clementis, solum liber hic reperitur vsque ad illud: Quorum hæreticorum; & in cod. Vatic. MS. separatur a parte huius libri secunda. Quin etiã iam olim à Trithe. & Politian. non vnus, sed duo libri recensentur; aduersus vnus omnes hæreseis, alter de præscriptionib. aduersus hæreticos: & in 1. editione ac sæpissime in Adnotationibus, Rhenanus Catalogum hæreticorum inscripsit posteriorem huius libri partem. Verum recte, meo iudicio, adnotauit Gelenius ad marginem, Hanc adpendicem male reuulsam fuisse à reliquo corpore. Nimis enim abruptum esset illud libri noui iam dictum auspicium: Quorum hæreticorum, &c. maxime quum etiam libellis suis aliquam præfatiunculam soleat præmittere Tertullianus. Liberum interim iudicium relinquo cuiuis separandi si velit, eo quod separatim pars citetur posterior à Tertull. Scorpiaco aduers. Gnosticos, vbi dicit: Alibi se dimicasse de corpore hæreticæ cuiusque doctrinæ; quod ego intelligendum puto de Tractatu, vbi singulas hæreticas doctrinas recensebat. Edidit autem primum cum scholiis, & postea Adnotat. Rhen. deinde castigauit Gelen. postmodum anno 1560. seorsum, saltem præcipuam libri partem, Adnotationibus illustrauit vir eruditissimus Dn. Ioannes Quintinus Hæduus, Decretorum apud Parisios Professor, meus quondã præceptor: denique & Gallice integrum Audobertus Macereus, Parrisinus item Theologus, cum Scholiis aliquot, anno 1561. Nunc vero postremum, præterquam quod librum hunc ex dictis MS. cod. & variis editionibus recensa castigauimus, Adnotationes Quintini, & nostras, ac Macerei aliquot, adnotationibus Rhenani adiecimus, & nouo Argumento illustrauimus.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE PRÆSCRIPTIONIBVS ADVERSVS HÆRETICOS LIBER.

D Cap. I. ONDITIO 3 præsentium temporum, etiam hanc admonitionẽ prouocat nostriã, non oportere nos mirari super hæreses istas, siue quia sunt; futuræ enim prænunciabãtur: siue quia fidẽ quorundã subuertunt; ad hoc enim sunt, vt fides habendo tentationẽ, habeat etiã probationẽ. Vane ergo & inconsiderate pleriq; hoc ipso scandalizantur, 4 quod tantum hæreses valeant, quantum sint: quum quid sortitum est, vt omni modo sit, sicut causam accipit ob quam sit, sic vim consequitur per quam sit, ne esse non possit. [5 Febrem denique inter ceteros mortiferos & 6 cruciatios exitus 7 erogando homini deputatam, neq; quia est, miramur, est enim, neq; quia erogat hominem, ad hoc enim est. Proinde hæreses ad languorem & interitum fidei productas, si expauescimus, hoc eas posse, prius est, vt expauescamus hoc eas esse; quæ dum sunt, habent posse, & dum possunt, habent esse. Sed enim febrem vt malum, & de causa & de potentia sua, vt notum est, abominamur potius quam miramur, & quantum in nobis est, præcauemus, non habentes abolitionem eius in nostra potestate. Hæreses vero mortem æternam, & maioris ignis ardorem inferenteis, malunt quidam mirari quod hoc possint, quam deuitare ne possint: quum habeant deuitandi potestatem. Ceterum nihil valebunt, si illas tantum valere non mirentur. 8 Etenim dum mirantur, in scandalum subministrantur: aut quia scandalizantur, ideo mirantur quod tantum valeant, quasi ex aliqua veritate veniant. Mirum scilicet vt malum vires suas habeat: nisi quod hæreses apud eos multum valent, qui in fide non valent. In pugilum & gladiatorum, plerumq; non quia fortis est, vincit quis, aut quia non potest vinci, sed quoniam ille qui victus

Matt. 24. 1. Cor. 11. Cap. II.

est,

est, nullis viribus fuit: adeo idem ille victor bene valenti postea comparatus, etiam superatus recedit. Nō aliter hæreses de quorundam infirmitatibus habēt quod valent, nihil valentes si in bene valentem fidem incurrant. [9 Solent quidem illi[10] miriones etiam de quibusdam personis ab hæresi captis, ædificari in ruinam. Quare illa vel ille fidelissimi, prudentissimi, & vsitatissimi in Ecclesia,[11] in illam partem transierunt? Quis hoc dicens, non ipse sibi respondet, neque prudentes, neque fideles, neque vsitatos æstimandos, quos hæreses potuerint demutare? Et hoc mirum (opinor) vt probatus aliquis retro postea excidat? a Saul bonus præ ceteris; liuore postea euertitur. b Dauid vir bonus secundum cor Domini; c postea cædis & [12] stupri reus est. d Salomon omni gratia & sapientia donatus à Domino, ad idololatriā à mulieribus inducitur. Soli enim Dei filio seruabatur sine delicto permanere. Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr[13] lapsus à regula fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Nemo sapiens est, nisi fidelis;[14] nemo maior, nisi Christianus, nemo autem Christianus, nisi qui ad finem vsque perseuerauerit. Tu vt homo extrinsecus vnum quenq; nosti: putas quod vides. Vides autem quousque oculos habes.[15] Sed a *oculi*, inquit, *Domini alti* b *Homo in faciem*[16] *Deus in in præcordia contemplatur*. Et c ideo *cognoscit Dominus qui sunt eius*, & : d Plantam quam non plantauit pater, eradicat: & e de primis nouissimos ostendit: &[17] palam f in manu portat ad purgandam aream suam. Auolent quantum volent paleæ leuis fidei quocunque afflatu tentationum, eo purior massa frumenti in horrea Domini reponetur. Nonne ab ipso Domino quidam discentium scandalizati deuerterunt? Nec tamen propterea ceteri quoque discedendum à vestigiis eius putauerunt:[18] sed qui scierunt illum vitæ esse verbum, & à Deo venisse, perseuerauerunt in comitatu eius vsque ad ad finem: cum illis, si vellent & ipsi, discedere, placidè obtulisset. Minus est si & Apostolum eius,[19] aliqui a Phygellus, & Hermogenes; & b Philetus, & Hymenæus reliquerunt: c ipse traditor Christi de Apostolis fuit. Miramur de Ecclesiis eius, si à quibusdam deseruntur, quum ea nos ostendunt Christianos, quæ patimur ad exemplum ipsius Christi: *Ex nobis*, inquit, *prodierunt, sed non fuerunt ex nobis. si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum*. [20 Quin potius memores simus tam Dominicarum pronunciationum, quam Apostolicarum litterarum, quæ & nobis & futuras hæreses prænuntiarunt, & fugiendas præfinierunt: vt sicut esse illas non expauescimus, ita posse id propter q fugiendæ sunt, non miremur.[21] Instruit Dominus multos esse venturos, sub pellibus ouium rapaces lupos: Quænam istæ sunt pelles ouium, nisi nominis Christiani extrinsecus superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus & spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes? Qui pseudopropheræ sunt nisi falsi prædicatores?[22] Qui pseudapostoli, nisi adulteri euangelizatores? Qui antichristi interim & semper, nisi Christi rebelles? Hoc erunt hæreses non minus doctrinarum peruersitate Ecclesiam lacessentes quām tunc antichristus persecutionum atrocitate persequetur: nisi quod persecutio & martyras facit, hæresis apostatas tantum. Et ideo *hæreses* quoque *oportebat esse, vt probabiles quique manifestarentur*, tam qui in persecutionibus steterint, quàm qui ad hæreses nō exorbitauerint.[23] Neq; enim eos probabiles intelligi iuuat, qui in hæresim fidem demutant: sicut ex diuerso sibi interpretantur, quia dixit alibi:[24] *Omnia examinate, quod bonum est tenete*. Quasi non liceat omnibus male examinatis in electionē alicuius mali impingere per errorem. [25 Porro si dissensiones & schismata increpat, quæ sine dubio mala sunt, &[26] in continenti hæreses subiungit, quod malis adiungit, malum vtique profitetur. & quidē maius: cum ideo credidisse se dicat, de schismatibus & dissensionibus, quia sciret etiā hæreses oportere esse. Ostendit enim grauioris mali prospectu de leuioribus se facile credidisse, certe non vt ideo de malis crediderit, quia hæreses bonę essent, sed vti de peioris quoq; notæ tentationibus præmoneret nō esse mirandū, quas diceret impendere ad probabiles quosque manifestandos, scilicet quos non potuerint depraūare. Denique si totū capitulū ad vnitatem continendam, & separationes coercendas sapit: hæreses vero nō minus ab vnitate diuellunt, quam schismata & dissensiones, sine dubio & hæreses in ea conditione reprehensionis cōstituit, in qua schismata & dissensiones. Ac per hoc non eos probabiles facit, qui in hæreses deuerterint, [27 quū maxime deuerti ac eiusmodi obiurgans, & docens, vnum omnes loqui; & idipsum sapere, quod etiā hæreses non sinunt. [28 Nec diutius de isto, si idē est Paulus, qui & alibi hæreses inter carnalia crimina enumerat,[29] scribēs ad Galatas; & qui Tito suggerit, hominē hæreticum post primam correptionem recusandum, quod peruersus sit eiusmodi & delinquat, vt à semetipso dānatus. Sed & in [30] omni pene epistola de [31] adulterinis doctrinis fugiendis inculcās, hæreses taxat; quarum opera sunt adulteræ doctrinæ:[32] hæreses dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis siue ad instituendas, siue ad suscipiēdas eas vtitur.[34] Ideo & sibi damnatū dixit hęreticum, quia & in quo dānatur, sibi elegit. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquā ex suo arbitrio, quod inducerēt, elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignauerunt. Itaque etiamsi angelus de cœlis aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis. Prouiderat iam tunc spiritus sanctus futurum [35] in virgine quadam Philumene angelum seductionis; transfigurātem se in angelum lucis, cuius signis & præstigiis Apelles inductus, nouam hæresim induxit. [36 Hæ a sunt doctrinæ hominum & b dæmoniorum, c purientibus auribus natæ [37] de ingenio d sapientiæ secuti, quam Dominus stultitiam vocans e stulta mundi in confusionem etiā Philosophiæ ipsius elegit. Ea est enim materia sapientiæ secularis, temeraria interpres diuinæ naturę & dispositionis. Ipsæ deniq; hæreses à Philosophia [38] subornantur. [39 Inde Æones & formæ, nescio quæ, & trinitas hominis apud Valent. Platonicus fuerat. [40 Inde Marcionis. Deus melior de trāquillitate, à Stoicis venerat. [41 Et vti anima interire dicatur, ab Epicureis obseruatur. Et vt [42] carnis restitutio negetur, de vna omnium Philosophorum schola sumitur. [43 Et vbi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est: [44 & vbi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus interuenit. Eædem materiæ apud hæreticos & Philosophos volutantur, idem retractatus implicantur. Vnde malum, & quare? & vnde homo, & quomodo? Et quod proxime Valentinius proposuit, Vnde Deus? [45 Scilicet de enthymesi, & ectromate. [46 inserunt Aristotelem, qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi & destruendi versipellem, in sententiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit. [47 Hinc illæ fabulæ & genealogiæ [48] indeterminabiles, & quæstiones infructuosæ, & termones serpentes velut cancer, à quibus nos Apostolus refrænans, nominatim Philosophiam testatur caueri oportere, scribens ad Colossenses: *Videte* [49 *ne quis vos circumueniat per Philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, præter prouidentiam Spiritus sancti*. Fuerat Athenis, & istam sapientiam humanam, affectatricem, & interpolatricem veritatis, de congressibus nouerat, ipsam quoque in suas hæreses multipartitam [50] varietate sectarum inuicem repugnantium. Quid ergo Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? Nostra institutio [51] de porticu Solomonis est, [52] qui & ipse tradiderat: Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum & Dialecticum, Christianismum protulerunt. [53 No

A
Cap. III.
a 1. Reg. 10. b 1. Reg. 13. c 2. Reg. 12. d 3. Reg. 3. & 11.
B
Matth. 10.
a 4. Esd. 8. b 1. Re. 16. c 2. Tim. 2. d Mat. 13. e Mat. 10. f Matth. 3. Luc. 3. Ioan. 6.
a 2. Tim. 1. b 2. Tim. 2. c Mat. 26.
C
1. Ioan. 2.
Cap. IV.
Matth. 24. Matth. 7. Vbi supra. 1. Cor. 11. 1. Ioan. 2.
D
1. Cor. 11. 1. Thess. 5. Cap. V.
E
1. Cor. 11.
1. Cor. 2. Rom 11. Cap. VI. Gal. 5. Tit. 3.
F
Gal. 1.
2. Cor. 11. Cap. VII. a Coloss. 2. b 1. Tim. 4. c 2. Tim. 4. d 1. Cor. 3. e 1. Cor. 1.
G
H
1. Tim. 1. Tit. 3. 2. Tim. 2.
Coloss. 2.
Act. 17.
Sap. 1. Cap. VIII.

bis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium, Cum credimus, nihil desideramus vltra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod vltra credere debeamus. Venio itaque ad illum articulum, quem & nostri prætendunt 54 ad ineundam curiositatem, & hęretici inculcant ad importandam curiositatem. Scriptū est, inquiunt: *Quærite, & inuenietis.* Quando hanc vocem Dominus emisit, recordemur. 55 Puto in primitiis ipsis doctrinæ suæ, cum adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset. Et cum adhuc nec Petrus illum Dei filium pronunciasset, 56 cum etiam Ioannes, de illo certus esse desisset. Merito ergo tunc dictum est, *Quærite & inuenietis* quando quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat: & hoc quantum ad Iudæos. Ad illos enim pertinet totus sermo suggillationis istius, qui habebant vbi quærerent Christū. 57 *Halent*, inquit, *Moysen & Heliam*, id est, Legē & Prophetas Christum prædicantes: secundum quod & alibi aperte: 58 *Scrutamini*, inquit, *scripturas, in quibus salutem speratis.* Illæ enim de me loquuntur. Hoc erit, *quærite & inuenietis.* Nam & sequentia in Iudæos competere manifestum est, *Pulsate & aperietur* 59 *vobis.* Iudæi retro penes Deum fuerant, dehinc eiecti ob delicta, extra Deum esse cœperunt. 60 Nationes vero nunquam penes Deum; 61 nisi stillicidium de situla, & puluis ex area; & 62 foris semper. Itaq; qui foris semper, quomodo pulsabit eo vbi nunquam fuit? quam ianuam nouit, in qua nec receptus nec eiectus aliquando? an qui scit se intus fuisse & foris actum, is potius pulsabit, & ostium nouit? Etiam: *Petite & accipietis*, ei cōpetit, qui sciebat à quo esset petendum, à quo & erat aliquid promissum, à Deo scilicet Abraham, Isaac & Iacob, quem nationes non magis nouerant quam vllam repromissionem eius. Et ideo ad Israel loquebatur: *Non sum*, inquit, *missus, nisi ad oues perditas domus Israelis.* Nondum canibus iactabat panem filiorum: nondum in viam nationum ire mandabat. Si quidem in fine præcepit, vt vaderent ad docendas & tinguendas nationes; consecuturi mox spiritum sanctū paracletū, qui illos deducturus esset in omnē veritatem. Et hoc erga illos facit. Quod si nationibus destinati doctores Apostoli, ipsi quoque doctorem consequuturi erant paracletum; 63 multo magis vacabat ergo nos: *Quærite & inuenietis*: quibus vltro erat obuēctura doctrina per Apostolos, & ipsis Apostolis per spiritum sanctum. Omnia quidem dicta Domini omnibus posita sunt, quę per aures Iudęorum ad nos transierunt; sed pleraque in personas directa, nō proprietatem admonitionis nobis constituerunt, sed exemplum. [64 Cedo nunc sponte de gradu isto: omnibus dictum sit, *Quærite & inuenietis*: tamen & hic expetit sensus certæ interpretationis gubernaculum. 65 Nulla vox diuina ita dissolua est & diffusa, vt verba tātum defendantur, & ratio verborum non constituatur. Sed in primis hoc propono: 66 Vnum vtique & certum aliquid institutum esse à Christo, quod credere omni modo debeant nationes, & idcirco quęrere, vt possint cum inuenerit credere. Vnius porro & certi instituti, infinita inquisitio non potest esse: quærendum est donec inuenias, & credendum vbi inueneris: & nihil amplius, nisi custodiendum quod credidisti: dum hoc insuper credis, aliud non esse credendum, ideoque nec requirendū, cum id inueneris & credideris quod ab eo institutum est, qui nō aliud tibi mandat inquirendum, quā quod instituit. De hoc quidem si quis dubitat, constabit penes nos esse id quod à Christo institutū est. 67 Interim ex fiducia probationis præuenio, admonēs quosdā nihil esse quærendum vltra quod crediderunt, id esse quod quærere debuerunt: ne, *Quærite & inuenietis*, sine disciplina rationis interpretentur. [68 Ratio autem dicti huius in tribus articulis constitit: In re, in tempore, in modo. In re, vt quid sit quærendum consideres. In tempore, vt quādo. In modo, vt quousque. Igitur quærendum est quod Christus instituit, vtique quamdiu non inuenis, & vtique donec inuenias. Inueniſti autem cum credidisti. nam non credidisses, si non inuenisses, sicut nec quæsisses, nisi vt inuenires. Ad hoc ergo quæris vt inuenias, & ad hoc inuenies vt credas. Omnem prolationem quærendi & inueniendi credendo fixisti, hunc tibi modum statuit fructus ipse quęrendi. Hanc tibi fossam determinauit ipse qui te non vult aliud credere, quam quod instituit, ideoq; nec quærere. Ceterū si quia alia tanta ab aliis sunt instituta, propterea in tantū quærere debemus, in quātū possumus inuenire; semper quæremus, & 69 nunquam omnino credemus. Vbi enim erit finis quęrendi? 70 vbi statio credendi? vbi expunctio inueniendi? Apud Marcionem? sed & Valentinus proponit: *Quærite & inuenietis.* Apud Valētinū? sed & Apelles hac me pronunciatione pulsabit, & Hebion, & Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo se mihi insinuantes, me sibi adducant. 71 Ero itaque nusquam, dum vbique conuenior: *Quærite & inuenietis*: & velint me sic esse nusquam, quasi qui nunquam apprehenderim illud quod Christus instituit; quod quæri oportet, quod credi necesse est. [72 Impune erratur, nisi delinquatur, quamuis errare delinquere est. Impune, inquam, vagatur, qui nihil deserit. At enim si quod debui credere credidi, & aliud denuo puto requirendū, spero vtique & aliud esse inueniendū, nullo modo speraturus istud nisi quia aut non credideram qui videbar credidisse, aut desii credidisse. Ita fidem meam deserens, 73 negator inuenior. Semel dixerim, Nemo quærit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit. 74 Perdiderat vnam ex decem didrachmis anus illa, & ideo quærebat: vbi tamen inuenit, quærere desiit. Panem vicinus non habebat, & ideo pulsabat: vbi tamen apertum est ei, & vt accepit, pulsare cessauit. Vidua à iudice petebat audiri, quia non admittebatur: sed vbi audita est, hactenus institit. Adeo finis est, & quærendi, & pulsandi, & petendi. *Petenti enim dabitur*, inquit, *& pulsanti aperietur*, & 75 *quærēti inuenietur.* 76 Viderit qui quærit semper, quia nō inuenit. Illic n. quærit vbi non inuenietur. Viderit qui semper pulsat, quia nunquā aperietur. Illic enim pulsat, vbi nemo est. Viderit qui semper petit, quia nunquā audietur. Ab eo enim petit, qui non audit. [77 Nobis etsi quærendum esset adhuc & semper, vbi tamen quæri oportet? 78 Apud hæreticos? vbi omnia extranea & aduersaria nostræ veritati; ad quos vetamur accedere. Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicā ab inimico domini sui sperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus regibus, 79 donatiuum & stipendiū captat; nisi plane desertor & transfuga & rebellis? Etiam anus illa intra tectū suum dragmam requirebat: etiam pulsator ille vicini ianuam tundebat: etiam vidua illa nō inimicum, licet durum, iudicem interpellabat. Nemo inde strui potest, vnde destruitur. 80 Nemo ab eo illuminatur, à quo cōtenebratur. Quæramus ergo in nostro, & à nostris & de nostro: idq; duntaxat quod salua regula fidei potest in quæstionem deuenire. [81 Regula est autē fidei, vt iā hinc quid credamus profiteamur, illa scilicet qua creditur: 82 Vnum a omnino Deum esse; b nec alium præter mundi conditorem; c qui vniuersa de nihilo produxerit, d per verbum suū primo omnium emissum: Id 83 Verbum e filiū eius appellatum, f in nomine Dei varie visum Patriarchis g in Prophetis semper auditum, 84 postremo h delatum ex spiritu Dei patris & virtute in virginem Mariam, i carnem factum in vtero eius, & ex k ea natum hominem & esse Iesum Christum: l exinde prædicasse nouam legem, & nouā promissionē regni cœlorū, m virtutes fecisse: 81 Fixū n cruci; 86 Tertia o die resurrexisse: 87 In p cœlos ereptum sedere ad dexterā patris: 88 Misisse q vicariam vim Spiritus sancti qui credētes agat: 89 Venturū r cū claritate. 90 ad s sumendos sanctos in vitæ æternæ & promissorū cœlestiū fructum, & ad prophanos iudicādos igni perpetuo, 91 facta t vtriusq; partis resuscitatione cū carnis resurrectione. [92 Hæc regula à Christo vt probabitur instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt. Ceterum manente forma eius in suo ordine; quantumlibet quæras & tractes, & omnē libidinem curiositatis effundas,

si quid

Matth. 7. „ „ *Matth.* 16. *Matth.* 11. *Luc.* 16. *Ioan.* 5. *Matth.* 7. *Isai.* 40. 1 *Cor.* 15. *Matth.* 7. *Exod.* 3. *Matth.* 15. *Ibid.* *Matth.* 10. *Matth.* 28. *Ioan.* 16. *Matth.* 7. *Rom.* 15. *Luc.* 15. *Luc.* 11. *Luc.* 18. 2. *Ioan.* 1. *Luc.* 11.

Cap. IX. Cap. X. Cap. XI. Cap. XII. Cap. XIII. Cap. XIV.

a *Deut.* 6. b *Isai.* 40. c 2. *Mac.* 7. d *Ioan.* 1. e *Ibidem.* f *Gen.* 32. g *Hebr.* 1. h *Matth.* 1. i *Ioan.* 1. k *Matth.* 2. l *Matth.* 4. m *Matt.* 9. n *Matt.* 28. o *Ibidem.* p *Marc.* 16. q *Act.* 2. r *Matt.* 24. s *Matt.* 25. t *Ioan.* 5.

si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari: 93 est vtiq; frater aliquis doctor gratia scientiæ donatus: est aliquis inter exercitatos cõuersatus, aliquis tecum curiosus: tecum tamen quærens: nouissime ignorare melius est, ne quod debeas noris, quia quod debeas nosti. *Fides*, inquit, *tua te saluum fecit*: non excercitatio scripturarum. Fides 94 in regula posita est: habes legẽ, 95 & saluté ex obseruatione legis: exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti. Certe aut nõ obstrepant, aut quiescant aduersus regulam. Nihil vltra scire, omnia scire est. Vt non inimici essent veritatis hæretici, vt de refugiendis eis non præmoneremur, quale est conferre cum hominibus, qui & ipsi adhuc se quærere confitentur? Si enim vere adhuc quærunt, nihil adhuc certi deprehenderunt: & ideo quodcunque videntur interim tenere, dubitationem suam ostendunt quandiu quærunt. Itaque tu qui proinde quæris, spectans ad eos qui & ipsi quærunt, dubius ad dubios, certus ad incertos, cæcus ad cęcos, in foueam deducaris necesse est. 96 Sed quum decipiendi gratia prætendunt se adhuc quærere, vt nobis per sollicitudinis iniectionem tractatus suos insinuent: denique vbi audierunt ad nos, statim quæ dicebant quærenda esse defendunt: iam illos sic debemus refutare, vt sciant nos non Christo, sed sibi negatores esse. Cum enim quærunt adhuc, nondum tenent: cum autem non tenent, nondum crediderunt. Cum autem nondum crediderunt, nõ sunt Christiani. At cum tenent quidem & credunt, quærendum tamen dicunt vt defendant: antequam defendant, negant quod credunt, confitentes se nondum credidisse, dum quærunt. Qui ergo nec sibi sunt Christiani, quanto magis nobis? Qui per fallaciam veniunt, qualem fidem disputant? 97 cui veritati patrocinantur, qui eam à mendacio inducunt? [98 Sed ipsi & de scripturis agunt, & de scripturis suadent. Aliunde scilicet loqui possent de rebus fidei, nisi ex litteris fidei. 99 Venimus igitur ad propositum: huc enim dirigebamus, & hoc præstruebamus, ad locutionis præfationẽ, vt iam hinc de eo congrediamur, de quo aduersarii prouocant. Scripturas obtendunt, & hac sua audacia statim quosdam mouent: in ipso vero cõgressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendos eos ad vllam de scripturis disputationem: si hæ sunt vires eorum, anne eas habere possint dispici debet, cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit. [100 Hoc de consilio dissidentiæ, aut de studio aliter ineundæ 101 cõstitutionis induxerim, nisi ratio cõstiterit, in primis illa, quod fides nostra obsequium Apostolo debeat, 102 prohibenti quæstiones inire, nouis vocibus aures accommodare, hæreticum 103 post vnam correptionem conuenire, non post disputationem. Adeo interdixit disputationem, correptionẽ designans causam hæretici conueniendi: & hoc vnam, scilicet quia nõ est Christianus: ne more Christiani, semel & iterum, & sub duobus aut tribus testibus castigandus videretur: cum ob hoc sit castigandus propter quod non sit cum illo disputandum. [104 Deinde quoniam nihil proficiat congressio scripturarum, nisi plane vt aut stomachi qui ineat euersionem, aut cerebri. Ista 105 hæresis non recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, adiectionibus & detrectationibus ad dispositionem instituti sui interuertit: & si recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessario nolunt agnoscere ea, per quæ reuincuntur: his 106 nituntur quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt. Quid promouebis exercitatissime scripturarũ, cum si q.d defenderis, negetur ex diuerso, si quid negaueris, defendatur. Et tu quidẽ nihil perdes, nisi vocẽ in contentione: nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione. [107 Ille vero, si quis est cuius causa in congressum descendis scripturarum, vt eum dubitantem confirmes, ad veritatem an magis ad hæreses deuerget? hoc ipso motus, quod te videat nihil promouisse 108 æquo gradu negandi & defendẽdi, diuersa parte statutũ: certe de pari altercatione incertior discederet, nesciens quam hæresin iudicet. Hæc 109 vtiq; & ipsi habent in nos retorquere. Necesse est enim & illos dicere à nobis potius adulteria scripturarum & expositionum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem. [110 Ergo non ad scripturas prouocandum est: nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi nõ ita euaderet conlatio scripturarum, vt vtranque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa, Cuius sint scripturæ: A quo, & per quos, & quando, & 111 quibus sit tradita disciplina qua fiunt Christiani. 112 vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas scripturarum & expositionum, & omnium traditionum Christianarum. [113 Christus Iesus Dominus noster permittat dicere, 114 Interim quisquis est Christus, cuiuscũq; Dei filius, cuiuscũq; materiæ homo & Deus, cuiuscunq; fidei præceptor, cuiuscũq; mercedis promissor. 115 Quid a esset, quid b fuisset, c quam patris volũtatẽ administraret, d quid homini agẽdũ determinaret, quãdiu in terris agebat, ipse pronuntiabat, e siue populo palã, f siue discentibus seorsum. Ex g quibus, duodecim præcipuos lateri suo adlegerat destinatos Nationibus magistros. Itaque h vno eorũ decusso, i reliquos vndecim regrediens ad patrẽ post resurrectionẽ, iussit ire & docere Nationes, 116 tinguendas in Patrẽ & in Filium & in Spiritum sanctum. k Statim igitur 117 Apostoli (quos hæc appellatio Missos interpretatur) assumpto per sortẽ duodecimo Matthia in locum Iudæ, l ex auctoritate prophetiæ, quæ est in Psalmo Dauid, m consecuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes & eloquium, 118 primo n per Iudæam contestata fide in Iesum Christũ, & Ecclesiis institutis, 119 dehinc o in orbem profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei Nationibus promulgauerunt, & proinde 120 Ecclesias p apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus 121 traducem fidei & semina doctrinæ, ceteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur vt Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur, necesse est, 122 Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem. 123 Communicatio pacis, & 124 appellatio fraternitatis, & 125 contesseratio hospilitatis, quæ iura nõ alia ratio regit, quam 126 eiusdem sacramenti vna traditio. [127 Hanc igitur dirigimus præscriptionem: Si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit, quia *nec alius patrem nouit nisi filius, & cui filius reuelauit*, nec aliis videtur reuelasse filius, quam Apostolis quos misit ad prædicandum, vtiq; quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam 128 viua (quod aiunt) voce, quam per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis 129 matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, 130 quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarũ, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Superest ergo vt demonstremus, an hæc nostra doctrina, cuius regulã supra ædidimus, de Apostolorũ traditione cẽseatur, & ex hoc ipso, an ceteræ de mẽdacio veniant. Communicam[9] cũ Ecclesiis Apostolicis, q[9] nulla doctrina di-

uersa,

A
Luc. 18.
B
Matth. 15.
Ca. XV.
C
Ca. XVI. 1. Timot. 6. Tit. 3.
Matth. 18.
Ca. XVII.
D
Ca. XVIII.
E
Ca. XIX.
CA. XX.
F
a Ioan. 9.
b Ioan. 8.
c Ioan. 6.
d Matt. 19.
e Matth. 5.
f Matt. 12.
g Matt. 10.
h Mat. 17.
i Mat. 28.
k Act. 1.
l Psal. 108.
m Act. 2.
n Act. 8. 9. 11.
o Act. 13.
p Act. 14.
G
Ca. XXI. Matth. 16.
Luc. 10.
H
1. Thess. 2.

A
Ca. XXII.
uersa, hoc est testimonium veritatis. [131 Sed quoniam tam expedita probatio est, vt si statim proferatur, nihil iam sit retractandum, ac si prolata non sit à nobis, locū interim demus diuersæ parti, si quid putant ad infirmandam hanc præscriptionem mouere se posse. 132 Solent dicere non omnia Apostolos sciisse, eadem agitati dementia qua rursus conuertunt: omnia quidem Apostolos sciisse, sed non omnia omnibus tradidisse, in vtroque Christum reprehensioni subiicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit.
Matth.28. Quis enim integræ mentis, credere potest aliquid eos
Matth.13. ignorasse, 133 quos magistros Dominus dedit, indiui-
Matth.16. duos habitos in comitatu, in discipulatu, in conuictu,
Ioan.21. quibus obscura quæque seorsim differebat, illis dicens
Ioan.13. datum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere
Ioan.19. non liceret? Latuit aliquid 134 Petrum ædificandæ Ec-
Matth.17. clesiæ petram dictum, claues regni cœlorum consecu-
Deut.19. tum, & soluendi & alligandi in cœlis & in terris pote-
Luc.24. statem? Latuit & Ioannem aliquid dilectissimum Domino, pectori eius incubantem, cui soli Dominus Iudam traditorem præmonstrauit, quem loco suo filium
B
Mariæ demandauit? Quid eos ignorasse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit, & Moysen & Heliam, & insuper de cœlo patris vocem? non quasi ceteros reprobans, sed: 135 quoniam *in tribus testibus stabit omne verbum.*
Ignorauerunt itaq; & illi, quibus post resurrectionem
Ioan.16. quoque in itinere omnes scripturas edisserere dignatus est. Dixerat plane aliquādo: *Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modo ea sustinere.* tamen adiiciens: *Cum venerit ille spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem:* ostendit illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem
Act.2. consecuturos per spiritum veritatis repromiserat, & vtique impleuit repromissum, probantibus Actis Apostolorum descensum Spiritus sancti. 136 Quam scripturam qui non recipiunt, nec Spiritum sanctum possunt agnoscere discentibus missum, sed nec Ecclesiam se dicant defendere, qui, quando, & quibus incunabulis institutū est hoc corpus, probare non habent. Tanti enim est illis non habere probationes eorum quæ defendūt, ne pariter admittantur 137 traductiones eorū quę mentiuntur. [138 Proponunt ergo ad suggillandam ignorantiam aliquam Apostolorum, quod Petrus & qui cum eo
Ca.XXIII. C
Gal.2. erant, reprehensi sint à Paulo. Adeo, inquiunt, aliquid eis defuit: vt ex hoc etiam illud struant, potuisse postea
Act.9. pleniorem scientiā superuenire, qualis obuenerit Paulo reprehendenti antecessores. Possumus & hic Acta Apostolorū repudiantibus dicere: Prius est, vti ostēdatis, quis iste Paulus, & quid ante Apostolum, & quomodo
Gal.1. Apostolus. 139 quatenus & alias ad quæstiones plurimū
Ioan.5. eo vtuntur. Neque enim, si ipse se Apostolum de per-
Gal.2. sequutore profitetur, sufficit vnicuique 140 examinate credenti, quando nec Dominus ipse de se testimonium dixerit. Sed credant sine scripturis, vt credant aduersus scripturas: tamen doceant ex eo, quod allegant Petrum à Paulo reprehensum, aliam Euangelii formam
Act.9. à Paulo superinductam, citra eam quam præmiserat Petrus & ceteri. Atquin demutatus in prædicatorem de persequutore, deducitur ad fratres à fratribus, vt vnus ex fratribus, & ad illos ab illis qui ab Apostolis fidem induerant. Dehinc, sicut ipse enarrat, ascendit Hierosolymam cognoscendi Petri causa, ex officio & iure scilicet eiusdem fidei & prædicationis. Nam & illi non es-
Gal.2. sēt admirati de persecutore factū prædicatorē, si aliquid
Act.9. contrariū prædicaret, nec Dominum præterea magnifi-
Act.21. cassent, quia aduersarius eius Paulus obuenerat. Itaq;
Gal.2. & dexteram ei dederunt signū concordiæ & conuenientiæ: & inter se distributionē officii ordinauerunt, nō separationē Euangelii: nec vt aliud alter, sed vt aliis alter
D
prædicaret, Petrus in circūcisionē, Paulus in Nationes. Ceterum si reprehensus est Petrus, quod cum conuixisset ethnicis, postea se à conuictu eorū separabat personarum respectu: vtiq; conuersationis fuit vitium, non prædicationis. 141 Non enim ex hoc alius Deus quam creator, & alius Christus, quā ex Maria, & alia spes quā
Ca.XXIV. resurrectio annuntiabatur. [142 Non mihi tam bene est, immo non mihi tam male est, 143 vt Apostolos committam. Sed quoniam peruersissimi isti illam reprehensionē ad hoc obtendunt, vt suspectam faciant doctrinā superiorem, respōdebo quasi pro Petro: ipsum Paulum dixisse, factum se omnibus esse omnia, Iudæis Iudæum, non Iudæis non Iudæū, vt omnes lucrificaret. Adeo pro temporibus & personis & causis quædam reprehendebant, in quæ & ipsi æque pro temporibus & personis & causis cōmittebant: quemadmodū si & Petrus reprehēderet Paulum, quod prohibens circuncisionem, circunciderit ipse Timotheum. Viderint qui de Apostolis iudicant. Bene quod 144 Petrus Paulo & in martyrio adæquatur. 145 Sed & si in tertium vsque cœlum ereptus Paulus & in Paradisum delatus audiit quędam illic, non possunt videri ea fuisse, quæ illum in aliam doctrinam instructiorem præstarent, cum ita fuerit conditio eorū, vt nulli hominū proderentur. 146 Quod si ad alicuius conscientiam manauit nescio quid illud, & hoc se aliqua hæresis sequi affirmat, aut Paulus secreti proditi reus est, aut & alius postea in paradisum ereptus debet ostendi, cui permissum sit eloqui, quæ Paulo mutire nō licuit. [147 Sed, vt diximus, eadem dementia est, cum confitentur quidem nihil Apostolos ignorasse, nec diuersa inter se prædicasse, sed non omnia volūt illos omnibus reuelasse: quædam enim palam, & vniuersis: quędam secreto, & paucis demandasse: quia & hoc verbo vsus est Paulus ad Timotheum: *O Timothee, depositum custodi.* Et rursum: *Bonum depositum custodi.* Quod hoc depositum est, tam tacitum, vt alterius doctrinæ deputetur? An illius denuntiationis, de qua ait? 148 *Hanc denuntiationem commendo apud te filiole Timothee.* Item illius præcepti, de quo ait: *Denuntio tibi ante Deum,* 149 *qui viuificat omnia, & Iesum Christum, qui testificatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt custodias præceptum.* Quod autem præceptum, quæ denuntiatio, ex supra & infra scriptis intelligetur, non nescio quid subostendi hoc dicto de remotiore doctrina, sed potius inculcari de non admittenda alia præter eam, quam audierat ab ipso: & puto, 150 *coram multis*, inquit, *testibus.* Quos multos testes si nolunt Ecclesiam intelligi, nihil interest quomodo nihil tacitum fuerit, quod sub multis testibus proferebatur. Sed nec quia monet illum: hæc fidelibus hominibus demandare, qui idonei sint & alios docere, id quoque argumentum occulti alicuius Euangelii interpretandum est. Nam & cum dicit, *Hæc*, de eis dicit, de quibus in præsenti scribebat: de occultis autem vt de absentibus apud conscientiam, non hæc, sed illa dixisset. [151 Porro consequens erat, vt cui demandabat Euangelii administrationem, non passim nec inconsiderate administrandam adiiceret, secundum Dominicam vocē, ne margaritam porcis, & sanctum canibus iactaret. Dominus palam edixit, sine vlla significatione alicuius taciti sacramenti, ipse præceperat: si 152 quid in tenebris & in abscondito audissent, in luce & in tectis prædicarent. Ipse per similitudinem præfigurauerat: ne 153 vnam mnam, id est, vnum verbum eius, sine fructu in abdito reseruarent. Ipse docebat lucernam 154 non sub modio abstrui solere, sed in cādelabrū cōstitui, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Hæc Apostoli aut neglexerunt, aut minime intellexerunt, si non adimpleuerunt, abscondentes aliquid de lumine, id est, de Dei verbo, & Christi sacramento. Neminem quod scio verebātur, nō Iudæorū vim, non ethnicorū: quo magis 155 vtiq; in Ecclesia libere prædicabant, qui in synagogis & in locis publicis non tacebant: immo neque Iudæos conuertere, neque ethnicos inducere potuissent, nisi, quod credi ab eis volebant, ordine exponerent. Multo magis iam credentibus Ecclesiis nihil subtraxissent, q̄ aliis paucis seorsum demandarent: quamquā etsi quædā inter domesticos, vt ita dixerim, differebant, non tamen ea fuisse credendum est, quæ aliam regulam fidei superducerent, diuersam & contrariā illi, 156 quā catholice in medium proferebant: 157 vt alium Deum in Ecclesia dicerent, alium in hospitio: & aliam Christi substantiam designarent in aperto, aliam in secreto: & aliam spem

E
1.Cor.9.
Act.16. Gal.6. Act.16. 2. Cor.11.
Ca.XXV. F
2. Tim.1. Ibid. 1.Tim.1. 1.Tim.6.
2.Tim.2.
G
Ibid.
Cap.XXVI.
Matth.7. Matth.5. Luc.19. Matth.5.
Act.4. 1.Cor.1.
H

A

2. Cor. 1.

Matt. 5.

Cap. XXVII.

Gal. 3. Gal. 5. Gal. 1. 1. Cor. 3. 1. Cor. 8. Rom. 1. & 15. Ephes. 1. Phil. 1.

B

Cap. XXVIII. Ioan. 14. & 16.

Cap. XXIX.

C

Matt. 24. Gal. 1. Cap. XXX.

D

1. Cor. 11. Marc. 14.

resurrectionis apud omnes annuntiarent, aliam apud paucos: cum ipsi obsecrarent in epistolis suis vt idipsum & vnum loquerentur omnes, & non essent schismata & dissensiones in Ecclesia, quia siue Paulus, siue alii, eadem prædicarent. Alioquin meminerant: *Sit sermo vester: est, est: non, non: quod amplius, hoc à malo est*, ne scilicet Euangelium in diuersitate tractarent. [158 Si ergo incredibile est, vel ignorasse Apostolos plenitudinem prędicationis, vel non omnem ordinem regulę omnibus ædidisse, videamus ne forte Apostoli quidem simpliciter & plene, Ecclesiæ autem suo vitio aliter acceperint quam Apostoli proferebant. Omnia ista scrupulositatis incitamenta inuenias prętendi ab hęreticis. Tenent correptas ab Apostolo Ecclesias, *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit?* &, [159 *Tam bene currebatis, quis vos impedijt?* ipsumque principium? *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vocauit in gratiam, ad aliud Euangelium.* Item ad Corinthios scriptum, quod essent adhuc carnales qui lacte educarentur, nondum idonei ad pabulum; qui putarent se scire aliquid, quando nondum scirent, quemadmodum sciri oporteret. Cum correptas Ecclesias opponunt, credant emendatas. Sed & illas recognoscant, de [160 quarum fide & scientia & conuersatione Apostolus gaudet, & Deo gratias agit: quæ tamen hodie cum illis correptis vnius institutionis iura commiscent. [161 Age nunc: Omnes errauerint; deceptus sit & Apostolus de testimonio reddendo quibusdam: nullam respexerit Spiritus sanctus, vti eam in veritatem deduceret: ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de patre vt esset doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipse per Apostolos prædicabat. Ecquid verisimile est, vt tot ac tantæ in vnam fidem errauerint? Nullus inter multos euentus est vnus exitus: variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Ceterum quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere, illos erasse qui tradiderunt? [162 Quoquo modo sit erratum; tam diu vtique regnauit error, quam diu hæreses non errant. Aliquos Marcionitas & Valentinianos liberanda veritas expectabat: interea perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot milia milium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot deniq; martyria perperam coronata. Aut si nec perperam nec in vacuũ, quale est vt ante res Dei curterent, quam cuius Dei notum esset? ante Christiani, quam Christus inuentus? ante hæreses, quam vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit: postremo, similitudo succedit. Ceterum satis ineptum, vt prior in doctrina hæresis habeatur; vel quoniã ipsi est quæ futuras hæreses & cauendas prænuntiauit. Ad eius doctrinę Ecclesiam scriptum est, immo ipsa doctrina ad Ecclesiam suam scribit: *Et si angelus de cœlo aliter euangelizauerit citra quam nos, anathema sit.* [Vbi [163] tunc Marcion, [164] Ponticus nauclerus, Stoicæ studiosus? Vbi tunc Valentinus Platonicæ sectator? Nam constat illos, [165] neque adeo olim fuisse, Antonini fere Principatu, & in [166] Catholicam primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec [167] sub Episcopatu Eleutheri benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel & iterum eiecti, Marcion quidem [168] cum ducentis sestertiis suis quæ [169] Ecclesiæ intulerat, [170] nouissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminauerunt. Postmodum Marcion pœnitentiam confessus, [171] cum conditioni datæ sibi occurrit, [172] ita pacem recepturus, si ceteros quoque quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præuentus est (oportebat enim hæreses esse) nec tamen ideo bonum hæreses, quia esse eas oportebat: quasi non & malum oportuerit esse. Nam & Dominum tradi oportebat, sed væ traditori: ne quis etiam hinc hæresim defendat. [173] Si & Apellis stemma retractandum est, tam non vetus & ipse Marcion institutor & præformator eius: sed lapsus in fœminam desertor [174] continentiæ Marcionensis, ab oculis sanctissimi magistri Alexandriam secessit. Inde post annos regressus non melior, nisi tantum qua iam non Marcionites, in alterã feminam impegit, illam virginem Philumenen (quam supra ædidimus) postea vero immane prostibulum & ipsam, [175] cuius energemate circumuentus, quæ ab ea didicit [176] Phaneroseis scripsit. Adhuc in seculo supersunt qui meminerint eorum, etiã proprii discentes & successores ipsorum ne posteriores negare possint. Quanquam & de operibus suis, vt dixit Dominus, reuincũtur. Si enim Marcion nouum Testamentum à vetere seperauit, posterior est eo quod separauit, quia separare non posset, nisi quod vnitum fuit: vnitum ergo ante quam separaretur, postea factum separatum, posteriorem ostendit separatorem. Item Valentinus, aliter exponẽs & sine dubio emẽdans hoc nomine, quicquid emendat, vt mẽdosum retro alterius fuisse demonstrat. Hos vt insigniores, & frequentiores adulteros veritatis nominamus. Ceterũ & [177] Nigidius nescio qui, & Hermogenes, & multi alii adhuc ambulant peruertentes vias Dei. Cupio, ostendãt mihi, ex qua auctoritate prodierunt. Si aliũ Deum prædicant, quomodo eius Dei rebus & literis & nominibus vtũtur aduersus quẽ prædicant? si eundem, quomodo aliter? [178] Probent se nouos Apostolos esse: dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterũ mottuum, iterum resuscitatum: sic enim Ado stolos solet facere, dare illis præterea virtutem, eadem signa ædendi, quę & ipse. Volo igitur & virtutes eorum proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in peruersum æmulantur. Illi [179] enim de mortuis viuos faciebant, isti de viuis mortuos faciunt. [Sed [180] ab excessu, reuertar ad principalitatem veritati, & posteritatem mendacitati deputandam, ex illius quoq; parabolæ patrocinio, quæ bonum semen frumẽti à Domino seminatum primo constituit, [181] zizania autem sterilis fœni adulterium ab inimico diabolo postea superducit. Proprie enim doctrinarum distinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur, [182] id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum: id aũt extraneum & falsum, quod sit posterius immissum. Ea sentẽtia manebit aduersus posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem. [183] Ceterum si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, vt ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt: possumus dicere: Ædant ergo origines Ecclesiarũ suarum: euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquẽ ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorẽ & antecessorem. Hocenim modo Ecclesiæ Apostolicæ [184] census suos deferunt. [185] sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne cõlocatum refert: [186] sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proinde vtq; & ceteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeãt. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis post blasphemiam inlicitum est? sed etsi confinxerint, nihil promouebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronũtiabit, neq; Apostoli alicuius auctoris esse neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent, ita & Apostolici non cõtraria Apostolis ædidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerũt. Ad hanc itaq; formam prouocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis auctorẽ suum proferant, vt multo posteriores, quę deniq; quotidie institutum: tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicę deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreses [187] ad vtranque formam à nostris Ecclesiis prouocatę, probent se, quaqua pugnant Apostolicas, Sed adeo nec sunt: nec possunt probare quod non sunt: nec recipiuntur in pacem & in com-

E

Matth. 7.

F

Marc. 16.

Cap. XXXI.

Matt. 13.

Luc. 8.

G

Cap. XXXII.

H

communicationem ab Ecclesiis quoquo modo Apostolicis :[188] scilicet ob diuersitatem sacramenti, nullo modo Apostolicæ. [189] Adhibeo super hæc ipsarum doctrinarum recognitionem, quæ tunc sub Apostolis fuerunt,[190] ab iisdem Apostolis & demonstratæ & eieratæ.[191] Nam & sic facilius traducentur : dum aut iam tunc fuisse deprehenduntur, aut ex illis quæ iam tunc fuerunt, semina sumpsisse.[192] Paulus in prima ad Corinthios epistola notat negatores & dubitatores resurrectionis. Hæc opinio prima Sadducæorum : partem eius vsurpat Marcion, & Apelles, & Valentinus, & si qui alii resurrectionem carnis infringunt. Ad Galatas scribens, inuehitur in obseruatores & defensores circumcisionis & legis. Hebionis hæresis est. Timotheum instruens, nuptiarum quoque interdictores suggillat: Ita instituunt Marcion, & Appelles eius secutor. Æque tangit eos, qui dicerent factam iam resurrectionem : id de se Valentiniani adseuerant. Sed & cum genealogias indeterminatas nominat, Valentinus agnoscitur : apud quem 193 Æon ille nescio qui 194 noui & non vnius nominis, generat è sua Charitate Sensum & veritatem : & hi æque procreant duos, Sermonem & Vitam. Dehinc & isti generant Hominem & Ecclesiam: de qua prima ogdoade æonum exinde decem alii, & duodecim reliqui æones, miris nominibus oriuntur, in meram fabulam triginta æonum. Idem Apostolus cum improbat elementis seruientes, & aliquem Hermogenem ostendit, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparat, & ita matrem elementorum deam faciens, potest ei seruire quam Deo comparat.[195] Ioannes vero in Apocalypsi idolothyta edentes & stupra committentes iubetur castigare: Sunt & nunc alii Nicolaitæ,[196] Caiana hæresis dicitur. At in epistola eos maxime antichristos vocat, qui Christum negarent in carne venisse, & qui nõ putarẽt Iesum esse filiũ Dei : illud Marciõ, hoc Hebion vindicauit. Simonianæ autẽ Magiæ disciplina[197] angelis seruiens, vtique & ipsa inter idololatrias deputabatur, & à Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur. [198] Hæc sunt, vt arbitror, genera doctrinarum adulterinarũ, quæ sub Apostolis fuisse ab ipsis Apostolis discimus : & tamen nullam inuenimus institutionem, inter tot diuersitates peruersitatum, quæ de Deo creatore vniuersorum controuersiam mouerit.[199] Nemo alterum Deum ausus est suspicari : facilius de filio quam de patre hæsitabatur, donec Marcion prærer creatorem alium Deum solius bonitatis induceret : Apelles creatorem angelorum nescio quem glorioſum superioris Dei, faceret Deum legis & Israelis, illum igneum affirmans : Valentinus æonas suos spargeret, & vnius æonis vitium in originem deduceret Dei creatoris. His solis & his primis reuelata est veritas diuinitatis, maiorem scilicet dignationem & pleniorem gratiam à diabolo consecutis,[200] qui Deum sic quoque voluerit æmulari, vt de doctrinis venenorum, quod Dominus negauit, ipse faceret discipulos super magistrum. Eligant igitur sibi tempora vniuersæ hæreses, quæ, quando fuerint, dum intersit quæ quando, dum de veritate non sint : vtiq; quæ sub Apostolis non fuerunt, eas dicere fuisse non possunt. Si enim fuissent, nominarentur & ipsæ, vt & ipsæ coercendæ. Quæ vero sub Apostolis fuerunt, in sua nominatione damnantur. Siue ergo eædem nunc sunt[201] aliquanto expolitiores, quę sub Apostolis rudes, habent suam exinde damnationem : siue aliæ quidem illæ fuerunt, aliæ autem postea obortæ sunt, & quasdam ex illis opiniones vsurpauerunt,[202] habendo cum eis consortium prædicationis, habeant necesse est etiam consortium damnationis : præcedente illo fine supradicto posteritatis, quo etsi nihil de damnatitiis participarent, de ætate sola præiudicarentur, tanto magis adulteræ, quanto necab Apostolis nominatæ. Vnde firmius constat has esse, quæ adhuc tunc nuntiabantur futuræ. [203] His definitionibus prouocatæ à nobis & reuictæ hæreses omnes, siue quæ posterę, siue quæ cœtaneæ Apostolorum, dummodo diuersæ : siue generaliter siue specialiter notatæ ab eis, dummodo prædamnatæ ; audeant respondere & ipsæ aliquas eiusmodi præscriptiones aduersus nostram disciplinam. Si enim negant veritatem eius, debent probare illam quoque hæresim esse eadem forma reuictam, qua ipsæ reuincuntur : & ostendere simul, vbinam quærenda sit veritas, quam apud illas non esse iam constat. Posterior nostra res non est, immo omnibus prior est :[204] hoc erit testimonium veritatis vbique occupantis principatum. Quod ab Apostolis non damnatur, immo defenditur : hoc erit iudicium proprietatis.[205] Quam enim damnant, quasi extraneam : quamque non damnauerunt, suam ostendunt, ideoq; & defendunt. [206] Age iam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas,[207] apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ[208] authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem vniuscuiusque.[209] Proximę est tibi Achaia, habes Corinthum. Si non[210] longe es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si[211] potes in Asiam tendere, habes Ephesum : si[212] autem Italiæ adiaces, habes Romam vnde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu[213] fœlix, Ecclesia,[214] cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi[215] Apostolus Ioannes postea quam in oleum igneũ demersus, nihil passus est, in insulã relegatur. Videamus quid dixerit quid docuerit, quid cum Aphricanis quoq; Ecclesiis contesserarit. vnũ Deũ nouit creatorem vniuersitatis ; & Christum Iesum ex virgine Maria filium Dei creatoris, & carnis resurrectionem : Legem & Prophetas cum Euangelicis & Apostolicis litteris miscet, & inde potat fidem eam :[216] aqua signat, sancto spiritu vestit, Eucharistia pascit,[217] martyrio exhortatur, & ita aduersus hanc institutionem neminem recipit. Hæc est institutio non dico iam quæ futuras hæreses prænuntiabat, sed de qua hæreses prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factæ sunt aduersus illam. Etiam de oliuæ nucleo mitis & opimæ, & necessariæ asper oleaster exoritur, etiam de[218] papauere fici gratissimæ & suauissimæ, ventosa & vana caprificus exurgit. Ita & hæreses de nostro fructificauerũt, non nostræ : degeneres veritatis grano & mendacio syluestres. [219] Si hæc ita se habent, vt veritas nobis adiudicetur, quicunque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit, constat ratio propositi nostri, definientis non esse admittendos hæreticos ad ineundam de scripturis prouocationem, quos[220] sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere. Si[221] enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non à Christo habendo quod de sua electione sectati hæreticorum nomine admittunt. Ita non Christiani nullum ius capiunt Christianarum litterarũ, ad quos merito dicendum est, qui estis? quando, & vnde venistis?[222] quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion iure syluam meam cædis ? qua licentia Valentine fontes meos transuertis? qua potestate Apelles limites meos commoues? Mea est possessio, quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo,[223] habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certe exhæredauerunt, semper & abdicauerunt, vt extraneos, vt inimicos. Vnde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio, aduersus Apostolos aut protulit, aut recepit? [224] igitur & scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas inuenitur doctrinæ. Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinæ. Alias enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent per quæ docerent hæresim. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinæ

sine

A
Cap. XXXIII.
1. Cor. 15. Gal. 5. 1. Timot. 4. 2. Tim. 2. Tit. 3.
B
Gal. 4.
Apoc. 2. 2. Ioan. 1.
Coloss. 2. Act. 8.
Cap. XXXIV.
C
Luc. 6.
D
Cap. XXXV.
E
Cap. XXXVI.
F
G
1. Ioan. 2.
Cap. XXXVII.
H
Cap. XXXVIII.

A

sine corruptela instrumentorum eius: ita & nobis integritas doctrinæ nō competisset sine integritate eorum, per quæ doctrina tractatur: Etenim quid contrarium nobis in nostris? quid de proprio intulimus, vt aliquid contrarium ei & in scripturis deprehensum, 225 detractione, vel adiectione, vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt. Ab initio suo ex illis sumus, antequam nihil aliter fuit quam sumus? Quid denique fuit antequam à nobis 226 interpolarentur? Cū autem omnis interpolatio posterior credenda sit, 227 veniens vtiq; ex causa æmulationis, quæ neq; prior neque domestica est eius vnquam quod æmulatur, tam incredibile est sapienti cuique, vt nos adulterum stylū intulisse videamur scripturis, qui sumus à principio & primi, quam illos non intulisse, qui sunt & posteri & aduersi. Alius manu scripturas, alius sensu expositiones interuertit. 228 Neque enim si Valentinus integro instrumento vti videtur, non callidiore ingenio, quam Marcion manus intulit veritati. Marcion enim exerte & palā machæra, non stylo vsus est: quoniam ad materiam suā cædē scripturarū confecit. Valentinus a. pepercit: quoniam non ad materiam scripturas, sed materiam ad scripturas excogitauit: & tamen plus abstulit & plus adiecit, auferens proprietates singulorum quoque verborum, & adiiciens dispositiones non comparentium rerum. [229 Hæc sunt ingenia de 230 spiritalibus nequitiæ, cum quibus luctatio est nobis fratres; merito contemplandæ fidei necessaria, vt electi manifestentur, vt reprobi detegantur. Et ideo habent vim & excogitandis instruendisq; erroribus fœlicitatem: non adeo mirandam, quasi difficilem & inexplicabilem, cum de secularibus quoq; scripturis exemplū præsto sit eiusmodi facilitatis. 231 Vis hodie ex Vergilio fabulam, in totum aliam, componi, materia secundum versus, versibus secundum materias concinnatis? 232 Deniq; Ouidius Geta Medeam tragœdiam ex Vergilio plenissime expressit 233 Meus quidem propinquus ex eodē poeta inter cetera styli sui otia Pinacē Cebetis explicuit. 234 Homerocētonas etiā vocare solent, qui de carminibus Homeri peri 2 opera 235 more cētenario ex multis hinc inde cōpositis in vnum farciunt corpus. Et 236 vtiq; fœcundior diuina litteratura ad facultatem cuiuscunque materiæ. Nec periclitor dicere, ipsas 237 quoque scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materias subministrarent, cum legam: oportere hæreses esse, quæ sine scripturis esse non possent. [Sed 238 quæritur, à quo intellectus interpretetur, eorum quæ ad hæreses faciant? A diabolo scilicet, cuius sunt partes interuertendi veritatem, 239 ipsas quoque res sacramentorum diuinorum, in idolorum mysteriis æmulatur. Tinguit 240 & ipse quosdam, vtique credentes & fideles suos: 241 expiationem delictorum de lauacro repromittit, & sic adhuc initiat 242 Mithræ: 243 signat illic in frontibus milites suos, 244 celebrat & panis oblationē, & 245 imaginem resurrectionis inducit, & sub 246 gladio redimit coronā. 247 Quid? quod & summū Pontificem 248 in vnis nuptiis statuit? 249 Habet & virgines, habet & continentes? Ceterum si 250 Numę Pompilii superstitiones reuoluamus, si sacerdotalia officia, insignia, & priuilegia, si sacrificalia ministeria, & instrumēta, & vasa ipsorum sacrificiorū, ac piaculorum & votorum curiositates consideremus, 251 nonne manifeste diabolus morositatem illam Iudaicæ legis imitatus est? Qui ergo ipsas res, de quibus sacramenta Christi administrantur, tā æmulanter affectauit exprimere in negotiis idololatriæ, vtiq; & idem & eodem ingenio gestiit, & potuit instrumenta quoque diuinarum rerum & 252 sanctorum Christianorum, sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, prophanæ & 253 æmulæ fidei attemperare. Et ideo, neque à diabolo immissa esse spiritalia nequitiæ, ex quibus etiam hæreses veniunt, dubitare quis debet, neque 254 ab idololatria distare hæreses, quū & auctoris & operis eiusdē sint, cuius & idololatria. Deum aut fingunt aliū aduersus creatorem; aut si vnicum creatorem confitentur, aliter eum

B

Cap. XXXIX. Ephes. 6. 1. Cor. 11.

C

Vt supra. Cap. XL.

D

Ephes. 6.

differunt, quam in vero est. Itaque omne mendacium quod de Deo dicunt, quodammodo genus est idololatriæ. [255 Non omittā ipsius etiam conuersationis hæreticæ descriptionem, quā futilis, quā terrena, quā humana sit, sine grauitate, sine auctoritate, sine disciplina, vt fidei suæ cōgruens. In primis 256 quis catechumenus, quis fidelis, incertum est pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam ethnici si superuenerint, sanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras, iactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cuius penes nos curam lenociniū vocant, pacē 257 quoque passim cū omnibus miscent. Nihil enim interest illis, licet diuersa tractantibus, dū ad vnius veritatis expugnationem cōspirent. 258 Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. 259 Ante sunt perfecti catechumeni, quam edocti. Ipsæ 260 mulieres hæreticæ quā procaces, quæ audeant docere, contendere, 261 exorcismos agere, 262 curationes repromittere, 263 forsitan & tingere. Ordinationes eorū temerarię, leues, inconstantes: 264 nūc neophytos conlocant, 265 nunc seculo obstrictos, nunc 266 apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia nō veritate possunt. Nusquā facilius proficitur, quā in castris rebelliū, vbi ipsum esse illic, promereri est. 267 Itaq; ali⁹ hodie Episcopus, cras alius: 268 hodie Diaconus, 269 qui cras Lector: 270 hodie Presbyter, qui cras Laicus. 271 Nam & Laicis sacerdotalia munera iniungunt. [272 De verbis autē administratione quid dicam: cum hoc fit negotium illis, non ethnicos conuertendi, sed nostros euertēdi? hanc magis gloriā captant, si stantibus ruinā, non si iacentibus eleuationem operentur: quoniā & ipsum opus eorū nō de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiūt, vt sua ædificent. Adime 273 illis Legem Moysi, & Prophetas, & creatorem Deū, accusationē eloqui non habent. Ita fit vt ruinas facilius operentur stantium ædificiorum, quām exstructionis iacentium ruinarum. Ad hæc solummodo opera humiles, & blandi, & summissi agunt. Ceterum nec suis Prę sidibus reuerentiam nouerunt. 274 Et hoc est quod schismata apud hæreticos fere non sunt: quia cum sint, non parent schismata; est enim vnitas ipsa. Mentior si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisq; proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare, Denique penitus inspectæ hæreses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur, 275 Plerique nec Ecclesias habent, sine matre, sine sede, orba fide, extorres, quasi sibi, late vagantur. [276 Notata sunt etiam commercia hæreticorum cum Magis quampluribus, 277 cū circulatoribus, 278 cum Astrologis, 279 cum Philosophis curiositati scilicet deditis. *Quærite & inuenitis*, vbique meminerunt. Adeo & de genere conuersationis qualitas fidei æstimari potest: 280 doctrinæ index disciplina est. 281 Negant Deum timendum. Itaque libera sunt illis omnia & soluta. Vbi autem Deus non timetur, nisi vbi non est? Vbi Deus non est, nec veritas vlla est. Vbi veritas nulla est, merito & talis disciplina est. At vbi Deus, ibi *metus in Deum* qui *est initium sapientiæ*. Vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta, & diligentia adtonita, & cura sollicita, & 282 adlectio explorata, & communicatio deliberata, & 283 promotio emerita, & subiectio religiosa, & 284 apparitio deuota, & 285 processio modesta, & Ecclesia vnita, & Dei omnia. [268 Proinde hæc apud nos testimonia disciplinæ ad probationem vetitatis accedunt: à qua deuertere nemini expedit, qui meminerit futuri iudicii: quo omnes nos necesse est apud Christi tribunal astare, reddentes rationem, in primis ipsius fidei. Quid ergo dicent 287 qui illam stuprauerint adulterio hæretico, virginem traditam à Christo? Credo allegabunt, nihil vnquam sibi ab illo vel ab Apostolis eius, de sæuis & peruersis doctrinis futuris prænuntiatum, & de cauendis ab-

E

Cap. XLI.

Matth. 7.

F

Cap. XLII.

G

Cap. XLIII.

H

Cap. XLIIII.

A

ominandisque præceptum. 288 Agnoscent suam potius culpam quam suorum, qui nos non ante prestruxerunt. 289 Adiicient præterea multa de auctoritate cuiusque doctoris hæretici, illos maxime doctrinæ suæ fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, vti merito Apostoli crederentur: quasi nec hoc scriptum sit, veuturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis. 290 Itaque veniam merebuntur. Si vero memores Dominicarum & Apostolicarum scripturarum & denuntiationum in fide integra steterint: credo de venia periclitabuntur, respondente Domino: Prænuntiaueram plane futuros fallaciæ magistros in meo nomine, & Prophetarum, & Apostolorum etiam; & discentibus meis eadem ad vos prædicare mandaueram, semel Euangelium, & eiusdem regulæ doctrinam Apostolis meis delegaueră: sed quum vos non credideretis, libuit mihi postea aliqua inde mutare: 291 resurrectionem promiseram etiam carnis; sed recogitaui ne implere non possem. Natum me ostenderam ex virgine sed postea turpe mihi visum est. Patrem dixeram, qui solem & pluuias facit: sed alius me pater melior adoptauit. Prohibueram vos autem accommodare hereticis, sed erraui. Talia 292 Sed capit opinari eos qui exorbitant & fidei veritatis periculũ non cauent. [293 Sed nunc quidem generaliter actũ est à nobis aduersus hæreses omnes, certis & iustis & necessariis præscriptionib. repellẽdas à conlatione scripturarum. De reliquo, si Dei gratia annuerit, 294. etiam specialiter quibusdam respondebimus. Quorum hæreticorum, vt plura prætream, pauca perstringam. Taceo 295 enim Iudaismi hæreticos. 296 Dositheum inquam Samaritanum, qui primus ausus est Prophetas, quasi non in Spiritu sancto locutos, repudiare. 297 Taceo Sadducæos, qui ex huius erroris radice surgentes ausi sunt ad hanc hæresim etiam resurrectionem carnis negare. 298 Prætermitto Pharisæos, qui additamenta quędam Legi adstruendo à Iudæis diuisi sunt: vnde etiam hoc accipere ipsum quod habent nomen, digni fuerunt 299 cum his etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt. [300 Ad eos me conuerto, qui ex Euangelio hæretici esse voluerunt: ex quibus est 301 primus omnium Simon Magus, qui in Actis Apostolorum condignã meruit ab Apostolo Petro iustam q; sententiam. Hic ausus est summam se dicere virtutẽ, id est, summũ Deum. Mundum autẽ ab angelis suis institutũ: à dæmone se oberrante qui esset sapientia descendisse quærendũ apud Iudęos: se in phantasmate Dei nõ passum, sed esse quasi passum 302 Post hũc Menander, discipulus ipsius, similiter Magus, eadẽ dicens quæ Simon ipse: quicquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans habere posse quemquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset. 303 Secutus est post hæc & Saturninus, & hic similiter dicens, Innascibilem virtutem, id est, Deum, in summis & illis infinitis partibus & in superioribus manere, longe autem distantes ab hoc angelos inferiores mundum fecisse: & quia splendor quidã luminis desursum in inferioribus refulsisset, ad similitudinem illam superiorem propter illius luminis angelos hominem instituere, angelos curasse: hunc super terram iacuisse reptantem: cuius lumen illud & virtutem misericordiam, scintillam saluam esse, cetera hominis perire: Christum in substantia corporis non fuisse, & phantasmate tantum quasi passum fuisse: resurrectionem carnis nullo modo futuram esse. 304 Postea Basilides hæreticus erupit: hic esse dicit summum Deum nomine Abraxan, à quo mentem creatam quam Græce νοῦν appellat. Inde verbum. Ex illo prouidentia, ex prouidentia virtutem, & sapientiam; Ex ipsis inde principatus, & potestates, & angelos factos deinde infinitas angelorum ædituones & parabolas: ab istis angelis trecentos sexaginta quinque cœlos institutos: & mundum in honore Abraxæ, cuius nomen hunc in se habeat numerum computatum. In vltimis quidem angelis, & qui hunc fecerunt mundum nouissimum ponit Iudæorum Deum: id est, Deum Legis & Prophetarum: quem Deum negat, sed angelum dicit. Huic sortito obtigisse semen Abrahæ, atque ideo hunc de terra Ægypti filios Israel in terram Chanaam transtulisse. Hunc turbulentiorem præ ceteris angelis, atque ideo & seditiones frequenter & bella concutere, sed & humanum sanguinem fundere. Christum autem non ab hoc qui fecerit mundum, sed ab illo Abraxa missum venisse in phantasmate: sine substantia carnis fuisse. Hunc passum à Iudæis non esse, sed vice ipsius Simonem crucifixum esse: vnde nec in eum credendum esse qui sit crucifixus, ne quis confiteatur in Simonem credidisse. Martyria negat esse facienda. Carnis resurrectionẽ grauiter impugnat, negans salutẽ corporibus repromissã. 305 Alter hæreticus Nicolaus emersit: hic de septẽ Diaconis, qui in actis Apostolorũ allecti sunt, fuit. Hic dicit, tenebras in concupiscentia luminis, & quidẽ fœda & obscœna fuisse: ex hac permixtione, pudor est dicere quæ fœtida & immunda. Sunt & cetera obscœna Omnes enim refert quosdam turpitudinis natos, & cõplexus, & permixtiones execrabiles obscœnasque cõiunctas, & quædam ex ipsis adhuc turpiora. Natos præterea dæmones, Deos, & spiritus septem, & alia satis est sacrilega pariter & fœda: quæ referre erubescimus, & iã prætermimus. Satis est nobis quod totam istam hæresim Nicolaitarum, Apocalypsis Domini grauissima sententię auctoritate damnauit, dicendo: *Quia hoc tenes, odisti doctrinam Nicolaitarum, quam & ego odi.* [306 Accesserunt his hæretici etiam illi, qui 307 Ophitæ nuncupantur. Nam serpentem magnificant in tantum, vt illum etiam ipsi Christo præferant. Ipse enim, inquiunt, scientiæ nobis boni & mali originem dedit. Huius animaduertens potentiam & maiestatem Moyses, inquiunt, æreum posuit serpentem: & quicunque ipsum aspexerunt, sanitatem consecuti sunt. Ipse, aiunt præterea, Christus in Euangelio suo imitatur serpentis ipsius sacram potestatem, dicendo: *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Ipsum introducunt ad benedicenda Eucharistica sua. Sed tota istius erroris & scena & doctrina inde fluxit. Dicunt enim, de illo summo primario æone complures alios æones extitisse inferiores; omnibus tamen istis æonem antestare, cuius sit nomen Ialdabaoth. Hunc autem conceptum esse ex altero æone æonibus inferioribus permixto: seque postea cum in superiora voluisset eniti, grauitate materiæ permixta sibi, non potuisse ad superiora peruenire, in medietate relictum, extendisse totum, effecisse sic cœlum. Ialdabaoth tamen inferius descendisse, & fecisse sibi filios septem: quem occlusisse superiora dilatatione; vt quia angeli quæ superiora essent, scire non possent, ipsum solum Deum putarent. Virtutes igitur illas & angelos inferiores hominem fecisse: & quia ab infirmioribus & mediocribus virtutibus institutus esset, quasi vermem iacuisse reptantem; Illum vero æonem ex quo Ialdabaoth processisset, inuidia commotum, scintillam quandam iacenti homini immisisse, qua excitatus per prudentiam saperet & intelligere posset superiora. Sic rursum Ialdabaoth istum in indignationem conuersum ex semetipso ædidisse virtutem & similitudinem serpentis: & hanc fuisse virtutem in paradiso, id est, istum fuisse serpentem, cui Eua quasi filio Dei crediderat. Decerpsit, inquiunt, de fructu arboris, atque ideo generi humano scientiã bonorum & malorum contribuit. Christum autem non in substantia carnis fuisse: salutem carnis sperandã omnino non esse. 308 Necnon etiam erupit alia quoque hæresis, quæ dicitur Cainæorum. Et ipsi enim magnificant Cain, quasi ex quadam potenti virtute conceptum, quę operata sit in ipso. Nã Abel ex inferiore virtute conceptum, procreatum: & ideo inferiorem repertum. Hi qui hoc adserunt, etiam Iudam proditorem defendunt, admirabilem illum & magnum esse memorantes, propter vtilitates, quas humano generi contulisse iactatur. Quidam enim ipsorum gratiarum actionem Iudæ propter hanc causam reddendam putant. Animaduertens enim,

Matth. 24. Vbi supra.
Matth. 28.
Ioan. 6. Matth. 1. Matth. 5. Matth. 7.
Cap. XLV.
Matth. 22. Matth. 16.
Ca. XLVI. Act. 8.
Act. 6.
Apocal. 2. CAP. XLVII
Gen. 3.
Num. 21.
Ioan. 3.
Gen. 3.

enim, inquiunt, Iudas, quod Christus vellet veritatem subuertere, tradidit illum, ne subuerti veritas posset. Et alii sic contra disputant & dicunt: Quia potestates huius mundi nolebant pati Christum, ne humano generi per mortem ipsius salus pararetur, saluti consulens generis humani, tradidit Christum, vt salus, quę impediebatur per Virtutes, quæ obsistebant ne pateretur Christus, impediri omnino non posset & ideo per passionẽ Christi non posset salus humani generis retardari. 309 Sed & illa hæresis processit, quæ dicitur Setthoitarum. Huius peruersitatis doctrina hæc est: Duos homines ab angelis constitutos, Cain & Abel: propter hos magnas inter angelos contentiones & discordias extitisse; ob hanc causam illam Virtutem quæ super omnes virtutes esset, quam matrem pronuntiant, dum Abel interfectum dicerent, voluisse concipi & nasci hunc Seth loco Abelis: vt euacuarentur angeli illi, qui duos priores illos homines condidissent, dum hoc semen mundũ oritur & nascitur. Permixtiones enim dicunt angelorum & hominum iniquas fuisse: ob quam causam illam Virtutem quam (sicut diximus) pronuntiant matrem, ad vindictam etiam cataclysmum inducere, vt & illud permixtionis semen tolleretur: & hoc solum semen, quod esset purum, integrum custodiretur. Sed enim illos qui seminis illos prioris instituissent, occulte & latenter, & ignorante illa matre Virtute, cũ illis octo animabus in arcã misisse etiam semen Cain, quo semen malitiæ non periret, sed cum ceteris conseruatũ & post cataclysmũ terris redditum, exemplo ceterorum excresceret, & effunderetur, & totum orbem & impleret & occuparet. De Christo autem sic sentiunt, vt dicant illum tãtumodo Seth, & pro ipso Seth ipsum fuisse. [310 Carpocrates præterea hanc tulit sectam. 311 Vnam esse dicit Virtutem in superioribus principalem: ex hac prolatos angelos, atque virtutes: quos distantes longe à superioribus virtutibus, mundum istum in inferioribus partibus condidisse: Christum non ex virgine Maria natum, sed ex semine Ioseph, hominem tantummodo genitum, sane præ ceteris iustitiæ cultu, vitæ integritate meliorem: hunc apud Iudæos passum: solam animam ipsius in cœlo receptam, eo quod & firmior & robustior ceteris fuerit: ex quo colligeret, tentata animarum sola salute, nullas corporis resurrectiones. 312 Post hunc Cerinthus hæreticus erupit, similia docens. Nam & ipse mũdum institutum esse ab illis dicit: Christum ex semine Ioseph natum proponit, hominem illum tantummodo sine diuinitate contendens, ipsam quoque legem ab angelis datam perhibens: Iudæorum Deum nõ Dominum, sed angelum promens. 313 Huius successor Hebiõ fuit, Cerintho non in omni parte consentiens, quod à Deo dicat mundum, non ab angelis factum: & quia scriptum sit, *Nemo discipulus super magistrum, nec seruus super dominum*, legem etiam proponit, scilicet ad excludendum Euangelium, & vindicandum Iudaismum. [314 Valentinus autem hæreticus multas introducit fabulas: has ego circunducens breuiter expediam. 315 Introducit enim Pleroma & Æones triginta: exponit autem hos per syzygias, id est, coniugationes quasdam. Nam dicit in primis, esse Bython & Silentiũ, ex his processisse semẽ, mentem & veritatem: ex quibus erupisse verbum & vitam, de quibus rursum creatum hominem & Ecclesiã. Sed enim ex his quoque processisse duodecim æonas; de sermone autẽ & vita, æonas alios decem: hãc esse æonum triacontada, quæ fit in Pleromate ex ogdoade & decade, ac dyodecade. Tricesimum autem æonem, Bython illum videre voluisse, & ad videndũ illum ausum esse in superiora Pleromatis conscendere. Et quoniam ad magnitudinem ipsius videndam capax non fuit, in defectione fuisse, & pene dissolutum esse, nisi quia missus ad constabiliendum illum, ille quem appellant Horon, confirmasset illum dicto Iao. Hoc pronuntiatio appellat. Istum autem Æonem in defectionem factum Achamoth dicit in passionibus desiderii quibusdam fuisse, & ex passionib⁹ materias ædidisse. Expauit enim, inquit, & extimuit, & contristata est, & ex his passionibus concepit & ædidit. Hinc fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæcunque sunt in eis, ob quam causam omnia infirma esse & fragilia, & caduca, & mortalia, quæcunq; sunt ab ipso facta: quoniam quidem ipse fuerit de aporiatione conceptus atque prolatus: hunc tamen instituisse istum mundum ex his materiis, quas Achamoch, vel pauendo, vel timendo, vel contristãdo, vel sudando præstiterat. Nam ex pauore, inquit, tenebræ factæ sunt: ex timore & ignorantia, spiritus nequitiæ & malignitatis: ex tristitia & lachrymis, humida fontium, fluminum materia, marisque. Christum autẽ missum ab illo propatore qui est Bythos. Hunc autẽ in substantia corporis nostri nõ fuisse, sed spiritale nescio quod corpus de cœlo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. Resurrectionem huius carnis negat, sed alterius: Legis & Prophetarũ quædam probat, quædã improbat: id est, omnia improbat, dum quædam reprobat. Euangeliũ habet etiam suum, præter hæc nostra. 316 Post hunc extiterunt Ptolomæus & Secundus hæretici, qui cũ Valentino per omnia consentiunt. In illo solo differunt. Nam cum Valentinus Æonas tantum triginta finxisset, isti addiderunt alios complures: quatuor enim primũ, deinde alios quatuor aggregauerunt. Et quod dicit Valentinus æonem trigesimum excessisse de Pleromate vt in defectionem, negant isti. Non enim ex illa triacontade fuisse hunc qui fuerit in defectionem, propter desiderium videndi propatoris. 317 Extitit præterea Heracleon alter hæreticus, qui cum Valentino paria sentit, sed nouitate quædam pronũtiationis vult videri alia sentire. Introducit enim in primis illud fuisse quod pronuntiat, & deinde ex illa monade duo, ac deinde reliquos æonas, deinde introducit totum Valentinum. [318 Non defuerunt post hos Marcus quidam & Colarbasus, 319 nouam hæresim ex Græcorum alphabeto componentes. Negant enim veritatem sine istis posse litteris inueniri: immo totã plenitudinem & perfectionem veritatis, in istis litteris esse dispositam. Propter hanc enim causam Christum dixisse: *Ego sum α & ω*. Denique Iesum Christum descendisse, id est columbam in Iesum venisse, quæ Græco nomine quum πειστερὰ pronuntietur, habere secundum numerum, DCCCI. Percurrunt isti ω, ψ, χ, φ, υ, τ, totum vsq; ad Alpha Beta, & computant, ogdoadas & decadas, ita vt afferre illorum omnes vanitates ineptũ sit & ociosum, quod tamen non tantum iam vanum, sed etiam periculosum sit. Alterum Deum fingunt præter creatorem: Christum in substantia negant carnis fuisse, negant carnis resurrectionem futuram. [320 Accedit his 321 Cerdon quidam: hic introducit initia duo, id est, duos Deos, vnum bonum, & alterum sæuum, Bonũ superiorem: sæuum hunc, mundi creatorem. Hic prophetias & Legem repudiat, Deo creatori renũciat, superioris Dei filium Christum venisse tractat, hunc in substantia carnis negat, in phantasmate solo fuisse pronuntiat: nec omnino passum, sed quasi passum: nec ex virgine natum, sed omnino nec natum. Resurrectionem animæ tantũmodo probat, corporis negat. Solum Euangelium Lucæ, nec tamen totũ recipit. Apostoli Pauli neq; omnes, neque totas Epistolas sumit. Acta Apostolorum & Apocalypsim quasi falsa reiicit. 322 Post hunc discipulus ipsius emersit Marcion quidam nomine, Ponticus genere, Episcopi filius, propter stuprum cuiusdã virginis ab Ecclesiæ cõmunicatione abiectus. Hic ex occasione qua dictum sit, *Omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem malos*, hæresim Cerdonis approbare conatus est, eadem dicere, quæ ille superior hæreticus ante dixerat. 323 Exstitit post hunc Lucanus quidam nomine, Marcionis sectator atque discipulus: & hic per eadem vadens blasphemiæ genera, eadem docet quæ Marcion & Cerdon docuerant. 324 Post hos subsequitur Apelles discipulus Marcionis, qui postea quam in carnem suam lapsus est, à Marcione segregatus est: hic introducit vnum Deum infinitis superioribus partibus: hunc potestates multas, angelosque fecisse: propterea & aliam virtutem

A B C D E F G H

Cap. XLVIII. Cap. XLIX. Cap. L. Cap. LI. *Matth. 7.*

quam Dominum dicit, sed angelum ponit. Hoc vult videri mundum institutum ad imitationem mundi superioris, cui mundo permiscuisse pœnitentiam: quia non illum tam perfecte fecisset, quam ille superior mundus institutus fuisset. Legem & Prophetas repudiat. Christum neque in Phantasmate dicit fuisse sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, vt Euangelium docet, sed in eo quod è superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem, & aeream contexuisse: hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse, & sic dispersis quibusque corporis sui partibus, in cœlo spiritum tantum reddidisse: hic carnis resurrectionem negat; solo vtitur & Apostolo, sed Marcionis, id est, non toto. Animarum solarum dicit salutem. Habet præterea priuatas, sed extraordinarias lectiones suas quas appellant phaneroseis Philumenes cuiusdam puellæ, quam quasi prophetissam sequitur. Habet præterea suos libros, quos inscripsit Syllogismorum, in quibus probare vult, quod omnia quæcunque Moyses de Deo scripserit, vera non sint, sed falsa sint. [325 His hæreticis omnibus accedit 326 Tatianus quidam alter hæreticus. hic Iustini martyris discipulus fuit; post hunc diuisa sentire cœpit. Totus enim secundum Valentinum sapit, adiiciens illud, Adam nec salutem consequi posse, quasi non si rami salui fiunt, & radix salua sit. 327 Accesserunt alii hæretici, qui dicuntur secundum Phrygas: sed horum non vna doctrina est. Sunt enim qui Kata Procul dicuntur, sunt qui secundum Æschinem pronuntiantur. Hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem & suam: & communem quidem illam, qua in Apostolis quidem dicant Spiritum sanctum fuisse, paracletum non fuisse: & qua dicant paracletum plura in Montano dixisse, quam Christum in Euangelio protulisse; nec tantum plura, sed etiam meliora atque maiora. Priuatam autem blasphemiam illi qui sunt Kata Æschinem, hanc habent, qua adiiciunt etiam hoc, vt dicant Christum ipsum esse filium & patrem. [328 Est præterea his omnibus etiam 329 Blastus accedens, qui latenter Iudaismum vult introducere, Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi xiv. mensis. Quis autem nesciat, quòniam Euangelica gratia euacuatur, si ad legem Christum redigit? 330 Accedit his Theodotus hæreticus Byzantius: qui postea quam Christi pro nomine comprehensus negauit, in Christū blasphemare non destitit. doctrinam enim introduxit, qua Christum hominem tantummodo diceret, Deum autem illum negaret: ex spiritu quidem sancto natum ex virgine, sed hominem solitarium atque nudum, nulla alia præ ceteris, nisi sola iustitiæ, auctoritate. 331 Alter post hunc Theodotus hæreticus erupit, qui & ipse introduxit alteram sectam, & ipsum hominem Christum tantummodo dicit ex Spiritu sancto, ex virgine Maria conceptum pariter & natum; sed hunc inferiorem esse quam Melchisedech, eo quod dictum sit de Christo: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* Nam illum Melchisedech præcipuæ gratiæ cœlestem esse virtutem: eo quod agat Christus pro hominibus, deprecatur & aduocatus ipsorum factus, Melchisedech facere pro cœlestibus angelis atque virtutibus. Nam esse illum vsqueadeo Christo meliorem, vt apator sit, ametor sit, agenealogitus sit, cuius neque initium, neque finis comprehensus sit, aut comprehendi possit. Sed 332 post hos omnes etiam Praxeas quidam hæresim introduxit, quam Victorinus corroborare curauit. hic Deum patrem omnipotentem Iesum Christum esse dicit; hunc crucifixum passumque contendit; mortuum præterea se ipsum sibi sedere ad dexteram suam, cum profana & sacrilega temeritate proponit.

Cap. LII. Psal. 109.

ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM de præscriptionibus aduersus Hæreticos.

1 De Præscriptionibvs] Præscriptionum & Præscribendi *vocibus frequenter vtitur Tertullianus non modo locus suppracitatus sub finem Argumenti ex libr. aduers. Hermog. De Carne Christi, aduers. Marc. l. 1. & adu. Praxean, sed & supra Tomo præced. lib. de Patientia, cap. 4.* quasi *(inquit)* in præscriptionis compēdio & commendatio & exhortatio de patientia constituta est. *Atqui (iuxta quod adnotauit Quintinus) Tertullianum Romani Iuris & in lege ciuili peritissimum fuisse passim deprehendas, eius operibus atque scriptis euoluendis.* Præscribo & Præscriptio, *vocabula sunt è tribunalibus, & à medio foro desumpta. Qui se iudicio defendit, & qui crimen in aduersarium transfert aut detorquet, eumque refellit, vt in foro dicitur aduersario suo* præscribere. *Streus, inquit Marcellus lib. 3. ff. de Præuar. accusatori suo* præscribat *id est, si reus accusatorem suum repellat, & exceptione legitima se defendat. Vlpianus lib. 4. ff. ad SC. Treb. non debet hæredi instituto* præscribi, *hoc est, opponi, vel obiici, cur hæreditatem non adeat. A verbo descendit verbale,* Præscriptio, *id est, repulsio, defensio. Veluti l. 2. §. Marito ff. de adul.* Præscriptio *lenocinij, quando vxor adulterij rea obiicit accusatori marito lenocinium, seque sic defendit & tuetur contra lenonem maritum.* Præscriptio *fori lib. 29. ff. de pactis, quando quis sese dicit alterius esse iurisdictionis, & aduersarium suum reuocat ad alium iudicem* Præscriptio *nuncupatur aliter exceptio. Dicta est autem exceptio, quasi exclusio; quærei cuiusque actioni solet interponi ad id excludendum & remouendum, quod in controuersiam deductum fuit, vt accipitur in eo titulo, qui primus est in Pandectarum libro 44. De exceptionib. seu* Præscriptionibus. *Itaque* De Præscriptionibvs Adversvs Hæreticos, *id est, de confutationibus & expulsionibus & exclusionibus* hæreticorum, *& quomodo Catholici* præscribant hæreticis, *id est, quonam modo propulsent hæreticos, quomodo sese defendant* aduersus *insolentes actiones & insultus hæreticorum. Quæ expositio summopere placet; nam & Rhenanus pro excipere accipit* Præscribere *supra Tomo 2. lib. de Velandis Virginibus capite 1. vbi inquit:* Hoc exigere veritatem, cui nemo præscribere potest, *id est, contra quam non licet excipere.*

2. Adversvs Hæreticos] *Quid* hæretici, *infra videre est capite 6. ex definitione* hæreseon, *quam illic Auctor adfert.*

CAP. I.

3. Conditio præsentium temporum, etiam hanc admonitionem, &c.] *In capitum distinctione Quintinum secuti (vti Lectori commodemus in citatione locorum huius libri à variis Auctoribus facta) titulum huic capiti damus:* Quod mirari super hæreses non oporteat. *Atqui secundum ms. Vaticanum codicem omittimus vocem:* Fratres, *vtpote nusquam initio libri Tertulliano vsitatam, & legimus cum ms. Anglico codice, ac Macereo:* habeat etiam probationem, *pro:* haberet.

4. quod hæreses tantum valeant, quantum sint.] *Substituerat Rhenanus:* quantum si non fuissent, *quomodo legit etiam Vatic. codex, quod locupletarat hoc modo Gelenius:* quantum non valerent si non fuissent. *Verum placet prima illa lectio:* quantum sint, *non mihi modo, sed & Quintino, qui sic hunc locum explicat:* Hæresis *(inquit) ex quo nata est, statim valet hoc est, vires habet. Nunquam certe fuit hæresis vlla, quantumuis absurda, quæ sectatores non habuerit. Cui similia Gallice adnotauit Macereus. Siue autem legas cum vulgatis codicibus,* quum quid sortitum est, *siue:* quia quid, *perinde est.*

CAP. II.

5. Febrem denique inter ceteros mortiferos,] &c. *Hoc caput inscripsimus verbis pluribus Quintini in compendium contractis:* Quod, vt malas, deuitare oporteat hæreseis.

6. cruciarios exitus.] *ms. Anglicus:* cruciatorios. *Verum illud placet cum Quintino, cuius hæc sunt verba: Morbus (inquit) qui cum cruciatu adfert homini exitium, vocatur hic noue* cruciarius, *quia torquet, vexet, & cruciet plurimum, velut est* febris, *quæ rabida nominari solet, acerba, dira, molesta.* Febris *ergo,* cruciarius *est* exitus. *Tertulliani conterraneus Apuleius paulo post principium 10. l. sui de Asino, verberonē quendam seruum, herilis filii calumniatorem, vocauit* cruciarium, *quod esset cruciatu siue cruce dignus. Vt carcerarius est, qui carcerem meritus habetur in publica custodia. Nonnulli* cruciarium *dici volunt auctorem cruciatus seu carnificem; sicuti Venenarius in Nerone Suetonii, vocatur is qui venenum parat & conficit, id est, veneficus. Lucilius appellauit insuaue & acerbum vinum crucium, quia tormina gignat, & crucier. Hoc significatu* febrem cruciarium *dicas. Nonnouum autem esse Auctori* exitum *pro* exitio, *adnotauimus supra lib. ad Scapulam, c. 3. n. 20. ad illud:* in illo exitu Byzantino.

7. erogando homini.] *Sic (inquit idem Quintinus) omnes legunt, & inferius:* erogat hominem. Erogare *significat impendere, distribuere, donare, quasi rogantibus: vt* erogare *de bonis,* erogare *aliquid in filium,* erogationes *quas pater in filium fecit. Quando vero pecunia, siue res alia sic distribuitur &* erogatur, *ea multi-*

pliti-

pliciter partita perditur seu consumitur. Hic ideo capias erogare, *pro minutim perdere siue paulatim consumere. Sed Metaphora mihi dura videtur. quid igitur? si legeremus* erodit hominem, & erodendo homini deputatam. *Febris enim rodit & exedit intus medullas. Edax propterea vocitatur à quodam Poeta. Placet interim magis vulgata lectio, maxime quum Gallica vox apud Macereum significet consumere. Placet etiam illa;* hoc eas esse, *vbi omiserat:* hoc. *Legat autem Lector aut:* expauescamus *cum Angl. aut:* expauescantur *cum Vatic. ms. cod.*

8. Etenim dum mirantur.] *Sic cum Quintino & Macereo, pro:* Aut enim. *Quorum vterque sic locum hunc explicat: Qui* miratur *hæreses, inde scandalizatur. Ac animo semel offensus & pertubatus aliquis, admirans offendiculi sui causam, iam vacillat & incipit dubitare, Num insit aliquid veritatis in ea re, per quam scandalizatur. Hinc lapsus est valde lubricus, & procliuus casus in id quod admiraris. Admiratio namque de duobus alterum facit. Aut enim rem quam mirabilem ducimus, habere tamquam nobis vtilem desideramus, aut si nequimus, eam certe veneramur & colimus, vt honorificam, dignam cui seruiamus, nosque subijciamus. Veluti si diuitias, honores, mulierum formas admiseris: aut eas proculdubio venaris aut certe venereris. Vnde Poeta sapientissime scribit:*

Nil admirari, prope res est vna, Numici,
Solaque, quæ possit facere & seruare beatum.

Sicut autem de peste nemo miratur, nec hominem peste correptum mori, vel inermem ab armato trucidari, quis etiam miratur, nihilo magis hæreses aut hæreticos admirari debemus, tantummodo cauere longeque fugere, ne nos inficiant. Ista perelegans est hæreseos comparatio cum pestifera febre, cruentaque digladiatione. E contrario retinemus: qui in fide non valent, *cum ms. cod. pro eo quod ille:* qui in fide parum valent.

CAP. III.

9. Solent quidem.] *Titulum huic capiti dedimus:* Quod non ideo scandalizari oporteat, quod quidam prudentissimi ædificentur in ruinam.

10. isti Miriones.] Miriones (*inquit Rhenanus*) *vocat hic simpliciter admiratores. Alioqui sic appellauit antiquitas, qui ob oris distorti deformitatem admirationi forent. Quibus addit Quintinus: Varro lib. 6. de ling. Latin. citat Accium dicentem personas deformes, & ore distorto vocari* miriones, *à miris, hoc est, monstris, eo quod essent illæ monstrosæ. Tertullianus hic per irrisionem vocat eos, qui mirantur hæreticos, non miratores (quod erat proprium rei vocabulum) sed ridicule* miriones, *quasi iam sint animis variis atque distortis, & qui pene assentiantur hæreticis; quandoquidem* mirari *est imitari. Retinemus autem cum illo & Macereo:* fidelissimi & prudentissimi & vsitatissimi *pro eo quod ms. Vatic. & 1. editio:* vetustissimi, *& Latinius:* versatissimi *eo quod sequatur:* neque vsitatos æstimandos.

11. in illam partem transierunt.] *Loquitur more veteribus Africis vsitato, quo hæreticorum aut schismaticorum conuentum, non Ecclesiam, sed* partem *appellabant, quemadmodum latius adnotauimus ad Epist. 42. B. Cypr. num. 6 Eodem pertinet quod Iudæos vocet* partiarios erroris eius, *infra l. 3. adu. Marcionem.*

12. & stupri reus est.] *Admonuit me sua Gallica versione Macereus,* stuprum *ab Auctore accipi pro adulterio. nam quod lib. de Idol. cap. 2. supra Tom. 2. dixit:* Dominus adulterium etiam in concupiscentia designat, *infra Tom. 5. libro de Exhort. ad Castit. sic expressit:* Interim Dominus ipse dicit: Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam, iam stuprauit eam in corde suo. *vbi etiam* stupri *voce quater vtitur eadem hac significatione.*

13. lapsus à Regula fuerit.] *Iuxta quod adnotauit Macereus,* Regulam *seu symbolum fidei intelligit, de qua infra capite* 13.

14. nemo maior nisi Christianus.] *Sic lego secundum ms. Vatic. & Angl. cod. & Quintin. ac Macereum.* Maior *hic (inquit Quintinus) non ad ætatem, vel qualitatem refertur. Sed qui dignitate, vel honore præcedit alios, simpliciter appellatur* maior. μείζων, μείζονος, *Græce. Lucæ capite 22.* ὁ μείζων ἐν ὑμῖν qui maior est in vobis, *&c. cui Minor opponitur. Sic in Poeta:* Tu maior. *Tibi me est æquum parere, &c. Paradoxum autem Tertulliani venit obseruandum, quod;* Nullus est sapiens, nullus est honore dignus, nisi fidelis, & Christianus. *Ab hoc non abhorruit D. Hieronymus, dum scriptum reliquit in Epitaphio Nepotiani: Ab eo tempore censemur, ex quo in Christo renascimur. Censemur, id est, alicuius nominis, census, atque dignationis haberi debemus. Quam adnotationem Gallice etiam expressit Macereus, qui illud:* Putas quod vides, *sic interpretatur, ac si dicat: non aliud cogitas quam vides.*

15. Sed oculi (inquit) Domini alti.] *Idem Macereus versione sua indicat, quoties ita loquitur Auctor, subintelligi:* inquit scriptura. *quod semel adnotasse sufficiat. Qui etiam ad marginem adnotauit locos scripturæ, tanquam ad quos hic alludat Auctor 2. Paralip. 16. & Ecclesiastici, quem posteriorem citat etiam Quintinus: quibus addere liceret similes locos,* Oculus Dei super omnem terram. *Iob. 34. Psalm. 65. Hierem. 16. & 32. Verum ego puto citari ab Auctore illud 4. Esdræ 8. pro more suo, quo etiam illum pro scriptura authentica citare solet:* Domine, qui inhabitas seculum, cuius oculi eleuati in superna. *Similiter autem citatur à B. Cypriano locus 3. Esdr. 4. epist. 74. ad Pompeium. & lib. ad Demetrian. ex 4. Esdr. 5. sumpsit illud:* Mundum iam senescere, *&c. Equidem tertium illum librum Græci non solum in Canonem recipiunt, sed etiam ante duos libros priores collocant, & vti authenticum citant Athan. contra Arrian. lib. 3. ac Aug. l. 18. de Ciuit. Dei. Quartum vero D. Amb. etiam putat æditum ab ipso Esdra non sine diuina reuelatione, l. de Bono mortis, & lib. 2. in Lucam atque adeo epist. 21. ad Horontium, hortatur ad eius lectionem. Denique ex eiusdem l. 2. desumpsit Ecclesia, feria tertia Pentecostes, Introitum Missæ: Accipite iocunditatem gloriæ vestræ: & in sollennitatibus Martyrum ex eodem capite decantat illud: Modo coronantur, & accipiunt palmam. Vide autem plura apud Sixtum Senensem Biblioth. sancta.*

16. Deus in præcordia contemplatur.] *Paraphrasticῶs vertit;* præcordia, *pro* καρδίαν. *Alibi ad verbum, vbi supra, lib. de Cult. fœmin. c. 13.* Deus conspector est cordis.

17. & palam in manu portat.] *Vatic. ms. & Quintinus:* ventilabrum. *Idem vtrumque significat, nisi quod illud magis placeat, eo quod B. Cyprian. id legat epist. 51. ad Confessores, & 52. ad Antonianum, immo ipse quoque Tertull. infra Tom. 5. lib. de Fuga in persec. & Hieron. aduers. Luciferianos, quemadmodum latius deduximus Adnotat. ad dictam epist. Cyprian. 51. num. 8. Atqui pro:* deuerterunt, *Vatic. ms. & Quintin. legunt:* diuerterunt; *sed illud Tertullianicum esse infra patebit li. de Resurr. carnis.*

18. sed qui scierunt illum vitæ esse verbum.] *Censerem legendum esse:* apud illum, *eo quod ita habeatur Ioan. 6.* verba vitæ æternæ habes. *sed colligo, non verba, sed sensum voluisse exprimere Auctorem, eo quod subiungat:* & à Deo venisse, *pro eo quod illic sit:* Quia tu es Christus filius Dei. *Legimus autem cum ms, Vatic. Quintino, & Macereo:* si vellent & ipsi, *pro eo quod corrupte erat:* ipsis.

19. aliqui Phygellus.] *Sic ex Macereo, & Apostolo 2. Timot. 1. pro eo quod legebatur:* Phygelus. *de cuius ac* Hermogenis *hæresi, item* Phileti & Hymenæi, *1. Tim. 1. vide Commentarios veterum in Pauli Epistolas. Hinc autem addiscamus (inquit Quintinus) quomodo Gnosticis infœlicis huius æui nostri respondeamus, qui de plerisque magnatibus & populis miserabiliter euersis, ac sibi consentientibus, gloriantur. Regiæ, Tribunalia, Monasteria, quin & Episcopia (sedes hominum primæ) scatent hæresiotis, in dies ab Ecclesia deficientibus, & ad gehennam recta currentibus, non expectato carnifice, quippe qui iam sunt suo iudicio damnati. Haud ideo veræ sunt hæreses. Nullum namque Deus elegit vmquam gradum, à quo decidere non permiserit in eo stantem.* περὶ αὐτεξουσίου, *ex arbitrij liberi facultate est, aut stare firmiter, aut cadere miserabiliter. Laus & præmium firmis. Væ cadentibus.* De Saule *quod hic dicitur, habes 1. Reg. 10. 15. & subsequent. ibi capite De* Dauide, *quem sibi Dominus quæsiuerat iuxta cor suum, lege primi quoque Reg. ca. 13. & 2. Reg. 11. De* Salomone *traditur 3. Reg. 3. & 11. De* Phygello *&* Hermogene *Pauli persecutoribus & aduersariis, Apostolus ipse meminit 2. Tim. 1. Meminit* Hymenæi *&* Phileti *Hæreticorum in cap. 1. eiusdem epist. 1. De* Iuda Iscariote, *qui fuit vnus de duodecim per Dominum selectissimis ipsumque Dominum postea prodidit. Euangelista Matthæus scribit* 10. *cap. similiter & alij.*

CAP. IV.

20. Quin potius memores simus tum Dominicarum pronuntiationum, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* Quod a Domino & Apostolis & prænunciatæ sint hæreseis, & fugiendas esse præfinitum. *Retinuimus autem communem lectionem:* pronuntiationum, *& mox:* prænuntiarunt, *pro eo quod priori loco:* prænuntiationum, *& Macereus:* pronuntiarunt.

21. Instruit Dominus, &c.] *Ad verbum fere hunc locum imitatur B. Cyprian. l. ad Nouatianum hæreticum, Prædixerat quidem (inquit)* Dominus multos esse venturos sub pellibus ouium, rapaces lupos. Qui sunt isti rapaces lupi nisi sensus subdoli (*sic enim etiam ibi legendum censeo, pro eo quod hactenus:* sensu subdolo) conspirantes ad infestandum gregem Christi. *Vterque autem videtur legisse Matth. 7.* Adtendite vobis à Pseudoprophetis, qui venient ad vos in pellibus ouium, *pro eo quod noster interpres:* veniunt, *&* in vestimentis ouium. *Mirum si non etiam hic alijs exemplaribus Græcus vsi fuerint, quam hodie exstant.*

22. Qui Pseudapostoli, &c.] *Prius illud ex Dominicis pronunciationibus, hoc & quod sequitur, ex Apostolicis litteris sumpsit 2. Cor. 11. & 1. Ioan. 2. Illud autem:* interim & semper: *recte explicat Macereus, non modo intermedio tempore, quo Antichristum illum præcipuum præstolamur, sed & omni alio tempore. Qui etiam illud:* nisi quod persecutio & martyras (*sic enim lego ex ms. Anglico pro:* martyres) facit, *ita vertit ac si dicat: persecutio non solum apostatas, sed & martyras facit;* Hæreses *vero (siue* Hæresis, *vt legit Vatic. cod. ms. & Quintinus) apostatas dumtaxat.*

23. Neque enim eos probabiles intelligi iuuat.] *Ita lego, pro:* probatos, *quia tum paulo ante in scripturæ citatione, tum iterum c. sequ. illud legitur. Item ex Vatic. ms. cod. & 1. ædit.* iuuat, *pro:* iubet. *Nam eodem modo dixit lib. de Pall. c. 1.* cum concordia iuuat. *Atqui recte adnotauit Macereus,* Hæreseos *nomen initio Ecclesiæ non tam odiosum fuisse, quippe quod in bonam partem acceptum sit, Act. 24. & 26. atque adeo non veritos hæreticos id sibi nomen adtribuere,* ex diuerso sibi interpretantes (*vt Tertulliani verbis vtar*) eos probabiles debere intelligi, qui in hæresim fidem demutant, *ita prætexentes ad probationem hæreseon. Quare non mirandum, si Tertullianus seq. capite hoc agat, vt* hæreses *malas esse comprobet. Scripturæ autem sensum, quod per hæreses manifestentur* probabiles *quique, similem esse: ac si dicat aduersitate approbari constantiam hominis. Similiter autem adnotauit Quintinus interpretatam esse hanc scripturam*

à B. Am. bros & manifeste quid intelligat, indicat Auctor infra c. 39. sic hunc locum interpretatus: vt electi manifestentur, & vt reprobi detegantur.

24. Omnia examinate.] *Hæretici (inquit Quintinus) nunquam non prætexuerunt, modoque non prætexunt opinionibus suis à solita Patrum regula variantibus, id quod ipse Christus, Christique discipuli faciendum prænonuerunt. Ille suis dicebat*: Adtendite à falsis Prophetis. Cauete à Scribis. A fermento Pharisæorum & Sadducæorum cauete. Videte ne quis vos seducat, &c. *Matth.* 7. 16. 24. *Subinde suos, Apostoli monebant*: Probate *(discutite, dignoscite, dijudicate)* quid sit beneplacitũ Deo. *ad Ephes. c. 5. item* Prophetias *(interpretationes puta scripturæ diuinæ, ac declarationes fidei vestræ)* nolite spernere, sed omnia probate, quod autem bonum fuerit ipsi tenete, 1. *Thess. c. vlt. Præterea*: Nolite omni spiritui credere, sed probate an spiritus ex Deo sunt, quoniã multi Pseudoprophetę exierunt in mundum. 1. *Ioan.* 4. *&c. Probationis & examinis istius exempla cognoscite. Apostoli prædicabant in carne venisse Christum, qui Deus & homo pariter erat. Apostolorum contemporanei Cerinthus & Hebion contradicebant.* Hymenæus, & Philetus mortuorum resurrectionem esse iamque factam, quotidieque fieri per continuas filiorum procreationes atq; successiones asseuerabant, *nec aliam sperari debere. Paulus vero contra clamabat*: Si resurrectio non est, neque Christus resurrexit, neque constitutus est iudex viuorum & mortuorum, 1. *Cor* 15. *Sic modo curiosi quidam maleferiati, ratiocinantur de Sacramentis omnibus Ecclesiæ, prisca sint ea, necne, de ritibus ac formis rixantes. Et explorare se velle dicunt (vt olim dicebant) vtri vera proferant; omnium scilicet, hinc inde rationibus excussis. Aiunt enim Scriptum fuisse*: Omnia probate. *Sic sensum per superbiam nostram nimis quam facili, & lubrico assensu labimur in hæreses, dum Theologiæ studemus omnes, artibus etiam nostris propriis desertis. Nam quotus quisque Forensium (bone Deus) iam sese non profitetur esse Theologum summum? ne similes istius alias commemorem Stationes, Apothecas, Tonstrinas, & Officinas, aliud nihil quam Theologizantes. Christiane Lector, haud quibusuis illud*: Omnia probate, *ceteraq; superiora dicta fuere. Non enim puto ἰδιώτην quempiam, si velit ambulare caute, posse hoc implere præceptum: quia sapientibus & non insipientibus imperatum est. Hæc & alia eodem pertinentia Hieronymus interpretans illud ad Ephes.* 5. Videte quomodo caute ambuletis: non vt insipientes, sed vt sapientes. *Ambros. quoque legendus in illud ad Thess. mandatum.* Omnia probate.

CAP. V.

25. Porro si dissensiones & schismata increpat, &c.] *Titulum huic capiti fecimus*: Quod non modo dissensiones & schismata, sed & hæreseis Apostolus increpet. *Adludens ad caput* 5. *epist. ad Galat. Atqui Apostolus (inquit Quintinus) inter Christianos perpetuam voluit esse tam verborum quam voluntatum concordiam, scilicet, ipsos in eodem sensu, in eademque sententia manere, & vnanimes omnes idem sapere, idemque sentire. Discordes & seditiosos de medio fratrum præcepit expelli.* Rogo vos, fratres *(ait)* vt obseruetis *(vt consideretis)* eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis, *Rom. c. vlt. Priori ad Corinth. c.* 1. Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt nõ sint in vobis schismata. *Rursus & in eiusdem epist. cap.* 12. *Ecclesiam Christi comparat humano corpori, dicens*: Sic Deus temperauit corpus, vt non sit in eo schisma. *Non debet igitur esse in Ecclesia. Reddit optimam causam paulopost in cap.* 14. quia non est dissensionis Deus, sed pacis. *Apostolus διχοστασίας & ἀκαταστασίας appellat, & etiam σχίσματα, quæ nostri* dissensiones, *dissidia, seditiones, Græcamque retinentes vocem, nominant* schismata. Schisma *significat alicuius rei dissectionem, rupturam, scissuram, fractionem*, vt si pannus rudis assuatur veteri, tunc peior scissura fit. *χεῖρον σχίσμα γίνεται*, *Matth.* 9. *Transfertur ad opinionem seu sententiarum diuisionem. Ioan.* 9. Schisma erat inter eos, *id est, non concordabant, non conueniebant opinionibus, in diuersa studia scindebantur, ac dissentiebant.* Schismatis *nomen in Ecclesia semper fuit ignominiosum, publiceque damnatum.* Schisma *est, quando quis ab Episcopo suo, vel Ecclesiæ communione, sine nouo tamen dogmate secedit; nec regi pari iure cum ceteris assentit, vt in can.* 31. *Apostolico docebamus amplius. Quod si nouam quoque doctrinam sua rebellioni, ac superbiæ coniunxerit, istiusmodi secessio tunc appellatur* Hæresis, *in capite sequ* Sane malum grauius schismate, *vt in Tertulliano*: Carnis opus vtrumque, quod qui perpetrarint, regnum Dei non consequentur, *Galat.* 5. *vbi post διχοστασίας, id est, seditiones, recensentur αἱρέσεις. Quibus adde similes locos de distinctione inter* schisma *& hæresin, B. August. qu.* 11. *super Matth. l. de Fid. & symb. c.* 10. *l.* 2. *contra Cres. Grammat. c.* 7. *& epist.* 164. *Item B. Hieron. in c.* 3. *epist. ad Titum.*

26. incontinenti.] *Id est, statim (inquit Rhenanus) Iustinus solet dicere*: excontinenti, *ceu l.* 5. *vt excontinenti Alcibiadem ducẽ Corone duce mutarint, & l.* 7. *Teneri non potuit, quin excontinenti acie decerneret. Legimus autem cum ms. Anglico cod. & Latino*: quod malis adiungit, *pro*: adiungat. *Quod quum videret non conuenire, exconiectura scripserat Quintinus*: quod hæreseis malis adiungat. has vtique malum profitetur. *sed non placet. Item cum eodem cod. ms. & Macereo legimus*: de leuioribus.

27 quum maxime diuerti (*seu* deuerti) ab eiusmodi obiurgans.] *Ita ex vtroque ms. Vatic. & Angl. Verum necdum mihi satisfactum puto, nisi legatur*: deuertit. *Neque vero etiam sensum satis adjecutus est Macereus, eo quod legit vti prius erat*: ad eiusmodi. *Fortassis retineri posset illa lectio, vt sit Græcismus*: obiurgans deuerti ab eiusmodi, *id est, vt diuertant.*

CAP. VI.

28. Nec diutius de isto, &c.] *Tractat hoc capite*: Quid sint, & vnde dicantur hæreseis.

29. scribens ad Galatas.] *Locus Apostoli ad quem alludit, iste est*: Manifesta sunt opera carnis, *seu* crimina carnalia, *vti vertit Auctor*, dissensiones, schismata, hæreses, *pro eo quod noster interpres*, contentiones, dissensiones, sectæ, *& Græce (vti etiam supra adnotauimus ex Quintino)* διχοστασίαι αἱρέσεις.

30. in omni pene epistola.] *Quum nusquam alibi reperiatur tale quid apud Apostolum nisi illud*: Adulterantes verbum Dei, 2. *Cor.* 2. *& 9. sit mihi magis verisimilis versio Macerei, qui pro* adulterinis *falsas vertit, & interpretatur de tota epist. ad Titum.*

31. de adulterinis doctrinis.] *Sic paulopost etiam* quarum opera sunt adulteræ doctrinæ, *& infra* 34. doctrinarum adulterinarum, *ac* 38. adulterum stylum, *Quod quomodo intelligat, explicat infra c.* 44. qui illam stuprauerint adulterio hæretico virginem traditam à Christo. *Quicquid autem (inquit Quintinus) corruptum est quod non est sincerum. quod in sua puritate non mansit, quod denique falsum est, id* adulterum *vel* adulterinum *est. Vlpianus vocat in fi. lib.* 6. *de extraordi. cui l.* 6. *Ad l. Corn. de fal.* adulterinas *stateras, & Aphricanus* adulterinum *testamentum. Hæreses hoc sensu vocantur* adulteræ, *vel* adulterinæ doctrinæ, *quia puram diuinarum scripturarum simplicitatem corrumpant. Apostolus gloriatur, quod instar hæreticorum, non* adulteret *verbum Dei, sed prædicet illud in manifestatione veritatis*, 2. *Cor* 4. Adulterare, *est rem quampiam corrumpere, seu falsificare, externa rei commixtione. Rem cum dolo tractare, veluti quum seruus dicitur*: adulterare *dominicas rationes, in fi. l.* 1. *de seruis corrup. Igitur hæretici sunt* Adulteratores *scripturæ, non mitius puniendi, quam lex puniat* Adulteratores *monetæ.*

32. Hæreseis dictæ Græca voce.] *Verba hæc ad verbum fere transscripserunt B. Isid. Etym. lib.* 8. *c.* 3. *& Hrabanus, tum opere de Vniuerso, tum de Instit. cleric. lib.* 2. *c.* 58. *Haud absimiliter vero auctor infra c.* 37. quod de sua electione sectati hæreticorum nomine admittunt, *& lib.* 1. *adu. Marc.* vt hinc *(inquit)* iam destinari possit hæreticus, qui deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit, quod retro non erat. *Item infra à dicto c.* 37. quam vnusquisque de suo arbitrio aduersus Apostolos aut protulit, aut recepit. *Item Scorpiaco adu. Gnosticos*: desertam disciplinam hæreticis impingit. *Similiter lib.* 2. *adu. Marc.* quis *(inquit)* dubitabit Adæ illud delictum hæresim pronuntiare, quod per electionem suæ potius quam diuinæ sententiæ admisit? *Atqui* Αἵρεσις *(inquit Quintinus) Græca quidem vox est, at Ecclesiæ Latina vsu creberrimo facta, iam Latina videtur* Hæreseis, *&* Αἱρετικὸς, *Hæreticus.* Hæresis *est affectatio, delectus, voluntas, electio rei cuiuspiam. Nunc appellatio omnino probrosa, quondam minime. Quam sicut hic Tertullianus, ita his definiuit Hieronymus in duobus locis per Tertulliani citatis, ad Galat.* 5. *ad Tit.* 1. Hæresis *Græce (ait) ab* electione *dicitur, quod scilicet vnusquisque eam sibi eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Vt in hoc prophanis, & in secularibus disciplinis facere cuique liceat, quum tamen de fide Christiana, quum de nostra saluationis agitur doctrina, tunc nulli datur optio credendi; sectam sibi nullus eligere poterit: Sed quod in Euangelio scriptum est, quod à sanctis maioribus nostris nobis traditum est, hoc tantum sectandum est. Hæc nostra sola fides est; si quid additur, aut minuitur,* Hæresis *est. Et Hæreticus est, qui aliter intelligit scripturam, quam sensus Spiritus sancti flagitet, à Romana, & vniuersali Ecclesia in fidei doctrina discordans. Qui interim perperam legit*: ad instruendas, *pro eo quod alij omnes*; instituendas. *Intelligit enim Tertullianus Auctores Hæreseon, sicuti etiam recte vertit Macereus. Eodem pertinet illud Irenæi aduers. hæres. l.* 3. *c.* 2. *Hanc (inquit) sapientiam vnusquisque eorum esse dicit, quam à semetipso adinuenerit, fictionem scilicet. Vnusquisque enim ipsorum omni modo peruersus, semetipsum, Regulam veritatis depranans, prædicare non confunditur.*

34. Ideo & sibi damnatum dixit hæreticum.] *Paulo prius dixit*, vt à semetipso damnatus *Pro quo legitur. hodie apud Apostolũ*: proprio iudicio condemnatus. *verum illud & legit etiam, & declarat sic (vti etiam adnotauit Quintinus) B. Hieronym.* Hæreticus *à semetipso damnatus esse dicitur, propterea quod adulter, fornicator, homicida, & cetera vitia per sacerdotes ab Ecclesia propelluntur.* Hæretici *autem in semetipsos sententium ferunt, arbitrio suo de Ecclesia recedentes: quæ recessio, propriæ conscientiæ videtur esse damnatio. Legit autem eodem modo frequenter B. Cyprian. Atqui legimus cum Isidoro & Hrabano, vbi supra*: Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, *pro eo quod quod erat*: indulgere, *eo quod sequatur*: induxerit, & quod inducerent. *Recte autem Macereus illud* adsignauerunt *paulopost interpretatur de legitima Traditione. Siue autem legas*: Etiam si angelus aliter Euangelizaret, anathema diceretur: *sicuti vulgo legitur, siue cum MS. Anglico & Isidoro* Euangelizauerit, *&*: dicetur: *perinde est.*

35. in virgine quadam Philumene, &c.] *Quisnam fuerit (inquit Quintinus)* Apelles, *& cuius auctor Hæreseos, dicitur in c.* 30. *Et in hæreticorum catalogo inferius, hæres.* 19. *Nunc de* Philumena. *Fuit hæc Alexandrina puella sicut existimo.* Apelles

enim

enim libidinosus homo, quum propter mulieris amorem defecisset à magistro suo Marcione, qui sectatores suos in continentia viuere, saltem continentiam fingere, volebat, etsi manerent assidui cum mulieribus (nec enim Marcion fuit absque muliere, quam & Romam præmisit ad animos decipiendorum sibi præparandos, ait Hieronymus) Apelles (inquam) deserens magistrum, quem ritualem sibi magister ferre non poterat, Alexandriam migrauit: vbi rursus & in hanc fœminam impegit, vt à Tertulliano refertur capite 30. iam dicto. Philumena vero dum iuuencula virgo foret adhuc, familiarem sibi dæmonem habuit, cum qua perseuerans dæmon habitu pueri sæpe se puellæ demonstrabat, aliquando se Christum, quandoque Paulum se mentiens, esse: per quem futura multa vaticinabatur, ac diuinabat, sed & miracula quædam, portentosaque faciebat. Ita suis diuinationibus & præsagiis effectum, vt inspirata videretur esse diuinitus. vnde reor sibi datum nomen φιλυδρίου, id est, Amans animi, furoris, atque potentiæ. Crescentibus hæc annis, insigne scortum fuit. Cum quo congressus Apelles, & eius Energemate circumuentus (vt Tertullianus ait) id est, eius vi, dæmonum vexatione, & efficacia magna deceptus, quasi numine quodam meretrix afflata foret, omnes animi sui motus, & impios æstus ad eam mulierem referebat. Et hanc inde suarum doctrinarum perpetuam comitem semper habuit infœlixque librum conscripsit, quem Philumenæ Prophetias & Phaneroseis inscripsit: hoc est, Prædictiones, Apparitiones, Manifestationes atque Reuelationes. Christiane Lector, Hæresis nulla fuit vmquam, nec est hodie, cuius auctor, dux, & præcipua fautrix, impudica mulier aliqua non exstiterit: nec est aut fuit hæreticus vmquam qui suas non habeat & habuerit philumenas. De Philumena autem tacuerunt Epiphanius, Philastrius, & Damascenus, Apellem describentes. At meminerunt Euseb. cap. 13. l. 5. histor. Augustinus Ad Quoduult Deum, de hæresibus. Hieronym. bus paulopost initium lib. contra Pelagianos ad Ctesiphontem, & c. 1. super epist. ad Galat. vbi ista Tertull. verba ipsa: Prouideratiam tunc Spiritus sanctus, &c. integra pene refert, exponens Apostoli verbum hic à Tertulliano citatum: Sed licet angelus de cœlo Euangelizet, &c. Meminit eiusdem & Apellis iterum auctor lib. 3. adu. Marc. in hæc verba: Nam & Philumene illa magis persuasit Apelli, ceterisque desertoribus Marcionis. Apertiora sunt interim verba, ad quæ alludit Quintinus infra c. 30. Inde (inquit) post annos regressus non melior, nisi tantum qua iam non Marcionites, in alteram fœminam impegit, illam virginem Philumenen quam supra ædidimus, &c. Cui simile est & illud infra lib. de Carn. Christi: & dehinc in virgine Philumene spiritu euersus, &c.

CAP. VII.

37. Hæ sunt doctrinæ hominum, &c.] Titulum huic capiti dedimus: Quod hæreseon origo à Philosophia. Id est enim, quod paulopost dicit: Ipsæ denique hæreses a Philosophia subornantur. Cui simile est & illud infra l. adu. Hermogen. Patriarchæ hæreticorum Philosophi, & B. Hieron. initio lib. contra Pelagian. ad Ctesiphontem; vbi indicare etiam auctorem videtur, his verbis: Pulchre quidam nostrum dixit. Philosophi Patriarchæ hæreticorum. Quod ante nos quoque adnotauit Quintinus, addens Tertullianum de eis Philosophis loqui, quos Petrus graphice describit 2. Pet. 2. quos notauit & Seneca Epist. 89. Quibus etiam hæc addit: Tertullianus insectatur vbique Philosophos, quippe de quorum ingeniis omnis hæresis animatur, vt ipse dixit primo aduers. Marc. libro, qui de certis incerta præiudicent, ad artis suæ propriæ gloriam. Siquidem: Philosophus est animal gloriæ, venaleque rumorum mancipium. Sed quod huc adtinet, ille de Philosophis ita loquitur in Apologetico Christianorum capite 47. Philosophi gloriæ solius & eloquentiæ libidinosi, si quid in sanctis scripturis offenderunt digestum, pro instituto curiositatis ad propria verterunt. Paulo supra dixerat. Philosophi affectant veritatem, & affectando corrumpunt: vt qui gloriam captent. Hæc dicta putato de Gnosticis. Et verosimiliter dixit Auctor aduersus Marc. lib. 5. omnes hæreses ex subtiloquentiæ viribus & Philosophiæ regulis constare; ac supra Tom. 1. Apologetici cap. 47. Ex horum (Philosophorum) semine & nostram hanc nouitiolam paraturam viri quidam suis opinionibus ad Philosophicas sententias adulterauerunt, & de vna via obliquos multos & inextricabiles tramites sciderunt. Eodem pertinet & illud infra libro de Resurrectione carn. Discede ab ethnico hæretice, redde illi sensus suos, quia nec ille de tuis instruitur. Quid cæco duci inniteris, &c. Latissime idipsum deducit B. Cyrillus Hierosolymit. catech. mystag. 18. Similia etiam habet alicubi Lactantius. Quæ eo proltxius prosecuti sumus, quod perperam & Magdeburgenses inter Tertulliani, & quidam alius inter Lactantij errores collocarint: dicere: Ex Philosophia ortas hæreses. Vt interim contrario nexu hic existimet, omnino Christiano interdictum hic omne Philosophiæ studium, seipsum interpretatur Tertullianus in hæc verba, vbi causam reddens: Eædem (inquit) materiæ apud hæreticos & Philosophos volutantur, iidem retractatus implicantur. Alioqui necessariam esse aliquam Philosophiæ scientiam satis indicat infra lib. de Resurrectione carnis, quum dicit: Ita nos Rhetoricari quoq; prouocant hæretici, sicut & Philosophari. Est autem adnotandum, quod doctrinas hominum, Col. 2. & doctrinas dæmoniorum, 1. Tim. 4. hæreses interpretetur.

37. De ingenio sapientiæ seculi, quam Dominus stultitiam vocans.] Ita ex MS. Anglico, pro: sapientiæ secularis. Quia aduers. Marcionem libr. 2. vertit auctor: sapientia mundi; & sic etiam noster interpres. Paraphrasticus autem Domino adscribit id quod Apostoli est, eo quod addat Apostolus, 1. Corinth. 3. Stultitia est apud Deum, more suo, etiam confundens illud cum eo quod 1. Cor. 1. dicitur: Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.

38. subornantur. Hoc accipias (inquit Quintinus) non in vulgari significatu, quod est occulte, latenter, arte, vel pecunia seducere, per dolum sollicitare, sicuti vulgo dici consueuit de testibus. Hic ad adparatum & institutionem & ornatum pertinet. Hæreses a Philosophia subornantur, id est, primum, quadamtenus ornantur, instruuntur, adparantur. Homo à natura subornatus, in vitam venit. Subornatus, id est, apparatus, ornatus iam fere totus, apud Ciceron. 1. de Legibus.

39. Inde Æones, & formæ, nescio quæ, & trinitas hominis. &c.] Valentinus (inquit Quintinus) Timæum Platonis, & eius Epinomidem totam voluit in salutis nostræ negotium, religionemque transferre, numeris atque proportionibus omnia definiens, & horum cognitioni tribuens hominis absolutam fœlicitatem. Ex vnitate nescio qua connexuit quindecim Dualitates. Ex his quendam Tricenarium deduxit. Quæ rursus trifariam partitus est, in Octonarium in Denarium, & in Duodenarium. Numeros istos appellauit αἰῶνας, id est, ætates, aut sæcula: quæ triginta dicebat esse. Cur autem suos numeros appellarit Æonas, & secula, non recordor me legisse rationem: Nisi quod astutum nebulonem putem, quum nusquam videret in Ecclesiæ Christianæ mysteriis haberi numerorũ rationem, Sæculorũ vero sæcula ἀιώνων αἰῶνας, subinde memorari cerneret: istos nobis Æonas pro numeris supposuit: De quibus intelligi volebat vbicumque sæculum vel sæcula nominantur in sacris. Insuper & integrum Parmenidem, qui de vno omnium principio, siue de Ideis agit, ad nostra quoque salutis instrumentum, ceu necessarium quiddam, proferebat. Rerum duntaxat intellectualium species quasdam seu formas ἀκατεργάτους, indesinenter operantes, & inabolibiles exponens. Alcibiadem quoque primum, qui de natura tractat hominis, Euangelio permiscebat. Ex tribus hominem componi dicitur ibidem, nonnullisque locis altis, ex corpore, ex anima, ex mente siue spiritu Valentinus hinc esse tres hominum docebat ordines, siue tria distinguebat hominum genera, πνευματικῶν, ψυχικῶν & σαρκικῶν, spiritalium, animalium, & carnalium, siue corporeorum. Pneumaticos, id est, spirituales, dicebat homines perfectos esse, quibus iam nullo labore foret opus, quibus intrepide licebat agere quod volebant: nec enim peccare posse. Morientes in altissimum cœlum recta meare, cum suo quodam corpore spirituali, quod habere se somniabant & imaginabantur. Talem se dicebat, & Gnosticos omnes esse. Psychicos autem, id est, animales (vt anima opponatur spiritui) minime posse per se saluari astruit: sed istis opus esse labore magno, & operatione aliqua iusta. Post quæ opera bona, si diu se talibus fatigarint, in medium (nescio quod) cœlum feruntur, vbi Christus habitat vna cum Angelis, nihil corporum terrenorum secum ferentes: ibique despondentur Angelis. Tertium vero genus hominum, quod sarxicon & hylicon, carnale & materiale, & choicum, id est, terreum, nominabat, ab omni virtutis & veritatis cognitione remotum dicebat, etiamsi maxime vellet eam suscipere, sed vna cum corpore & anima simul interire asseuerabat. Hæc est illa Trinitas hominis, quam notat hic Tertullianus. de quibus nugis ampliorem tractatum videre quærens, adeat Irenæum, ipsum quoque Tertullianum contra Valentinianos. Legat & Epiphanium in Tomos 2. libro 1. Panarij. Satis hæc ad loci præsentis explicationem.

40. Inde Marcionis Deus melior, &c.] Quum Marcion (inquit idem) didicisset homines à Stoicis in duo genera distingui, quorum dicerentur alij sapientes, & insipientes alij. Sapientes autem nemini vnquam nocere, vel inferre malum, sed qui summa vtuant in euthymia, id est, in animi tranquillitate, quiete, pace, commodi & vtiles omnibus: Insipientes vero suos esse, nihil quam noxia cogitantes: Ille protinus vlciscei se cupiens aduersus Ecclesiam, cuius communione priuatus fuerat, ob stupratam virginem quandam, commentus est etiam duos esse Deos, alterum bonum, & sapientem Deum, tranquillum, quietum, sedatum, qui neminem indicibilem naturæ suæ bonitatem nocere, neque velit; sed nequeposset. Is est Christi pater. Alterum vero Deum finxit esse malum, qui mundum creauerit, & omnium sit auctor malorum, quæ sunt & perpetrantur in mundo; propterea dixit hic Tertullianus & in vlt. cap. huius libri: Deus melior de tranquillitate, &c. Hunc ipsum videas in illis quinque libris, quos in Marcionem composuit. Prædictos quoque sanctos Ecclesiæ Dei propugnatores aduersus hæreticos legito.

41. & vti anima interire dicatur.] Epicurus (inquit idem) atque sui putarunt, hominis & pecudis idem bonum simpliciter esse neque post mortem differre, sed, animante dissoluto, sentiunt omnem pariter extinctum dissolutumq; sensum. Tusculanam vide Quæstionem l. 5. disputatam. Plinius Epicureus plane, qui scripsit: Omnibus à suprema die sunt eadem quæ ante primum nec magis à morte sensus vllus est aut corpori aut animæ, quam fuerit ante natalem; capite 55. libro 7. Eodem pertinet quod supra dicit Tom. 1. lib. de Testimonio Animæ, cap. 4. Christiana opinio, &c. Epicurea gratior, iam te ab interitu defendit: Item Apol. cap. 47. Animam alii dissolubilem dicunt. Item quod infra est libr. de Resurrectione carn. cap. 1. Nihil esse post mortem, Epicuri schola est. Atqui lego cum MS. Vat. 1. edit. & Quintino: ab Epicureis, pro eo quod Macereus & alij: Epicurus, nam Epicureorum nomine Sadducæos

A *hæreticos intelligit, qui* (*Rhenano teste ad initium lib. de Resurr. carnis.*) *etiam animarum interitum prædicabant. Verum de his latius infra li. de Anima, vbi de immortalitate Animæ agit.*

42. carnis restitutio, &c.] *Impietas hæc fuit* (*inquit Quintinus*) *omnium pene Philosophorum communis, vt asseruerint, Deum non posse mortales æternitate donare, aut reuocare defunctos. In qua fuit & Plinius animæ negans immortalitatem, nedum corporum. Vocat eorum vanitatem, qui se propagant in futurnm, & in ipso mortis tempore vitam sibi somniant futuram. Vnum Democritum refert, qui tametsi Philosophus insignis fuerit, hac tamen reuiuiscendi vanitate laborarit, d. c. 55. & c. 7. li. 2. Tertullianus l. de Resurrectione carnis scripsit in istos oppinatores.*

43. Et vbi materia, &c.] Hermogenes (*inquit idem*) *pictor arte sua derelicta, cœpit* (*vt prouerbio dicitur*) *vltra lineam Theologari, seu magis Philosophari, sicuti nunc etiam sartores, sutoresque faciunt vltra crepidam. Tertulliani coæuus erat in Aphrica, qui* Zenonis in porticu *somnia secutus, asseruit æternam, ac sine principio fuisse* materiam *quandam* (*Græci vocauerunt ὕλην*) *ex qua Deus omnia post formauerit, & creauerit. Vehementi, nec minus eleganti libello confutauit hunc Tertull. Verumtamen nescio, cur* Zenoni *magis, quam ceteris quibusdam somniatoribus hæc opinio tribuatur. Nam Cleanthes duo ponit principia rerum,* Deum, & materiam: *Plato in Timæo tria,* Deum, materiam, & Ideas, *seu* formas. *Certe non videntur* B *inferiorem tempore, facere* materiam, *quæ semper fuerit, neque nata, neque facta, nec habens initium, neque finem, ex qua Deus omnia postea fecerit.* Zenoni *autem potius quam alij, hanc opinionem adtribuit, quod hæc communis sit Stoicorum opinio, quorum princeps* Zeno. *Hinc Marcioni libro 5. inter cetera obijcit, quod* Cum Deo creatore materiam collocaret de porticu Stoicorum.

44. & vbi aliquid de Deo igneo, &c.] *Philosophi* (*inquit idem*) *paucissimi, aut certe nulli, de rerum principijs inuicem concordarunt: alius aliud statuit. De quibus Hermiæ Diasyrmon.* (*argutum sane perelegantemque libellum*) *legas,* Heraclitus *inter alios apud Laertium dicebat:* *Omnia ex* igne *constare, & in* ignem *cuncta resolui. Iuxta quam Philosophiam nonnulli verba Mosis Deuteron. capite 4. & Apostoli ad Hebr. 12. interpretabantur,* Dominus Deus tuus ignis consumens est. *Atqui sic* ignem *faciebant Deum. Quomodo accipienda sint verba illa, reperies apud Hieronym. capite 66. Isai. & in Augustino capite 13. contra Adamantum Manichæum. Vide eiusdem scripturæ explicationem infra Tom. 5. libro de Trinitate. Eodem vero pertinet quod habet supra Apologet. capite 47.* Deum alii ex igne adseuerant, vt Heraclito visum est. *Idem quod est infra libro 1. aduers. Marc.* Deum pronuntiauerunt, Thales aquam, Heraclitus ignem, *Vtrum autem etiam hæreticorum aliqui eo dementiæ venerint, vt* ignem *Deum dicerent, hactenus reperire non licuit. Certe quam proxime accedit Apelles, dum* (*vti est infra capite 34.*) angelum superioris Dei creatorem mundi, igneum dixit, *immo* (*sicuti li. de Anima refert Auctor*) *eundem* igneum *angelum Deum Israelis* C *vocat. Atqui illis verbis:* Vnde malum, *ad Marcionis hæresin alludere de Deo* malo, *libro 1. adu. Marc. indicat:* Languens enim (*inquit*) quod & nunc multi, & maxime hæretici, circa mali quæstionem: Vnde malum.

45. Scilicet & de Enthymesii & Ectromate.] *Subaudias hic* (*inquit idem Quintinus*) *Deus prouenit. In istiusmodi quæstionib. auditor Christiane, non minus inest ineptiarum, quam sit impietatum. Qui videre plene volet, Irenæum legat, & hunc ipsum Auctorem nostrum, & omnium diffusissime Epiphanium contra Valentinianos. Hic dixero tantum, quod in* Æonum *decuria postremi duo nominātur* Æones, *τελετὴς, καὶ σοφία, Teletus & Sophia, perfectus & sapientia. Masculus* Æon *semper habet fœminam secum. Nam per coniugia tractant omnia sua mysteria, sic vt suo quoque Christo coniugem dederint. Obiter vobis omnium, qui fuerint, quique sunt, Gnosticorum legem referam, post Epiphanium contra Valentinianos ita scribentem, quod ab Irenæo sumpsit, c. 1. li. 1.* ὃς ἂν ἐν κόσμῳ γενόμενος γυναῖκα οὐκ ἐφίλησεν, ὥστε αὐτῆς κρατηθῆναι, οὐκ ἔστιν ἐξ ἀληθείας καὶ οὐ χωρήσει εἰς ἀλήθειαν. *id est: Qui genitus in mundo, mulierem non amauerit, vt ea potiatur, non est ex veritate, nec ad veritatem perueniet vmquam. Te quæso, Lector Christiane, num putas hac eos lege viuere, qui legem cœlibatus abrogant. Sed ad rem.* Sophia per incontinentiam suam *vel* (*vt ait Tertullianus*) mariti sui tædio, exarsit amore videndi primi patris illius, vnde prognati forent Æones *reliqui fratres sui.* D *βυθός appellabatur. A cuius conspectu dum prohiberetur per Monogenem Æonum præcipuum, qui solus illo patre primo fruebatur, affecta maximo dolore propter hanc repulsam, diu iacuit, Indeque præ ardore, quo tota flagrabat in patrem, ex semetipsa sola concepit, quin & peperit, sed minime vitalem fœtum, quia sine masculo. Propterea vocatus ille partus ἔκτρωμα, id est Abortus, cui nec forma, nec facies, nec species vlla. Quia vero non conueniebat in centro pleromatis, id est, aliorum perfectorum Æonum, manere, quia abortiuum, fuit informis ille partus in quædam sine lumine loca deiectus. Cuius tandem misertii fœlices Æones, eo precibus adductum misere suum* (*nescio quem*) *Christum cum sua coniuge παρακλήτῳ, quorum partes erant Ænonum consummationē procurare, qui de sua magna virtute, parique misericordia, de suis indicibilibus viribus, informauit abortum illum. Propterea fuit ab actu nominata mola illa ἐνθύμησις, id est, inanimatio, animæ infusio, formæ impositio, quam formam Christus Æonicus illi molæ dederat. Ex qua post, omnium rerum substantia constituisse dicitur, ipsius etiam Demiurgi, id est, Dei nostri. Reliquos istius fabulæ si forte cupias actus, in prædictis sanctis Auctoribus legito. Nimis multa sunt hæc ad huiusce loci declarationem. Satis habet quid rei sit* Enthymesis, *& quid* Ectroma. E *Adlegat etiam Rhenanus D. Hieronym. Comm. lib. 11. in Amos prophetam, qui scribit* Valentinum *ex Æonibus suis postremum, id est, trigesimum, vocare ἔκτρωμα, hoc est abortiuum. Verum de hoc latius infra li. aduers. Valentinianos.*

46. Inserunt Aristotelem.] *Sic iterum legimus ex Vaticano codice, in quo mecum consentit Quintinus. In æditione postrema* (*inquit*) *legitur:* Miserum Aristotelem, qui illis, &c. *Aposiopesis est, vt subaudias Interiectionem quampiam ô, heu, ah, &c. aut congruens verbum, Dico, existimo, iudico, &c. In alijs omnibus est:* Inserunt Aristotelem, *quod magis placuit. Argutias autem nescio quas Dialecticas in sacris tractandis litteris damnanti Tertulliano consonat Hieronymus, exponens hæc Prophetæ verba:* Bruchus expansus est, *&c. Nahum cap. vlt. Consideremus* (*ait*) *hæreticos, & Ecclesiæ multiplices hæreseis, & videbimus quod eorum dogmata, quum frigeant, & volare non possint, sedem sibi & requiem inter* Aristotelis *& Chrysippi spineta reperiunt. Inde nominatis aliquot hæreticis, paulopost subiungit: Et vt simul breui cuncta concludam sermone, de fontibus illis vniuersa dogmata trahunt argumentationum suarum riuulos, ita vt ipsa quoque loca, de quibus argumenta sumuntur, τοπικὰ superscripserint. Hæc ibi. Atqui non Dialecticā artem Aristotelis, sed Sophisticam improbari ante me adnotauit Macereus, cui consentit Clemens Alexandrinus Stromatum l. 1. vbi de philosophia Christianis* F *necessaria, ac de Sophistica improbanda latissime disputat.*

47. Hinc illæ fabulæ & genealogiæ.] *Propter Iudæos* (*inquit Quintinus*) *hoc admonitum putarunt, qui continue progenitotibus suis Abraham, Isaac, Iacob, & aliis gloriabantur, Inutilis certe gloriatio, sed quæ nullam gignebat quæstionem, neque fabulas habebat. Nam verum suum quisque genus & maiores suos inter Iudæos habebat notissimos, & citra controuersiam. Nonnulli reprehendi Gentiles hic dixerunt cum sua Theogonia. Tertullianus Hæreticos Æonum fabricatores notari credidit. In cellas enim varias distinguebant illi suos Æonas, ostendentes, quis à quo gigneretur, quibus omnem contineri diuinitatem fabulabātur. Apostolorum coæui Cerdon & Valentinus erant, qui non finiendis istis quæstionibus supra modum turbabant fideles. Inter quos ab Apostolo nominantur Hymenæus, Alexander, Philetus. Et meo quidem iudicio, totus ille locus ad hæreticorum confutationem spectat. Epiphanius etiam sic intelligit. Pro more calumniari mihi videtur, qui locum detorquet ad ceremonias, & hominum constitutiunculas* (*vti loquitur*) *& quæstiones scholasticas. Non sunt istæ vanæ, non sunt inutiles: non generant lites: Impie quis vocarit eas, ineptas, & aniles* fabulas, *quum præstent ædificationem Dei, quæ est in fide. Non ergo Paulus ipsas designauit.*

48. indeterminabiles.] *Expressit quod Græce est ἀπεράντοις, pro eo quod noster interpres:* interminatæ. *qui legisse videtur ἀπεράτοις, quare illud malo, quam cum Macereo legere:* interminabiles, *præsertim quum & infra cap. 33.* Genealogias indeterminatas *nominet.* G

49. ne quis vos circumueniat.] *Sic legimus ex ms. Anglico codice ad verbum cum Apostolo, pro:* ne quis sit circumueniens. *Illud vero,* præter prouidentiam sancti spiritus, *Auctoris est, non Apostoli, nisi quis velit esse paraphrasin eius quod subditur Coloss. 2.* & non secundum Christum.

50. varietate sectarum.] *Diogenes Laertius* (*inquit Quintinus*) *de Philosophorum vitis, in Proœmio libri circa finem scribit, quod Philosophorum decem fuerint αἱρέσεις, id est,* sectæ, *quas ibi singulas enumerat. Alius vna minus ibidem recensuit easdem. In schola, vulgus dumtaxat quatuor posuit. Ego tot fuisse putarim, quot vnquam Philosophi docuerunt in scholis cum auctoritate. Deprehendas ex ipso Laertio me dicere verum. Secundus à primo dissentit, à secundo tertius: & in omnibus fere consequentibus hoc ipsum videre licet. Nullus in ea Gentili Philosophia discipulus, qui non velit esse supra magistrum: secus in Euangelica facile est* (*aiunt*) *inuentis addere. Id est, profecto sectam nouam facere, prout de hæreticis dicemus in cap. 34. & 42.*

51. de porticu Salomonis est, &c.] *Quasi* (*inquit idem*) *dicere vellet: Non de* porticu *Zenonis. Στοὰ Græcis est, quæ Latinis appellatur* Porticus. *Athenis erant Stoæ complures: vna præ ceteris nominatissima, quam Polygnotus excellentibus picturis ornarat. Ideo ποικίλη cognominabatur, ob varietatem picturarum. In hanc facinorib. multis infamem, Zeno Citticus primum diuertit, & conciones habuit: cui cesserunt omnes, nec eo, nisi Philosophandi causa, cœptum est coiri Stoici sunt inde nuncupati ab ea* porticu, *quæ singulariter inter alias* H *appellabatur Stoa. De Στοᾷ vero Σολομῶνος, id est* de porticu Salomonis, *in quam post Christum præceptorem suum, sæpius vnanimiter Apostoli cum suis conueniebant, Euangelistæ meminere, Ioan. 10. Act. Apost. c. 3. & 5.*

52. qui & ipse tradiderat: Dominum in simplicitate cordis esse quærendum.] *Quum de* Salomone *loquatur, & citet hauddubie* (*sicut ante me etiam Quintinus adnotauit*) *illud Sapientiæ 1.* In simplicitate cordis quærite illum, *confirmatur hic auctoritas eius libri, & insuper Salomoni ab Auctore tribuitur. Sicut etiam B. Cyprianus non vno loco, & alij quoque Patres tam Græci quam Latini, quemadmodum late adnotauimus ad l. Cypr. de Mort. n. 43. & ad l. Test. 3. c. 53. vbi hunc eundem locum citat, n. 99. Eodem pertinet etiam illud li. adu. Valent. c. 2.* Porro facies Dei expectat in simplicitate quærentes, vt docet ipsa Sophia, non quidem Valentini, sed Salomonis. *Plures etiam locos huius libri tacito nomine ab Auctore citatos reperire est in Indice scripturarum, & aliorum similiter Auctorum,*

apud

A *apud Sixtum Senensem Bibl. sanctæ l.1.c.8. vbi ex professo hoc argumentum tractat. Atqui paulopost retinuimus* Christianismum protulerunt, *cum Macereo & cod. Vatic. pro eo quod Rhenan. ex Gorziensi codice*: Christianis prætulerunt, *& Quintinus* Christianum protulerunt.

CAP. VIII.

53. Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, &c.] *Caput hoc inscripsimus?* Quod curiositate Christianis non sit opus. *In quo & 2. sequentibus latius explicat, quod tribus verbis dixit Irenæus lib.1. aduers. Hæret. cap.* 1. *Suadenter quidem illi illiciunt per verborum artem simpliciores ad* requirendi modum: *quæ etiam ipsa verba transcripsit Epiphanius. Eodem pertinet quod Cyrillus Alexandrinus non semel inculcat, procul relegandas à fidei rebus voces illas;* Quare, *&* Quomodo. *Adnotauit autem Macereus quosdam aduersarios nostros (Magdenburgenses nempe) locum hunc detorquere ad solam fidei nostræ comprobationem ex scripturis. Verum non eam esse mentem Auctoris, vel inde conuinci, quod non solum dicat:* nec inquisitione post Euangelium, *sed etiam verba præcedentia. Christum autem Dominum nihil scripto commisisse, sed viua voce. dumtaxat, neque vero etiam Apostolis, vt scriberent, mandasse, sed solum ad prædicandum misisse, vti patet Matth. 28. Marci 16. Luc. 24. Ioan. 20. & ex Apostolo 2. Thessalonicensium 2. Quare* Euangelium *hic accipi debere, non modo id quod scriptum est, sed in genere,* B *vt comprehendatur etiam illud quod viua voce traditum est: quemadmodum accipitur Matth.4. & 9 Marc. 16. Act. 20. & 1. Corint. 4. Hactenus ille, & recte. Nam si omnino ad litteram verba hæc intelligamus, solum ergo Euangelium, non vero Epistolas Apostolorum, licebit suscipere. Cui addi potest & illud, quod quum simpliciter dicat:* post Euangelium, *si solum de scripto Euangelio intelligatur, iam in disputatione fore cuius Euangelium, Matthæine, Marci, Lucæ, an Ioannis, maxime quum quædam eorum à Marcione aliisque hæreticis reiecta sint. Certe etiam ipse Auctor supra lib. de Corona militis, Traditiones non scriptas agnoscit, & infra ca.* 21. eas Ecclesias *commendat,* quas Apostoli condiderunt, prædicando eis, tam viua voce, quam per Epistolas.

54. ad ineundam curiositatem.] *Similiter dixit infra ca.36.* Age iam qui voles curiositatem melius exercere. *infra Tom 3. li. de Pudicitia:* Huiusmodi, *inquit*, curiositates & suspecta faciunt quædam, & cunctatum expositionem subtilitate plerumq; deducunt a veritate. Inculcare *autem & hic, & supra 26. proprie accipitur; alibi pro:* conculcare.

55. Puto in primitiis ipsis doctrinæ suæ.] Primitias doctrinæ *(inquit Quintinus) Tertullianus vocat, dum Christus post Baptismum ac Deserti tentationem, Ioanne iam vincto, cœpit Euangelium regni prædicare, Matth.4. Sic* primitias *operum dicunt, opera prima: & Armorum* primitiæ.

C 56. quum etiam Ioannes, de illo certus, esse desisset.] *Recte sic interpretatur Macereus de* Ioanne Baptista, qui de Christo certus, *vtpote voce audita de cœlis:* Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, *Matth.3.* iam esse desiderat, *id est,* obierat, *decollatus ab Herode, vti est apud Matth. 19. Sed magis placet sensus, quẽ indicat Latinius in libro sequ. de Bapt. vt sit idem quod ibi cap. 10. de Ioanne legitur:* vsque adeo spiritum prophetiæ in illo post totius spiritus in Dominum translationem defecisse, vt quem prædicauerat, quem ipse designauerat, postmodum an ipse esset, suscitatum miserit. *Cui simile est & illud infra lib. adu. Marc.* 4. ipso iam Domino virtutum sermone & spiritu patris operante in terris & prædicante, necesse erat portionem sancti spiritus iam abscedere a Ioanne.

57. Habent Moysen & Heliam, id est, Legem & Prophetas.] *Etiam hic amplius quid legit quam habeatur Luc.16. vbi solum legitur & Græce & Latine:* Habent Moysen, & Prophetas. *fortassis cogitans, quum hæc scriberet, super apparitione* Moysis & Heliæ *in monte Thabor, de qua alibi latius.*

58. Scrutamini scripturas, &c.] *Etiam hic variat ab æditionibus vulgatis, quum vertit*: in quibus salutem speratis, *pro eo quod noster interpres ex Græco:* in quibus putatis vos vitam æternam habere.

59. Iudæi retro, &c.] Retro *(inquit Quintinus) pro suo contrario, quod est: Ante, non semel acceptum reperies. Consuetudo* retro *obtinuit. sic loquitur Vlpianus: id est, ante actis, & præteritis temporibus.* Retro *principes, id est, anteriores principes. Et hic* retro *fuerant, hoc* D *est, antea fuerant. lib. 7. ff. de offic. pro. C. de no. conf. & cod. compo.*

60. Nationes.] *Tertullianus (inquiunt Quint. & Macereus) cum ceteris scriptoribus Ecclesiasticis,* Nationum *nomine intelligit ethnicos & Gentes, quæ Deum nesciunt. Act. Apost. ca. 10. Vetus interpres τὰ ἔθνη, transtulit in* Nationes. *Et obstupuerunt, quia & in* Nationes *gratia Spiritussancti effusa est.*

61. nisi stillicidium de situla.] *Quintinus putat Auctorem alludere ad illud 4. Esdr. 6.* Quasi stillicidium de vase simulasti abundantiam eorum, *Verum eo quod subiiciatur*: & puluis ex area, *quod ibi non legitur, magis placet Macerei sententia, qui citari adnotat illud Esai. 40. quod etiam citat supra Tom.1. lib. adu. Iud. c.* 1. Gentes velut stillicidium situlæ, aut puluis ex area. *de quo ibi latius. Quintinus autem apte sic explicat:* Situla *est vas hauriendis & continendis aquis accommodatum, quod in hortis ad eos irrigandos habere solemus. In* situla *est etiam* stillicidium *scilicet vnde aqua stillet ac defluat guttatim. Sane* stillicidium, *quamuis sit in* situla, *tamen est* E *situlæ contrarium. Illud enim spargit aquas, &* situla *continet. Nationes hoc modo sunt* in Deo, *vel apud, seu* penes Deum.

62. & foris semper.] *Alludere videtur ad phrasin scripturæ, qua describuntur Gentes hac periphrasi:* qui foris sunt, 1 *Corinth. 5. Coloss. 4. 1. Thessal. 4. & 1. Tim. 3 fortassis etiam ad illud Apocal. 22.* foris canes: *nam (sicuti etiam Macereus adnotauit) canes appellat* Nationes *Christus, quem etiam locum paulopost citat Matth.* 15. *Quibus conformiter paulopost legit ms. Vatic. cod.* & foris actum, *pro eo quod alii elegantius:* foras. *sed illud placet. Mox autem legimus ex ms. duobus Vatic. & Anglico*: Nondum in viam Nationum ire mandabat, *omissis vocibus superfluis:* Gentium vel.

63. multo magis vacabat erga nos.] *Id est, inquit Quintinus, vacuum, superfluum. Ociosum erat illud mandatum à Christo Iudæis:* Quærite & inuenietis. *Vsus istius impersonalis & absoluti verbi frequentissimus.*

CAP. IX.

64. Cedo nunc sponte de gradu isto, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* Quod nihil quærendum sit vltra quam quærimus. *Atqui de illo Prouerbio?* Cedere de gradu, *latius inter Prolegomena.*

65. Nulla vox diuina, &c. *Similem locum adlegat ad marginem* F *Quintinus, qui in Decretis citatur. 1. qu. 1. c. Marcion: Non putemus in scripturarum verbis esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.*

66. vnum vtique & certum aliquid institutum esse a Christo, &c.] *Recte hoc interpretatur Macereus de vna Regula seu symbolo fidei, cuius vnusquisque articulus vnus est, certus, & determinatus. Neque enim Ecclesia post Apostolos nouum aliquem fidei articulum credendum proposuit. Etsi enim clarius explicuerit quosdam obscuriores, qui ob sui aut obscuritatem, aut ambiguitatem possent contentionis caussa esse inter fideles, & distinxerit in plures, qui prius vno generali articulo comprehendebantur, non propterea censendi sunt plures reipsa articuli fidei, sed distinctione & explicatione dumtaxat. Quod enim veteres in genere cognouerunt, nos distinctius & particulatim; crescente indies hominum (hæreticorum nempe qui fidem impugnant) curiositate, & gratia Dei in scripturis explicandis. Iuxta illud Apost. Ephes. 3.* Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc est reuelatum sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu. *Paulo post autem sic distinguo illud orationis comma:* & nihil amplius, nisi custodiendum quod credidisti. *Quomodo si legas. non opus erit Ioan. Harrisii coniecturam sequi:* & nihil amplius custodiendum, nisi quod credidisti.

67. Interim ex fiducia probationis præuenio, &c.] *Sic lego cum Quintino & Macereo, pro eo quod erat obscurissime:* præuenio. *Tertullianus enim (inquit idem Quintinus) dixerat* se probaturum clarissime veram Christi religionem penes nos esse. *quod ostendetur* G *in cap 20. & 21. Certus autem de promissa probatione (quam dictis in capp. & aliis nonnullis videbimus) illam præueniens, tamquam iam iam faciendam; præmonet interim quosdam, qui crediderat in Christum, ne sint amplius alterius inuestigandæ rei curiosi. inuento enim Christo, nihil est amplius quærendum. Quisquis autem simpliciter Euangelio credidit, vt à Catholicis maioribus nostris traditum, prædicatumque fuit, is clarissime Christum inuenit.*

CAP. X.

68. Ratio autem dicti huius in tribus articulis constitit, &c.] *Quum caput hoc eiusdem sit materiæ, nouo titulo non est opus. Atqui* ratio *hic vocatur, adnotante Rhenano, quæ paulo ante*: probatio. *Magis autem placeret* consistit, *quod habet Quintinus, & interpretatur Macereus, quam quod erat:* constitit, *nisi infra legeretur ca. 6.* nisi ratio constiterit. *Atqui de Prouerbiali formula*: Hanc tibi fossam determinauit, *inter Prolegomena ex Rhenan. & Quintino.*

69. & numquam omnino credemus.] *Recte vertit Macereus:* perfecte, *pro* omnino. *Quia supra Tom. 2. lib. de Veland. virg. sic loquitur Tertull. ca. 8.* siquidem omne totum est & integrum, & nulla sui parte defectum.

H 70. vbi statio credendi?] *Metaphora à* Stationibus *militum, à quibus vlterius progredi prohibentur. De voce* expunctionis *vide supra Tom 1. li. adu. Iudæos, c 4. n. 15. & Tom. 2. lib. de Cor milit c. 1. n. 4. De* Marcione *autem,* Valentino, Apelle, Hebione, *&* Simone, *infra sub finem huius libri. Lego autem cum ms. Vatic. cod.* quo se mihi insinuantes, me sibi adducant, *pro eo quod erat:* insinuent & me.

71. Ero itaque nusquam, &c.] *Ex diuersissima 1. æditionis & Rhenani ac ms. & Quintini ac Macereri lectione, hanc tamquam genuinam collegisse mihi videor:* Ero itaque nusquam dum vbique conuenior: Quærite & inuenietis: & velint me sic esse nusquam, quasi qui numquam adprehenderim illud quod Christus instituit, quod quæri oportet, quod credi necesse est. *Atqui recte si hunc locum interpretatur: Tibi statue, quid quærendum, quando quærendum, & quamdiu quærendum, quia* semper addiscentes, & ad scientiam veritatis numquam peruenientes, *improbat Apostolus. Dum clamatur vndique:* Ecce hic est Christus, ecce illic est, *plerique nunc huc, nunc illuc diuertunt, hæsitantes nunc vbi Christum adhuc inuenerint, admonitionis diuinæ parum*

memo-

memores, quæ prædixerat, Nolite credere. *Hinc omnium fons ebullit hæresum, quaque suum sibi Christum fingente, subindeque refingente Factitios istos Christos, variante que de salute hominum sententias, (è vestigio sequitur Epicurismus, in magna cœli cœlestiumque securitate, & contemptu viuens. Quidam vero seſe medios interserunt, quos non improprie cum vulgo nostro sapientes mundi, seu sapientes mundanos vocaris, Academicum nescio quod ἐπέχειν priscis Ecclesiæ Decretis commiscent, Cunctari, Morari, Sustineri volunt ad futurum vsque Concilium; Nec interim Gnosticos puniri (quia delinquere non existimant) nec antiquæ communionis Ecclesiasticæ viros (quod more maiorum viuant) interim vexari. Bone vir, si nescis (& certe qui sqius es, nescire te puto) infamis prævaricator es, pœna simili, qua tuus ille Gnosticus, cuius causſa prævaricaris, afficiendus. O Solonis in ciuitate bene constituta tibi formidandam legem! quæ priuat honoribus eum, qui neutram factionem sequitur, orta seditione. Ceterum, vt has hominum leges effugias, ineuitabilis est illa, qua voluit, aut calidos nos, aut frigidos esse. Tepidos enim Dominus euomit.*

CAP. XI.

72. Impune erratur, nisi delinquatur, &c.] *Eiusdem etiam quum argumenti sit hoc caput, titulo non indiget.* Errare *autem (inquit Quintinus) est otiosum & sine causſa vagari, & hac illac discurrere, dum nulla certa rectaque via tenetur, qua nos ad destinatum quempiam locum ducat. Metaphoricῶς inde factum, vt* errare *sit à vero labi, veritatem recta non sequi, quod absque reprehensione fieri nonnunquam potest. Et si per ignorantiam ac simplicitatem labamur,* impune tunc erratur. *Homines etiam spiritales & sancti hoc modo frequenter* errant, *ignorantes quid agant, aut dicant Hieronymi celebratur verbum de optimo genere interpretandi: Humanum est* errare, *prudentis est errorem confiteri. Propius hic dictis accedit, quod Augustinus l. 4. li. 1. contra Academicos scriptum reliquit:* Errare *est semper quærere, & numquam inuenire. In Tertulliano sequitur:* Errare est delinquere. *Certe in via morum nullus error sine delicto. Nec error est vllus, qui non sit malum. Videas eundem August. ca. 17. ac tribus quatuor ve subsequ. capp. in Enchiridio ad Laurentium. Adscribam quod est in cap. 19. Ipse per seipsum* error, *aut magnum in re magna, aut paruum in re parua, tamen semper est malum. Quis enim malum neget esse, ad probare falsa pro veris? aut improbare vera pro falsis? aut habere incerta pro certis? vel certa pro incertis?*

73. negator inuenior.] *In Christo (inquit idem) religione qui sint habendi Confessores, & qui* Negatores. *ex verbis Christi cognoscitur apud Luc. 12. c. Prolixe dicebamus in Apost. can. 62.* Negator *est, qui tritam veritatis viam semel inuentam, Christique fidem cum Catholicus acceptam, postea deserit coram hominibus, innouat, aut immutat. Hunc etiam Christus deserturus ac negaturus est coram Angelis Dei. Propterea* Negatores *ab Ecclesia communicatione depellebantur, quia non sustinuissent in finem, sed ad Gentes aut hæreticos defecissent, quod ipse Tertull. adstruit in li. de Monogamia. Vixque recipiebantur, dum pœnitentes postea redirent. Quæres in Ecclesia prisca fecit olim controuersiam maximam Quamobrem Tertullianus hic tamquam probrum grande, non tantum deficientibus ad hæreticos plene, sed ab hæreticis aliquid addiscere volentibus, obijcit, quod sint* negatores.

74. Perdiderat vnam ex decem didragmis, &c.] *Similis plane locus infra aduers. Marc. li. 5.* Dragmam perditam quis requirit? Nonne qui perdidit? Quis autem perdidit? nonne qui habuit? *Atque adeo magis quidem placeret, vt secundum Quintinum, Macereum, & Latinium legeretur:* ex decem dragmis, *maxime quum etiam Græce legatur* δεκαμιῶν, *& li. quoque de Pœnit. supra Tom. 2. & capite sequenti legatur:* dragmam, *nisi meminissem legi 2. Machab. 4. argenti* didragmas *trecentas, & Matth. 17.* Accesserunt qui didragma accipiebant, *&* Non soluit didragma, *quorum posteriori loco etiam Græce legitur* τὸ δίδραχμον, *atqui* διδραχμον, *siue* didragma, *duas* dragmas *Budæo significat, valentes iuxta illum 7. solidos Turonicos. Legimus autem mox ex Vatic. cod. ms. &* vt accepit. *Illud autem:* hactenus institit, *accipitur, ac si dicat: instare cessauit.*

75. & quærenti inuenietur.] *Sic vertit quod noster habet interpres:* & qui quærit, inuenit.

76. Viderit qui quærit semper, &c.] Semper quærere *(interpretatur Macereus) eius est qui incertus est:* semper pulsare; *eius qui auditus non est:* semper interpellare, *eius qui admissus non est. Nobis vero Dominus contrarium præcepit, vt nempe non dubiæ fidei simus, Matth. 14. vt credamus nos exauditos iri, Matth. 7. & satis iam de veritate instructos, Ioan. 4. & 16. Legimus autem mox:* Vbi non inuenietur, *ex cod. Vatic. ms. pro;* inuenitur, *eo quod sequatur;* quia numquam aperietur.

CAP. XII.

77. Nobis etsi quærendum esset, &c.] *Titulum huic capiti damus:* Si Christianis quærendum, non apud hæreticos, sed apud nostros. *Legimus autem ex Macereo,* esset. *pro:* est.

78. apud hæreticos: vbi omnia extranea.] *Omisimus negationem:* Non, *cum ms. Vatic. cod. & Quintino. De hoc autem loco sic Macereus:* Apud hæreticos *veritas non inuenitur, quia quæstiones, præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide, 1. Tim. 1. &* semper discentes, numquam ad scientiam veritatis peruenientes *2. Tim. 3. & volunt euertere Euangelium Christi, Gal. 2. Quia etiam ecclesia apud eos non est (sed apud nostros) qua dicitur* columna & fundamentum veritatis. *1. Tim. 3. Neque Deus penes illos est, qui aperit ostium fidei, Act. 14. qui* aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit. *Apocal. 3. neque etiam S. Petrum agnoscunt, sua hæresis auctorem, cui tradita sunt claues regni cœlorum. Matt. 16. quorum etiam donare non est, quod apud eos non sit pater luminum (à quo omne donum perfectum, Iacobi 1.)*

79. donatiuum & stipendium captat.] De Donatiuo *vide supra Tom. 2. lib. de Cor. milit. cap. nu. 2. quod Macereus non videtur adsecutus, quando vertit Gallice;* appoinctement. *Legimus autem cum Quintino & ms. Vatic. cod. paulopost:* vicini ianuam, *pro eo quod erat:* vicinam, *eo quod id magis respondeat parabolæ Luc. 11. Et legit quidem ms. cod. Anglicus:* Nemo inde instrui potest. *sed Tertullianum est:* strui.

80. Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur.] *Et hoc & prius illud de hæreticis dictum:* vbi omnia aduersaria veritati, *seu* veritatis, *vti legit ms. Vatic. cod. pertinet ad errorem B. Cyprian. de quo latius infra lib. de Baptismo, & inter Tertulliani dogmata in Prolegomenis. Legimus autem ex coniectura Rhenani & Latinij:* id-que dumtaxat, *pro:* in quo dumtaxat.

CAP. XIII.

81. Regula est autem fidei, &c.] *Inscriptionem huic capiti dedimus:* Quæ sit Regula seu symbolum fidei. Regulam *enim fidei nuncupat Symbolum, quod nos Apostolorum (& ipse quoque Auctor infra ca. 21.) dicimus, idque non hic modo, & ca. præced. & sequenti, sed & supra Tom. 2. lib. de Veland. virg. c. 1. & infra adu. Marc. li. 1. & lib. adu. Praxean, ca. 2. Imitatus (vti recte adnotauit noster Feu-ardentius) B. Irenæum l. 1. c. 4. adu. hæres. & l. 3. c. 2. qui* Regulam fidei *vocat, seu* veritatis, *quam in Baptismo accepimus, adludens ad recitationem Symboli in Baptismo, de qua latius infra initio libri de Baptismo Auctor Hos autem etiam in ea appellatione* Symboli Apostolorum *sequuntur Nouatianus infra Tom. 5. initio lib. de Trinitate, qui* Regulam veritatis *nuncupat, sequutus Tertull. initio li. adu. Hermogenem: Origenes Præfat. in li. Peri archῶν: Augustl. l. 1. de fide & symbolo, & B. Chrysost. hom 1. in Symbolum, & Rufinus initio sua Expos. in Symb. Tom. 3. inter opera Cyprian.* Regulam *autem capias (inquit Quintinus) quam definit Isidorus apud Gratianum Dist. 3.* Regula *dicta est, eo quod recte ducit, nec aliquem trahit alior sum. Nostra fidei symbolum, nostra religionis articuli vocantur hic* Regula. *Legimus autem cum ms. Vatic. cod. & Quintino ac Macereo,* vt iam hinc quid credamus profiteamur, *pro:* quid defendamus. *& mox:* de nihilo, *pro:* ex, *ac deinde:* ex spiritu Dei patris *cum Vat. & Quintino.*

82. vnum omnino Deum esse, &c.] *Quod ad hunc* primum fidei articulum *adtinet imprimis de Deo vero & vnico, eoque eodem mundi conditore, exstant infra duo integri libri Auctoris 1. & 2. adu. Marc. qui duos Deos, vti infra patet cap. 51. commentus erat, & libri B. Cyprian. ad Demetrianum, & de Idolorum vanitate. Quod autem hic non additur:* omnipotentem, *id reperire est supra liv. de Veland. virgin. in hac verba, & infra c. vlt. huius libri, vbi de Praxea hæresi disputat:* Regula quidem fidei vna omnino est, sola immobilis & irreformabilis, credendi scilicet in vnicum Deum omnipotentem, mundi conditorem. *Quod postremum pluribus verbis hisce exprimit:* qui vniuersa de nihilo produxerit, per verbum suum primo omnium emissum, *hoc est (vti interpretatur etiam Macereus) ante omnia sæcula genitum. Similiter quem Auctor imitatur, Irenæus li. 1. cap. 2.* In vnum Deum patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. *Quomodo vero* omnipotens *dicatur, late explicat Rufinus in Symbolo, qui addit omnes Orientis Ecclesias legere:* Credo in vnum Deum patrem omnipotentem.

81. Id verbum filium eius appellatum, &c.] *Sic hunc* secundum articulum fidei *restituimus ex ms. cod. Anglico, pro eo quod erat:* filius. *Quod autem hic dicit:* filium appellatum, *supra lib. de Veland. virgin. simpliciter dicit:* & filium eius Iesum Christum, *& infra adu. Praxean apertius:* vnicum quidem *(inquit)* Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam οἰκονομίαν dicimus, vt vnici Dei sit & filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. *B. Irenæus similiter:* & in vnum Iesum Christum filium Dei. *Rufinus vero:* & in vnum Dominum nostrum Iesum Christum, vnicum filium eius. *Et certe quod Christus vere sit* Dei filius *(contra negantes eius diuinitatem) late Auctor docuit Tom. 1. Apolog. cap. 20. & 21. & infra li. adu. Praxean paulopost medium. Omittimus autem cum ms. Vatic. cod. & Quintino, secundo loco voculam:* eius, *legentes dumtaxat:* in nomine Dei varie visum Patriarchis *(de quo etiam alibi latius)* in Prophetas semper auditum. *Pertinent autem huc quæ cunque citat scripturas B. Cyprian. lib. 2. Testim. adu. Iudæos, & vsque ad cap. 6. tit. Quod Deus Christus, & Nouatianus infra sub medium lib. de Trinit. Tomo. 5.*

84. Postremo delatum ex spiritu Dei patris, & virtute in virginem Mariam, &c.] Tertium fidei articulum *paucioribus expressit lib. de Veland. virgin.* natum ex Maria virgine, *& latius adu. Praxean.* Hunc missum, *inquit*, à patre in virginem, & ex ea natum, hominem & Deum, filium hominis & filium Dei, & cognominatum Iesum Christum. *pro quo hic apertius*, & esse Iesum Christum *Rufinus autem:* Qui natus est de spiritu sancto ex Maria virgine *Quod etiam vtrobique desideratur, hic suppletur:* ex spiritu Dei patris

tis. *Irenæus vero quam breuissime* incarnatum, *inquit*, pro nostra salute; *& mox*: & eam, quæ ex virgine est, generationem. *Præterquã aũt quod latissime incarnationẽ Domini comprobat supra Tom. 1. contra Iudæos, cap. 7. & 9. totus liber adu. Marc. 3. de Christo est, quem contra illius hæresim, probat vere hominem fuisse, & quod ex virgine nasceretur, etiam lib. de Carne Christi. Quem imitatur rursum B. Cyprian. loco citato à cap. 7. vsque ad 14. Cur autem & Christus dicatur, &* Iesus, *tractat Auctor supra Tom. 1. li. adu. Iud. cap. 9. & infra lib. 3. adu. Marc.*

85. Fixum cruci.] *Latius hunc* quartum articulum fidei *explicat lib. de Veland. virgin.* crucifixum sub Pontio Pilato, *& libr. adu. Praxean.* Hunc passum, hunc mortuum, & sepultum secundum scripturas. *Quæ Irenæus vnica voce expressit*: & passionem. *Atqui scripturas, ad quas alludit, videre, est, tum lib. adu. Marc. cap. 8. 10. & 11. ac iisdem pene verbis dicto lib. 3. adu. Marc. quem rursus imitatur B. Cyprianus dicti libri à cap. 14. vsque ad 24. & Rufinus in Symbolo, qui etiam disertis verbis sepulturam Christi prædicant, vt non dubitandum sit esse sic castigandum Symbolum Rufini*: Crucifixus sub Pontio Pilato, mortuus & sepultus.

86. Tertia die resurrexisse.] Quintum fidei articulum *istum sic reddit lib. de Veland. virg.* Tertia die resuscitatum à mortuis, *& adu. Praxean.* & resuscitatum à Patre. *Quæ tria solis his vocibus expressit Irenæus*; & resurrectionem à mortuis. *Scripturas, quibus ea prædicta fuit, habet B. Cyprian. vbi supra cap. 24. & 25. ac Rufinus in Expositione Symboli. Qui his verbis præmittit*: Descendit in inferna, *etiã id scripturis comprobans, Psal. 15. 21. 29. ac 58. & Matth. 11. ac 1. Petri 3, quarum & plerasque citat Cyprianus dicto cap. 24. hoc titulo: Quod à morte non vinceretur, nec apud inferos remansurus esset; cui similis & alterius cap. titulus: Quod ab inferis tertia die resurgeret. Tertull. vero etiam descensum Christi ad inferos confitetur. lib. de Resurr. carn. dum eum scribit* portas adamantinas mortis & æneas seras inferorum confregisse; *& apertius lib. de Anima, vbi disputat*, an ad inferos omnes animæ compellantur.

87. In cœlos ereptum sedere ad dexteram Patris,] *Haud absimiliter* sextus fidei articulus *legitur l. de Veland virg.* Receptum in cælis, sedentem nunc ad dexteram Patris. *ac adu. Praxean.* & in cælos resumptum, sedere ad dexteram Patris. *Quare etiam nos hic legimus ex ms. Vatic. cod. & Quintino*: sedere, *pro eo quod erat*: sedisse, *maxime quum legatur Marci vlt.* Assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei, *non*: sedit; *& Colossi. 1.* vbi Christus est in dextera Dei sedens, *quod 1. Petri 3. iisdem verbis repetitur. Quæ scripturæ quum manifestæ sint, nescio quid Rhenano in mentem venerit, quod exemerit illa verba,* sedere ad dexteram Patris, *quæ adeo recte iterum sunt addita à Gelenio ex Anglico altero codice. Irenæus quidem non aliud legit quam*: & in carne in cœlos ascensionem dilecti Iesu Christi Domini nostri. *Sed Rufinus conformiter Auctori nostro*: Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris: *quam etiam Prophetiis veteris Testamenti posteriorem clausulam confirmat. Eodem pertinet cap. 26. lib. Testim. B. Cypriani hoc titulo: Quod quum resurrexisset, acciperet à Patre potestatem, & potestas eius æterna sit. Illud enim*: sedere ad dexteram patris, *ad æqualem cum Patre potestatem pertinere Theologi sciunt.*

88. Misisse vicariam vim Spiritus sancti, qui credentes agat.] *Transpositi sunt iste & sequens articuli alio quam apud Rufinum ordine, qui* octauum articulum ponit (*sicuti & alij omnes*) Et in Spiritum sanctum, *quem hic satis congrue, temporis habita ratione*, septimum *facit Auctor, & Irenæus quarto loco collocat, paulo latius in hac verba*: Et in Spiritum sanctum, qui per Prophetas prædicauit dispositiones Dei. *Auctor quoque infra lib. adu. Praxeam, loco postremo*: Qui exinde (*inquit*) miserit secundum promissionem suam à Patre Spiritum sanctum paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.

89. Venturum cum claritate, &c.] *Hic tres* fidei articulos, septimum, vndecimum, & duodecimum, *quasi vno fasce compingit, imitatus in hoc Irenæum, qui sic habet*: Et de cælis in gloria Patris aduentum eius ad recapitulanda vniuersa, &c. *quæ mox adferemus suo ordine. Auctor interim etiam distinguit lib. de Veland. virg.* Venturum, *inquit*, iudicare viuos & mortuos: *ac iisdem verbis lib. adu. Praxean. Quare non mirum est, eadem ipsa reperiri in Symbolo Rufini, qui insuper multis diuinarum scripturarum testimoniis idipsum comprobat, & iam olim ante illum B. Cyprian. lib. superius citato c. 28 & 30. quin vero etiam ipse Tertull. supra Tom. 1. adu. Iudæos cap. 14. & infra lib. 3. adu. Marc.*

90. Ad sumendos sanctos in vitæ æternæ & promissorum cælestium fructum, &c.] *Pertinet hoc ad* duodecimum articulum fidei *secundum communem distinctionem*: Et vitam æternam, *quem etiam in Explicatione Symboli Rufinus cum præcedenti coniunxit articulo, vti etiam Irenæus*: *vt* iustis (*inquit*) *& æquum & præcepta eius seruantibus* (*quos Auctor* sanctos *nuncupat*) *in dilectione eius perseuerantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex Pœnitentia* vitam *donans, incorruptelam loco muneris conferat, &* claritatem æternam circumdet. *Qui etiam e contrario addit*: *Spiritalia vero nequitiæ & angelos transgressos atque apostatas factos atque* impios & iniustos, *& iniquos & blasphemos homines* in ignem æternum mittat, *quemadmodum hic Tertull. locum imitatus*: & & ad profanos iudicandos igni perpetuo. *De quo alibi latius.*

91. facta vtriusque partis resuscitatione cum carnis resurrectione.] *Istud denique ad* XI. articulum fidei *spectat, quem sic reddit Rufinus*: Huius carnis resurrectionem. *Immo ipse quoque Auctor iisdem pene verbis lib. de Veland. virg.* per carnis etiam resurrectionem *cui addit Irenæus*: à mortuis. *Verum de ea latius infra lib.* de Resurrectione carnis. *Hic sufficiat quod adnotauit Quintinus ad illa verba*: partis vtriusque resuscitatione. *Non intelligas (inquit) corporis & animæ* resuscitatione; *quandoquidem Tertullianus Animã credidit, & vtique posuit immortalem; non ergo* resuscitatur. *Sed* vtriusq; partis resuscitatione, *id est*, partis *Sanctorum & bonorum mortuorum* partisque *malorum & profanorum mortuorum* suscitatione. *Deus enim* suscitabit *vtrosque. Pleri que putabant impios, & peccatores hic morientes, animo, corporeque simul interire, nunquam resurrecturos. A Dauide nempe scriptũ fuerat*: Non resurgent impii in iudicio, *Psal. 1. Resurgent quidem, sed non in iudicio; id est, vt iudicentur: quia iam iudicati sunt, & pœnis certissimis destinati. Sed omnibus & carnem restituet Deus, & in omnibus animæ sociabitur carni. Porro de reliquis duobus* nono & decimo articulis fidei, *qui vel præcipue à baptizandis exigi solent libro de baptismo infra latius, vel ex ipso Tertulliano sub initium, vbi agemus de verbis illis*: Credis remissionem, *siue* in remissionem peccatorum per sanctam Ecclesiam. *Quid enim aliud sonant illi apud Rufinum articuli*: Sanctam Ecclesiam Catholicam, & remissionem peccatorum?

CAP. XIV.

92. Hæc Regula à Christo, vt probabitur, instituta, &c.] *Caput hoc inscripsimus*: Quod de hac fidei Regula quæstiones non sint agitandæ. *Atqui ei quod hic dicit*: à Christo institutam hanc Regulam, *nihil obstat quod infra cap. 21. videatur eam ad* Traditionem Apostolorum *referre, quia quemadmodum ibidem loquitur, & rursum cap. 30.* Id sine dubio tenendum, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo susceperit. *Talem autem esse hanc* Regulam *seu Symbolum hoc, ipse Auctor adfirmat lib. adu. Praxean. infra dicens*: hanc regulam ab initio Euangelii decurrisse. *Nec dissentit Irenæus*: Ecclesiam enim (*inquit*) per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem. *Quæ eo diligentius adnotamus aduersus Erasmum, & eos, qui, an hoc* Symbolum Apostolicum *sit, dubitare non verentur. Adlegat præterea in Irenæum Feu-ardentius ex Clem. Rom. epist. 1. ad Iacobum seu Simeonem fratrem Domini, eadem pene verba quæ transcripsit Rufinus, ac ipsius Symboli verba ex Leiturgiis B. Iacobi Hieros. Episcopi, citata à Dionysio Areopag. Eccles. hierarch. cap. 3. & nos supra meminimus Tom. 2. initio lib. de Oratione, inter Missæ ceremonias; infra idipsum probaturi de Baptismo, ex Patribus, atque ipso eodem Clemente Constit. Apost. lib 7. Hic sufficiant loci ab eodem adnotati BB. Hieron. ad Pammach. Ambr. epist. 81. Aug. sermone 115. & 118. de tempore, Leonis Papæ serm. & epist. 13. ac Isidor. lib. 2. de Eccles. offic. c. 23. vt omittam Hrabanum nostrum de Symbolo & regula fidei, cap. 56. & 57. lib. 2. de Instit. cleric. & in opere de Vniuerso.*

93. est vtique frater aliquis Doctor, &c.] Doctores (*inquit Quintinus*) *in Ecclesia Christi tertium locum tenent. Apostoli primum, Prophetæ secundum, Act. Apost. cap. 13. & 1. Corinth. 12. Quos & Euangelistas & pastores eosdem nominari puto, Eph. cap 4. Tertull. autem nobis hic ostendit, quisnam sit Ecclesiæ* Doctor, *qui gratia scientiæ donatus est, puta, qui docet (vt ait Apostolus) & in doctrina perseuerans est*, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. *Nullus igitur qui præstare superiora non potest, Ecclesiasticus* Doctor *est. Qui interim nimis libere legit*: Fides inquit ille, tua, *quum nusquam aliter loquatur Tertullianus quam absolute*: inquit.

94. fides in regula posita est,] *Non (inquit Quintinus) in disputatione arguta, vel in magna aliqua scientia. Ex iisdem verbis infert Macereus, quandoquidem in regula sit posita, sequi eam oportere sine immutatione aut disputatione.*

95. & salutem ex obseruatione Legis.] *Colligit hinc idem Macereus nudam fidem sine obseruatione legis, atque adeo sine operibus, salutem non adferre, vti est epist. Iacobi cap. 2. de quo alibi latius. Qui etiam legit paulo post cum Quintino*: Nihil vltra scire, omnia scire est, *pro eo quod alii*: Nihil scire. *Siue autem mox legas*: qui & ipsi adhuc se quærere confitentur *cum excusis, siue cum Anglico cod. ms.* profitentur, *perinde est. Lego deinceps cum Vatic. ms. cod.* spectans ad eos qui & ipsi quærunt, dubius ad dubios, incertus ad incertos, cæcus ad cæcos, *pro eo quod alij*: à dubiis, ab incertis, à cæcis, *quam lectionem secuti videntur, solum ex de causa quod sequatur*: in foueam deducaris necesse est.

96. sed quum decipiendi gratia prætendunt se adhuc quærere, &c.] *Sic ex Vatic. ms. cod. & Quintino maxime quum Latinius eundem sensum insinuans, exiltimarit*: ad hoc, *quod prius erat, accipiendum pro*: adhuc, *& quod sequatur*: Quum enim quærunt adhuc. *Atqui paribus (inquit Quintinus) strophis, & olim Gnostici, nunc grassantur. Clam suggerunt (nescio quos) Catecheseum suarum, Locorumque communium libellos legendos, quibus perfectus (ni Deus interfit) tamquam diuini pectoris fonte epoto, delirus senex, anus garrula, verbosus sophista, cauillicus, lanificus, Iuridicus, panificus, (& quis non banausus?) de repente summus orbi Theologus prodit, qui Ioannem, qui Paulum commentari possit. Dumque mellita sua nobis Hyenæ venena propinant, ad ea bibenda nos voce blandissima prouocant, & monent, vt solummodo dispiciamus, an*

A

vera, nobisque salutaria narrent, à quouis enim sese paratos addiscere veritatem. Si vel nutu contradicas, in rabiosas mox incenduntur disputationes. Omnia siquidem se scire persuaserunt. Iam nihil se quærere, aut addiscere velle proclamant. Istos nobis graphice designat hic Tertullianus.

97. cui veritati patrocinantur, &c.] *Sicuti (inquit idem) meretrix, & adultera mulier apud Salomonem de votis & victimis sese iactat pro salute iuuenis à se decepti factis & exolutis, Prouerb. cap. 7. sic & hæretici fingunt apud simplices, nihil se, quam salutis viam munire cæteris. Nec aliud se, quam veritatem quærere, quum tamen toti sint ex mendaciis conflati. Veteres sunt ista diaboli techna.*

Cap. XV.

98. Sed ipsi & de scripturis agunt, & de scripturis suadent, &c.] *Titulum huic capiti dedimus:* Quod proinde hæretici non sint admittendi ad scripturarum disputationem. *Qua de re Auctor vsque ad cap. 22. & à cap. 37. vsque ad 41. Tertullianum etiam imitatur Vincentius Lirinensis, toto libro De profana hæreseon nouitate, vere aureo, ad quem compendij gratia Lectorem remitto. Similiter iam antea B. Irenæus lib. 3. adu. hæres. postquam cap. 2. docuit hæreticos & scripturis aduersari, & traditionibus, sequentibus capitibus, omissa disputatione ex scripturis, per Traditiones eos conuincendos putauit, quemadmodum & Tertull. infra cap. 21. vbi de eo latius. Atque adeo Auctor libris sequentibus, dum aduersus hæreticos etiam nonnumquam ex scripturis disputat, addit aliquam excusationculam. Sic li. de Baptismo:* Huius memores pronuntiationis tamquam præscriptionis, nihilominus, &c. *Item lib. de Carne Christi:* Post quas (*nempe præscriptiones*) etiam ex abundanti retractamus. *Et lib. de Resurr. carn.* Hoc ferme modo dicimus ineundam cum hæreticis disceptationem. Atque adeo & hæretici ex conscientia infirmitatis numquam ordinarie tractant. *Et lib. 1. adu. Marc.* Nunc quatenus admittenda est congressio interdum, ne compendium præscriptionis vbique aduocatum diffidentiæ deputetur. *Deniq; adu. Praxean:* Sed salua ista præscriptione, vbique tamen propter institutionem & munitionem quorumdam, dandus est etiam retractatibus locus, vel ne videatur vnaquæque peruersitas, non examinata, sed præiudicata damnari. *Non itaque omnem Auctor disputationem cum hæreticis damnat, sed imprimis (vti adnotat Macereus) eam quæ sit ab eis, qui dubitant apud quos sit futura victoria, ad quam refertur illud Matth. 4.* Non tentabis Dominum Deum tuum. *Item quando plane indurati sunt, & proprio iudicio damnati, iuxta Apostolum ad Titum 3. quales plerumque sunt ipsorum Ministri hæresiarchæ, quibus nec* Aue *dicendum, 2. Ioan. 1.*

B

99. Venimus igitur ad propositum, &c.] *Tertullianus enim, inquit Quintinus, hoc vnum toto suo libro docendum proposuit, non esse de scripturis cum Gnosticis altercandum, sed neque loquendum. Nam disputationes huiusce modi vexant in fide firmos, conturbant, & vacillare faciunt, & alio sæpe transferunt medios, In hæresin vero deturbant infirmos. Hæc veris verioraſi non sunt, aduersus hæreticos altercari, disputare, scribere non cessemus. Neque ieiunemus, & oremus in eos: interim tamen, & vbique memores, quod hoc genus dæmoniorum non ejicietur, nisi in oratione & ieiunio. De Prouerbiali autem formula:* gradum obstruere, *vide nostra Prolegomena. Lego autem cum Quintino:* non admittendos, *pro:* admittendi, *eo quod infra initio cap. 37. illud legatur. Atqui pro eo quod satis obscure legitur:* Si hæ sunt vires eorum, *Latinius putat legendum:* Sint ne illæ iuris eorum. *sed nihil putaui immutandum, eo quod illud etiam ms. legant, & constet sensus etiam legendo:* anne, *quemadmodum ex versione Macerei constat: vt nihil sit opus cum Quintino legere:* vt ne. *Illud autem:* ad eas, *interpretatur Paraphrasticωs Macereus de disputatione ex eisdem scripturis.*

Cap. XVI.

100. Hoc de consilio diffidentiæ, &c.] *Causam primam reddit hoc capite, cur cum hæreticis ex scripturis non sit disputandum:* Quod id Apostolus censuerit.

101. constitutionis.] Constitutio (*vti suis ad me missis Scholiis adnotauit Latinius*) *pro conflictione videtur poni, vt apud Ciceron. lib. 2. de Inuentione.*

D

102. prohibenti quæstiones inire, nouis vocibus aures accommodare.] *Adludit ad duo loca 1. Tim. 6 priorem,* languens circa quæstiones, & pugnas verborum; *alterum,* deuitans profanas vocum nouitates.

103. post vnam correptionem.] *Sic etiam paulo post, pro eo quod supra cap. 6.* post primam. *Atqui B. Hieronym. (inquit Quintinus) in huiusce loci declaratione multus est. Imprimis νεωτερισμὸν, quæ lectio Græca est, commonitionem magis, atque doctrinam, quæ fit absque increpatione, melius dici, quam* correptionem, *quæ non est sine austeritate verborum & mali comminatione, adstruit. Inde legit:* hæreticum post vnam & alteram correptionem deuita, *quod in Latinis codic dicit esse scriptum, & addit, quod hanc lectionem Papa quoque Anastasius adprobat. Mendosus est Hieronymi codex, in quo scribitur Athanasius: nullus enim fuit hoc nomine Papa Romæ, sed quatuor fuerunt Anastasii, quorum primus ille fuit circiter annum Domini 400 dum fratres Arcadius & Honorius imperarent. Hieronymus postea subiungit admonitionis iteranda causam, contrariam certe Tertulliano, dicens, quod scilicet non sufficiat eum semel tantum corripi vel commoueri, qui sit aliquo deprauatus errore. Sed & secunda sit ei adhibenda doctrina,* vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. *Hæc Hieronymus à Tertulliano multum diuersa secutus videtur. Et equidem miror, quomodo pari iure Christianos & hæreticos regi velit; quum pro constanti ponat (vt etiam Tertullianus)* hæreticos non esse Christianos. *Ambrosius hunc explicans Apostoli locum, sequitur Auctorem nostrum: verumtamen aliam rationem reddit, quam Tertullianus. Quum descripsisset hæreticos, & hæreticorum morem damnasset in scripturis interpretandis, subdidit: Idcirco huiusmodi homines, vt inexcusabiles sint,* semel corripi oportere. *Frequentius enim correpti, exercitatiores fient in malo. Cogere autem illos videtur qui sæpe corripit, vt solicitiores fiant ad perditionem multorum. Ideo dimittendos, vt negligentiores effecti, soli forte pereant. Hæc Ambrosius Tertulliano consentiens. Chrysostomus* post admonitionem statim vitandos *putat eos, quorum sanitatis spes nulla superest, quando quis videlicet apertus & manifestius veritatis aduersarius, τίνος ἕνεκεν (ais) πονεῖς εἰκῆ, τί τὸν ἀέρα δαίρεις; id est, cuius causa laboras inter assum? quid aerem verberas? Suo namque iudicio damnatus est, qui* post admonitionem *persistit in infidelitate. Sed in quibus admonitionis spes est aliqua, tametsi nonnumquam reluctentur, sed simpliciter, & veritatis studio magis, quam peruicaci & contentioso disputandi affectu, iam tum nobis in mentem veniat alterius Apostolicæ iussionis: Vt eos toleremus, & erudiamus continue, qui resistunt veritati,* si quando Deus det illis pœnitentiam: ad cognoscendam veritatẽ, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatẽ, *2. Tim. 2. Istas autẽ Christianorũ* admonitiones, *siue castigationes, vt loquitur Tert. ad Christi constitutionem refero, Matth. 18 vt occulte prius moneantur, inde coram testibus. Quod si contemnant, ad Ecclesiam deferantur. Incorrigibiles autem si non audierint Ecclesiam, iam pro publicanis & ethnicis habeantur. Atqui nulla cum talibus de scripturis communio Christianis interesse vnquam. Hoc pio modo sancti Patres, Apostoli locum nobis explicant, non ridiculis & cauillis agentes, vt quidam cum suis (nescio quibus) Coletus adnotauit. Hæc est prima ratio cur de scripturis disputare non oporteat cum hæretico; quia prohibuit hoc Apostolus. Porro Tertulliano, Ambrosio, & Chrysostomo consentit etiam B. Cyprianus, non vno in loco, quem admodum nuper adnotauimus ad epist. eius 55. num. 108. & lib. Testim. 3. cap. 78. num. 142. item Lucifer Caralitanus, libro De non communicando cum hæreticis, & B. Irenæus lib. 3. adu. hæres. cap. 3. contra quam sentiebat perperam Quintinus; vti etiam in hoc videtur hallucinari Feu-ardentius, quod Chrysost. alteram lectionem adscribat, nisi forte mendosum nactus fuerit codicem, quum supracitatus Commentarius contrarium conuincat. Legit autem sicut noster Auctor, B. Ambros. epist. 55. & secundum quosdam codices, B. Augustin. epist. 162.*

C

Cap. XVII.

104. Deinde quoniam nihil proficiat congressio scripturarum, &c.] *Alteram hoc capite dicta sua præscriptionis causam reddit:* Quod nihil proficiat ex scripturis disceptatio. *Hæretici enim (inquit Quintinus) numquam fuerunt, neque modo sunt, in scripturis aut recipiendis, aut exponendis, concordes. Nec his vbique regi cum Catholicis, sed has priuatim pro suo quisque captu regere volunt, atque voluerunt. Hæc est ratio secunda, propter quam de scripturis congressus nullus debet esse Christianis, & hæreticis. Qualem Tertullianus hic, talem demonstrat Ambrosius hæreticorum peruicaciam esse circa scripturarum auctoritatem. Sancti Doctoris verba subnectam ex eo capite ad Titum postremo, quod anteriore cap. citabam. Sic Ambrosius: Hæretici sunt, qui legem per verba legis impugnant. Proprium enim sensum verbis adstruunt legis, vt prauitatem mentis suæ commendent legis auctoritate. Impietas enim sciens auctoritatem multum valere, fallaciam sub eius nomine componit: Vt quia res mala per semetipsam non potest acceptabilis esse, nomine boni commendetur Hæc Ambros.*

G

105. Ista hæresis non recipit quasdam scripturas, &c.] *Hucpertinet quod habet B. Irenæus lib. 3. adu. hæres. cap. 5. Gloriantes emendatores se esse Apostolorum, & illud B. Cypriani lib. de Vnit. Eccles. Corruptores Euangelii atque interpretes falsi, extrema ponunt, & superiora prætereunt, partis memores, & partem subdole comprimentes. Vt ipsi ab Ecclesia sciſsi sunt, ita vnius capituli sententiam scindunt. de quo ibidem latius Adnot. nostris num. 38. Similiter B. Augustin. de Genesi ad litt. lib. 7. Hæreticis proprium esse dicit, vt falsas opiniones suas scripturis praue detortis contra veritatem peruicaciter adserant. Plura vide apud Vincentium Lirinensem. Hic sufficiat quod habet Macereus: Quum (inquit) aduersus hæreticos scriptura sacra adlegatur, euadere nituntur tribus modis: Aut dicendo apocryphum esse librum qui citatur, aut falsam esse lectionem & suppositiam, aut ex cerebro suo nouam quærentes, aliam quam Ecclesia est, interpretationem. Legunt autem Quintinus & Macereus:* diuersas expositiones commenta eas conuertit. *Sed placet excusorum aliorum & ms. lectio:* commentata conuertit. *Huc pertinet etiam illud B. Augustini hær. 46. de Manichæis: Ipsius noui Testamenti* scripturas *ita legunt, vt quod voluerint, inde accipiant:* quod nolunt, reiciant; *eisque tamquam non totum verum habentibus Apocryphas anteponant. Et hær. 70. Priscillianistæ, inquit, hoc versutiores Manichæis, quod nihil scripturarum Canonicarum repudiant, &c. sed in suos sensus allegorizando, vertentes quicquid in libris sanctis est, quod eorum euertat errorem.*

H

106. his nituntur quæ ex falso cõposuerunt, &c.] *Eodẽ pertinere adnotauit Latinius quod infra habet Auctor sub finem ca. 22.* ne pariter admittantur traductiones eorum quæ mentiuntur, *vbi hac de re latius. Qui etiam recte legit:* & quæ de ambiguitate cæperunt, *pro:* cœperunt.

CAP. XVIII.

107. Ille vero, si quis est cuius caussa in congressum descendis scripturarum, &c.] *Tertiam hic reddit causslam, cur ex scripturis non disputandum cum hæreticis:* Quod faciat ad subuersionem audientium.

108. æquo gradu negandi & defendendi.] *Magna certe, inquit Quintinus, ratio non congrediendi, non colloquendi, non denique disputandi cum Gnosticis, quia non disputatur, nisi quando negandi similiter & adfirmandi par est, & æqualis vtrique potestas: quod in sacris fieri non potest, vbi solummodo dicere conuenit vtrinque, votis concordibus,* Non, non, Est, est, *Legimus autem cum ms. vtroque & Quintino:* hæresin, *pro:* hæresim.

109. Hæc vtique & ipsi habent &c.] *Quod Catholici (inquit idem) vere dicunt in hæreticos (scilicet, ipsos non intelligere, sed corrumpere scripturas) idipsum Catholicis obyciunt hæretici. Quæ potest igitur disputationis cum talib. vtilitas esse? Quum (quod ab Hieronymo verissime dictum fuit in fine libri contra Luciferianos) Hæretici quidem facile vinci possint, persuaderi numquam possint. Itaq; disputans, verba certe perdes, & auditoru animam fortasse, audies q; demum, hæreticus. Res autem noua non est, Christi fidem & religionem ab aduersarijs* hæresin *vocari per ignominiam. Cœpit hoc ab eius institutione prima, quod Hieron. adtestatur in prædicto c. 3. ad Titum, sic scribens: Quod autem magis mirum sit, etiam illud de Act. Apost. videtur esse relegendum, fidem nostram in Christo, & Ecclesiasticam disciplinam, iam tunc à peruersis hominibus* hæresin *nuncupatam. Act. ca. 28. ad Paulum Iudæi:* De hæresi ista notum est nobis, *aiunt,* quia vbique ei contradicitur. *Itaque Paulus ipsis erat* hæreticus. *Vt Catholici suas habent ac nominant Ecclesias; hæretici quoque se iactant Ecclesias habere. Et hoc etiam mirum. Sed quod Tertullianus respondit Marcionitis, qui de suis multis atque magnis gloriabantur sodalitatibus, & Ecclesias appellabant, id in eos conuenientissime retundamus, ac dicamus:* Faciunt fauos & vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionitæ. *Latent in suis Phygadeuteryis, & obscuris quibusdam gurgustiolis clauduntur. Ecclesiam tamen suam vocant Apostolicam & Catholicam: De Gnosticis aui nostri loquor.*

CAP. XIX.

110. ergo non ad scripturas prouocandum est, &c.] *Epilogus est quidam hoc caput dictæ præscriptionis, quem adeo inscripsimus:* Quod proinde non alia debeat cum hæreticis iniri disputatio, nisi an Christiani sint.

111. & quibus tradita sit disciplina qua fiunt Christiani.] *Macereus interpretatur* disciplinam, *Regulam seu Symbolum fidei. Quod ipsum comprobatur verbis sequentibus.*

112. vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, &c.] *Locus insignis pro Catholicis, quod apud eos sit* veritas scripturarum & expositionum, & omnium traditionum Christianarum. *Sic enim prorsus lego cum Quintino, pro eo quod alij:* Christianorum: *quippe* qui eam fidem teneant, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit, *vti prosequitur ca. sequ. & apertius infra loquitur Auctor cap. 21. Imitatus vtrobique Irenæum lib. 1. adu. hær. cap. 2. & 3. ac lib. 3. quinque primis capitibus.*

CAP XX.

113. Christus Iesus Dominus noster permittat dicere.] *Titulum huic capiti damus:* Quod per Christum Apostolis, per illos vero Ecclesiis Apostolicis fides sit tradita.

114. Interim quisquis est Christus, &c.] *Ne putes (inquit Quintinus, & post eum Macereus) verba dubitantis esse. Sed quia Marcion cum multis prædicabat esse duos Deos, alterum bonum, & alterum malum: sic etiam duos introducebat Christos, alterum boni Dei filium putatiua carnis hominem, & alterum mali. Propterea dicit hic:* Quisquis est interim Christus, &c. *Non quidem de vero & vnico Christo dubitans, sed hanc interim disputationem differens in alios tractatus. Vide 5. libros in Marcion.*

115. Quid esset, quid fuisset, quam Patris voluntatem administraret, &c.] *Adludit ad tres scripturas diuersas: Ioan. 4. vbi* quid esset, *Messias nempe, pronuntiauit dicens:* Ego sum qui loquor tecum, *& Ioan. 8.* Quid fuisset, *explicans:* Ego a Patre processi, *ac Ioan. 6.* quam Patris voluntatem administraret: Hæc est voluntas eius qui misit me Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, *&c. Denique* quid homini agendum determinaret, *Matth. 19.* Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. *Malo autem paulopost retinere quod habent excusi:* regrediens ad Patrem, *quam quod Anglicus ms. cod.* digrediens.

116. tinguendas in Patrem & Filium & in Spiritum sanctum.] *Ita lego more Tertullianico, pro:* tingendas, *addens tertio loco* in *ex vtroque ms. & 1. edit. Atqui noua etiam est hæc versio Auctoris, pro eo quod alij omnes, Matt. 28.* in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.

117. Apostoli, quos hæc appellatio missos interpretatur.] *Ἀπόστολος Græce, inquit Quintinus, dicitur Latine* Missus, *nuncius, legatus, qui cum mandatu aliquo mittitur,* Ἀποστέλλω *verbum significat mittere cum potestate & auctoritate aliqua. Dominus Iesus quũ delegisset è suis discipulis præcipuos duodecim. hos nominauit* Apostolos, *Luc. c. 6. De quorum nomine atque missione legas Hieron. in epist. ad Galatas salutatione.* Missi *multi, legatique multi fuere, sed illi duodecim per Antonomasiam dicti sunt* Apostoli. *Tertullianus hic vocare videtur eos Legatos à latere.* Adlegerat, *inquiens,* duodecim lateri suo. *Non minus igitur honorandi, quam sit is, cuius legatione funguntur.* Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. *Vnde Canonibus Ecclesiæ cauetur, A latere Papæ Legatum pro Papa venerandum esse; pars enim corporis eius est. Imitatur autem hunc locum B. Isidorus lib. 2. de Eccles. offic. c. 5.*

118. primo per Iudæam, &c.] *Ecclesia* primo, *inquit idem, per Apostolos exstructa & fundata fuit in Ierusalem, & ex* Iudæis *congregata. De qua Iacobus, & ceteri loquuntur ad Paulum: Vides frater, quot milia sunt* Iudæorum *qui crediderunt? &c. Hæc autem Hierosolymitana Ecclesia prima, totius orbis Ecclesias postea seminauit. Hieronymus sic interpretatur illud Isai. cap. 2.* De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. *Certe* Ecclesiæ *quæ erat Hierosolymis, dissertè fit mentio Act. 8. deinde legitur Act. 9.* Ecclesia quidem per totam Iudæam & Galilæam & Samariam habebat pacem *Et vti est Act. 11.* Illi qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta est sub Stephano, perambulauerunt vsque Phœnicen & Cyprum & Antiochiam, nemini loquentes verbum nisi solis Iudæis.

119. dehinc in orbem profecti, &c.] Erant autem, *legitur ibidem,* quidam ex eis viri Cyprii & Cyrenæi, qui quum venissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, *ac paulopost:* Et annum totum conuersati sunt ibi Paulus & Barnabas. Ita vt cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani. *Dehinc apud Antiochiam Pisidiæ constanter ad Iudæos dixerunt Paulus & Barnabas, Act. 13.* Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gentes.

120. Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt.] *Huc pertinet quod legitur Act. 14.* Et quum constituissent eis per singulas Ecclesias Presbyteros. *Item illud B. Cypriani epist. 52. ad Antonianum: Cumque iampridem per omnes prouincias & per vrbes singulas ordinati sint Episcopi, & quæ supra ea Hrabani adnotauimus epist. ad Regenbaldum, ad li. de Cor. milit. ca. 4. n. 41.*

121. traducem fidei.] *Qui de re rustica, inquit Quintinus, Latine scripsere,* Traduces *appellant, in vitibus maxime, quando ramusculi plures ex vno trunco, vel vno vitis brachio diffunduntur, & in alium locum deducuntur inuicem connexi. Non videntur à propaginibus admodum differre. Per Metaphoram elegantem sane Tertullianus hic vocat* traducem fidei, *translationem fidei de vna Ecclesia in aliam. Ecclesiæ nempe mutuo, quasique per manus, Apostolicam doctrinam sibi tradidere. Quod enim prima (videlicet ab Apostolis) acceperat, hoc docuit secunda successionis Ecclesiam, inde secunda tertiam, sic ordine consequenti. Sunt ista* Traduces *& fidei nostræ propagines, vt in ca. 32. inferius, vbi dicit Apostolicas eas esse Ecclesias,* quæ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. *Siue autem legas:* Apostolicæ deputantur *cum excusis, siue:* deputabuntur *cum ms. Vatic. perinde est.*

122. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, vna est, &c.] *B. Cyprianus, inquit Quintinus. hinc sumere potuit, quod ad Antonianum scripsit epist. 2. li. 4. contra Nouatianum, dicens:* vna est *à Christo* Ecclesia, *per totum mundum in multa membra diuisa. Item Episcopatus vnus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, can. Nouatian. 7. quæst. 1. Apertior est adhuc Cypriani locus li. de Vnitate Ecclesiæ: Episcopatus, inquit, vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque* vna est, *qua in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur; quomodo solis multi radij, sed lumen vnum: & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum. Et quum de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine. Auelle radium solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit, ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit, à fonte præcide riuum, præcisus arescet. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit:* vnum *tamen* lumen *est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur. Et reliqua, quæ ibidem toto libro prosequitur, quo Lectorem compendij gratia remittimus. Certe alibi Tertullianus* vnam Ecclesiam *confitetur. Sic infra T. 5. etiam iam in hæresin lapsus:* Vnus Christus, & vna eius Ecclesia.

123. Communicatio pacis, &c.] Communicatio pacis (*inquit Quintinus*) *quod etiam Veteres, Dexteram dare, in pacem recipere, dare quoque pacem dixerunt, id est, in Ecclesiæ consortium admittere, & Eucharistiam præbere, quod est sanctum Domini corpus, vt Cyprianus exponit. Huc pertinet, etiam adnotante Rhenano, id quod infra dicit cap. 23.* Itaque & dexteram ei dederunt signum concordiæ & conuenientiæ. *Idem quod est cap. 32.* nec recipiuntur in pacem & in communicationem ab Ecclesiis quoquomodo Apostolicis. *Item quod legitur initio lib. aduers. Praxean:* cœpit & litteras pacis reuocare; *vbi de iis latius, quas* formulas *vocarunt Patres posteriores.*

124. appellatio fraternitatis.] *Omnes Christiani, inquit Quinti-*

A

nus, quum sint ab eodem patre renati, fratres omnes inter sese debent appellari, quod fuit ab initio commune Christianorum nomen, vt hic vides. Singuli sumus alter alterius membra, ministerium dilectionis inuicem exhibentes, ait Cyprianus; erga fratres. Vide plura hac de re Anot. nostris in Apolog. c. 39. supra Tom. 1. & Tom. 2. lib. ad Martyr. cap. 2. nu. 23.

125. & contesseratio hospitalitatis.] Hospitalitas, inquit idem Quintinus omnibus mandata Christianis, vt pauperes & peregrinos excipiant, ac benigne tractent. A qua quidem (vt nec ab aliis duobus) neminem paupertas excusat, quum vel in aqua frigida calice tantum subministrando, sit hospitalitas, qua mercedem non perdet, Matth. 10. vbi Hieronymum legas. Eleganter autem, vti primus adnotauit Rhenanus, & post eum Quintinus & Macereus, à tessara nouator vocabulorum Tertullianus verbum finxit contesserare; vnde contesseratio. Id significat coniunctionem familiariorem, qua per signum fiat. Nam tessera signum erat apud Veteres hospitale, cuius ostensione si quem redisse contigisset, statim agnoscebatur. Vnde Plautinum illud: Confregisti tesseram. Atque haud scio an per primum salutatio compellatio per secundum, denique per tertium sacrosancta communio intelligantur. Nam constat ex Veterum monumentis, maiores nostros peregre aduenientibus hominibus probatæ religionis & fidei, corpus Domini mittere solitos. De qua obseruatione etiam Romæ à Summis Pontificibus vsurpata, latius, Deo fauente, in Assertione, nostra Communionis sub altera specie. Quare & placet etiam magis hæc lectio: & contesseratio, quam: contestatio, quod habebat vetus aditio; maxime quum simili phrasi dixerit Auctor infra ca. 36. de Ecclesia Romana: Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit.

126. eiusdem sacramenti vna traditio.] Recte hic Macereus sacramentum vertit Gallice iuramentum, adludit enim ad iusiurandum, quo tamquam sacramento militari in Baptismo nos astringimus, de quo infra latius inter eiusdem ceremonias, libr. de Baptismo.

CAP. XXI.

127. Hanc igitur dirigimus præscriptionem, &c.] Inscripsimus hoc caput: Quod proinde alia doctrina non recipienda, quam ab Apostolis viua voce aut per Epistolas tradita. Recte autem sic hunc locum interpretatur Quintinus, Aduersarios, qui regulam supra scriptam non sequuntur, & se tamen contendunt esse Christianos, ab ista sua intentione, vel actione sic repellimus & excludimus; Si prædicta non prædicarunt Apostoli, si nec his ipsi creditis, iam Christiani non estis. Vbique Tertullianum vides Iuris esse peritum. Vulgatissima ista est exceptionum seu præscriptionum formula in foro: Si non dolo metuve factum sit. Si non legem prodidit. Si non conuenit vt ea res mihi pignori foret, &c. passim Romani consulti iuris ita loquuntur.

128. tam viua, quod aiunt, voce. Tertullianus (inquit idem) sumpsit hoc ab Apostolo 2. Thess. 2. scribente: State fratres, ac tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam. Per sermonem, hoc est, per vocem viuam. ἀγράφως γὰρ ἐγγράφως παρέδωκαν οἱ ἀπόστολοι, ait Chrysost. Id est, præcepta sine scriptura (ζώσης φωνῆς videlicet, id est, viuæ vocis) & cum scriptura tradiderunt Apostoli.

129. matricibus & originalibus fidei.] Vt in re rustica, inquit idem, matrix ea fœmina dicitur, ex qua pecudes aliæ progenerantur, & matrix arbor, de qua succreuerunt arbores aliæ. Fistulæ matrices in aquæductibus, à quibus primis aqua fluit, & deducitur. Sic vrbs illa matrix appellatur, ex qua tamquam matre, processerunt vrbes aliæ, ceu filiæ, hoc est, deductæ sunt coloniæ. Matrix Ecclesia, cui subsunt aliæ, velut ab ea genitæ & edoctæ. Nominantur Græce μητροπόλεις, de quibus in Analectis nostris nonnihil dicebam. Quod huc autem solum pertineat, Ecclesiæ matrices fidei vocantur, vnde fides Christi primum venit ad nos: & originales fidei, à quibus diffusa per orbem fides, originem sumpsit. Exemplaria veræ fidei scilicet, vt fuit Hierosolymitana Antiochena, Corinthia, Philippensis, Ephesina, Romana, & aliæ, de quibus inferius cap. 36. Simili autem phrasi dixit infra lib. 4. adu. Marcion. vt scirent Hierosolymis esse & sacerdotes & templum & matricem religionis. Et supra Tom. 2. lib. de Veland. virgin. cap. 5. Euam appellat matricem generis fœminini. Alia vero significatione Matrices beneficiariorum vsurpat infra To. 5. lib. de Fuga in persecut. quemadmodum ibi latius.

130. quod Ecclesiæ ab Apostolis, &c.] Est similis infra locus ca. 37. pene ad verbum. Adnotanda vtrobique vera Traditionum origo ab Apostolis, & proinde à Christo & Deo; quæ adeo quomodo reiici possint, non video. verum latius de illis supra Tom. 2. lib. de Coron. milit. cap. 3 num. 27. & sequ. ac Feu-ardentius Adnot. ad libr. 3. B. Iren. aduers. hæres. cap. 3. Quæ autem tales sint, infra significat c. 32. quæ ab Ecclesiis obseruantur, quæ ordinem suorum Episcoporum ita per successiones ab initio decurrentem possint demonstrare, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, habuerit antecessorem. Atque hoc est quod subiungit: Communicamus, cum Ecclesiis Apostolicis, & quod nulla doctrina ab iis nempe, diuersa, hoc est testimonium veritatis. vbi minus libere legit Quintinus: quod autem nulla sit. Siue autem legamus cum excusis: suscepit, siue cum ms. Anglico: accepit, perinde est.

CAP. XXII.

131. Sed quoniam tam expedita probatio est, &c.] Titulum huic capiti damus: Quod Apostoli nihil ignorarunt, & proinde nihil non docuerunt, quod ad salutē nostram pertinet. Atqui legit Quintinus: ac si probata non sit à nobis. verum magis placet vulgata lectio, ac si, pro quasi, prolata non sit à nobis, quam pulchre sic vertit Macereus, vt velit Auctor dicere: locum interim demus diuersæ parti, ac si numquam huius probationis mentionem fecerimus. Siue autem legas cum excusis: ad infirmandam hanc præscriptionem, siue: ad infirmandum, vti ms. Vatic. idem est.

132. Solent dicere: non omnia scisse Apostolos, &c.] Adnotat hic recte idem Macereus, non aliter atque olim hæretic. contendebant: non omnia scisse Apostolos, ita huius tempestatis hæreticos idem adfirmare de Patribus, quorum scripta exstant, sibi solis adtribuentes Spiritum sanctum & omnem scientiam. Qui etiam interpretatur paulopost: parum simplices, ac si dicat, duplices corde & seductores. Legat autem Lector quod volet: qui minus instructos cum excusis, vel: quia cum ms. Vatic. cod. & mox: seorsum, aut seorsim.

133. quos magistros Dominus dedit.] Ad quam scripturam (nempe Matth. 28) hic adludat, ipse Auctor indicat his verbis infra Scorpiaco adu. Gnosticos: & nobis magistros ordinauit cognoscere arcana omnia vtique docturos; Atqui ibi: arcana vertit, quod est Græce μυστήρια quomodo etiam correctiores Latini codices Matth. 13. pro eo quod alij: mysterium.

134. Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, &c.] Similiter etiam locum hunc interpretatur Auctor infra lib. 4. adu. Marc. & etiam post hæresin libris de Monogamia, & libro de Pudicitia, vbi hac de re latius, & maxime Adnot. nostris in B. Cyprian. epist. 55. ad Cornelium Papam, nu. 35. De clauibus Petro, & per illum Ecclesiæ commissis, idem repetit Scorpiaco aduers. Gnosticos. Non refert autem siue legas: præmonstrauit, quod habent excusi, siue: demonstrauit, ex cod. Vatic. ms.

135. quoniam in tribus testibus stabit omne verbum.] Quum Deuter. 19. & Matth. 18. habeatur: in ore duorum vel trium testium, Auctor alterum tantum membrum enuntiat, eo quod hic tres testes fuerint, Pater Deus, Moyses, & Helias. Quum etiam mox legit: omnes scripturas edisserere dignatus est, quæcunque erant de Christo, vti est Luc. 24.

136. Quam scripturam qui non recipiunt, &c.] Manichæi (inquit Quintinus) prorsus eum noui Testamenti librum, qui Actus Apostolorum inscribitur, non recipiebant. In suum nempe Archimanichæum, non in Apostolos Christi, adferebant venisse de cœlo Spiritum sanctum, veritatis doctorem, quem Dominus missurum se suis Apostolis promiserat, indeque mundo fuisse communicatum per illum suum Manen, qui sub Aureliano veniens è Perside, Primum cœpit insanire, hoc est, annis pene trecentis, certe annis plusquam ducentis sexaginta post illam stupendam & admirandam missionem, de qua in cap. 2. dictorum Act. Apostolic. Dumque scriptura manifesto conarguēret impudēs istorum mendacium, negabant illud vnquam scriptum fuisse, librumque damnabant. Augustinum lege cap. 3. li. de Vtilit. credendi, contra Manichæos, Montanus idem prius fecerat, immo se Paracletum nominabat. Hebion, Cerinthus, Marcion, & alij Tertulliano priores, non recipiebant. Quæ ipsa etiam Macereus repetit. De iisdem & ca. sequenti. Possumus, inquit, & hic Acta Apostolorum repudiantibus dicere. Atqui quum subdit Auctor: quibus incunabulis institutum est hoc corpus, Recte adnotat Rhenanus corpus accipi pro collegio seu congregatione, quam vulgo dicunt communitatem, nam de Ecclesia loquitur.

137. Traductiones eorum quæ mentiuntur.] Traductiones (inquit Rhenanus) opponit probationibus. Sunt autem deprauationes scripturarum infamationi non absimiles, Eodem pertinere supra adnotauimus illud quod legitur cap. 19. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus: ac his nituntur quæ ex falso composuerunt.

CAP. XXIII.

138. Proponunt ergo ad suggillandam ignorantiam aliquam Apostolorum, &c.] Inscribimus hoc caput, Quod Petri per Paulū reprehensio non prædicationis fuerit, sed conuersationis. Quod ipsum argumentum eodem modo tractatur infra lib. 1. adu. Marc. vbi inter cetera sic simili obiectioni respondet. Igitur si feruenter adhuc vt Neophytus aduersus Iudaismum aliquid in conuersatione reprehendendum existimauit, passiuum scilicet conuictum, postmodum & ipse vsu omnibus omnia futurus vt omnes lucrifaceret, Iudæis quasi Iudæus, & eis qui sub Lege tamquam sub Lege, tu illam solius conuersationis. placituræ postea accusatori suo reprehensionem, suspectam vis haberi etiam de prædicationis erga Deum præuaricatione. Atquin de prædicationis vnitate, quod supra legimus, dextras iunxerant, & ipsa officii distributione de Euangelii societate condixerant, &c. Quæ ipsa repetit li. adu. Marc. 4. Vide autem de hac controuersia epistolas aliquot BB. Hieronymi & Augustini in vtrisque operibus.

139. quatenus & alias ad quæstiones plurimum eo vtuntur.] Alludit ad eos hæreticos, vti adnotauit Macereus, de quibus 2. Petri 3. Sicut & carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi scientiam scripsit vobis; sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicuti & ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Potest etiam referri ad Marcionitas, qui potissimum vtebantur Pauli testimoniis, ad quos dicit: Si acta, inquit, Apostolorū repudiatis; vnde ostēdetis, quis iste Paulus & quid ante

Aposto-

Apostolum, & quomodo Apostolus, *quippe quod nusquam scriptum reperitur, nisi Act. 9. quemadmodum paulo post citatur.*

140 examinate credenti.] *Recte hoc de eo interpretatur Macereus, qui nihil credere vult, nisi prius* examinatum *exactius. Deinde illud:* doceant: *accipit, ac si dicat: docere non potuit. Legimus autem paulopost ex MS. duobus cod.* Atquin, *pro:* Atqui, *&* (*quomodo etiam Quintinus*) nec vt aliud alter, sed vt aliis alter prædicaret, *pro:* alii. *Si placet etiam cum MS. Vatic. legere:* prædicarent, *per me licet.*

141. Non enim ex hoc alius Deus quam creator, &c.] *De duobus prioribus membris contra Marcionem agit lib. 1. 2. & 3. de posteriori libro de carne Christi, & Resurrectione carnis.*

CAP. XXIV.

142. Non mihi tam bene est, &c.] *Huic capiti titulum damus:* Quod pro temporibus & caussis quædam reprehenderit Paulus, non quod esset instructior.

143. vt Apostolos committam.] Committuntur (*inquit Rhenanus*) *gladiatores in arena depugnaturi. Mox dicit:* in quæ & ipsi committebant, *id est, patrabant. Sic lib. adu. Iudæos, cap.* 10. Sicuti cetera quæ in illum cõmissuri essetis, prædicta sunt, *pro:* admittebant, *&* admissuri. *De vtraque significatione vide supra Tom. 2. nostras Adnot. priori, lib. ad Mart. cap. 1. num. 11. posteriori, lib. de Cor. milit. cap. 2. num. 22.*

144 Petrus Paulo & in martyrio adæquatur. [*Quasi diceret* (*inquit Quintinus*: *Etiam* (*quod non est*) *si* Petrus & Paulus *Euangelij doctrina siue scientia dispares fuissent, in omnium tamen rerum maxima, hoc est, in* Martyrio *pro Christo pares fuerunt. Octaua postremaque mortalis hominis beatitudo, Matth. 5. terminatur* Martyrio, *cui merces in cœlis copiosa promittitur. Ad* Martyres *plerique sanctorum scriptorũ referunt illum centesimum fructum, de quo Matth. 13. Dignissima & maxima res est igitur* Martyrium, *quo Paulus non superauit Petrum. Vide plura de vtriusque* Martyrio *infra cap. 36. Legimus autem:* non possunt videri ea fuisse, *ex ms. Angl.*

145. Sed etsi in tertium vsque cœlum ereptus Paulus.] *Similiter supra de Christo, ca.* 13. In cœlos ereptum. *& mox:* aut & alius postea in paradisum ereptus. *ex quo proinde patet pro eodem haberi illud:* & in paradisum delatus, *vt* ereptus *&* delatus *idem sint Auctori.*

146. Quod si alicuius conscientiam manauit nescio quid illud, &c.] *MS. cod. Angel.* emanauit. *Sed vtrum volet, eligat Lector. Atqui hæretici* (*inquit Quintinus*) *semel omnia prius mentiri, quam quoquomodo à veritate vinci, semper apud se statuerunt. Aliquos nic vides adseuerantes se scire, & à Paulo descripta legere secreta illa, quæ Paulus audierat in cœlo, & ea se prædicare, in litteraſque mittere se dicebant. In Can. Sancta Rom. 15. dist. damnatur vt Apocrypha reuelatio, quæ appellatur Pauli. Apud Augustinum se nonnulli iactabant habere libros ab ipso Christo compositos, & Apostolus suis Petro atque Paulo descriptos, vnde suam nouam doctrinam sumebant. In primo de consensu Euangelistarum lib. cap. 7. & aliquam multis capitib. subsequ. Quid hic agas; Apostolico can. 60. copiosius ista tractabam. Imitatur autem hunc locum fere verbotenus B. Augustt. tractat. 98. in Ioan. qui* Apocalypsin Pauli *nuncupat. Epiphanius vero lib. 1. Panary: Caiani, inquit, & Iulianus librum finxerunt ex nomine Pauli, nefariis actionibus refertum, quo etiam Gnostici appellati vtuntur, quem* Ascensum Pauli *vocant, occasione inuenta ab eo, quod Apostolus dicit ascendisse se in tertium cœlum, & audiuisse arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et hæc, inquiunt, sunt arcana verba Meminerunt etiam Chrysost. & alij in Comment. 2. Cor. 12. & tamquam fabulas reprobant.*

CAP. XXV.

147. Sed, vt diximus, eadem dementia est, &c. *Hoc capite tractat:* Quod non aliud docuerint Apostoli occulte quam in publico. *Legimus autem ex MS. Vatic.* quædam enim palam.

148. Hanc denuntiationem commendo apud te, &c.] *Ex proposito Auctor hanc scripturam citat, vt ostendat* depositum *Apostolo, nihil aliud esse, quam quod* commendatur *custodiendum; nam à voce Græca παραθήκη, quæ hic legitur, cõponitur vox Græca παρακαταθήκη, quam* depositum *vertit cum nostro interprete, pro quo auctor libri de Aleatoribus, B. Cypriani operum Tom. 3.* commendatum. *Deinde transtulit & hic:* denuntiationem, *ac mox:* Denuntio, *ad verbum ex Græcis; nam ibi legitur: 1. Tim. 1. παραγγελίαν, & 1. Tim. 6. παραγγέλλω σοι, pro quo noster interpres & ipse Auctor paulo post:* præceptum, *ac* Præcipio, *eo quod id etiam voces Græcæ improprie significent. Econtrario magis Græco exemplari correspondet illud Latini interpretis:* commendo tibi, *quam quod habet Auctor:* apud te.

149. qui viuificat omnia.] *Etiam hoc ex Græco ζωοποιοῦντος cum emendationibus Latinis codicibus, pro eo quod alii:* qui iustificat; *& vnica voce expressit vocem μαρτυρήσαντος,* qui testificatus est, *pro eo quod noster interpres:* testimonium reddidit.

150. coram multis testibus.] *Sensus magis hoc expressit, quam quod ad verbum ex Græco Latinus interpres.* per multos testes. *Lego autem paulopost:* Sed nec quia mouet, *nempe Paulus, pro eo quod vulgo legebatur:* volunt, *tam ex MS. cod. Vatic. quam Quintino & Macereo.*

CAP. XXVI.

151. Porro consequens erat, &c.] *Prosequitur hoc capite dicta scripturæ Pauli interpretationem, & docet:* Cauendum semper fuisse, ne religionis mysteria propalarentur. *Quod ipsum etiam inculcauit supra Tom. 1. in Apologetico; quippe quod causſam etiam dederit suspicionum de Christianorum conuiuio Eucharistiæ, quod infamabant ethnici.*

152. Siquidem in tenebris & in absconditio audissent, &c.] *Sicuti multa alia, sic & hoc Paraphrastice citat, pro eo quod est Matth.* 10. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

153. ne vnam mnam.] *Adnotat hic Macereus* mnam, *siue* minam, *valuisse* 10. *coronatos, quod ex Budæo sumpsit. Plin. l. 21. cap. 72.* Mna, *inquit, quam nostri* minam *dicunt, pendet dragmas Atticas centum. Videtur vero vterque Euangelista & Lucas, qui μνᾶς legit, & Matthæus qui talentum, non pro certo aliquo genere numorum intellexisse, sed in genere: quum talentum, eodem Budæo teste,* 60. mnas *valuerit, quæ* 600. *coronatos valent.*

154. non sub modio abstrui solere.] *Sic legendum, non vero:* abstrudi, *aut:* obstrui, *his verbis probat Rhenanus aduers. Marc. lib. 4.* Et negat, *inquit,* lucernam abstruendam.

155. Vtique in Ecclesia libere prædicabant.] *Adludit ad hoc Act. 4.* Et loquebantur verbum Dei cum fiducia.

156. quam Catholice in medium proferebant.] *Illud:* Catholice, *vertens Macereus, vno per omnia consensu, campum hic nobis aperit explicandi, quid* Catholicum, *& proinde penes quos* Catholica *fides & Ecclesia, aduersus quosdam qui hodie non verentur nomen* Catholici *etiam hæreticis Caluinistis adplicare, contra expressam B. Augustini sententiam, l. contra epist. Fundamenti, cap. 4. de ijs quæ eum tenebant in Ecclesia* (*quæ adeo prima est Ecclesia nota*) *sic loquitur: Tenet postremo* Catholicæ *nomen, quod non sine causſa inter tam varias hæreseis ista Ecclesia sola obtinuit. Immo contra ipsam κακολογίαν etymologiam: quam pulchre sic reddit Vincentius Lirinensis libro supracitato, c. 38. In qua, inquit,* Catholicæ *Apostolicaque Ecclesiæ sequantur necesse est* vniuersitatem, *antiquitatem, consensionem. & apertius c. 3. Id teneamus quod ab omnibus creditum est. Hoc etenim vere proprieque* Catholicum, *quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia vere vniuersaliter comprehendit. Demonstrent itaque, suos errores vbique, semper, & ab omnibus fuisse creditos, & tum primum* Catholicos *se se iactitent. Alioqui si ipsorum Synagoga hæretica* Catholica *censeatur* Ecclesia, *vbi erit* (*vt verbis vtar B. Optati Mileuitani l. 2. contra Parmen.*) proprietas Catholici nominis, quod sit vbique diffusa? *Quod autem* Catholica doctrina apud Romanensem Ecclesiam fuerit *à Tertulliani tempore, & iam inde, infra docebitur cap. 30. num. 166. His adde, quod B. Pacianus epist. 1. ad Sympronianum de* Catholico *nomine,* Catholicum *interpretatur, vbique vnum. Et quod tanti fecerit Tertullianus, vt iam in hæresin lapsus, initio libri de Monogamia, prætendat* (*quamquam falso*) *Montanum* suum Paracletum nihil docuisse, quod deputari possit aduersus Catholicam veritatem.

157. vt alium Deum, &c.] *Rursum hic agit contra duos Deos, & duos Christos Marcionis, ac Sadducæos, & eorum, vti libro de Resurr. carn. loquitur, partiarios. Legunt autem paulopost Quintinus & Macereus:* ne scilicet Euangelium in diuersitate tractarent, *sed ms. non legunt illud:* scilicet.

CAP. XXVII.

158. Si ergo incredibile est &c.] *Hoc caput Inscribimus:* Quod vna fuit Apostoli Ecclesiarum institutio, earum quas corripit, & quas commendat. *Legimus autem cum ms. Anglico cod.* ne forte Apostoli. *Magis etiam placet vulgata ms. & excusorum lectio:* implicite & plene, *quam quod Quintinus substituit:* plane. *Macereus vtrumque vertit.*

159. Tam bene currebatis.] *Etiam hoc nouum est:* Tam bene, *pro:* καλῶς. *Siue autem legas:* impedit, *siue:* impediuit, *perinde est. Item paulopost omisit vocem:* Christo, *quæ Græce est & Latine, Gal. 1. legens dumtaxat:* in gratiam, *quomodo & B. Cypr. epist. 23. num. 19. Rursum:* pabulum a lacte *distinguit, 1. Cor. 3. pro eo quod noster interpres:* escam, *aut* cibum, *quod vtrumque legit B. Cypr. variis locis.*

160. de quarum fide & scientia & conuersatione Apostolus gaudet.] *De fide quidem & dilectione, quam hic* conuersationem *vocat, commendat Apostolus Romanos, Ephesios, Philippenses, suarum Epistolarum initio: de* scientia *vero peculiariter Romanos, ad quos ait c. 15. Quoniã & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni* scientia.

CAP. XXVIII.

161. Age nunc: omnes errauerint, &c.] *Titulum huic capiti dedimus:* Quod constans omnium consensus, non error sit, sed traditio. *Quo pertinet imprimis illud B. Augustini vbi supra: In Catholica, inquit, Ecclesia me tenet* consensio populorum *atque gentium, quæ adeo altera nota est Ecclesiæ Catholicæ. Item illud Vincentij Lirinensis ca. 34 Quidquid vel Patres omnes vel plures, vno eodemque sensu, manifeste, frequenter, perseueranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo, firmauerint, id pro indubitato, rato, certoque habeatur. Item illud c. 3. Sequemur vniuersitatem hoc modo, si hanc vnam fidem veram esse*

fateamur, quam totaper orbem terrarum confitetur Ecclesia: Antiquitatem vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos maiores ac Patres nostros celebrasse manifestum est: Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium sacerdotum pariter & magistrorum definitiones sententiasque sectemur.

CAP. XXIX.

162. Quoquo modo sit erratum, &c.] *Caput hoc inscribimus:* Quod potius hæretici in errorem impegerint, vtpote vera doctrina posteriores. *Cui quum similia prorsus tradat infra cap. 31. illuc Lectorem remittimus. Possum autem optima ratione idipsum nostri temporis Aristarchus respondere, qui hactenus errasse Ecclesiam non verentur dicere: Si aliquos Lutheranos, aut Caluinistas, aut Anabaptistas* liberanda veritas exspectabat, tot ergo milia milium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata; tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata.

CAP. XXX.

163. Vbi tunc Marcion, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* Quod vel ex eo comprobentur hæretici Marcion, Valentinus, Apelles, & alii similes, quod vera doctrina posteriores sint.

166. Ponticus nauclerus.] Pontus *Asiæ minoris (vti adnotauit Macereus) prouincia, patria fuit Marcionis.* Nauclerum *autem fuisse idem existimat: verum de eo latius infra huius lib. cap. 51. & libris adu. eundem Marcionem Vbi autem legitur:* Stoicæ studiosus, *& mox de* Valentino *(de quo etiam infra cap. 49. & lib. adu. Valentinianos)* Platonicæ sectator, *vtrobique recte subintelligitur: Philosophiæ.*

165. neque adeo olim fuisse Antonini fere Principatu.] *Tertullianus (inquit Quintinus) sub imperatore Seuero vixit. Valentinianus & Marcion fuere sub Marco* Antonino *Philosopho, vel eius socero T. Aurelio* Antonino Pio. *Sub quib. & ille magnus impostor, à Luciano, & A. Gellio vocatus* Peregrinus *cognominatus Proteus, cuius meminit etiam Tertullianus in libro quem scripsit ad Martyras cap. 4. Inter illos Principes Antoninos, & Seuerum, non interceſſerunt anni quinquaginta. Propterea dixit hic:* Neque adeo olim. *Quibus addit Macereus, nos eandem obiectionem nostri temporis hæreticis obijcere posse, quod non adeo olim fuerint, vtpote ab annis circiter 60. dumtaxat. Atqui recte addit* fere, *quia Valentinus quidem, & Cerdo Marcionis magister, Romam venerunt sub Antonino Pio, & Hygino Papa, iuxta Eusebij Chronicon; verum Marcion paulopost sub Aniceto & Eleutherio Pontificibus, qui vixerunt sub Antonino Philosopho, alterius illius successore. Atqui* Antoninianis temporibus cœpisse Marcionem *etiam testatur Auctor infra adu. Mar. li. 4.*

166. in Catholicam primo doctrinam credidisse apud Romanensem Ecclesiam.] *Pulcher locus pro auctoritate* Ecclesiæ Romanæ *(quam* Romanensem *vocat, eodem stylo, quo lib. de Pallio lib. 4. supra Tom. 1.* Romanitatem *dixit) quod apud eam* Catholica doctrina *fuerit, vti etiamnum. In qua adsertione sequitur B. Irenæum l. b. 3. adu. hæres. cap 3. Ad hanc (inquit) Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles (*Catholicos *nempe) in qua semper ab his qui sunt vndique (hauddubie* Catholicis*) conseruata est ea, quæ ab Apostolis est traditio. Vtrumque autem expressioribus verbis imitatus B Cypr. epist. 52. ad Antonianum: Vt deposita, inquit, omni sollicitudine sciret Cornelius (loquitur de Cornelio Papa primo)* te secum, id est, cum Catholica Ecclesia, *communicare. Item B. Ambrosius Orat. funebri de Satyro fratre, dicit eum interrogasse Episcopum quempiam, vtrum nam cum* Catholicis Episcopis, id est, cum Romana Ecclesia, conueniret. *Verum de hoc latius infra cap. 32. vbi successio Romanorum Episcoporum nota tertia* Ecclesiæ Catholicæ *ostendetur, vel ex ipso Tertulliano.*

167. donec sub Episcopatu Eleutheri benedicti.] Benedictus *(inquit Quintius) vt hic à Tertulliano vocatur, id est: laudandus. Beatus atque sanctus* Eleutherus *Papa fuit à Petro tantum duodecimus. Ita numerat Irenæus (cuius auo sedebat) in c. 3. l. 3. Prima fuit hæc Apostolorum successio, qui sancti Iesu Apostoli sub Traiano (scilicet anno post Christum passum centesimo decimo, vel 12. circaue) desierant in terris viuere. Tum crudeliter vltimo Apostolorum perempto Symone Cleophæ filio, Hierosolymitano Episcopo, quum centum & viginti annos ageret (auctore Eusebio hist. lib. 3 cap 32.) Tum quoque Ioannes Euangelista, plus quam nonagenarius, defunctus est vita. Inter hos duos Apostolos, &* Eleutherum *non interceſſerunt anni sexaginta. Nam Pontificatum gerere cœpit* Eleutherus *anno decimo sexto Mar. Antonini Veri, qui fuit annus 177. Christi. Verum & hoc pertinet magis ad dictum caput 32. infra* Eleuthero *autem (inquit Rhenanus) decimoquarto Romanæ Ecclesiæ Pontifici iam defuncto bene precans, addit:* benedicti. *Sic postea veteres;* cuius memoria sit in benedictione, *quoties viri, sancti iam mortui meminissent. Hodie Sanctos dicimus; vulgus Germanorum, etiam quoslibet, Beatos ac Fœlices. Ceterum merito præclarum Christi martyrem ornat elogio* Benedicti *Tertullianus amantissimus Martyrij, quum ille sanguinem suum pro religione fuderit, in martyrum numerum relatus, quos etiam illa tempora summa veneratione habuere. Vbi quum dissentiant Quintinus & Rhenanus in numero Romanorum Pontificum, locus hic erat tractandi de caussa dissensionis; verum infra id fiet aptius cap. 32. vbi de Clemente agit. Porro quod hic dicit Marcionem cœpisse sub* Eleutheri Episcopatu, *infra To. 3. lib. 3. adu. Marc. id temporibus tribuit Aniceti Papæ, vbi de his latius. Legimus autem necessario transpositis vocibus aliquot:* donec sub Episcopatu Eleutheri benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem. *Quia ex Irenæo lib. 3. ca. 3. & 4. ac Euseb. Eccles. hist. lib. 4. ca. 13. constat, sub* Eleuthero *non amplius Catholicos fuisse* Valentinum & Marcionem. Valentinum *enim in hæresin prolapsum sub Hygino Papa, & Marcionem, vti dictum est, sub Aniceto. Quibus duobus, immo & Soteri intermedio quum succesſerit* Eleutherus, *sub eo primum Roma eiecti fuere in perpetuum discidium.*

168. cum ducentis sestertiis.] *Confiteor quidem cum Quintino antiquam* Sestertiorum *hanc H S. notam fuisse, quippe qui id etiam adnotauerim in B. Cypr. epist. 60. nu. 5. Verum vt cuiuis Lectori etiam simpliciori satisfiat, subsit tui ex vtroque ms. codice:* sestertiis. Ducenta *vero* sestertia, *vti adnotauit ille, supputatore Budæo, valere aureorum quinq; milia. Quibus & hæc partim ex Rhenano subiungit: Gnostici calumniatores hic mihi respondeant, qui mentiri non erubescunt. Ecclesias illas primitiuas nostrarum Matrices adeo vixisse pauperes, immo tam tenues, indigas & mendicas exstitisse, tamque nihil habuisse proprium vel suum; vt ostiatim pene compellerentur quæritare cibos. Hic vides auri pondo multa donata Ecclesiæ, atque reddita non cunctanter, sed mox atque reposcit is qui donarat, & forte non reposcebat, sed ab Ecclesia pellebatur, quæ nolebat aliquid illius retinere. Sic intelligimus Ecclesiam habuisse loculos, neque mendicasse, aut versuram fecisse, quum libere donata sibi tam prompte restituit. Hoc fuit Ecclesia quasi nascentis initio factum. Eodem pertinet illud Cypriani Epist. 60. Misimus* sestertia centum, *aut vt alii legunt:* sestertium centum, milia nummûm.

169. quæ Ecclesiæ intulerat.] *Quod hic dicitur (inquit idem) de* 200. sestertiis Ecclesiæ illatis *per Marcionem, id est, donatis & oblatis, quum ad eam venit, ac receptus est, ad antiquum Christianorum morem pertinet, qui non se tantum, sed sua simul offerre solebant Ecclesiæ, in communi fratrum sodalitio viuentes. De quo per antiquo more, deq; diuitiis & loculis Ecclesiæ, respondens infaustis nescio quibus Cuneriastris per Galliam, Nigris, & Onagrius, iamdudum conabar, historia temporum fretus, & Patrum canonibus, disserere in Aristocratia nostra de rebus Ecclesiæ temporalibus agens, & in Canon. Apost. 40 & 41.*

170. nouissime in perpetuum discidium relegati.] *Ita omnino lego cum ms. & excusis codicibus, pro eo quod subsitituerat Quintinus:* dissidium. *Nam illud magis conuenit cum perpetua ab Ecclesia scissione, quæ fit per excommunicationem tertiam, quam hauddubie hic intelligi patet ex eo quod præcessit:* semel & iterum eiecti. *Certe similiter de quibusdam schismaticis dixit B. Cypr. epist. 55. ad Cornelium, & iterato quoque à pluribus nobis in Concilio anno priore absenti. Atqui de Excommunicationis Ecclesiastica auctoritate latius supra T. 1. ad Apolog. c. 39.*

171. cum conditioni sibi datæ occurrit.] *ms. Vat.* conditione sibi data. *Verum illud magis placet cum Rhenano; qui id exp izuit,* dum conditioni sibi datæ vellet occurrere. *Quod quidem in malam partem vertit Macereus, ac si dicat: dum dubitaret, an conditioni datæ vellet obedire. Verum etiam de hoc infra c. 51. aut alicubi, libris adu. Marcionem.*

172. ita pacem recepturus, &c.] *Hunc locum (inquit Quintinus) citaui in Proœmio Synodi Gangrensis, hunc ipsius explicans Versum: Quod si mentem mutarint. Agens de conuersis ab hæresi in Ecclesiam denuo recipiendis: Dogmatistes non admittitur, nisi contraria prædicet ac doceat, vt hic Alij vero fidem suam prodere scripto publice debent coram Ecclesia, tumque demum recipi. Decretum Gangrense video. Atqui periodum illam:* Oportebat enim hæreseis esse, &c *parenthesi concluſimus.*

173. Si & Apellis stemma.] *Id est (inquit Quintinus) ab* Apelle *designatum, patratumque facinus. Insignis inter hæreticos* Apellis *ordo vel imago. Quum Tertullianus* stemma *dixit:* & continentiam Marcionensem, & sanctissimum magistrum *vocant, εἰρωνικῶς loquutum putato. De Philumene dictum fuit in cap. 6. De singulis istis hæreticis agetur in hæreticorum catalogo. Rhenanus & Macereus malunt Ironicos ad generositatem eius referre, ac si dicat:* Apellis *originem, successionem, & antiquitatem.*

174. continentiæ Marcionensis.] *Interdicebat enim nuptias, vti adnotauit Rhenanus, & nos alibi latius, minime tamen (vti adnotat Macereus) continentia obseruator, vti & supra adnotauimus cap. 6. nu. 35.*

175. cuius energemate circumuentus,] *Istud explicatur verbis illis c. 6.* cuius signis & præstigiis Apelles inductus, *vbi hac de re latius num. 35. Hoc sufficiat quod hic ἐνέργημα pro vi seu efficacia dæmonum accipiatur in malam partem.*

176. Phanerosis inscripsit.] *Expositiones (inquit Rhenanus) erant rerum secretarum, hoc est, insignium nugarum proculdubio. φανερόω Græcis est manifesto. Vnde φανέρωσις, manifestatio. De hoc sic infra c. 51 de Hæresibus.* Habet præterea priuatas, sed extraordinarias lectiones suas, quas appellat Phanerosis Philumenes cuiusdam puellæ, quam quasi Prophetissam sequitur. *Quare recte vertit Macereus Reuelationes. Atqui paulopost ex ms. codice Vaticano lego:* quia separare non posset, *pro:* separari *&:* retro alterius fuisse demonstrat) *vti etiã Quint. & Macer.) pro:* demõstret.

170. & Nigidius nescio qui & Hermogenes.] *Sic etiam lego ex ms. Vatic. cod. secũdum stylum Tertulliani, pro:* nescio quis. *Quemadmodum autem* Nigidius *Tertulliano, sic & nobis hactenus plane ignotus est. Verisimile est aut præceptorem fuisse Hermogenis, aut aliquem ex eius discipulis, quos Hermogenianos ab Hermogene vocat*

B. Augustinus. Verum de his latius num. 1. li. adu. Hermogenem, & alios multos, qui adhuc (*vti hic loquitur*) ambulabant peruertentes vias Dei. *Hic sufficiat errorem eorundem indicasse ex c. infra 33.* Idem Apostolus, *inquit Auctor*, cum improbat elementis seruientes, aliquem Hermogenem ostendit, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparat, & ita matrem elementorum Deam faciens, potest ei seruire quam Deo comparat. *Aliquid etiam eadem de re supra ex Quintino attulimus cap. 7. num. 43.*

178. Probent se nouos Apostolos esse, &c.] *Pulchre hic Macereus philosophatur contra nouos huius sæculi Pseudoapostolos; quare putaui operæpretium verba eius Gallica in Latinum transferre: Extraordinary, inquit, Apostoli aut Prophetæ bifariam agnosci solent. Per Prophetiam, quæ de illis prædicta est, quemadmodum suam vocationem comprobauit B. Ioannes Baptista ex verbis Isaiæ 40. vti legitur Ioannis 1. Aut per* virtutem signa ædendi, *siue miracula, sicuti Helias, Heliseus, Daniel, & Apostoli Christi. Neque tamen postremum hoc signum sufficiens esse, eo quod prædixerit Christus, Matth. 24. etiam miracula facturos Pseudoprophetas & Pseudoapostolos. Verum necessaria esse omnia hæc signa, vt de illis aliquis prophetarit, vt edant miracula, vt habeant manus impositionem ab Apostolis, aut eorum successoribus, quemadmodum Paulus & Barnabas ac Timotheus; vt denique ostendant successionem Episcoporum iam inde ab Apostolis aut Apostolicis viris, sicuti præscribit Auctor infra cap. 32. Atqui hæc omnia paucissimis verbis concludit Auctor infra lib. de Carne Christi cap. 1.* Ex qua (*inquit ad Marcionem*) oro te auctoritate: Si Propheta es, prænuntia aliquid; si Apostolus, prædica publice; si Apostolicus, cum Apostolis senti; si tantum Christianus es, crede quod est traditum.

179. Illi enim de mortuis viuos faciebant, isti de viuis mortuos faciunt.] *MS. Vatic. cod legit.* de mortuis suscitabant. *verum altera Antithesis placet. Quod autem Macereus de hæreticis ad mortem animæ refert, quam suis hæresibus inferunt, potest etiam ad literam intelligi, quod tantum abest, vt ætate Tertulliani, aut nostra,* de mortuis viuos faciant, *vt potius* de viuis mortuos faciant. *Certe nostra hac tempestate contigisse id Caluino, oculatus testis Hieronymus Bolsec in vita ipsius descripsit.*

CAP. XXXI.

180. Sed ab excessu reuertar ad principalitatem veritati, &c.] *Titulum huic capiti damus:* Quod falsa itaque sit, & à diabolo hæreticorum doctrina, quia veritate posterior. *Quid autem sit hic, inquit Quintinus,* principalitas, *intelligere facile potes ex eo, quod sequitur, verbo* posteritas; *nam ponuntur vt contraria, quasi diceres:* Prioritas (*quæ principium est ac præcedit*) & posteritas. *Successio* principalis *ab Irenæi interprete vocatur, quando serie continua velut à principio ducta, secundus primo, tertius secundo, quartus tertio, &c. succedit. A qua* principali *successione quisquis abstitit, aut hæreticus, & malæ sententiæ, aut elatus & schismaticus est, in cap. 43. lib. 4. Hoc significatu sæpe leges* principalitatem *in Tertulliano. Tertulliani quoque sententiam diligenter obserua, primæ dumtaxat institutioni tribuentis veritatem, mendacem vero dicentis eam, quæcunque sequitur. Hoc est Euangelicæ doctrinæ proprium, solisque Dei mandatis ac legibus ad animarum salutem conuenit, vt quum dantur, veræ sint, nec veriora, sanctiora, meliora postea dari possint, quibus addere, vel adimere quippiam, corrigere, supplere nefas & impium semper est iudicatum.* Semel loquitur Deus, & secundum idipsum non repetit. *Iob. 33. cap. & in diuino Psalmorum vate:* Semel loquutus est Deus, *Psalm. 61. In hominum vero factis & cogitatis illud obtinere solet, quod prouerbio circumfertur: Posteriores cogitationes (aiunt) sapientiores esse solent. Hinc pœnitentia sibi locum fecit inter homines, dum perspiciunt aliter agendum sibi fuisse quam prius egerint, & actorum propterea pœnitet. Atqui:* excessum *hic accipit. Auctor progressione, seu digressione ab instituto; quod etiam sua versione expressit Macereus. Legimus autem ex Vatic. MS. cod. conformiter Quintino:* veritati, *ac* mendacitati deputandam, *pro eo quod erat:* veritatis, & mendacitatis: *Legunt etiam paulopost Vat. & Angl. MS. cod.* quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum in primore constituit. *verum placet vulgata lectio:* primo constituit, *eo quod sequatur:* postea; *pro quo dictus Vatic. MS. cod.* pro parte. *sed non satisfacit, nisi quis forte legendum putet:* posteriori parte, *quod tamen etiam mihi non probatur.*

181. auenarum autem sterilis fœni adulterium.] *Haud absimiliter dixit infra lib. adu. Praxean. c. 1.* Fructificauerunt auenæ Praxeanæ, hic quoque superseminatæ dormientibus multis in simplicitate doctrinæ. *Vtrobique sic circumloquutus, quæ Matth. 13. nuncupantur* zizania, *adludens, quantum adparet, ad illud Virgilij Georgicon 1.*

Infœlix lolium & *steriles* dominantur *auenæ.*

182. id Dominicum & verum esse, quod sit prius traditum, &c.] *Hanc aduersus hæreticos præscriptionem sæpissime in medium adducit Tertullianus, non modo hoc libro supra cap. 29. & infra cap. 36 sed pene sub initio singulorum librorum aduersus hæreticos. Sic lib. adu. Hermogenem:* Solemus, *inquit* hæreticis compendii gratia de posteritate præscribere. Inquantum enim veritatis Regula prior, quæ etiam futuras hæreseis prænuntiauit, in tantum posteriores quæque doctrinæ hæreseis præiudicabuntur. *Item lib. de Carne Christi:* Quod traditum erat, id erat verum: vt ab eis traditum, quorum erat tradere. Ergo quod erat traditum, rescindens, quod erat verum rescidisti. *Et apertius l. 1. aduers. Marc.* Non negabunt discipuli eius primam illis nobiscum fidem fuisse, ipsius litteris testibus: vt hinc iam destinari possit hæreticus, qui, deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit, quod retro non erat. Intantum enim hæreseis deputabitur, quod postea inducitur: inquantum veritas habebitur, quod retro & à primordio traditum est. *Ac adu. eundem. l. 4.* In summa si constat, id verius quod prius, id prius quod est ab initio, id ab initio quod ab Apostolis: pariter vtique constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolicas fuerit sacrosanctũ. *Denique adu. Praxean.* Quo peræq; aduersus vniuersas hæreseis iam nunc præiudicatum sit: id esse verum quodcunque primum: id esse adulterum, quodcunque posterius. *Quos omnes locos adduximus tum, quod in iis ad librum hunc adludatur, tum quod hæc sententia totius huius libri sit scopus, tum etiam quod magnopere faciat ad retundendas nouellas omnes huius tempestatis hæreseis.*

CAP. XXXII.

183. Ceterum siquæ audent interserere se, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus* Quod non habeant hæreseis suorum Episcoporum successionem, qua suas Ecclesias probent Apostolicas. *Cui similia habet Auctor, Pontifices omnes vsque ad Anicetum, sub quo Marcion cœperit, enumerans lib. 3. Carminum adu. Marcionem, infra Tom. 4. In quo ipse B. Irenæum imitatur li. 3. aduers. hæres. c. 2. 3. ac l. 4. c. 43. 45. 46. vtrumque vero B. Cyprianus epist. 52. ad Anton. & 76. ad Magnum, Origenes lib. 1. Peri archõn. B. Optatus Mileuitanus li. 2. aduersus Parmenianum, B. Augustinus denique in Psal. contra partem Donati, & epist. 165. Qui omnes cum Tertulliano Ecclesiæ Catholicæ notam potissimum faciunt, successionem Episcoporum à B. Petro Apostolo in Ecclesia Romana ad sua vsque tempora, Immo particulatim Tertullianus, Irenæus, Optatus, & Augustinus Pontifices Romanos omnes ad sua vsque tempora enumerant. Verba ipsa compendij gratia præterimus. Videat autem curiosus Lector tam Adnotationes Feu-ardentij nostri in dictum c. 2. li. 3. Irenæi, ac nostras in B. Cyprian. modo citat. epist. nu. 4. prioris, & posterioris, nu. 11. Illud denique B. Augustini catholicus Lector memoria non patiatur excidere li contra epist. Fundam. ca. 4. Tenet me in Ecclesia catholica ab ipsa sede Petri Apostoli: cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsq; ad præsentem Episcopatum, successio sacerdotum. Hæc paulo latius quam Quintinus aut Macereus. Legimus autem cum ms. Vatic. cod.* qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, *pro:* perseuerauerit.

184. census suos deferunt,] *Similiter dixit lib. adu. Marc. 1.* Exhibe ergo aliquam ex tuis Apostolici census Ecclesiam, *& lib. 4.* Habet plane & illud (*Euangelium nempe Marcionis*) Ecclesias, sed suas, tam posteras quam adulteras, quarum si censum requiras, facilius Apostaticum inuenias, quam Apostolicum. *Non intelligas inquit Quintinus) quod Ecclesiæ censitæ forent, aut censerentur, id est, enumerarentur, ac recenserentur ad præstationem* census, *id est, tributi, seu pensionis alicuius annuæ. Sed accipe* census *pro dignatione, existimatione (vulgo reputatione) in qua quis est. Res quidem censentur, id est, ciuium facultates & bona recognoscuntur, describuntur, æstimantur: vt Respubl. sciat, quantum quisque possit ad communes casus contribuere. Persona quoque censentur, vt eadem cognoscat, quibus viris & ciuibus fulcita sit ac nitatur, atque sic recensitos, pro suaquemque virtute decorat, & dignatur honorib. Vnde factum per translationem, vt* census *accipiatur pro pretio, in quo quis habetur.* Quis alius Dei census quam æternitas? *adu. Hermog. ca. 4. Sic idem loquitur:* Ecclesiæ deferunt census suos, *id est, eo se maiore putant auctoritate valere, ceteris que præcellere, quo propius ad Apostolos accedunt, & intemeratã earundem doctrinam diligenter obseruant & obseruarunt. Quod metaphoricũs hic habes,* Deferunt census suos, *Scæuola proprio verborum significatu dixit:* in censum deducere prædia, *li. 64. De acqu. re. domi. & Vlpianus, Lacus piscarios & portus* in census deferre, *lib. 4. ff. de censibus Vulgus nostrum, Dare per denumeramentum, Superius ostendimus Tertulli anum Iuris admodum peritum fuisse, forensibusque delectari verbis & locutionibus, quibus Auctoris scripta redundant. Atqui hoc eodem significatu est Auctori frequentissima vox* census, *Sic supra Tom. 1. Apolog. ca. 7.* Census (*inquit*) istius disciplinæ, vt eam ædidimus, à Tiberio est. *Item infra dicto lib. adu. Hermog. ca. 33.* Ex facto habet census. *& aduers. Praxean:* totum census Monarchiæ. *Cui similes etiam aliquot loci li. aduers. Valentinianos. & Tom. 5. li. de Monogamia:* Atque ita census noster transfertur in Christum, &c. proinde videamus an idipsum debeas huic quoque censui secundo, *ac paulopost:* in Christo nouans census. *& iterum:* non enim passiuus tibi census in illo est.

185. sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum, &c.] *Sic B. Irenæus (vti etiam Quintinus adnotauit) de* Polycarpo *scribit. Et* Polycarpus *non solum ab Apostolis edoctus, & conuersatus cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ* Smyrnis est Ecclesia constitutus *Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate. Multum enim perseuerauerat, & valde senex glorioßissime & nobilissime Martyrium faciens exiuit de hac vita, dicto cap. 3. Quibus addit ibidem Feu-ardentius, locum hunc Irenæi reperiri apud Euseb. li. 4. Eccles. hist. cap. 13. item alterum de eodem Irenæi fragmentum lib. 5. cap. 19. Denique eiusdem Martyrium l. 4. c. 15. Meminisse item eiusdem* Polycarpi *& Ignatium fre-*

quenter Epist. ad Antiochenses: immo & ad ipsum epistolam ab eo conscriptam. His & ego superaddo, ad Polycarpum proinde pertinere admonitionem illam ad Angelum Ecclesiæ Smyrnæ, quæ habetur Apoc. 2. Hæc dicit primus & nouissimus, &c.

186. sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum ædit.] Et si hic tradat Clementem à Petro ordinatum, non tamen hinc sequitur (quod tamen adnotauere Quintinus & Macereus) Clementem à B. Petro fuisse primum Pontificem, quum ordinatio Clementis nihil obstet, quo minus à B. Petro etiam Linus & Cletus ordinati, fuerint, & sufficiat huic instituto, quod Clemens ab Apostolo Petro ordinatus sit. Certe tertio dumtaxat loco illi Clementem successisse ipse Auctor testatur infra T. 4. li3.. Carminum aduersus Marcion. in hæc verba:

Hac cathedra *Petrus*, qua sederat ipse, locatum
Maxima *Roma*, *Linum* primum considere iussit;
Post quem *Cletus* & ipse gregem suscepit ouilis,
Quem sequitur *Clemens* is Apostolis bene notus.
Huius *Anacletus* successor forte locatus:
Euaristus ab hoc rexit sine crimine legem:
Sextus *Alexander*, *Sixto* commendat ouile.

Quæ omnia eo adduximus, vt magis constet de Tertulliani sententia, qui non modo omnes iam nominatos Pontifices, & eorum successores vsque ad Anicetum enumerat, sed disertis verbis Alexandrum a Petro sextum fuisse adserit, vt inde constet non solum inter Episcopos, sed Papas Romanos qui in cathedra Petri successerunt, haberi debere Linum & Cletum, idque ante Clementem, quippe quum alioqui ijs omissis Alexander nõ sextus, sed quartus dumtaxat foret. In quo Auctorem sequuntur inter Græcos Epiphanius hær. 27. & Latinorum B. Damasus Papa, Pontificalis c. 2. 3. ac. 4 Rufinus Prologo in Epistolam Clementis ad fratrem Domini, & B. Hieronymus Catal. script. Eccles. Clementem quartum à Petro constituens, interpositu inter vtrumque Lino & Anacleto, iuxta versionem ex Sophronio, aut potius Lino & Cleto iuxta emendatiores Latinos codices ms. & Damasum, Auctorem Chronici chronicorum, ac Platinam, reliquos denique mediæ ætatis & posteriores Historicos Latinos. Quæ sententia quũ confirmetur Martyrologijs Bedæ, Vsuardi, ac Romano (atque adeo verisimiliter Eusebij & Hieronymi, è quibus desumpta sunt) certe omnino Lectori Catholico, qui Romanam Ecclesiam matrem fidei suæ agnoscit, amplectenda videtur, vtpote quæ festa atque celebret Lini Papæ xxiij. Septembris, ac Cleti Papæ 26. Aprilis, atque Clementis Papæ 23. Decembris. Pro qua etiam faciunt illi, qui cum Lino Anacletum præponunt Clementi; eidem substituentes Euaristum, quippe quum pro ijsdem habeant Cletum & Anacletum: nempe B. Irenæus li. adu. hær. 3. ca. 3. Euseb. histor. Eccles. lib. 3. cap. 2. 4. & 13. lib. 5. ca. 6. ipsis Irenæi verbis, ac in Chronico, & Nicephorus histor. Eccles. l. 3. ca. 2. Partim denique B. Clemens (si emendati sint codices) Const. Apostol. li. 7. ca. 45. qui Lini ante se meminit, & B. Ignatius ad Mariam Cassibolitanam, qui Anacleti ante Clementem meminit. Quamquam interim & Epiphanius, & illi omnes, Græci existentes, atq; adeo Latina Ecclesiæ successionis non tam prouidi examinatores in hoc fallantur, quod vtrique vnum dumtaxat faciant, aut Clotum, vti ille, aut Anacletum, quemadmodum alij, cui Clemens successerit. A quibus non multum dissentiunt BB. Optatus & Augustinus, qui Cleto prorsus omisso, Anacletum solummodo recensent, in hac tamen nostram, eamq; probabiliorem adprobantes assertionem, quod Clementis successorem faciant Anacletum, non prædecessorem. Verum præter expressam Tertulliani ea de re assertionem, B. Damasus Pontific. cap. 5. Cletum ab Anacleto distinguit, quod ille Romanus ex patre Æmiliano sederit an. 12. hic vero Græcus & Athenienſis, ac patre natus Antiocho, annis 9. Deinde Anacletus ipse vtraque sua Epistola Decretali suum antecessorem Clementem vocat: denique Ecclesia Romana separatim festum Anacleti Papæ & martyris in Bedæ, Vsuardi, ac Romano Martyrologijs obseruat xiij. Iulij. Restat difficultas, quomodo hæc constare possint cum eo quod refert ipse Clemens epistola 2. ad Iacobum (Alphæi nempe, qui teste Dorotheo in Synopsi, idem fuit, qui Symeon cognominatus, Hierosolymorum Episcopus exstitit) fratrem Domini, se Romæ à Petro ordinatum his verbis: Clementem hunc vobis Episcopum ordino, Item cum eo quod B. Hieron. vbi supra: Tametsi (inquit) plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem. Ad quam non aliud mihi videtur respondendum, quam quod responderant partim B. Epiphanius loco supra citato, partim Rufinus Prologo in dictam Epist. & Ioannes Papa tertius, siue iuxta Marianum Scotum, Leo 2 epist. ad Episcopos German. & Gall. & Haymo de Christianarum rerum memoria, ac post eos Vincentius Bellouacensis, hist. lib. 10. cap. 22. & B. Antoninus, Summa histor. part. 1. Tit. 6. §. 3 ac Auctor Chronici chronicorum: Nemini nempe mirum videri debere, quod ante Clementem Linus & Cletus Episcopatum adsumserint, tum quia sicuti Clemens, sic & illi cõtemporanei fuerint Petri & Pauli Apostolorum, tum quod non potuit vrbs Roma sine Episcopo esse. Atque adeo Linum & Cletum, non solum Episcopali officio functos (vti hodie Romæ Episcopi Cardinales) sed B. Petro ad alias terras ablegato (quod mihi referri videtur ad Claudij tempora, quum exsulare Roma iussi sunt Iudæi, è quorum numero Petrus) aut prædicationis gratia Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam, Asiam subinde visitante, primo Linum, inde eo mortuo aut absente & Cletum etiam Pontificis Summi, Papæ Romani, munia exercuisse: Deinde post SS. Petri & Pauli obitum, Clementem resumsante, ac discedente, & secedente (iuxta quod, inquit Epiphanius, in quadam Epistola eius, & quibusdam Commentarijs reperimus) aut vtrumq;, aut certe Cletum in Romana cathedra sedisse, & post eorum obitum, Clementem rursus coactum esse ad suscipiendum Romani Episcopatus onus. Hactenus ad verbum fere ex Epiphanio, præterquam quod ego adserere non ausus fuerim, quod ille adseuerat, Linum Petro superuixisse, tum ob verba illa Clementis ipsius, Const. Apostolicarum li. 7. ca. 45. Post mortem vero Lini. Clemens à me Petro constitutus est Episcopus, si modo (de quo dubitare me facit vicinitas dictionũ λίνῳ, & ἐμοὶ, siue ἐμὴν, ac si verti debeat, post mortem meam. quemadmodum legitur eiusdem Epistola 2. ad fratrem Domini) emendati sint codices Græci, è quibus translatio facta est, tum quod non satis consentire cum Fastis Consularibus annos Consulum à B. Damaso recitatos, quibus sederint Linus, Cletus, Clemens & Anacletus, quidam adnotarint viri eruditi. Quamquam vt verum fatear, præter illud Clementis nihil obstare videam, atque adeo totus eam in eorum sententiam, qui non Cletum modo Petro superuixisse existimant, sed & Linum. Nam præterquam quod exstent libri duo, Lini Papæ titulo, citati iam olim ab Antonino Summ. hist. part. 1. Tit. 6. ca. 4. §. 1. & à Trithemio Abbate de Martyrio Apostolorum Petri & Pauli, quos non nisi post obitum eorum conscripsisse potuit (nam fortassis aliquis illos Egesippo potius adscripserit, cuius eadem pene verba sunt li. 7. de Excidio Hierosolymitano, eo quod ibi nulla mentio certaminis B. Petri cum Simone Mago, ex quo Antoninus quædam adlegat, & quod potissimum ab illo conscriptum recitat Auctor Chronici chronicorum) certe B. Damasus & Epiphanius locis citatis mecum sentiunt. Immo etiam Eusebius in Chronico an. primum Christi 70. Neronis 14. Linum Petro successisse tradit, & deinde Lino Anacletum (quem nos Cletum dicimus) non modo in Chronicis, sed etiam dicto ca. 13. lib. 3 eiusdemque anno 12 eidem successisse Clementem. Item Nicephorus Eccles. hist. li. 3. cap. 2. & alij plerique historici, qui Linum sub Vespasiano, Cletum sub Domitiano, Clementem, & Anacletum ac Euaristum sub Traiano passos scribant. Quo etiam pertinere videtur illud B. Hier. Catal. Script. Illustrium, qui tertio anno Traiani passum scribit Clementem. Pro eodem facit quod & Optatus & Aug. vtuntur his verbis: Sedit prior Petrus, cui successit Linus: non enim quis succedere dicitur, nisi iam destituto, aut defuncto. Denique quantumuis ob discrepantiam Consulum à reliquis differat, & præsertim de Cleto, Onuphrius in Platinam, & in Chronico, Petro superuixisse scribit Linum saltem ad menses tres, passum eodem anno quo Petrum sub Nerone, Capitone & Rufo Coss. Verum de hoc alias latius, si det otium Deus, aliquando conscribendi Chronica Ecclesiastica. Paulo post autem siue legas cum excusis: ab Apostolis desciuerunt, siue cum ms. Anglico: discesserunt, perinde est.

187. ad vtramque formam.] Tertullianus (inquit Quintinus) hic duas proponit exceptionum seu præscriptionum formulas aduersus hæreticos in quas profecto Gnostici ne nunc quidem quid habent, quod replicare valeant. Altera ducitur à defectu successionis, & altera sumitur ab argumento mutuæ dissensionis. Signa sunt duo longe certissima, per quæ mox omni procul dubitatione cognoscimus, vbinam sint Ecclesiæ constitutæ, quas Apostolicas & Catholicas habere, sequi, venerarique debemus, & extra quas non est salus. Imprimis Ecclesia, quæ seriem successionis Pastorum presbyterorumque suorum ad nos vsque continuam ducit ab Apostolis, aut Apostolicis viris, ea sola dicenda venit Apostolica & Catholica Ecclesia. Tam patens & euidens est hæc Tertulliani positio vt nec ab hæresi ætatis obscura sit. Quis enim negare possit Apostolicum, quod ab Apostoli is processit ordine continuo statutum? Sed apud hæreticos non est aliqua talis ordinatio succedanea, qui nec Episcopos, neque Presbyteros apud se ferunt, sed laicis sacerdotalia munera iniungunt, & laicos de Presbyteris faciunt. Inferius ca. 41. ponit hoc ipsum Tertullianus. Apostolica non est igitur istius modi concio, vel Ecclesia, Iam tamen Episcopi viderint, ne non sit in eis & inter eos Apostolica successio. Plane non esse. Lex Apostolica videtur pronunciare in Can. Apost. 29. & 30 Instar edicti cuiusdam successorij, sunt in Ecclesia designati gradus & modi quidam succedendi, contra quos, immo præter quos, non succeditur, sed hæreditas inuaditur seu occupatur. Secunda Catholica & Apostolica fidei nota indubitabilis est, concors & vna omnium sanctorum Patrum sic sibi succedentium doctrina, dum diuersi sapiunt, & sentiunt vnum, idemque per omnia concorditer atque semper docuerunt. Quæ numquam fuit, nec est, in hæreticis concordia, vt nec in Philosophis Gentium de rerum principiis vna fuit vmquam sententia, ista duo sibi vendicare quum non possint hæretici, ergo non sunt Christiani. Vnde sic vtraque forma præscribitur eis Catholica societatis symbola tria vidimus in ca. 20. supra, singulariter illa quemque nostrum concernunt.

188. scilicet ob diuersitatem sacramenti.] Recte intelligit istud Macereus de sacramento fidei in Baptismo, de quo latius infra initio li. de Baptismo: quod quum ab hæreticorum confessione fidei diuersum sit, recte diuersitas sacramenti hæreticis hic imputatur. Alioqui certe multa reperiuntur apud hæreticos & Catholicos eadem sacramenta.

CAP. XXXIII.

189. Adhibeo super hæc, ipsarum doctrinarum recognitionem &c.] Titulum huius capitis ponimus: Quod ex hæresibus quas Apostoli damnarunt, reliquæ omnes exortæ sint.

190. ab iisdem Apostolis & demonstratæ & eieratæ,] Sic omnino legendum pro: deieratæ. Præterquam enim quod Tertullianus: deierare, pro abiurare vsurpat, vti diximus li. de Idolol. supra Tom. 2 nu. 157. vbicumque de abiuratione diaboli in baptismo, vti & hic (nam à diabolo esse hæreseis infra prosequitur capit. 40.) vocabulo eierandi vtitur, quemadmodum latius eodem Tom. libr. supra de

Spect.ca.24.num.185. Neque vero id ego primum, sed etiam ante me Quintinus: Deierare, inquit, significat hic eierare, nisi legere vis eieratæ. Est autem eierare, siue eiurare, rei cuipiam renuntiare, rem repudiare, confutare, prorsus abijciere. Apud Ciceronem, eierare iniquũ sibi forũ, eiurare iniquã totã prouinciã, id est, recusare: sic hæreseis eieratæ, id est, propulsatæ, refutatæ, detestatæ. Nã & qui sãcto aliquo iureiurando testatur aut detestatur aliquid, ille deierare dicitur.

191. Nam & sic facilius traducerentur.] Alia hic significatione accipitur traducere, quam supra traductiones c.22. proprie nempe. Nam traducere (inquit Rhenan.) proprie est ignominiæ causa aliquẽ publice circumducere, lib.4.adu.Marc. Vbi traduceret, inquit, eas. Ergo illis traduxisse debuerat, &c. Verum traducentur hic idem est ac si dicat: inanes ostendentur. Simili etiam significatione pro publicari dixit auctor infra Tom.5.li.de Fuga in persecut. Non traditus autem, traduci habebas? Ergo dum nolendo tradi, non vis traduci: nolendo negasti, quod te traduci noluisti.

192. Paulus in prima ad Corinthios Epistola, &c.] Sic ex ms. Vat.cod. &: Hæc opinio prima (pro: propria) Sadducæorum. De quibus aliisque, qui resurrectionem carnis infringunt, latius infra cap.45.49.51. & lib.de Resurrect.carnis, quemadmodum de defensore Circumcisionis & legis Hebione, c.48. de nuptiarum interdictoribus Marcione & Apelle, rursum ca.51. de dicentibus resurrectionem iam factam Valentinianis, & eorum Genealogiis. cap.49. de Hermogene, l.sequenti, vbi ex Isidoro & Hrabano ipsa hæc verba citabimus, de Nicolaitarum & Simoniana Magia, cap.46. denique de negante in carnem venisse Christum Marcione, & filium Dei Hebione non agnoscente, vbi supra.

193. Æon ille nescio qui, &c.] Etiam hic retinui: qui, vocem Tertullianicam, pro eo quod Quintinus substituerat: quis. Qui sic in hunc locum scribit: Valentinianos istos Æonas iamque nos adtigimus in cap.7.supra. Tertulliani, necnon Irenæi diebus, Æonica ista fabula supramodum vexabat Ecclesiam Christi: propterea necessum fuit, vt sancti scriptores indicarent ista nominatim: non enim potuissent aliter nugas refutare. quod Irenæus fecit integro primo libro, Tertullianus etiam lib. contra Valentinianos. Irenæus istum Octonarium primum, vnde processerunt Æones reliqui, declarauit in c.5. dicti libri, quod vobis eius verbis apud Epiphanium referemus, vt vel hinc deridiculos homines deprehendatis. Huius ogdoadis, id est, octonarij dualitas primo est innominabilis (vt aiunt) & quicquid est eius, inenarrabile est. Istius tamen coniugationis primæ masculus ab eis nominatur Βῦθος, fœmina Σιγὴ, id est, profundum & silentium. Si fœminam vis habere Latinam, dicas taciturnitatem. Secunda dualitas hinc emittitur, Νοῦς & Ἀλήθεια, Sensus (siue Mens, nisi mas primus esset) & Veritas. A duobus istis generantur Λόγος & Ζωὴ, id est, Sermo & Vita Nec sunt infœcundi isti, à quibus producuntur Ἄνθρωπος & Ἐκκλησία, Homo & Ecclesia. Deinde Genealogia decem atque duodecim Æonum procedit ab istis. Quæ sunt istæ (quæso) genealogiæ? & vnde probantur? Cabalam vides nugacissimam, qualis nunc & in Gnosticis, quum de Sacramentis garriunt nihil quam Spiritus, & Ideis loquuntur.

194. noui & non vnius nominis, &c.] Hoc dixit, quia vti infra lib.adu.Valentinianos: Βῦθος ille primus Æõ vocatur etiam τέλειος, ἡ ἀρχὴ προαρχὴ, & προπάτωρ. Quomodo etiam sua (vt ita loquar) vxor, non σιγὴ dumtaxat (quam nimis libere substituit hic Quintinus) sed & charis. quare placet communis lectio: è sua charite, quam etiam agnoscit & interpretatur Macereus.

195. Ioannes vero in Apocalypsi, &c.] Ex hoc libro, & eo quod sequitur mox: At in Epistola, indicat eundem esse auctorem & Epistolarum Ioan.1. & 2. & Apocalypsis, atque adeo B. Ioannem Apostolum & Euangelistam. Nam in secunda legitur: Qui non confitetur Iesum Christum venisse in carne, hic est seductor & Antichristus. & in prima cap.2. Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium. Verum quum plane sit similis locus infra Scorpiaco adu.Gnosticos, illuc tractatum de Apocalypsi, & maxime in lib. adu. Marc. differimus, hic vero epistolam secundam eiusdem esse Ioannis cum Tertulliano adserimus, contra Erasmi opinionem contrariam. Nam imprimis in Canone sacrarum scripturarum tres Epistolæ recensentur à Synodis Apostolorum, can. vlt. Laodiceno cap.59. ac Carthaginiensi 3.cap.47. & BB. Athanasio in Synopsi, Gregorio Nazianzeno inter pia carmina, August.de doct. Christ.li.2.c.8. Innocentio Papa 1. epist.ad Exuper. Gelasio, c. Sancta Romana Ecclesia, item Rufino in Exposit.Symboli, Cassiodoro diuinarum lectionum lib.1. Damasc. de orthodoxa fide lib.4.cap.18. Isidoro Etymol. lib.6. cap.1. & Hrabano Mauro nostro de Instit.cleric.lib.2 cap.53. & lib.3.cap.7. Deinde citatur hæc 2. Ioannis Epistola à Patribus Carthaginiensis Synodi sub B. Cypriano, aliisque Patribus, & nominatim ipso B. Hienymo epist. ad Geruntiam de Monogamia, vbi eundem Ioannem huius Epistolæ auctorem facit, & Apocalypseos; quam lib.1. adu. Iouinianum disertis verbis affirmat conscriptam à Ioanne Apostolo & Euãgelista in Pathmos relegato, & Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. ca. 20. videtur agnoscere tamquam eiusdem Ioannis Apostoli æque secundam & tertiam ac priorem epistolam. Quomodo etiam Origenes Præfat. in Matth. solummodo adiciam dubitationem quorumdam. Atque adeo etiam intelligendum B. Hieronym. Catal.script. Eccles. tamquam qui ex aliena persona loquatur, patet tum ex eodem in Papia, tum maxime ex Prologo in Biblia ad Paulinum: vbi simpliciter sine hæsitatione aliqua inter reliquas noui Testamenti scripturas, tres Ioannis Epistolas commemorat. Quid? quod exstant etiamnum Clementis Alexandrini in 1. & 2. interprete Cassiodoro, ac Didymi Alexandrini in tres Ioannis Epistolas breues Commentarij, quorum hic quædam secundæ Epistolæ dicta cum priori Epistola concordare velut ex proposito nititur.

196. Caiana hæresis dicitur,] Quid Caiana hæresis Tertulliano, infra etiam tractabimus latius lib.Scorpiaci initio, eo quod B. Hieron. lib.adu. Vigilantium eam hæresin Cainam, seu potius Caianam, dictam adserat, potissimum autem lib. de Baptismo cap.1. vbi legitur: quædam de Caiana hæresi, vipera venenatissima.

197. angelis seruiens.] Recte hoc de Simoniana Magia dici patet infra cap.46. & latius multo, libro de Anima, vbi aduersus opinionem eius de Anima agit: atque adeo locus iste notandus, vt intelligat Lector, quam Angelorum seruitutem seu religionem impugnet Apostolus, Coloss.2. contra calumnias hæreticorum nostri temporis. Quo etiam pertinet Apellis hæresis de angelo creatore.

CAP. XXXIV.

198. Hæc sunt, vt arbitror, genera doctrinarum, &c.] Capiti huic inscriptionem damus: Quod in primis illis hæresibus etiam reliquæ posteriores prædamnatæ sint.

199. Nemo alterum Deum, &c.] Hæreticorum prouectum (inquit Quintinus) siue progressum vides, de quibus illud è Philosophica schola dicitur quam verissime: Paruus error in principio, maximus est in fine. Bis in Synodo Gangrensi declarare conabamur, vulpes istas inuicem caudis colligari, scilicet, vnius alicuius hæreseos reum, paulatim fieri reum ceterarum, totumque demum comburi. Sunt enim concatenatæ. Nostrorumque temporum probabimus hoc exemplis, in Synodi Prooemio, versu: Et alia multa; & initio canonis 12. Verum de Marcionis, Apellis, & Valentini hæresibus infra latius. Hic hoc solum dicemus ex Quintino, quod vnius Æonis vitium intelligat Ectroma, de quo supra cap.7. & infra latius, l.adu. Valentinianos. Quid autem contra eiusdem hæreseis teneat Ecclesia Romana, cap.36. infra docet: Vnum, inquit, Deum nouit creatorem vniuersitatis: & Christum Iesum ex virgine Maria filium Dei creatoris, & carnis resurrectionem.

200. qui Deum sic quoque voluerit æmulari.] Quintinus substituerat: noluerit, quantum apparet, existimans: æmulari hic accipi sicuti infra cap.38. num.227. & cap. 40 quum dixit: ipsas quoque res sacramentorum diuinorum diabolus æmulatur: nempe pro imitari. Verum accipitur hic pro: per inuidiam contendere, eadem significatione, qua alibi æmulatio accipitur ab Auctore pro inuidia, qua etiam dixit eodem capite 40. profanæ & æmulæ fidei, quemadmodum & alibi, æmulus Deo. Atqui ex Quintino & Macereo legimus paulopost: eas dicere fuisse non possunt, pro eo quod alij dumtaxat: fuisse non possunt.

201. aliquanto expolitiores, &c.] Audis (inquit Quintinus) hæreseis rudes primum, deinde factas expolitiores. Ab annis quadraginta sic etiam nouari cœperunt hæreses, vt quanto quis in Græcitate, & Latinitate nescio qua peritior exstiterit hæreticus, tanto plausibilior atque receptior fuerit. Pure, & terse, munde loquitur. Inde sectatores istius eloquentiæ colligunt, Ergo pura, tersa, munda est hæresis. Admodum reprehensibile est graues etiam Theologos istis humanæ facundiæ verbis & elegantiolis efferri. Num bona sit dictio, quærunt. Atqui meminisse nos oportet, quod nulla est in aliquo Christiano bona dictio, quæ pariter non sit in Christo Iesu benedictio. Bonas istas dictiones, & Rhetoricationes relinquamus Cresconiis Grammaticis, vt fecit Augustinus. Sacra sincere tractantibus non conueniunt, vt neque matronæ cerussa, neque boui ceroma.

202. habendo cum eis consortium.] Gelasius primus (inquit idem) Afer etiam simile cum Tertulliano scribit, inquiens: Quicumqué in hæresin semel damnatam labitur, eius damnatione seipsum inuoluit, 24.q.1.c.1. Eodem pertinent definitiones Concilii Chalcedonensis & aliorum, vbi expresse cauetur de semel definitis amplius dubitare non licere, sed cum illis, quorum sectantur hæresin, esse condemnandos, & participationem, vti loquitur Auctor, cum damnatis hæresibus, id est, vti interpretatur Quintinus, iam damnatis, vt fictitium, quod fictum est, donatitium, dedititium, conductitium. Cum quo ac Macereo & ms.Vatic.codic.legimus: nec ab Apostolis nominatæ.

CAP. XXXV.

203. His definitionibus prouocatæ, &c.] Titulum huic capiti damus: Quod hæreticæ dici non possint Ecclesiæ Apostolicæ, quæ nihil cum hæresibus habeant commune.

204. hoc erit testimonium veritatis, &c.] Iterum repetit totius huius libri præscriptionem, quod veritas prior sit, mendacium posterius: & proinde quum priores sint Ecclesiæ Catholicæ, etiam veritate niti, de quo supra latius c.29. & 31.

205. Quam enim damnant, quasi extraneam, &c.] Rhenanus, Quintinus ac Macereus sic interpretantur, ac si velit dicere: quasi extraneam damnant. sed non est opus, si illud quod sequitur: ostendunt, referatur ad vtrumque membrum, hoc sensu: quam enim damnant, quasi extraneam ostendunt, quamque non damnauerunt, suam.

CAP. XXXVI.

206. Age iam qui voles curiositatem melius exercere, &c.] Huius capitis inscriptio est: Quod illæ solæ Ecclesiæ sint veræ, quæ

Romanæ aliarumque Apostolicarum Ecclesiarum fidem sequuntur.

207. apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur.] *Facit hic locus contra eos, qui* Cathedræ Apostolicæ *in Romana Ecclesia nomen nolunt agnoscere, quam etiam in aliis Apostolicis Ecclesiis agnoscunt Tertullianus, & post eum B. Paciauus epist. 1. ad Sympronianum: Immo & in Romana tamquam aliarum matrice Veteres pene omnes, nominatim Auctor lib. 3. carm. adu. Marc. vbi postquam mentionem* cathedræ Petri *fecit*, in qua & ipse sedit, & alios post se sedere iussit, *hæc subiungit*,

Constabat pietate vigens Ecclesia Romæ,
Composita à Petro.

Item D. Cyprianus epist. 40. de quinque Presbyteris: Deus (inquit) vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & cathedra vna *super Petrum Domini voce fundata. & lib. de Vnit. Eccles:* vnam cathedram *constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipiente sua auctoritate disposuit. ac: Primatus Petro datur, vt vna Ecclesia &* cathedra vna *monstretur. &: qui* Petri cathedram *diserit in Ecclesia non est. Et vero eandem etiam ad successores se extendere idem indicat, epistol. ad Antonian. Cum Fabiani, inquit, locus, id est, cum Petri locus & gradus sacerdotalis* cathedræ *vacaret. Quo pertinet etiam illud Epistol. 55. Ad* Petri cathedram *& Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta. Optatus item Mileuitanus lib. 2. aduers. Parmeniam. Negare, inquit, non potes scire te, in vrbe Roma Petro primo Episcopalem* Cathedram *esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, & paulopost*: Cathedra vnica, *qua est prima de Ecclesiæ dotibus, sedit prior Petrus. Similiter autem* Cathedram *Petri, Romanam Ecclesiam appellant B. Hieronymus epist. ad Damasum, ac Catal. Scrip. Eccles, Prudentius in Laurentium, ac apud eundem B. Hippolytus, Prosper in Carmin. denique Leo 1. Romam (inquiens) caput orbis effectam per sacram B. Petri sedem. Quæ omnia eo adduximus, quia ad Petri, atque adeo Ecclesiæ Romanæ primatum pertinet.*

208. ipsæ authenticæ litteræ.] Authenticas (*inquit Quintinus*) litteras *Apostolorum vocat. Apostolorũ manu scriptas aut subscriptas, vt ab Vlpiano dicuntur* authenticæ *tabulæ* authenticæ *rationes*, authenticum *testamentum, quod distinguitur ab exemplo testamenti, lib. 4. ff. Fa. Ercisc. lib. vlt ff de Testament. Vulgus appellat originalia. Non dubio priuarias illas Apostolicas epistolas ab Ecclesiis incredibili cura & religione fuisse conseruatas, tantumque non adoratas, etiam facile duruauerint annis Tertulliani. Siquidem medii non sunt anni septies viginti inter Neronis imperium ac regnum Seueri, quo Tertullianus florebat. Quintilianus ait epistolas Augusti se vidisse, quas Augustus sua manu scripserat, aut emendauerat, in c. 13. lib. 1. Labebatur (vt minimum) centesimus à descripti annus; nam fuit ille sub Domitiano. Plinius sub Vespasiano manum Tiberii Catique Gracchorum vidit, annos fere post ducentos, vt ait in lib. 13. cap. 12. nat. hist. Tertullianus igitur vidisse potuit Apostolorum manus, & autographa, quæ saltem suo tempore extabant adhuc integerrima. Neque magnum quid est; quod Plinius de ducentis annis refert. In archiuis & grammatophylacijs Collegiorum, atq; ciuitatum publica vsiuntur instrumenta trecentorum, & quadringentorum annorum Sodalitatem nostram scio seruare quadam supra quingentorum. Similis est autem locus infra lib. 4. aduers, Marc.* Videamus, *inquit*, quod lac à Paulo Corinthii hauserint, ad quam regulam Galatæ sint recorrecti, quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii, quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Euangelium & Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt; habemus & Ioannis alumnas Ecclesias. *Atqui (vt adnotat Macereus) non solum per amanuenses, sed & propria manu pleraſque Apostoli Pauli epistolas scriptas fuisse constat, 1. Corinth. 16. Gal. 6. Coloss. 4. Thessal. 3. & Philem. 1.*

209 Proxime est tibi Achaia, habes Corinthum,] *Sic Vatic. ex ms. Vat. cod. pro:* proxima, *quia magis ad stylum Tertullian. accedit.* Corinthum *in* Achaia *sitam patet, Act. cap. 18. ac 19. & 1. Cor. 16. ac 2, Corint. 1. 9. ac 11. Medio autem interuallo (inquit Plinius lib. 4. cap. 4. & 5.) quod Isthmon appellamus, applicata colli, habitatur* Corinthus *colonia, antea Ephyra dicta, sexagenis ab vtroque littore stadiis, è summa sua arce, qua vocatur Acrocorinthus, in qua fons Pyrene, diuersa duo maria prospectans.* Achaiæ *vero prouinciæ nomen ab Isthmo incipit.*

210. Si non longe es à Macedonia, habes Philippos.] *Etiam hoc patet Act. 16.* Et inde, *inquit*, venimus Philippos: *quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas colonia.*

211. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum.] *Idipsum etiam indicatur Apoc. 1.* Et mitte (*inquit angelus*) septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, Epheso, &c. *Quod haudubie intelligendum de Asia minore.*

212. si autem Italiæ adiaces, habes Romam, &c.] *Vatic. cod. ms. et Quintinus* Romanam: *sed placet magis illud, eo quod prius etiã sint enarratæ tres ciuitates in vna Ecclesia. Atqui calumnia Magdenburgensium, qua hinc colligunt Romanæ, Ecclesiæ non nisi in Italia iurisdictionem esse, potest responderi vel ex solo eo quod sequitur* vnde nobis quoque auctoritas præsto est; nobis, *inquam, aut Catholicis omnibus, aut certe Africanis, qua nempe [vti interpretatur Macereus) nostras ecclesias defensemus. Quare recte Quintinus:* Ecclesiæ Romanæ, *inquit, mox vt institutæ fuit, auctoritas ante omnes, & per omnes æque gentes, maxima semper exstitit, etiam gentium Regibus, quos per sequutores habebat, eidem multum deferentibus; quod ex historia, quam de Samosateni peruersitate retuli, circa finem versus vltimi. Si vero quis non paruerit, in Proœmio dictæ Synodi Gangrensis, apparet; Hunricus Attila, Gensericus Vandalus, Totila Gothicus, impietatum faces, & Flagella Dei vere nuncupata, nullo tamen non sunt honore dignati Pontifices Vrbis. Illi duo Leonem primum circiter annum Domini 450. Vltimus Pelagium quoq; primum, anno Domini 556. Quam reuerenter loquatur hic Tertullianus de* Romana *sede, videmus. Cyprianus hanc postea nominauit Ecclesiam principalem, vnde sacerdotalis vnitas exorta est. epist. 3. lib. 1. quæ in nostra aditione est 55. Et cunctos ex Africa nauigantes hortabatur, vt Ecclesiæ Catholicæ matricem, & radicem* Romam *tenerent ac cognoscerent, epist. 8. lib. 4. nu. 45. Hæc Africa de* Roma *sensit. Irenæus vtroque prior, pro sua Gallia non minus magnificum testimonium reddidit Ecclesiæ* Romanæ, *in cap. 3. lib. 3. quod superius iam citauimus in cap. 32. Irenæi verba sunt: Maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & adnunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio. Hæc Irenæus. Si non creditur his, vt antiquitate maxima (fluxerunt anni plus ve minusve, mille quadringenti) sic & vitæ sanctitate summa suscipiendis & adorandis viris, frustra produceremus turbam sanctissimorum clarissimorumque postea scriptorum, qui maioribus concinunt, & pro constantissimo tradunt, quod ab ipsis acceperunt, Petrum Romæ crucifixum, Paulum decollatum. Denique Romam esse caput omnium Ecclesiarum, qualem Iustinianus agnouit, & vbique prædicauit, epist. inter claras, cap. de Summa Trinitat. Et certe maiores illi visa pene prodiderunt, vt merito credendum sit eis. Irenæus (quod superius adnotabamus) scribebat anno Christi 177. dum* Romæ *præsideret Eleutherius. Petrus & Paulus vltimo Neronis anno passi sunt: hoc est, anno post Christum resurgentem 39. post natum 69. Sic ab Apostolorum martyrio distabat Irenæus scribens annis tantum 138. nec iuuenis illa scribebat. Quadragenarius enim, vel maior, missus est* Romam *ad Victorem Papam per Ecclesiam Gallicanam. Quare non toti præterierant anni septuaginta, vel octoginta, quum fuit Apostolus vterque* Romæ *trucidatus. Aliquanto prius Egesippus idem scripserat sub Aniceto & Sotere Pontificibus, circiter annum Domini 169. & 170. Soteri successerat Eleutherius. Tertullianus ab hoc tempore non bene lapsis annis viginti docere cœpit in Africa. Recens erat igitur in hominibus Apostolici Martyrii memoria, Neque dubito superfuisse tum qui viderant, illud maxime, quod hic Tertullianus de sancto Ioanne Euangelista memorat, qui propter incredibilia, quæ per Asiam quotidie fiebant ab eo miracula, fuit ex Epheso vinctus* Romam *perductus, imperante Domitiano. Sæpius ibi loci conuenisse fratres, & in Christi fide confirmasse, non est hæsitandum, sic vt* Roma *primam suam, perpetuamque fidem debeat primis tribus Apostolis Christi, Petro, Paulo, & Ioanni, qui suo sollemni Martyrio sunt eandem Romæ contestati. Demum iussu Domitiani comprehensus Ioannes, ad vrbis portam Latinam, tota* Roma *cum suo Rege, suoque Senatu spectante tantam crudelitatem in hominem iam septuagenario maiorem, in feruentis olei dolium pridie Nonas Maii demersus est: vbi quum diu permansisset illæsus, ad miraculum cunctis stupentibus inde fuit exstractus. Innumeros re tam prodigiosa conuersos ad Christum fuisse, & alios in fide corroboratos (quod est verissimum) existimemus. Inde Ioannes ob assiduum verbi diuini testimonium (*Roma *simul & Epheso sibi interdictis) relegatus est in Insulam Pathmon, circa finem Imperii tam tetra bella Domitiani, vt Irenæus testatur, quem refert Eusebius in cap. 18. lib. 3. histor. Plane superstites erant inter fratres non pauci, qui Ioannem viderant in dolio. Iam phanaticus aliquis heri natus, & à cunis ebrius totus, ex olenti nescio quo suo caput efferens æstuario, contra sanctissimos & purissimos, & antiquissimos istos sacrarum rerum tractatores atque scriptores (quorum testimonia hic citantur num. 207. 208. 213. & 214.) exhalans eructat Petrum non fuisse* Romæ, *Babylonem esse Romanam Ecclesiam, meretricem sedentem super talentum, cathedram pestilentiæ, & alia nefanda, quæ de triumphantis in orbem tunc vrbis incredibili magnitudine, miscellaneaque gentium confusione, vel de* Romano *ipso prædicuntur, & indies magis, magisque vera videntur, Imperio, quod est illa terribilis & abhorrenda bestia quarta, Daniel. cap. 7. in Ioan. Apocalyp. rursus designatum. Quæ si quis in Ecclesiam* Romanam *torqueat & etuomat, nauseane totus tuus ad has putidissimas Mephytes subuertitur stomachus? Si non iam certe præcordiis es infectissimis & corruptissimo corde, salutisque deperditissimæ. Hactenus ille.*

213. Statu fœlix Ecclesia.] *Sic nunc primum legimus ex cod. Vatic. adiicientes vocem* Statu. *Atqui magna (inquit in Adnotationib. Rhenanus) laus Ecclesiæ Romanæ, quam omnes Veteres summe sunt venerati. Et in Argumento: Insigne, inquit, Epiphonema, cui simile est quod habet libr. 4. aduers. Marcionem, verbis nempe supracitatis numer. 208. Ex quibus locis (eiusdem verbis vti pergo) liquet, vnde Apostolici cognomen Pontifici Romano aduenerit. Sed & in lib. aduers. Praxean, & aliis item locis non obscure significat, quantum valuerit illo quoque ævo* Romani *Præsulis iudicium, aliquid aut agnoscentis aut reiicientis. Huius Ecclesiæ semper mansura auctoritas quantum orbi Christiano profuerit, dum dogmatum concordiam sartam tectam præstat, ac denique pacem conseruat, hæc turbulenta*

tem

tempora abunde docent. Quæ præcipue causa veteres Imperatores olim mouit, vt istam sedem Fl. Constantinus priuilegiis, Iustinianus, & Gothorum Principes, qui primi ex Germanis Romanorum Reges extitere, Italiæ & Prouinciarum Domini, atque hos sequuti Longobardi, prædiis amplissimis, Carolus Magnus, Ludouicus Pius, atque Rudolphus Habispurgius, terris ac profana ditione extulerint, auxerint, atque ornarint. Denique idem Rhenanus initio lib. aduers. Praxean: vbi Episcopi Romani *Tertullian.* & litterarum pacis ab eo reuocatarum *meminit: Adtende, inquit, summam* Romani Pontificis auctoritatem, *etiam illis temporibus, dum aliquid aut recipit aut damnat. Hinc illud Ammiani Marcellini libr. 15. de Constantio Augusto & Liberio Pontifice: Iam* auctoritate, *qua potiores æternæ vrbis Episcopi firmari desiderio nitebantur ardenti. Quibus addit etiam verba ipsissima B. Irenæi paulo ante num. 212. à Quintino adlegata. Quæ omnia huc transscribenda existimaui contra calumniam alteram Magdeburgensium, qua dicunt* Fœlicem *dumtaxat hic dici* Ecclesiam Romanam, *non autem primam, atque adeo Primatum Ecclesiæ Romanæ non agnitum à Tertulliano. Verum contra eos faciunt tum supra verba illa:* vnde nobis auctoritas præsto est, *tum aduers. Praxean:* reuocatio illa litterarum pacis, *tum:* cathedræ Petri *appellatio, de qua supra num. 207. tum denique quod etiam in hæresin lapsus,* Pontificem Maximum, Episcopum Episcoporum *nuncupet, lib. de Pudicitia, Tom. 5. infra. Et vt id ex Tertulliano disertis verbis haberi non possit, certe sufficere debet eadem ætate supradicta B. Irenæi, quem ille maximi fecit, sententia, & deinde B. Cypriani, etiam à Quintino adnotati loci. Quibus accedit apertissimus item locus lib. de Vnitate Ecclesiæ: Primatus Petro datur, &c. vti supra à nobis citatus est nu. 207. Ad quem Cypriani locum etiam aliorum Veterum locos similes citaui, Adnotation. num. 14. sicuti etiam in epistol. 45. num. 6. 55. num. 27 35. ac 90. & in epist. 67. num. 11. 68. num. 17. 71. num. 19. 72. num. 3. 76. num. 29. Quarum si ipsa etiam verba quis requirat, præter Neotericos Auctores ibi citatos, licebit etiam consulere Feu-ardentium in dictum cap. 3. lib. 3. Irenæi, & Sanderum Anglum de Visibili Monarchia lib. 7. vbi etiam plura aliquot testimonia potissimum media ætatis & posteriorum sæculorum reperire est, atque Caluini aliorumque nostri temporis hæreticorum, qui veritate conuicti negare non audent* Romanum *Episcopum primum omnium sacerdotum semper habitum fuisse. Eodem etiam pertinent quæcunque à nobis citata sunt Cypriani & aliorum Patrum testimonia hoc ipso capite supra nu. 207. 208. & 212. & quæ de hoc argumento scripta est eruditissima illustrissimi Cardinalis Hosii Epistola.*

214. cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt, &c.] *Similis locus ad verbum pene ex l. 4. adu. Marc supra citatus est num. 208. Infra quoque Scorpiaco adu. Gnosticos:* Vitas, *inquit,* Cæsarum legimus, orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci astringitur. Tunc Paulus Romanæ ciuitatis conlequitur facultatem, cum illic martyrii renascitur generositate. *Atqui eorum martyrii* Romæ *præterea meminerunt B. Linus Papa lib. duobus ea de re conscriptis, Clemens Papa non vno in loco, Egesippus lib. 7. de excid. Hierosolym. Dorotheus in Synopsi, Hieronym. Catal. Scriptor. Eccles. Ambrosius & Augustinus frequentissime, Orosius lib. 7. cap. 6. Eusebius in Chronica & histor. Eccles. lib. 3. cap 1. Vbi etiam martyrii genus explicans adserit, quod ad extremum capite deorsum verso, (sic enim perpeti cupiebat)* Petrus *cruci suffixus sit; quo adludit Auctor dicens:* vbi Petrus passioni Dominicæ coæquatur. *quem in hoc imitatur Nicephor. lib. 2. cap. 36. vbi etiam, quo supplicio Paulus affectus sit, adserens:* Paulum *vero, inquit, gladio feriens occidit eodem tempore, eodemque die, quod ipsum his verbis significat Auctor:* vbi Paulus Ioannis exitu *hoc est, vti recte transtulit Macereus, eodem mortu, quo Ioannes Baptista plexus est, exitio. nam Auctori vsitatam vocem:* exitu, *pro exitio, supra Tom. 1. adnotauimus lib. ad Scapulam. cap. 3. ad illud:* in illo exitu Byzantino. *De quo ad hunc locum adludens haud dubie, in hac verba latius Michael Glyca hist. sua Byzant. part. 3. Nero, inquit, impurissimus Princeps, primus persequi Christianos cœpit, & duos summos viros interfecit, vt nonnulli quidam historici volunt, & vno & eodem die, verum (sicuti inter cetera Prudentius) diuersis annis, vt Eusebius autem Pamphili F. memoria prodidit, & anno eodem, & eadem die. Quinetiam Tertullianus, vir apud Romanos illustris, & Caius scriptor Ecclesiasticus, & Dionysius Corinthi Episcopus, simul & eodem tempore Petrum & Paulum Martyris suo doctrinam Christianam obsignasse scribunt, anno videlicet Imperii Neronis xiij. aut, vt alii, xiiij. saltem anno Imperii eius vltimo. Quid? quod etiam ante illos Nicephorus huc adludere videtur, quum dicit. lib. 2. cap. 37. hæc verba, quæ in genere tantummodo Euseb lib. 3. cap. 24. historiarum monumentis, ipse Tertulliano adscribit: Paulus quidem Romæ capite plexus, Petrus autem crucifixus esse eodem tempore traduntur: quorum denique vterque Caii & Dionysii Corinthiorum modo citatorum etiam ipsa verba adlegant.*

215. vbi Apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus, &c.] *Addit* Apostolus, *addistinctionem Ioannis Baptistæ, de quo prius. Atqui huc adludit B. Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian. Refert, inquit, Tertullianus, quod à Nerone missus* Ioannes Euangelista in feruentis olei dolium, *purior & vegetior exierit, quam intrauerit. Quo pertinet etiam illud eiusdem de* Ioanne *in Matth. cap. 20. Sed si legamus Ecclesiasticas historias, in quibus fertur quod ipse propter martyrium sit missus in feruentis olei dolium, & inde ad suscipiendam coronam Christi athleta processerit,* statimque relegatus sit in Pathmon insulam, *videbimus martyrio animum non defuisse, & bibisse* Ioannem *calicem confessionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem. Legimus autem cum ms. Vatic. cod.* quid dixerit, *pro* didicerit, *& addimus:* quid *tertio loco:* quid cum Africanis, &c.

216. aqua signat, Spiritu sancto vestit. Eucharistia pascit.] *Primum hoc Baptismi, secundum Confirmationis, tertium Eucharistiæ, Sacramentorum efficientiam significat, de quibus mox latius cap. 40.*

217. martyrio exhortatur.] *Vat. ms. cod. & Quintinus* martyrium, *sed illud placet. Eius autem etiam facit mentionem Auctor* propter refragatores martyriorum Gnosticos; *aduersus quos scriptum est quod infra est Scorpiacon.*

218. de papauere fici, &c.] *Quod Varro de re Rust. lib. 1. cap. 4. semen vocat & granum, hic Auctor peculiariter* papauer fici *dixit. De* caprifico *denique, id est, ficu syluestri; vide Plinium li. 15. c. 19. Atqui sic quæ sequuntur, distinguo:* degeneres veritatis *(adiectiua enim cum Genitiuis solet Auctor coniungere)* grano & mendacio syluestres, *siue, vti Quintin.* grano mendacii. *est enim perinde.*

CAP. XXXVII.

219. Sic hæc ita se habent, &c.] *Hoc caput inscribimus:* Quum scripturæ Christianorum sint, & hæreticis alienæ, minime ex illis cum hæreticis disputandum. *De quo latius supra ca. 15. sicuti etiam cap. 21. de* Regula fidei *(nempe eadem, de qua c. 13.)* quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. *Legimus enim omnino* accepit, *pro,* tradidit *Item:* ad ineundam de scripturis prouocationem *ex ms. Anglico pro eo quod substituerat Rhenanus* ad eandem. *Super quo mouet Quintinus: Tertulliani, inquit, sententiam diligenter obserua. Hæresis non à Catholicarum scripturarum fide prouenit, sed à priuata superbi cuiuspiam hominis persuasione, qui credere sic vel sic elegit, in opinionem sua detorquens* scripturas, *& non se* scripturis *obedienter subijciens. Cum talibus ergo non est de* scripturis *aliquid agendum vel tractandum.*

220. sine scripturis.] *Reddit rationem Rhenanus, quia carent* scripturis, *propriis nempe. Ego vero refero ad* probationem sine scripturis; *quippe quum Auctor nullus ad hoc scripturis vtatur, sed solummodo ea præscriptione, qua sequitur.*

221. Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt.] *Similiter dixit supra cap. 7.* Quid hæreticis & Christianis; *&* 14. quum autem nondum crediderunt, non sunt Christiani. *&* 16. scilicet quia non est Christianus. *Similes autem locos reperire est BB. Cypriani lib. de Vnitat. Eccles. & Hieronymi initio libri contra Luciferianos. Quare & Theodosius Iunior ac Valentinianus tertius Legem tulere, (qua extat lib. 6. c. de hæresibus) qua vetant hæreticis Christianorum nomine vti. sed ab Auctore sceleris quod sequuntur, nomen sortiri volunt.*

222. quid in meo agitis non mei, &c.] *Tertullianus (inquit Quintinus) vbique se in Iure prodit exercitatissimum fuisse. Ipsissima Iuris verba sunt:* Quid in meo agitis, *quid seminatis, quid pascuis in alieno? Cur* limites, *hoc est terminos meos* moues? fontes meos, *aquam scilicet meam* transuertis? *Cur* syluam meam cædis? mea possessio, prior possideo. *Lego autem bis.* mea est possessio; *quod priori loco solus prætermisit Quintinus. Pulcre autem adnotat Rhenanus omnia illa esse inuadentium, & aliena bona occupantium.*

223. habeo origines firmas ab ipsis auctoribus.] Auctor *(inquit idem Quintinus) apud Iureconsultos dicitur is, cuius res erat, à quo rem nobis emimus, aut alio modo quouis habemus. Hinc* Auctorem *laudare,* auctori *denuntiare, &* auctoritas, *ipsum ius Dominij. Instrumentum* auctoritatis, *id est, venditionis. Venditor est* auctoritatis *obligatus. Quæ vero sequuntur, pura sunt vltimarum voluntatum seu testamentorum verba,* Testamento cauere, fidei committere, exhæredare, &c. *Quibus adde etiam:* adiurare; *nam & hæredes* adiurari *solent ad testamenti executionem, &* abdicare. *Atqui de* fideicommisso *latius supra li. 1 ad Vxorem c. 1 nu. 6.*

CAP. XXXVIII.

224. Illic igitur & Scripturarum, & expositionum adulteratio- &c.] *Capitis huius, quod materia eiusdem respectu paulo prius incipimus quam Quintinus, hic est titulus:* Quod scripturarum & expositionum adulteratio hæreticis, non Catholicis tribuenda sit. *Atqui etiam phrasis est Iureconsultorum:* instrumenta doctrinæ, *sicuti &* corruptela instrumentorum.

225. detractione, vel adiectione vel transmutatione.] *Hic tres modos commemorat, quibus adulterare scripturas solent hæretici: de quibus latius supra cap. 17. n. 105. Atqui illud:* Quod sumus, hoc sunt, &c. *sic interpretatur Macereus: Vnam profitetur nobiscum scripturæ fidem, professionem & viuendi modum, idque ex quo illæ initium cœperunt, etiam antequam aliter viueretur aut crederetur, quam nos viuimus aut credimus.*

226. antequam interpolarentur.] Interpolare *(inquit Quintinus) est formam nouam veteri cuipiam rei dare. Vestimenta noua, & vestimenta* interpola *siue* interpolata *opponuntur in Romanorum Legibus l. 45. De contrah. empt. l. 37. ff. De ædil. edi. Hinc* interpolatio, *id est, antiquæ formæ renouatio & immutatio* Scripturæ interpolantur, *quando lectio quæpiam noua & insolita proponitur, in Ecclesia non assueta; vel sensus alius adfertur, quem prius catholica non audierit, nec admiserit Ecclesia. Qui pro ineffabili Deo, vel angelo, Iouem dicit, aut Genium, similiaque transformat, informiter*

scriptu-

A

scripturam interpolat. *Omnium tamen deformissime, qui verbum veritatis & substantialis, atque realis existentiæ, refert cum nefanda sensus inuersione ad exterius quoddam rei signum seu significatum:* Hoc est corpus meum: *id est, significat. Apostolos nõ satis eruditos fuisse, neque disertos credunt, ad tradenda nobis mysteria, docendaque sacra quæ didicerant à Christo; propterea verborum proprietates, quin & ipsa verba commutant ac transponunt. Quædam quidam tradiderunt atque docuerunt Apostoli (sicut aiunt:) Hos tamen adiuuandi vel supplendi, vel etiam corrigendi gratia (prætorii cuiusdam Iuris instar) introducunt alias Sacramentorum formas, & nouos fidei traditæ modos. Modos autem tres* interpolandi *iam præmisit. Addit mox & alios duos:* Alius manu scripturas, alius sensu expositiones interuertit.

227. veniens vtique ex causſa æmulationis.] *Ideo (inquit Quintinus) Tertullianus adserit hic hæreticus* æmulari *Apostolos, hoc est, ambitione plusquam Sathanica tentare, & conari per temeritatem propriam facere, quod Apostoli, Christo iubente, fecerant in Sacramentis Christianæ religionis instituendis. Et quia se superiores Apostolis videbant esse humana sapientia verbis, in noua fidei regula docenda nolebant inferiores haberi, quamobrem dicuntur Apostolos* æmulari *Quod autem quis* æmulatur, *id anterius est, &* æmulantem *præcedit, & vetus est quod* interpolatur. *Ergo traditiones Apostolicæ præcedunt* æmulatores & interpolatores *istos. Igitur illa verissima. Fictitium est quicquid postea sequutum est. Hæc est sincere Catholica Tertulliani sententia, propter quam explicandam paulo longius digredi mihi visum est.*

228. Neque enim si Valentinus, &c.] *Diuersæ sunt, inquit idem Quintinus) istorum duorum hæresiarcharum sententiæ circa Biblicas & sanctas scripturas admittendas, de quibus commodius in tractanda hæreticorum historia dicetur. Marcion de vetere testamento nihil recipiebat, & de nouo quadam decerpserat, ac in duos libros descripserat, ex Euangelio Lucæ, reiectis aliis, & ex aliquibus Epistolis Pauli Apostoli, resecans ex ipsis quicquid suæ doctrinæ non conueniebat. Hoc est omnia sine dubio negare. Propterea dicitur hic quod* Marcion machæra confecit cædem scripturarum. *Vi scilicet aperta & publica de medio repulsit scripturas.* Machæra *enim est gladius magnus, & plane bellicus,* Stylus *instar est parua cuiusdam columnæ acuminatus, & habens mucronem.* quo cultelli genere vsus est cautissime Valentinus in scripturis omnibus configendis, *quarum paraphrasten quum pro libitu suo ageret, nihil non proponebat, quod scripturis suis non comprobaret. Ideo* stylo dicitur vsus inauferendis scripturis. *Inter Rhetoras vero (vt hic scias nonnihil dici metaphorice)* stylus *est ipsa structura sermonis & orationis. Addit autem Rhenanus, quas scripturas de Instrumentis sacris resecet, nempe Acta Apostolorum, Apocalypsin, Euangelij Lucæ & Paulinarum Epistolarum partem.*

B

C

CAP. XXXIV.

229. Hæc sunt ingenia, &c. *Huius capitis inscriptionem fecimus:* Quod in hoc Virgiliocentonas & Homerocentonas imitentur hæretici. *Imitatur autem B. Irenæum (quod etiam transcripsit Epiphanius) qui Valentini fabulas lib. 1. cap. 1. aduers. hæret.* Homerocentonas *appellat. Vti enim* Homerocentonibus *Tragici, sic Variis scripturæ sacræ detortis sententiis abutuntur ad sua figmenta hæretici. Verum de hoc infra nu. 231. & 234.*

230. de spiritalibus nequitiæ, &c.] *Paulus, inquit Quintinus, Ephesios armari iubet armatura Dei contra* spiritualia nequitiæ in cœlestibus, *Ephes. cap. vltim. Vocat autem* spiritualia nequitiæ in cœlestibus, *aerios quosdam malignos spiritus, nocendi nobis auidos atque potentes. Aer dicitur etiam cœlum. Dæmones autem quidam feruntur in aere habitare. Sic Dæmonia vocantur hic* spiritualia nequitiæ in cœlestibus. *Quod Ambrosius alicubi explicare volens, inuertit ac dixit: Aduersus nequitias spiritualium. Mentio fit de quamplurimis in scriptura spiritibus; malos hic intelligimus; è summo cœlo, de quo Dominus apud Esaiam c. 66.* Cœlum mihi thronus est, *præcipitatos; alios in aera, alios in terram. Appositissimi sunt isti ad errores & fraudes, è quibus hæreticorum ingenia procedere, docerique, Tertullianus adserit hic, & in c. sequ.* Alios autem spiritus, tudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit Deus cruciandos. 2. Pet. 2. *Infori sunt isti, & subterranei spiritus.*

231. Vis hodie ex Virgilio fabulam, &c.] *Quintinius.* Vides. *sed reliqui omnes rectius illud. Siue vero legas:* in totum, *an simpliciter:* totum aliam, *iuxta primam editionem, perinde est. Istud tamen probatur cum Rhenano, qui figuram esse Græcam adnotauit, quia stylus est Tertullianicus. Qui subiungit: Circumfertur, inquit, Probæ Falconiæ titulo opusculum huius generis ex Virgilio concinnatum (etiam excusum Basileæ an. 1576. & alterum ex Homero incerti Auctoris Græce. Quod quidam etiam Probæ vindicare conantur. Refert etiam B. Isidorus Hispalensis, Pomponium quemdam nobilem Poetam consimili studio multa ex Virgilianis verbis adunasse, vti adnotat Sixtus Senensis in Euang. Bibl. sanctæ lib. 4. Verum de omnibus his B. Hieronym Prologo ad Paulinum in Biblia: Quasi, inquit, non legerimus* Homerocentonas *&* Virgiliocentonas, *ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit:*

Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Et patrem loquentem ad filium:

Natæ, meæ vires, mea magna potentia solus.

Et post verba Saluatoris in cruce:

Talia præstabat memorans, fixusque manebat.

Puerilia sunt hæc (vnde & fabulam Auctor vocat) & Circulatorum ludo similia. Atque adeo recte etiam damnatur scriptum illud Falconiæ tamquam Apocryphum (vti ante me adnotauit Quintinus) cap. Sancta Romana Eccl. dist. 15. quod Decretum est S. Gelasii Papæ. 1. Adnotat idem tolerabiliorem esse Ausonium, qui Theodosii sui nuptias (diu tamen post Tertullianum, contra quam ipse sentit) hoc otioso compilationis genere celebrauit, etiam sponsi cum sponsa congressum, Virgilij metris exhibens.

D

232. Denique Ouidius Geta Medeam Tragœdiam, &c.] *Prima editione legebat Rhenanus* Ouidius; *cui consentit Politianus, hunc locum citans, antequam excusus esset, Miscell. l. 1. c. 59. dicens eam laudari à Tacito & Quintiliano: quin etiam Gesnerus in Bibliothe. & Lycosthenes ac Smilerus in Epitome eiusdem,* Ouidio Medeam Tragœdiam *adscribunt; item Libellum de laudibus Cæsaris, lingua Getica conscriptum: vnde non mirum si* Geta *vocetur ab Auctore maxime quum è libris Tristium & de Ponto constet illum exulasse in humo* Getica, *vbi & facit littoris Getici mentionem. Quo etiam accedit magis ms. Vatic. cod. lectio:* Offidius. *Solum hoc videtur obstare, quod etiam adnotat Politianus, mirum videri quod* Ouidius Virgilio *coætaneus, ex eo* Medeam Tragœdiam *expressisset. Sed quidni id faceret, qui argumentum librorum Æneidos 10. versibus expresserit, quantique illum fecerit, hac præfatiuncula indicat:*

Quantum Virgilius magno concessit Homero,
Tantum ego Virgilio Naso Poeta meo.

Locus Taciti est Dialogo de Claris Oratoribus: Nec vllus (inquit) Asinij aut Messalæ liber tam illustris est, quam Medea Ouidij, *aut Varij Thyestes. Quare non placet vulgata lectio:* Ofidius Geta, *quam primus substituit Sigismundus Gelenius, quantumuis etiam sic legant Quintinus & Macereus: atque adeo rursus reposui:* Ouidius. *Nam saltem* Ouidij Medeam *olim exstitisse ex Tacito, & Quintiliano manifestum est. An vero* Ouidij *Nasonis, an alterius* Ouidij Getæ, *liberum relinquo Lectori iudicium: hoc vnum censeo, si diuersus sit, etiam librum illum Getica lingua conscriptum, de quo supra, non Ouidio Nasoni adscribendum, sed Ouidio Getæ.*

E

F

233. Meus quidam propinquus ex eodem Poeta, &c.] *Oportet fuisse hunc etiam Auctorem aliquem insignem, quippe qui dicat* explicatam ab eo Cebetis Pinacem *(quod nos Latine Tabulam dicimus)* inter cetera stylistui otia: *Hoc est, vti recte interpretatur Macreus. [vbi à reliquis maioris momenti scriptis otiatus est. Atqui* Cebes *Thebanus secta Pythagoricus scripsit Dialogos tres, è quib. primus* Pinax *seu Tabula inscriptus, tam olim in Italia, Gallia, & Germania excusus, & in pictura etiam expressus, in quo depingitur iter ad virtutem & voluptatem, & domus vtriusque.*

234. Homerocentonas etiam vocare solent.] *Supra nu. 231. aliquid de his dicere cœpimus: Nunc hic addimus, ab aliis adscribi potius Eudoxiæ Iunioris Theodosii coniugi, quæ (Zonara teste) easdem prius à Patricio quodam inceptas absoluerit, & in ordinem redegerit. Qui liber excusus iam olim fuit Basileæ anno 1541. cum dictis* Virgiliocentonibus, *& postea ab Aldo, Græco dumtaxat titulo* Ομηροκέντρωνες. *Post deinde, inquit, dictiones & nomina dispersim posita colligentes transferunt, similia facientes ijs, qui controuersias sibimetipsis quaslibet proponunt, post deinde conantur &* Homericis versib. *meditari eas; ita vt Idiotæ putent ex illa temporali declamata controuersia Homerum versus eos fecisse, & multi abducuntur per compositam consequentiam versuum, ne forte hæc Homerus fecerit, &c. vbi etiam aliquot* Homerocentonas *recitat de cane infernali misso ab Eurystheo ad Herculem, quos compendij gratia omittimus.*

G

235. more centonario.] *Quando quid, inquit Quintinus, ex bene connexis, probeque sibi cohærentibus aliqua de re verbis (prosa, carmen ve sit, haud refert) in fragmenta quædam disiungitur, atque distrahitur, ex quibus alterius post argumenti coniungatur & connectatur oratio, diuersissima prorsus à primi scribentis intentione: Latini vocant hoc genus consarcinationis,* Centonas. *Vti puto, metaphoricõs, à genere quodam vestis detritæ iam veteris, atque discissæ, qua varius ac rudibus diuersorum pannorum assuturis postea resarcita est. Hæc nominatur* Centon. *Orthographiam Græcam non moror, vna littera ę productiorem. Nam* κέντρωνες *dicunt.*

H

236. & vtique fœcundior diuina litteratura.] *Obuius est omnibus, inquit idem Quintinus, similis locus in generali B. Hieronymi Bibliorum Præfatione ad Paulinum, cuius initium: Frater Ambrosius, in quo scribit ille: Taceo de mei similibus, qui si forte ad scripturas sanctas post seculares litteras venerint, & sermone composito aurem populi mulserint, quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongruæ aptant testimonia, quasi gandeat, & non vitiosissimum docendi genus, depraua re sententias, & ad voluntatem suam scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas & Virgiliocentonas, &c. vti supra nu. 231. Nos vero ferimus Rhetorculos nescio quos, & admiramur ac laudamus, vbi de Grammaticorum subsellijs duos pedes exilierint, ad exercendas quasdam suas phantasias nouas, impudenter & impie detorquentes sacratissima verba scripturæ. Gnosticum pridem legi, qui de cibis, de votis, de Sacramentis, & in summa quicquid antea fuit, & hodie est controuersum, de libris Aug. frustratim consarcinarat, vt non aliud in Augustino legens, ita diceres Augustinum sensisse; loca vero consulas, imposturam detestaberis. Vlterius adhuc (inquit idem) iam non Scholiastes excurram, narraboque vobis ab Epiphanio propositam, sed ab Ire-*

næo sunt

A

neo sumptam c.1.lib.1)sane quam maxime propriam ,quamque conuenientissimam rei tam nefariæ comparationem , dicit ille contra Valentinianos : Præpotentem quempiam Regem mandasse fingas , vt sua sibi de gemmis electissimis & pretiosissimis exprimeretur imago. Per filos autem gemmarios mox affabre connexis , & inuicem compactis lapillis , ad viuum sic expressa est ; vt omnes in ea regem venerarentur. Artificio postea nouo , neque difficili , circulator quispiam gemmas illas immutauit , inuertit , atque transpositas in canem seu vulpem deformauit , interim vociferans : Hæc Regis imago. Certe qui Regiam nouere formam , præterquam quod non adsentiuntur , Regis inde maiestatem lædi grauissime contestantur , & impostorem quærunt ad supplicium, sed interim simpliciores falluntur , ac splendore viso gemmarum , necnon formæ nouæ pretio tam raro , quo perstringantur oculi videntium ,facile pro Rege , quicquid adornatum sic est, honorare se debere credunt. Hæretici gemmas Euangelicas & Apostolicas in suas Pseudeuangelicas Institutiones , & Catecheseis apostaticas , arte simili transferunt. In quibus nostros quidem lapillos regios (qui frons,aut oculus erant,os , aut nasus) loco suo motos agnoscimus planissime , sed à sacrosancta Regis effigie per execrabiles istos inuersores , ac teterrimos inuersores ad illustrandam suæ vulpis , canisve caudam , iactatione plusquam circulatoria , detractos. I nunc , & ab antiquis Ecclesiæ CHRISTI *patribus tam religiose commonefactus , istos circumforaneos nebulones admirare, quæ sua sunt quærentes,atque prædicantes blaterones adtende, & per emendicata misere procedentes suffragia (sicut est in Scholarum Prouerbio) sectare. Salutis homo quisquis es deploratissimæ , qui talia facis,viuens, videns,atque volens,te perditum cupis. Dominus noster Iesus Christus à tam fragroso & horribili præcipitio conseruet suos ac retrahat. Amen.*

B

237. ipsas quoque scripturas sic esse,&c. dispositas, vt hæreticis materias subministrarent, &c.] *Posteri (inquit idem Quintinus) grata sane & pereleganti Metaphora, quæ huc respiciat,* scripturam *vocarunt cercam , eiusque cereum nasum dixere , quia possit ad libitum quocunque flecti. Tam facile est enim , immo facilius est , ad res profanas & impias probandas detorquere* sanctam scripturam,*quam facile est ex pedibus ac semipedibus , aut penthemimeribus Virgilianis,epithalamia seu quiduis aliud,in vnum congerere.*

CAP. XL.

238. Sed quæritur, à quo intellectus,&c.] *Caput hoc inscripsimus* : Quod sicuti res Sacramentorum diuinorum Diabolus æmulatur, ita & sacras scripturas hæresibus attemperat, atque adeo ab Idololatria hæreseis non differant. *Atqui inter non numerabiles (inquit Quintinus) spiritualium πονηρίας, id est, astutias, fallacias, versutias , denique nequitias , quibus homines à Deo seducere conantur , vna est omnium fallacissima & insidiosissima , dum quicquid Dominus Deus in hominum salutem constituit,inuidus hoc spiritus æmulatur , & suos instituit. Hic Tertullianus profert in exemplum tam veteris Testamenti ceremonias,quam noui Mysteria atque sacramenta , quorum modos & operationes diabolicus iste Sannio , diuinorum Simius operum , exercendis cultibus suis admiscere gestit.*

C

239. ipsas quoque res Sacramentorum diuinorum. &c.] *Quæ hic* Sacramenta diuina, *mox* Sacramenta Christi *nuncupat, vtpote de noui Testamenti* Sacramentis *agens , de quibus paulo post latius, vbi varias alias eius vocis acceptiones etiam apud ipsum Tertullianum indicauerimus. Alibi enim proprio significatu vtitur* (Sacramentum *enim Festo dicitur , quod iurisiurandi sacratione interpositageritur) pro iuramento quod Deo in baptismo præstamus ; nempe Tom. præcedent. libr. ad Martyr. cap. 3. num. 32. lib. de Spectac. cap. 24 num. 185. lib. de Cor. milit. itidem num. 3. & vltim. & supra hoc ipso libro , vti numero 126. adnotauimus ad illud* : eiusdem Sacramenti vna traditio *: & num.* 188. *ad illud* : ob diuersitatem Sacramenti, *infra quoque hoc Tomo lib. de Baptis. vbi de eo latius. Deinde pro signo quidem sacro, sed quod allegoricum sit, aut figura futurorum dumtaxat. Prioris generis est illud lib.1. aduers. Marc. infra :* Vtique manifestauit & Christianismi generositatem in filio Abrahæ ex libera nato allegoriæ habere sacramentum. *& lib. 3. adu. Marc.* Immo & in ipso nominis sacramento. *ac dicto lib. de Baptismo, cap.* 13. fidei sacramenta. *Posterioris illud libri eiusdem :* Hæc figurarum sacramenta si tibi displicent. *item quod supra est capite* 11. *lib. adu. Iud.* Adhuc huius signi Sacramentum in Regnorum legimus celebratum ; *& infra lib. 5. adu. Marc.* cuius rei figuram extranei sacramenti interpretatur. *Alibi quod propius huc accedit , more Scripturis veteris Testamenti vsitatissimo (vbi* Sacramentum *vertitur, quod Græce est: μυστήριον) pro Mysterio , idque non solum Christiano, sed etiam ethnico , & Iudaico , & hæretico. Sicuti enim infra lib. 1. aduers. Marc. dixit:* aridæ & ardentis naturæ *(solis nempe)* sacramenta Leones Mithræ: *sic lib. 4. adu. eundem :* Religionis Christianæ Sacramentum, *ac lib. de Anima* : videt & audit sacramenta; *denique supra Tom. 1. Apolog. cap.* 19. totius Iudaici sacramenti , ac inde etiam nostri. *Item Scorpiaco infra :* arcana illa hæreticorum sacramenta, *& lib. adu. Valent. cap.* 31. Qui tantum sacramentum etiam eludendo prodiderint. *ac , cap. vlt.* magno nomine Sacramento. *Et vero etiam vt omittamus veteris Legis* Sacramenta (*quæ B. Augustino teste in Psal. 73. significabant dumtaxat Saluatorem, non vero, vti nouæ Legis, dabant salutem) poterat eodem modo verti à nostro interprete illud Apostoli Pauli* 1 *Cor.* 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores. Sacramentorum

D

Dei; *pro eo quod voce Græca in Latinam Coloniam recepta legimus; Mysteriorum Dei; vtpote ex quo loco peti debeat prima* Sacramentorum *noui Testamenti mentio , quia inde docent veteres Interpretes* Sacramentorum *noui Testamenti dispensatores fuisse Apostolos , eorumque successores Episcopos & Presbyteros. Quo adludit hauddubie, simul etiam nominis Mysterij rationem indicans Basilius lib. de Spiritu sancto, cap 23 in hæc verba : Ad eundem profecto modum , & qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli & Patres , in occulto silentioque Mysteriis suam seruauerunt dignitatem. Neque enim omnino Mysterium est , quod ad populares aut vulgares aures effertur. hæc est ratio cur quædam citra scriptum tradita sint. Nam & traditione sola acceptas ab ijsdem Apostolis plerasque* Sacramentorum *formas nulli dubium est. Hinc factum est, vt quæ Græcis & quibusdam Latinis Patribus dicuntur Mysteria , BB. Ambrosio , Basilio , ac Chrysostomo non semel , aut mystica symbola eidem Basilio hom. 13. ad populum, siue exhort. ad Baptismum , aut diuina mysteria Origeni, hom. 5. in Numer. aut Mystagogiæ Cyrillo Hierosol. Orationibus quinque , à Latinis Patribus vocentur* Sacramenta, *quemadmodum Tertulliano tum hoc loco , tum iis qui de* Sacramentis *separatim infra citabuntur, & B. Cypriano, Hilario , Ambrosio , Augustino , Prospero locis paulo post citatis. Quare recte etiam Concil Nicen. can. 14. & apud Chrysost. variis locis interpretes* Sacramenta *transtulerunt , vbi Græce μυστήρια, aut simile quidpiam, sicuti & apud Dionys. Areopag. Hierarch. Eccl. 1. vbi* Sacramentorum *nouæ legis à Christo institutionem ab Apostolis promulgatam insinuat: Necessario (inquit) primi illi nostri Sacerdotalis Ordinis duces, quum ex summa super substantialique Deitate ipsi sancti muneris plenitudinem percepissent , & idipsum deinceps proferre & propagare à diuina bonitate missi essent, ipsique, vt qui transissent in Deum , posteros ad diuina prouehere paulatim cuperent ,* visibilibus signis cœlestia sacramenta texerunt. *Ex quibus proinde verbis constat non nuda esse mysteria seu signa , sed diuina , sed cœlestia , id est, cœlestem diuinamque gratiam conferentia. Vt proinde non noua , sed iam ab Apostolis ipsis accepta ea* Sacramenti *definitio , quæ dicitur , non semel ab Augustino* Sacramentum , visibile signum inuisibilis gratiæ. *Quamquam interim magis clare vim* Sacramentorum *significet , quod descripsit partim ex Augustin. libro 19. contra Faustum . partim ex B. Cypriano iam olim B. Isidorus Etymol. lib. 6. cap. 18. & post eum Hrabanus lib. 1. Instit. Cleric. cap. 24.* Ob id Sacramenta dici, quia sub tegumento rerum corporalium virtus diuina secretius operatur salutem, nempe à secretis virtutibus vel sacris. *Ita enim August.* Sacramenti vis inenarrabiliter valet plurimum. *Et B. Cyprian. serm. de Baptismo : Verborum (inquit) sollemnitas, & sacri inuocatio nominis , & signa institutionibus Apostolorum sacerdotum ministeriis adtributa, visibile celebrant* Sacramentum. *Rem vero ipsam Spiritussanctus format, & efficit , &* consecrationibus visibilibus inuisibiliter manum totius bonitatis auctor apponit, & plenitudinum gratiæ vnctionis diuinæ pinguedo sanctificationibus officialibus infundit, & rem sacramenti confirmat & perficit. *Porro quod habet August. Epist.* 118. *cap.* 1. *& alibi frequenter , Dominum nostrum Iesum Christum* Sacramentis numero paucissimis *obseruatione facillimis : significatione præstantissimis societatem noui populi colligasse , referendum ad* septem Sacramenta Ecclesiæ , *in quæ quum competat quicquid de* Sacramentorum *virtute diximus , oportet etiam vt vere sint* Sacramenta Christiana. *Horum sex numero hic enumerantur ab Auctore :* tinctio , *id est, Baptismus* ; expiatio delictorum , *quæ ad pœnitentiam spectat ,* signatio in frontibus, *quæ in Confirmatione fit* ; panis oblatio *Eucharistica* , summus Pontificatus *siue Sacerdotium , reliquos in se septem sacros ordines continens* , & nuptiæ *siue Matrimonium. Quibus hauddubie etiam* Extremam vnctionem infirmorum *adiecisset , si ethnicis æque atque præcedentia in vsu fuisset. Verum de singulis adnotabimus veterum Patrum locos , à quibus* Sacramenta *seu mysteria nuncupantur , de virtute eorundem suis quibusque locis dicturi , vbi de illa ab Auctore tractatur latius. Hoc vnum adiiciam ex Quintino : Quod Celsus Christianis Mithræ sacrificia obiecerit , tamquam qui inde omnes suos ritus sumpserint , iuxta Origenem libro 6 contra eundem Celsum. Qui respondet illos à Christianis potius desumpsisse. Quid si & ille ad septem Sacramenta Ecclesiæ adluserit , septenas obiiciens scalæ Mithriacæ portas.*

240. Tinguit & ipse quosdam , &c.] *Quod* tinctionis Baptismi Sacramentum diuinum Christianumque *æmulabatur diabolus , tam in Isidis , quam in* Mithræ mysteriis , *vide infra latius ab Auctore tractatum lib. de Baptismo, quo etiam tractatum differimus de locis Veterum, qui* Sacramentum *nuncupant , ad illud Auctoris:* Fœlix sacramentum aquæ nostræ. *Atqui illis verbis :* vtique credentes, *imitatur illud B. Iustini Martyris adu. Tryphonem ,* vbi initiari ei credentes perhibent, *loco supracitato supra de Cor. milit. nu.* 207. *qui ibidem etiam ad* tinctionem *adludit, quum eos imitatos scribit Prophetiam Isaiæ* 33 & aqua eius fidelis.

241. expiationem delictorum de lauacro repromittit , & sic adhuc initiat.] *Videtur hoc pertinere ad secundam initiationem Mithræ, eo quod addat :* & sic adhuc; *atque adeo intelligendum illud :* de lauacro. *more Tertullianico, pro: à lauacro, siue post lauacrum. Plura enim initiationis genera illic vsitata fuisse ex sequentibus patet. Maxime quum Iustinus Martyr contra Tryphonem , ex Isaia etiam hæc verba citet , quæ illi sunt imitati :* Anima vestra meditabitur timorem Domini, & populus vitiosus, *quare &* expiationem peccatorum repromittebant *Atqui de huius sacramenti*

partibus

A

partibus & efficacia late tractat Auctor supra To.2.li.de Pœn.vbi videat Lector totius libri Adnotationes nostras. Etsi vero disertis verbis raro Sacramentũ *vocetur à Patribus, Tertulliano non nisi hoc loco, certe eodem pertinent hæc Synonyma*: Salubre remedium, *à B.Cypr. lib. de Opere & eleemos.* salutaris medela *lib. eiusdem de Lapsis*; in qua nomen Dei æqueatque in Baptismate operatur, *B. Ambr li. 2.de Pœnit.* Ecclesiæ mysterium, *B.August.homil.27.inter 50.hom. qui addit lib.de Adult. coniug. cap.* 28. eandem esse reconliationis & baptismatis causam. *Similiter etiam coniungit B.Hier. epist. ad Heliod.* potestatem clauiũ cum ea quæ est conficiundi corporis Christi, & trium Charismatum, Baptismi, Chrismatis & ligandi atque soluendi, *B.Pacianus epist.* 1.*ad Sympronianum. Qui proinde etiam* animarum medicos sacerdotes *vocat, tum ibi, tum libro de Pœnit. & confess. cap.* 10.*imitatus in hoc Tertull. supra lib.de Pœnit. & Origenem hom.* 1. *&* 2. *in Psal.* 37. *Verum pluribus hic non est opus, quod & Confessionistæ & Caluinistæ Sacramentum agnoscunt Pœnitentiæ, hoc addito, quod etiam hic manus impositio sit signum visibile gratiæ inuisibilis quæ per absolutionem confertur.*

242. Mithræ, &c.] *D. Hieron.lib.*1. *Comment. in Amos (inquit Rhenanus) Prophetam ait*: Mithram, *sub eodem numero aliarum litterarum ethnicis esse, quem Basilides hæreticus portentoso nomine vocet Abraxan, qui sit omnipotens Deus secundum Græcas litteras, & annui cursus numerum in solis circulo contentum Idem lib.*1 *adu. Iouinianum, tradit* Mithram & Erichthonium *iuxta gentilium fabulas, vel in lapide vel in terra, de solo æstu libidinis esse generatos. An idem sit, nescio. Sed ceremonias, quibus aliquis initiaretur,* Mithræ, *satis prolixe describit Tertull. noster in fine libr. de Corona milit. Tom.* 2. Quum Mithræ miles *(inquit)* in spelæo in castris vere tenebrarum initiatur, coronam interposito gladio sibi oblatam quasi mimum martyrii, dehinc capiti suo accommodatam, monetur obuia manu capite depellere, & in humerum sibi forte transferre, dicens, Mithram esse coronam suam; atque exinde numquam coronatur. Id quod in signum habet ad probationem sui, sicubi tentatus fuerit de Sacramento, statimque creditur Mithræ miles, si deiecerit coronam, si eam in Deo suo esse dixerit *Hæc illic. Quæ verba paulo prolixius citauimus, quo facilius intelligas quod hic dicit*: & sub gladio redimit coronam. *Porro* Mithræ *leones adsignabant. Vnde in lib.* 1. *adu. Marc.* Sicut aridæ & ardentis *(inquit)* naturæ sacramenta Leones Mithræ philosophantur. *De quo plura ex eodem Rhenano supra Tom.2. lib. de Corona milit. cap. vlt. num.* 105. *cum adpendice nostra num.* 197. *&* 108. *Item libr. adu. Marc.* 1. *infra ad locum citatum num.* 239. *Quibus adde quod hic habet Quintinus: Histrionatu pari (inquit) nescio quis* Mithra *prophanauit Euangelicæ fidei nostræ sacra. Non aliter enim Christiani suo Christo nomen dabant, quam suo* Mithræ *milites initiabantur, hoc est, se dedicabant seu consecrabantur. Ibi tamquam* lauacri sancti baptismalis *addo &*: confirmationis siue consignationis in fronte) & Eucharistiæ, & confessionis atque remissionis peccatorum, *denique Martyrij mimos agebant, vt hic Tertullianus, & in fine lib. de Cor.militis adstruit. Angelus tenebrarum sic se transformare solet in angelum lucis; atque ita suis sannis homines & ipsum Deum deridet. In Synodo Gangrensi docebam continentias & abstinentias hæreticorum priscorum seueriores & austriores olim fuisse, quam vere Christianorum tunc erant. Alcoran (id est, præceptorum collectio per infœlicem Machumeten datorum) nihil quam ieiunia, orationes, eleemosynas, peregrinantum susceptiones, amorem Dei summum crepat, operum supplicia, præmiaque futura minitans. Et se modo Gnostici præ cæteris, innocentia morum, simplicitate vitæ, pura fide, multa in pauperes benignitate, (pauperes, inquam, sectæ suæ, sicuti suis iussit Machumetes) extollunt & iactant. Quid agas? Impostores & plani sic res vilissimas deaurant, sic floribus integunt olida sterquilinia, melleque prælinunt venenorum pocula. Christus à tam periculosis, & sine Christo non euitabilib. technis conseruet suos. Forte quis de* Mithra *scire cupiet, qualenam fuerit hoc dæmonis genus. Audi Suidam sic describentem*: Μίθραν νομίζουσιν οἱ Πέρσαι εἶναι τὸν ἥλιον, καὶ τούτῳ θύουσι πολλὰς θυσίας. οὐκ ἂν οὖν εἰς αὐτὸν δυνήσαιτό τις τελεσθῆναι, εἰ μὴ διά τινων βαθμῶν παρελθὼν τῶν κολάσεων, δείξει ἑαυτὸν ὅσιον καὶ ἀπαθῆ. *Id est*: Mithram *Persæ nominant solem cui multas sacrificant hostias. Huic autem nemo potest initari, nisi per quosdam gradus adfectionum, & adpetitionum suarum cohibitarum atque domitarum eo peruenerit, seque sanctum demonstrarit, & animi perturbationibus carentem. Non dissimilis Apathia quæritur in sacerdote Christiano. Sed hæc* Mithriaca *ludibria non se continuerunt in Perside sola. Poetæ Latini meminere* Mithræ *non semel. Post tempora Constantini Magni colebatur adhuc in Alexandria, cuius templum dicebatur* Mithrion *Ex Socrate cap. 2. lib. 3. & cap.16.lib.5.*

B

C

D

243. Signat illic in frontibus milites suos.] *Hoc ad imitationem pertinet* Sacramenti *consignationis siue* confirmationis, *de cuius variis nominibus, ritu, & efficacia infra latius libr. de Baptis. cap. 8. ac lib. de Resurrect. carnis, hic tantum de* Sacramenti, *seu* mysterii, *seu spiritalis signaculi, siue mystagogiæ, seu sigilli Dominici (quæ in idem recidunt) appellatione, quæ tam apud Patres frequens est, vt vix sit reperire tot locos de Baptismo aut Eucharistia, de quibus tamen nemo dubitat. Talis est imprimis locus ipsius Tertulliani infra lib.adu.Praxean, vbi dicit*: Christum dictum ab vnctione Sacramento; *& alius similis, dicto cap. 8. de Baptis. Similia apud BB. Dionys. Areopag. Eccles. hierarch. cap. 4. Pacianum lib de Baptis. August. lib. 1. contra Donat. cap. 19. ac 20. & super Psal* 141 *Ambrs. ca. 7. lib. De his qui initiantur mysteriis, ac lib. 3. de Sacram. cap. 2. item Cyrillum Hierosol. Cat. mystag. 3. B. Cornelium denique Papam, epist. ad Fabium Antioch. apud Euseb. lib. 6. cap. 36. & apertissimis verbis B. Cyprianum epist. 72. ad Stephanum Papam, vbi plures eiusmodi locos videre est Adnotat. nostr. num. 4. Est vero hic visibile signum, consignatio in fronte, inuisibilis gratiæ spiritussancti septiformis, qua confirmantur in fide per baptismum accepta fideles.*

E

244. Celebrat & panis oblationem.] *Habet idipsum Iustinus Martyr Apologia ad Anton. Pium. Quod quidem etiam in* Mysteriis atque initiis Mithræ *fieri docuerunt per imitationem praui dæmones: Quod namque* panis *& poculum aquæ in sacrificiis eius qui initiatur, ponatur verbis quibusdam additis* μετ' ἐπιλόγων τινῶν, *aut certe scitis aut cognoscere potestis. Hoc vero illi etiam ex Isaiæ verbis sumpserunt citatis ab eodem Iustino adu. Tryphonem*: Panis *dabitur ei & aqua fidelis. Atqui de* oblatione panis, *eiusque non communis, sed (teste priori loco Iustino) vere incarnati illius Iesu carnis & sanguinis, siue* sacrificio Christiano, *supra latissime Tom. 2. lib. de Ora. nu.1. & lib. de cultu fœmin. cap.11 nu.65. Atqui nemo vmquam dubitauit de Eucharistiæ sacramento, vti etiam adnotaui cap.3. lib. de Cor.milit. To.præced. sed infra latius Tom.5. adu. Marcionem.*

245. & imaginem resurrectionis inducit.] *Qua cæremonia vsi sint in* Mysteriis Mithræ ad imaginem resurrectionis, *non ita atque de reliquis constat. Habent interim etiam istud ex verbis Isaiæ* 33. *à B.Iustino citatis*: Regem cum gloria videbitis, *cum hoc in* resurrectione *futurum Christus, Matth. 24. significet.*

F

246. & sub gladio redimit coronam.] *Ad intellectum huius facit quod habet supra dicto l. de Cor. milit. quod etiam hoc eodem cap. adnotauit Rhenanus num.242. vbi facit mentionem* Mithræ, *quã vna cum illo ego miror à nemine fuisse alio commemoratã.*

246. Quid? quod & Summum Pontificem.] *Hoc (vti recte adnotauit Quintinus) non ad* Mithræ mysteria *pertinet, sed ad leges Flaminis Dialis, vti ille, an vero ad eas quæ Pontifici Maximo præscribebantur, respiciat Lector infra latius Tom.5. lib. de Exhort ad cast. Hic sufficiat adnotasse, quod etiam in hoc* æmulatus sit diabolus diuina Sacramenta, *Ordinis dico Sacramentum, cuius summus gradus est* Pontificatus, *seu Episcopatus, cui præscribitur ab Apostolo Paulo Monogamia, his verbis*: Oportet Episcopum vnius vxoris esse virum. 1. *Tim.* 3. *quippe quum in Episcopo etiam iuxta Ambros. in 1. Cor. 1. sit omnium Ordinationum dignitas: & Dionysio Areop. teste Eccles. Hierarch 5. Ordinibus sacris initiandi solum facultatem habeat per manus impositionem. De qua idem Apostolus 1. Tim.4.* Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, & manus impositionem presbyterii. *ac 2. Tim. 1.* Resuscita gratiam quæ in te est per impositionem manuum mearum. *Quod non de solis Episcopis, sed etiam omnibus sacerdotibus (vt alibi diximus) interpretatur Gregor. Nyss. Orat. in sanctum Baptisma, sacerdotem describens, qui inuisibili quadam gratia inuisibilem animam in melius transformatam gerit. Quum itaque hæc manus impositio, sacrum sit signum inuisibilis gratiæ, quæ per eam confertur, quis dubitet sacramentum esse? Et vere nominatim sic appellatur à BB. Leone Papa Epist. 81. ad Dioscorum Alexan. & Augustino lib. de Bono coniug. cap. 24. ac lib. 1. contra Donat. ca. 1. & apertissime lib. 2. contra Epist. Parmen. Si enim (inquit de Baptismo & Ordinib. sacris) vtrumq;* Sacramentũ *est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur & istud amittiur. Neutri* Sacramẽto *faciẽda iniuria est. Similia reperire est inter Opera B.Cypriani, sermone de Ablut. pedũ: Docetur (inquit) quæ sit Baptismi & ceterorũ Sacramentorum stabilitas. Nam Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ, nemo sacros Ordines semel datos iterum renouat. Et eodem pertinent (etiam Luthero agnoscente) quæ de* Mysteriis *consecrationis Pontificis & sacerdotis habet Areopagita cap. 5. & 6. supra citato, vbi* Mysteriorum *seu* Sacramentorum *frequens fit mentio.*

G

248. in vnis nuptiis statuit.] *Sic ex ms. Anglico codice, pro*: vnius, *eo quod prius illud reperiatur etiam l. de Monogam. infra To. 5. Atqui etiam* in nuptiis diuina Sacramenta æmulatus est diabolus, *quas iisdem pene celebrarunt ethnici ceremoniis quibus Ecclesia sicuti notius est quam vt probatione indigeat. Atque adeo etiam* Matrimonii Sacramentum *à Tertulliano hic agnitum colligitur, maxime quum ante me adnotarit Franciscus Turrianus, id sexies ab eo* Sacramentum *nuncupari, idque conformiter Apostolo Ephes. 5. Quemadmodum patet ex eius lib. de Monogamia: Vnam (inquit de Christo) habens Ecclesiam sponsam, secundum Adam & Euæ figuram, quam Apostolus in illud magnum* Sacramentum *interpretatur in Christum & Ecclesiam competisse. Quo pertinet illud eiusdem eodem libro: Ab Episcopo Monogamo, à Presbyteris & Diaconis eiusdem* Sacramenti. *Item illud lib. adu. Valentin.* Nam & celebrandorum coniugiorum gratia dicitur apud eos meditandum atque celebrandum semper Sacramentum. *In cuius confirmationem à Valentinianis adlegari dicta Apostoli verba adnotauit B. Irenæus l.1. adu. hæres. cap. 1. Quam scripturam etiam tractans Auctor l.5. adu. Marc. quinquies Matrimonium* Sacramentum *adpellat. Neque vero solus ipse, sed & Ambros. ac Chrysostomus ita locum hunc interpretantur in Commentariis, Sixtus l. 3. de Castit. Method. Martyr. Sympos. x. Virgin. Gregor. Nazianz. alicubi, August de Bon. coniug. cap. 77. De nupt. & conc. cap. 10. Hieron. Epitaphio Fabiolæ, ac ad Quæst. Amandi, & Origenes hom. 9. in Matth. Quid? quod etiam peculiariter* Sacramentum *appellent Matrimonium Leo Papa Epist. 92. ad Rusticum Narbonensem, Isidor lib. 2. de diuin. offic. cap. 19. & August. præterea dicti li. ca. 10. 18. ac 24. l. de Gen.*

H

ad litt.

ad litt. 9. cap. 7. de Adult. coniug. lib. 2. cap. 5. De fide & operibus. cap. 7. de Nupt. & concupisc. c. 21. Quomodo autem sit sacrum signum inuisibilis gratiæ, ipse Tertullianus supra lib. 2. ad vxorem ca. vlt. non obscure his verbis significauit: Vnde (inquit) sufficiam ad enarrandam fœlicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum angeli renuntiant, & pater (cœlestis hauddubie) rato habet. Quale iugum fidelium duorum vnius spei, vnius voti, vnius disciplinæ? His Deus pacem suam mittit. Vbi duo, ibi & ipse; vbi & ipse, ibi malus non est. *Vides enim* iugum siue coniunctionem fidelium signum esse visibile inuisibilis gratiæ, pacis nempe, & à mali seu diaboli tentatione immunitatis cuiusdam. Ceterum ad Sacramentum vnctionis extremæ non dubito etiam adlusurum fuisse Auctorem, si & illud æmulatus fuisset diabolus, de quo veterum etiam sufficientia testimonia in proximum caput differimus ad illud: curationes repromittere, & non reticendus Petrus Damianus, qui serm. 1. de Dedic. Eccles. nominatim simul septem Ecclesiæ sacramenta recensuit, qua alij separatim.

249. Habet & virgines, habet & continentes.] *Christianos quoque (inquit Quintinus) suarum* virginum & continentum exempla duxisse calumniabantur à Gentilium virginib. & aliis quamplurimis in admiranda castitate propter suos Deos, & popularem famam, viuentibus, quum potius è contrario illi à Christianis sumpserint. De quibus Hieronymum legas in primo contra Iouinianum libro. & in ea ad Gerontiam Epistola. Ista quidem pro diaboli æmulatione Gentiles obseruabant. Vnde nos addiscamus (vt alibi Tertullianus admonet) quantum Deo sanctitas placeat, quum illam etiam inimici adfectat; non vtique vt alicuius boni sit affinis ille, sed vt Domini Dei placita cum contumelia adfectans. In eo de Monog. libro. Præterea (quod Hieron. ait) hoc & Gentilitas obseruat, in condemnationem nostri, si hoc non exhibeat veritas Christo, quod mendacium tribuit Diabolo, qui & castitatem reperit perditricem, ad Geront. Atqui exempla Virginum & continentium habes supra sub finem lib. 1. ad Vxorem, Tom. 2. & infra Tom. 5. libris de Exhort. ad castit. & de Monogam. vtrobique cap. vlt. vbi de singulis exemplis latius.

250. si Numæ Pompilij superstitiones, &c.] *Pulcra est hic adnotatio Audeberti Macerei, quam adeo ex Gallico idiomate transferendam duximus. Quidam (inquit) libro quodam non ita nuper excuso, cuius titulus: Breuis commentarius de signis sacris, sacrificiis, & sacramentis à Deo institutis à creatione mundi, nobis obijcit, nostras ceremonias maiori ex parte desumptas à* Numa Pompilio, *& proinde reiiciendas & subsannandas. Fefellit eum (inquit idem) quod non considerarit æstutiam sui patris & magistri. Diabolus enim eas mutauit ex veteri Testamento, &* Numæ *tradidit, vt per eas ab illo & suis honoraretur & adoraretur. Quod ad nos adtinet, quibus ad manum est vetus illud Testamentum (etiamsi omittamus Traditionem Patrum) magis credibile est, desumpsisse nos inde, quam è libris* Pompilij. *Interim etiam illud considerandum, quod talium & similium ceremoniarum obseruatio Deo grata sit; quandoquidem eas tam studiose affectet & æmuletur Diabolus. eodem pertinet quod Apologetici c. 19. habet Auctor, de Moyse loquens:* Omnes, *inquit*, materias, origines, ordines, venas, veterani cuiusque styli vestri, historiarum caussas & memoriarum. Ipsos Deos vestros, ipsa templa, & oracula, & sacra vnius Prophetæ scrinium sæculis vincit, in quo thesaurus collocatur totius Iudaici Sacramenti, & inde etiam nostri. *Atque hinc est quod etiam hic addat Auctor.*

251. nonne manifeste diabolus morositatem illam Iudaicæ legis imitatus est?] *Vbi recte interpretatur Rhenanus* morositatem *illam accuratam præscriptionem Instrumenti veteris etiam vsque ad minutias; & addit Quintinus: Per quot & quantas, quamque diligenter & operose Dominus Deus à Iudæis hostias sibi offerri præceperit, in Leuitarum li. tradituum videmus. Onera ista sacrificiorum, & negotiosas oblationum scrupulositates, ac pene totam* Iudaicæ legis morositatem (*vt hic Tertullianus adpellat*) *Ægeria, callidissimus in spiritualibus Dæmon, suum quendam* Numam *Romæ postea docuit, ac instituit.*

252. & sanctorum Christianorum.] *Item sic legimus ex ms. 3. Vaticanis cum Rhenano in 1. aditione, & Adnotationibus,* sanctorum, *pro eo quod Gelenius substituit:* sacramentorum. *Si coniectura locus esset, malim legere:* scripturarum Christianarum. *quia hauddubie à simili sic argumentatur Auctor.* Qui ipsas res, de quib. sacramenta Christi administantur, tam æmulanter affectauit exprimere, vtique & idem instrumenta scripturarum Christianarum poterit profanæ fidei attemperare, *per hæreticos nempe*, sensum de sensibus, verba de verbis, imitando. *Maxime quum similiter omnino locutus sit supra c. 19. & alioqui ad propositum non ita apte conueniret hic locus.*

253. æmulæ fidei.] *Solet dicere (inquit Rhenanus)* æmulus Deo, *in Datiuo, Sic etiam per Aduerbium,* æmule Deo. *nam* fidei *hic in dandi casu dictum est. Similiter etiam in Gallicum transtulit Macereus.*

254. neque ab idololatria distare hæreseis.] *D. Hieronymus, inquit Quintinus, Ezech. ca. 8. Per* idola *in parietibus templi depicta intelligit ea peccata, quibus homines conscientiæ subiacent, quando varias in corde nostro pingimus imagines vitiorum; quib. tamquam diis nostris inseruimus, & obtemperamus. Apostolus hoc modo dixit, quod auaritia est idolorum seruitus, ad Gal. 5. & auarus idolorum seruus, Ephes. 5. Sic* hæresis *est idolum, nam carnis operibus & peccatis adnumeratur, & hæreticus est idololatra. Sed hic Tertullianus in vero sensu capit idolum, & idololatram; vt sit idolum, falsi cuiusdam Dei simulacrum; & idololatra est eiusmodi commentitij Dei cultor & adorator. Hoc ipse declarat, inquiens:* Valentinus & Marcion Deum quidem creatorem colebant, sed ipsum quoque creatum, & ex coexistente materia creantem *Veri ergo idololatræ, quum nullus sit eiusmodi creator Deus. Et breuiter omnes fere, quotquot sunt ac fuerunt hæreseis, vnum quidem Deum dicunt, sed per malam sententiam immutant eum, sicut ait Irenæus c. 19. l. 1. Absimile non est, quod subiungam. Impietas Turcica summo cultu veneratur & adorat vnum Deum solum, qui creauit omnia, qui summe pius, bonus, & misericos est, omnium cognitor & iudex, &c. In sanis suis effectum nihil sustinet; impiissimi tamen sunt idololatræ. Deum namque suum negant esse Patrem, qui Filium sibi coæternum genuerit, vnde coæternus & consubstantialis procedat Spiritus. Atqui scriptura talem Deum Turcicum non docuerunt, neque est aliquis; à Machumete, post hæreticos alios multos, introductus est. Igitur qui fictitium talem colunt, idololatræ sunt. Aliud ego referam, quod omnium modo patet oculis, & inculcatur auribus, vt intelligamus, omnes hæreticos, vt olim, sic & quo nostro, verissime dici & haberi idololatras. Vbique Gnostici clamosissime buccinant vnigenitum Dei filium Dominum Deum nostrum Iesum Christum, hominem propter nos factum hominum Deique mediatorem solum, non pro nostru tantum, sed pro totius mundi peccatis, vnicum pro tribunali Patris aduocatum, cuius vnius liuore sanati sumus, sanguine loti, morte redempti, similia que de Christo sane Christianis omnibus adoranda prædicant. Sed si quid vlterius dixeris (quod ipsemet, quod Apostoli sui præterea docuerunt) illum videlicet, exomologesin peccatorum nostrorum in Ecclesia sua quærere, dignos pœnitentia fructus à nobis exigere, velle nos pro commissis animas nostras affligere, mœrere, ieiunare, cibis abstinere, carnis voluptatibus omnibus temperare, nostra Deo vota reddere, nec infringere debere; certe quidem libertatis sua carnalis mancipia non norunt istum Christum, qui sic in seruitutem suam redigi corpus nostrum mandet. Nec eum similiter nouere Christum, qui dextra patris assidens in cœlo, præsens pariter in terra sit in altaris mysterio: Nos corpore suo, sic ineffabiliter & incomprehensibiliter suis distributo, vere pascens, & sanguine potans, Illi vero suum Christum cœlo sic alligant, vt absens inde non possit, aut certe non velit, adesse corporaliter hic nobiscum vsque ad consummationem sæculi: Suos dumtaxat in terra visitans in signis atque figuris, prout singulorum sunt imaginationes & fantasia, recipere, vel excludere, vti, vel non vti volentium. Perierat Euangelium, si non isti summi Spiritualium nequitiæ Theologi in eius auxilium nescio quas Ideas Platonicas ab Orco nunc euocassent. In Præfatione Synodi Gangrensis ostendebamus, istorum Christum, non esse Christum Basilij, Nazianzeni, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, sanctorumque nostrorum maiorum. Ergo merum est idolum. Igitur, quum nouitium quendam commenti sint ex vetere, sibique finxerint Christum (sicuti suum sibi Turca Deum) quem summo cultu prosequantur, idololatræ, plane sunt. Quisquis enim talem cogitat Deum; qualis non est Deus, alienum Deum vtique, & falsum in corde suo portat, & est idololatra. Hæc D. August. ca. 29. l. 6. quæst. super Iosue. D. Hieronymus, quoties Prophetæ detestantur idololatras, in hæreticos etiam dictum monet accipiendum. Quum autem iussu diuino debeat occidi idololatra, Exod. 22. ergo & hæreticus. Si non impie, certe nimis inconsulte dolebat, qui nuper dolebat hanc ob idololatriam tam multos obstinatos, etsi iure, quondam necatos fuisse, quos in vitam sua ipsius vita lubens reuocaret, vt aiebat; & hoc amplius terreri gladio nolebat. Atqui Moyses talium sanguine putauit Leuitarum suorum manus consecrandas fore, Exod. 32. quod & Phinea ad iustitiam reputatum est vsque in sempiternum. Num. 25. Psal. 105. Propterea, princeps, vt bene tibi sit, auferas Prophetas istos, qui Deum prædicant alienum, de medio tui. Nec malum diutius viuere permittas. Hoc tibi Dominus tuus imperat. Deuteron. cap. 13. Hoc si feceritis, ô Reges Iuda, tenebitis pristinam potestatem, can. Reg. 23, quæst. 5. Hactenus ille. Atqui haud absimiles sunt loci apud B. Irenæum l. 1. c. 19. Origenem hom. 12. super illud Hierem. c. 16. Si faciet homo sibi Deos. Hieronymus diserte verbis in Dan. c. 3. ac Osee c. 2. 8. ac 11. Denique Athanasius & Lucifer Caralitanus frequentissime Arrij hæresin Idololatriam vocant. Ex ms. autem partim Vatic. partim Anglico legimus in hulus c. calce:* Itaque omne mendacium quod de Deo (pro: de eo) dicunt, quodammodo, *id antea desiderabatur.* genus est Idololatriæ.

CAP. XLI.

255. Non omittam ipsius etiam conuersationis hæreticæ, &c.] *Titulum huic capiti damus:* Quod nulla vmquam fuerit vitæ, sexus, ordinis apud hæreticos distinctio.

256. quis Catechumenus, quis fidelis, &c.] *Apud antiquos, inquit Quintinus: populus diuersis quatuor distinguebatur gradibus. Erant enim, σωιζομενοι, κατηχουμενοι, πιστευοντες, & μετανοουντες:* Competentes, Catechumeni, (*Ecclesia Latina retinuit Græcum*) Fideles *seu credentes*, & Pœnitentes. *Altari vero ministrantium fuerunt ab ipsis etiam Christi discipulis ordines distincti.* Catechumenus *dicebatur is, qui post diuturnam baptismi petitionem, demum baptizandus, prius catechizabatur, id est, instituebatur, erudiebatur, edocebatur, in articulis fidei nostræ, prius quam baptizaretur, & in Ecclesiam introduceretur. Cui* fidelis *opponitur, qui iam plene doctus & instructus erat in fide, iamque receptus & admissus erat ad nostra mysteria percipienda.* Catechumenus, & Catechizo, *sunt*

A

apud Apostolum hoc in sensu ad Gal. cap. 6. Eosdem Audientes *siue* Auditores *nuncupari ab Auctore supra adnotauimus Tom. 2. lib. de Pœnit. cap. 6. num. 39. & latius in Cyprian. Epist. 13. num. 4. & 24. num. 7.*

257. pacem quoque passim cum omnibus miscent.] *In scriptoribus, inquit Quintinus, Ecclesiasticis frequentissimus est iste vocabuli* Pacis *vsus, apud Cyprianum sæpe:* Dare pacem, *hic:* miscere pacem; *hoc est, in ius communionis recipere; in consortium Ecclesiæ admittere; à commissis facinoribus absoluere, quod absque satisfactione non debere fieri, nec ante conscientiam purgatam sacrificio & manu sacerdotis, liquet ex eodem Cypriano sæpius hoc adserente:* Pax *(ait, id est, absolutio) alioqui irrita & falsa est, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem. Vide sermonem de Lapsis. Hæretici non morantur istas pœnitentias atque satisfactiones in Ecclesia nostra, sed* pacem, *id est, communitationem miscent indiscriminatim, cum quibuslibet ad eos accedentibus, & huius comodi familiaritatem, siue doctrinæ communionem, vocant illi vitæ simplicitatem, quæ nihil occultet, ac sit sine supercilio. Eodem pertinent quæ supra adnotauimus ca. 20. ad illud:* Communicatio pacis, *n. 123. & 32. ad illud:* nec recipiuntur in pacem & communionem.

258. Omnes tument.] *Non semel, inquit idem Quintinus, in Synodo Gangrensi demonstrauimus, Hæreseôn cunctarum matrem & procreatricem singularum esse superbiam. Hieron. in cap. Osee. 5. sic habet: Hæretici matrem habent iniquitatis suæ superbiam, dum semper se scire altiora tactitant, & in Ecclesia contumeliam debachantur. Itaque Tertullianus ait:* Omnes tument, *omnes scientiam pollicentur. Auctor est Epiphanius contra Valentinianos scribens: Omnes hæreticos sese cognominasse* Gnosticos, *id est, peritos, scientes, & rerum disciplinarumque multarum cognitores. Ista nomine tenus ac fama tantum: nam reuera nihil est imperitius. Cupido scientiæ perdidit ab annis quadraginta, pro dolor, & indies perdit innumeram Gallicæ iuuentutis multitudinem. Quid enim scire sibi non videntur, dum sectam sibi, vel hanc, vel illam nouam delegerint, & in eam se perditum coniecerint? Atqui de* Gnosticorum *appellatione latius infra ad titulum Scorpiaci aduersus* Gnosticos.

B

259. Ante sunt perfecti Catechumeni quam edocti.] *Sic legimus cum ms. Vatic. cod. pro eo quod erat:* educati: *nam non aliud* Catechumeni, *quam* edocti, *vtpote illi qui* catechizantur, *id est,* docentur. *Istud autem (inquit Quintinus) pij quotidie non siccis oculis videre coguntur. Heri Lutetiæ cerdo vilissimus, triduo post inter Gnosticos Euangelicæ vitæ prædicans, est admirandus. Nullius tertius ganeo proiectissimus, & luparum sectator & assecla nequissimus, aut multis transactis lunis, etiam Commentaria scribit in Euangelia. Vides* Catechumenorum *Tertulliani perfectionem.*

C

260. Ipsæ mulieres hæreticæ, &c.] *Christiane Lector (inquit idem) si quid vmquam certo credidisti, certo certius hoc vnum credito, quæcunque modo sit, aut olim fuerit hæresis (ab ea prima Simonis incantatoris, ad hæc vsque tempora nostra, in qua fines sæculorum deuenerunt) in ea fuit, & est: Dux fœmina facti. Nulla est, inquam, (iam superius adfirmabam) quæ suas Helenas & Philumenas non habeat, & Heu! Helenæ istæ (non possum me continere quin dicam, taciturus grauiora) miseram modo Galliam nostram complere satagunt, immo complerunt istis nescio quibus barbatulis Gnosticis, in gynæceo quidem prædicantibus suis (vt appellant) ad populum vero Secretariorum nomine tectis. Et eo iam nonnullæ deuenerunt abominationis, vt eos palam circumducant, quos amatoribus, & adfectatoribus suis facillime, lasciuis autem mollibusque maritis non magna cum difficultate seductrices insinuant, esumque pomi deceptis, & incautis persuadent. Apostolus dixit istiusmodi Gnosticorum sororculas, onustas illas peccatis, non otiosas esse tantum modo: sunt insuper & curiosæ, loquaces, & garrulæ videlicet, loquentes quæ non oportet, quas Tertullianus proprie nominat hic:* Procaces, *id est, petulantes, inuerecundas, impudentes, & quæ* publice docere non erubescant: *quum Paulus tamen scripserit hoc esse turpe* mulieri, *& in Ecclesia loqui* mulierem *noluerit, sed à viro domi discere. Nunc inter Gnosticos illæ de sacris & fide palam concionantur, immo contendunt, vt ait hic Tertullianus. Ab anno Domini 1521. quo passim Biblia sacra profanari cœpere vernaculis populorum linguis, adeo quoque* mulieres, *incœperunt, pro fusis & colo Theologari, vt inuentæ sint, quæ de scriptis Pauli themata collegerint, de quibus essent illæ paratæ publice quibusuis disceptantibus, & in quibuscunque scholis, respondere, Nostri temporis historia contentiosas istas, & disputatrices fœminas nominatim produnt, & publice cum talibus Doctricibus, ab eisdem conscripti libelli prostant. Vnde satis intelligimus, quid hic Tertullianus dicat: hæreticorum* mulieres *de sacris* contendere, *id est, disputare.*

D

261. Exorcismos agere, &c.] *Montanistas, inquit idem, siue Pepuzianos arguit, apud quos etiam* mulieres *fungebantur sacerdotio, quod Epiphanius, Augustinus, & alij testantur. Atqui, sicut Epiphanius ait, ab æterno nulla* mulier *vmquam sacrificauit Deo: Ne Eua quidem, nec eius filiæ. Denique nec super beata virgo Maria Dei mater. Atqui de* Exorcismis *latius infra initio libri de baptismo.*

262. curationes repromittere.] *Quum nemo in* muliere *merito reprehendere possit* curationes *infirmorum simplices, videtur alludere ad gratias* curationum, *de quibus 1. Corinth. 12. quas sibi* mulieres hæreticæ *arrogabant, atque adeo sicuti* tinguere *(de quo mox)* audebant, *id est, Baptismi sacramentum administrare, fortassis etiam* Sacramentum extremæ vnctionis *prætextu curationis conferre. Vt vt fuerit, quum alibi de eo tractandi non melior in Tertulliano detur occasio, quam vbi de* gratiis curationum *agitur, etiam illud Ecclesiæ esse Sacramentum hic comprobabimus, maxime quum* curationes repromittat. *Nam de eo Apostolus Iacobus sic loquitur Epistol. suæ capit. 5.* Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vnguentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. *Quibus verbis quum profiteatur signum visibile, olei nempe vnctionem, inuisibilis gratiæ, vtpote remissionis peccatorum, quidni Sacramentum dicatur? Quare Innocentius Papa 1. epist. 1. ad Decentium Eugubinum, de extrema vnctione loquens, quam quidam pœnitentibus conferebant: Quibus (inquit) reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi? Quæ ipsa verba transcripta sunt à Patribus Concilii Vvormatiensis cap. 72. vbi disertis verbis de Sacramento extremæ vnctionis locum illum B. Iacobi Apostolo interpretantur, quemadmodum etiam Beda in Clement. super Mar. capit. 6. P. Damianus sermone 1. de Dedicat. Eccles. Nec absimiliter, nisi quod Sacramentum non appellent Concil. Meld. cap. 1. teste Burchardo lib. 4. Decret. cap 75. ac priore parte 1. cap. 263. Theophyl. in capit. 6 Marc. & B. August. serm. 215. de tempore, & libris qui eidem adscribuntur de Rectit. cathol. conuers ac de Visit. infirmorum lib. 2. cap. 4. Quo alludere videtur Cyrillus Alexandrin. libr. 2. in Leuitic. dum septimam remissionem peccatorum vocat, quæ fit iuxta præceptum D. Iacobi Apostoli.*

E

263. forsitan & tinguere.] *B. Epiphanius contra Collyridianos: Sed neque* mulieri baptisma *dare concreditum est; alioqui potuisset Christus à matre baptizari potius quam à Ioanne. Propterea (vt adnotat Quintinus) Tertullianus hic, quasi prodigiosum quid & difficile creditu posuit in fine versus istius:* hæreticorum mulieres audent forsitan & tinguere, *id est, baptizare. Certe Gnosticorum mulieres nihil non audent in nocturnis suis coitionibus, quum discipulæ bonæ cum suis bonis magistris & præceptoribus congrediuntur, & ad suas phratrias conueniunt in occulta quædam triclinia. Ferunt à Damalide quadam, post habitam à se concionem, fuisse panem, vinumque (sanctam Domini cœnam vocant) adstantibus distributum & administratum. Sed hoc non est mirum, quum sint omnes apud eos presbyteri, atque sacerdotes. Nostra tempora nihil in hæreseôn materia reliquerunt intentatum. Verum de hoc latius infra libr. de Baptismo dummodo hic adijciamus illud Auctoris supra Tom. 2. de Velandis virginibus capit. 9.* Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii, sortem sibi vendicare. *Vbi aliquid etiam hac de re adnotauimus num. 65. 66. 67. & 67.*

F

264. nunc Neophytos conlocant.] *Propterea improbat* temerarias Ordinationes hæreticorum, *quod contra interdictum Apostoli 2. Tim. 4. Non Νεόφυτον, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli, ipsi* Neophytos *in Ordine* conlocant. *Quid autem* Neophyti, *explicat eiusdem argumenti canon 2. Nicæni 1. Concilij. Qui nempe, ex vita Gentilium nuper admodum* catechizati, *statim ad spiritale baptisma venerant, quos adeo contiuuo quum baptizati sunt, interdicitur ad Episcopatum promouere. Cui similia habet etiam B. Hieronym. in fine Epist. ad Oceanum, & Innocentius Papa 1. epist. 12. ad Aurelium Carthag. Episcopum, ex qua constat non modo Tertulliani tempore, sed & diu postea in Africa hunc abusum perseueraſſe.*

265. nunc sæculo obstrictos.] *Intelligit eos, qui cupiditate pecuniæ gratia, sæculo adhuc* obstricti *permanent, contra interdictum Apostoli 2. Tim. 2.* Nemo militans Deo obligat se molestiis sæcularibus. *Quod quum de omnibus dictum sit (inquit B. Cyprian. epist. 65. ad Furnitanos) quanto magis molestiis &* laqueis sæcularibus obligari *non debent, qui diuinis rebus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad seculares actus vacare non possunt? Videtur autem Auctor adludere ad Canon 60. Apostolorum (in quem sua scholia citat Quintinus) qui habet: Ex Gentili vita conuersum recens baptizatum, id est,* Neophytum, *aut ex alio turpi vita instituto aduententem, id est,* sæculo obstrictum, *non est iustum mox in Episcopum deligere.*

G

266. nunc Apostatas nostros.] *Similiter* Apostatam *hic modo describit Canon Apostolorum 62. (etiam à Quintino commemoratus) eidem qui Christum negauerit, quare merito id nomen Iuliano Imperatori datum.*

H

267. Itaque alius hodie fit Episcopus, cras alius.] *Præterquam quod apud Montanistas (Beatus Hieronymus teste epist. 5. ad Marcellam contra Montanum) tertium dumtaxat locum tenebant Episcopi, quale quid etiam narrat Epiph. de Arrio, hæres. 75. videtur innuere quosdam hæreticos Auctor, qui frequentissime ordinem Ecclesiasticum immutabant, & modo hunc, modo illum pro Episcopo habebant, aut ab eadem dignitate destituebant pro libito. Atqui* Episcoporum *mentio frequens apud Tertullianum hic supra Tom. 2. de Coron. milit. capit. 9. vbi & veteris Testamenti & noui Hierarchas producit.* Quid (*inquit*) Patriarches, Prophetes, Leuites, sacerdos, Ἄρχων, seu Iudex, vel postea Apostolus, Euangelizator, aut Episcopus inueni

cur

tur coronatus? *Item lib. de Veland. virgin. cap.* 9. Cui si quid refrigerii debuerat Episcopus? *Item infra lib. de Bapt. cap.* 17. summus sacerdos, qui est Episcopus? *& Tom.* 5. *lib. de Pudicitia*: non Ecclesia numerus Episcoporum? *& lib. de Monogam.* ab Episcopo Monogamo: *& lib. de Fuga in persecut.* sed quum ipsi auctores, id est Episcopi, fugiunt, *item lib. de ieiuniis:* Hæc erunt exempla & populo & Episcopis; *denique hoc eodem lib. supra latissime cap.* 32. Euoluant *(inquit)* ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, aut Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt; sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum ædit; proinde vtique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. *Vbi non modo* Episcopos *agnoscit ab Apostolorum ætate (quo etiam pertinet tractatio illius Apostoli Pauli* 2. *Tim.* 4. Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum) *sed & Episcoporum successionem legitimam etiam cum auctoritate, quam certe summam profitetur in Romano Pontifice, dum l. de Pudicitia*, Episcopum Episcoporum *vocat. Eodem pertinet quod eosdem non semel* Præsidentes *nuncupat. Hinc illud Apolog. cap.* 39. Præsident probati quique seniores, *& lib. de Cor. milit. cap.* 3. nec de aliorum manu quam Præsidentium sumimus, *denique sub finem lib. de Ieiuniis:* quod duplex apud te Præsidentibus honor binis partibus deputatur, quum Apostolus duplicem honorem dederit, vt fratribus & Præpositis. *Quamquam interim postremis his locis etiam* Presbyteros Præsidentium *nomine intelligat, de quibus mox latius num.* 270. *Atqui vnde dicatur Episcopus, & quid à Presbytero differat, adnotauimus in B. Cypria. epist.* 65. *ad Rogatianum, nu.* 13. *&* de Episcoporum auctoritate *in epist. eiusdem* 55. *ad Cornelium, nu.* 8. *ac* 27.

268. hodie Diaconus.] Diaconorum *etiam alibi fit mentio ab Auctore, potissimum locis supradictis de Monogamia, & Fuga in persecutione priori* : à Diaconis, *inquit*, eiusdem Sacramenti; *posteriori* : id est, ipsi Diaconi. *Porro de* Diaconi *officio remitto Lectorem ad meas Adnotat. in beati Cypriani dictam epistol.* 65. *num.* 14. *Cui etiam ius baptizandi attribuit Auctor lib. seq. de Baptismo cap.* 17.

269. qui cras Lector.] *Mirum est quid Magdeburgensibus venerit in mentem, dum, B. Cypria. ætate primum Clero addictos fuisse audent scribere* Lectores, *quum hic disertis verbis* Lector *commemoretur: immo & ab ætate Apostolorum* Lectores *fuisse satis demonstrauimus in eiusdem Cypriani Epist.* 33. *de* Aurelio Lectore ordinato, *num.* 5. *Quo minus illis credendum, dum etiam* Hypodiaconos *non ante Cyprianum agnitos fuisse in Ecclesia argumento negatiuo (quod nihil habet validitatis) comprobant, eo quod Tertullianus nusquam* Hypodiaconorum *meminerit. Verum contrarium etiam de illis comprobauimus ad Epist. Cypr.* 24. de Saturo Lectore & Optato Hypodiacono factis, *num.* 5. *E quo loco hoc vnum repetimus quod ne fortasse inde errorem suum adstruerent, commodum acciderit, quod B. Ignatius, qui plerumque (epistolis nempe prioribus ad Mariam Cassabolitam, Trallianos, Magnesianos, Tharsenses, Philippenses, Philadelphienses, Smyrnenses) non meminerit, nisi* Episcoporum, Diaconorum & Presbyterorum; *Epistola ad Antiochenses, post mentionem eorundem sic subiungat (cui Græca additio etiam consentit)* Saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas atque Confessores. *Vbi habes præterea* 4. Ordines, *quos minores seu non sacros nuncupamus, eo quod matrimonium in illis contrahere licet, non item in sacris illis tribus*, Hypodiaconatu, Diaconatu, *&* Presbyterio, *& qui est caput omnium*, Episcopatu.

270. hodie Presbyter, qui cras Laicus.] Presbyterorum *frequentissime quoque meminit Tertullianus, & imprimis duobus locis supracitatis, lib. de Monog. & Fuga in persecut.* à Presbyteris eiusdem Sacramenti. *Deinde, vt omittam locos citatos supra num.* 268. *qui eodem pertinent, supra Tom.* 2. *lib de Pœnit. cap.* 9 *vbi de Confessione agitur:* Presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari: *vbi videas Lector Adnot. nostras num.* 1. *&* 58. *item infra cap.* 17. *lib. de Baptismo, vbi ius baptizandi Presbyteris tribuit, & Tom.* 5. *lib. de Exhort. ad castit.* Vsque adeo *(inquit)* nisi laici ea obseruent, per quæ Presbyteri adleguntur, quomodo erunt Presbyteri qui de laicis adleguntur *& mox*: dum Presbyter alius esse non potest, quam laicus qui semel fuerit maritatus. *Ad eosdem æque atque ad Episcopos pertinent quæcunque variis locis de Sacerdotibus & Sacerdotio, & maxime eodem illo loco connumerat. Neque dicam, de quo in vita eius latius, quod etiam ipse Tertullianus* Presbyter *fuerit. Cætera prudens prætereo, remittens Lectorem ad Adnotat. nostras in B. Cyprian. supracitatas, in epist.* 35. *num.* 4.

271. Nam & laicis sacerdotalia munera iniungunt.] *Quæ hic* sacerdotalia munera *paulo ante* ordinationes *dixit, & supra Tom.* 2. *l. de Veland. virgin. quemadmodum paulo ante citauimus, num.* 263. sortem sacerdotalis officii, *adludens haudquaquam dubie ad Cleri derivationem, vt illic adnotauimus, num.* 68. *id confirmantes etiam B. Cypriani testimonio (qui* Ordinationes Clericas*) vocat. Eodem pertinet illa, de qua num. præced.* adlectio Presbyterorum, *de qua etiam supra Tom.* 2. *libr. de Idolol. cap.* 7. *num.* 33. Adleguntur in ordinem Ecclesiasticum artifices idolorum. *Omnium autem apertissimus locus est iste infra To.* 5 *li. de Exhort. ad castit.* Differentiam, *inquit*, inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus à Deo. *Interim etiam altius sacræ huius Hierarchiæ institutionem petit B. Dionys. Areop. Eccles. hierarch. cap.* 5. *à Christo nempe ipso: Quinetiam, inquit, diuinus ac primus Pontifex noster (hoc enim etiam causa nostra humanissimus Iesus factus est) quum discipulos ad Sacerdotii honorem efferret, quamquam erat vt Deus auctor sacrorum, tamen sanctissimo Patri suo, diuinoque Spiritui munus consecrationis attribuit, præcipiens discipulis, vt scripta diuina loquuntur, ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent* promissionem Patris, quam audistis à me, quia baptizabimus Spiritu sancto. *Vbi indicat institutos quidem à Christo sacerdotes Apostolos, nempe in nouissima cœna, dum dixit:* Hoc facite in meam commemorationem, *sed à Spiritu sancto consecratos Episcopos in die Pentecostes: iuxta quod etiam B. Hieron. adserit Dial. supracitato contra Lucifer. Cui consecrationi facta per Spiritum sanctum super capita Apostolorum in linguis igneis (vti adnotauit iam olim Ammonius Alexandr. in Acta Apostol. successit Manus impositio, quam signum esse visibile inuisibilis gratiæ, atque adeo Sacramentum, supra demonstrauimus cap præced.* 40. *n.* 247. *Quare &* sacras ordinationes *plerumque vocare solent Veteres: immo & cum signo aliquo visibili seu miraculo, adhuc B. Cypriani tempore frequenter conferebantur sacri Ordines, immo & minores, vti adnotauimus ad Epist. eiusdem* 35. *de* Numidico Presbytero ordinato, *num.* 2.

CAP. XLII.

272. De verbi autem administratione, &c.] *Inscriptionem huic capiti dedimus*: Quod in verbi quoque administratione, ob mutuam discordiam nihil hæretici proficiant. *Siue autem legas cum excusis*: non ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi, *siue cum ms. Anglico*: non ethnicis conuertendis, sed nostris euertendis, *parum refert.*

273. Adime illis legem Moysi.] *Sic ex ms. Vatic. pro:* in Lege. *Cui consentiunt Quintinus & Macereus. Quorum ille sic interpretatur hunc locum, id est*: Ne *finas eos de* Mose *loqui, cuius libros improbare gaudent,* Prophetis *maledicere cessent, quos omnes etiam reijciebant. De malo suo quodam Deo, mundi creatore, non amplius disputent. Hæc tria, dico, suarum disertationum argumenta remoueas ipsis: quid vltra loquantur, aut quid in Christianis accusent, amplius non habent. Ac si quis modo prædicantibus Gnosticorum diceret, In Pontifices, & Presbyteros, in ceremonias, & ritus Ecclesiasticos definite probra coniicere, sed aliud quoduis argumentum fidei nostræ vestris in concionibus tractate. Talibus hæc adimas (inquam) lædoria, mutos plane videbis conuiciatores istos, contumeliarum totos, & Euangelici Rhacca venenis inflatos.*

274. Et hoc est quod schismata apud hæreticos fere non sunt, &c.] Schisma, *inquit idem, quod iam superius dicebam, est quando quis à præfecto suo secedit, quando nouam cathedram statuit, & Ecclesiam quandam nouam priuatim congregat, vt est in Can. Apost.* 31. *Hoc autem non fit apud hæreticos, qui nullos mortuum suorum, vitæ, seu doctrinæ magistros & præsides habent, subinde pro libito singula mutantes & innouantes, quod sane* Schisma *foret inter Catholicos. Lego autem rursus ex ms. cum Rhenano*: quia quum sint, non parent, *id est, non apparent*, schismata, est enim vnitas ipsa: *vt postremum istud Ironicos dictum intelligatur. Perinde est autem, seu legas cum excusis*: quæ accepit: *seu cum ms.* quod accepit.

275. Plerique nec Ecclesias habent, &c.] *Clarius explicat Macereus sequentia*, sine matre, *id est: matrice* Ecclesia, sine sede, *Episcopali nempe*, orbi fide *(sic enim rectius ipse & Quintinus, quam alij:* orba) extorres. *Quemadmodum Quintinus recte interpretatur illud*: quasi sibi, late vagantur *(quod legit etiam ms. Vatic.) in hunc modum: id est, absque mandato, non missi, omni nunc obedientia soluti prædicant, quaquauersum discurrunt, aridam circuunt, & mare; trans Arctον natigant, vt sibi proselytos faciant. Olim tam vage, & incerti per populos & regiones errabant hæretici: modo quoque sic Gnostici viuunt, vt hæreticos inter se tam similes esse cognoscas, quam viperæ nunc sint antiquorum seculorum viperis æquales.*

CAP. XLIII.

276. Notata sunt etiam commercia hæreticorum cum Magis quam pluribus, &c.] *Hoc caput (quod aliter paulo, quam Quintinus, distinximus) inscriptione hac insigniuimus*: Quod ob commercia hæreticorum cum Magis aliisque eius generis hominibus, disciplinæ apud eos neglectus, index sit doctrinæ peruersæ. *Atqui de* Magorum cum hæreticis communione *latius infra lib. de Anima.*

277. cum Circulatoribus.] *Sibi familiares (inquit Quintinus) & amicos habent* circulatores, *id est, vagos & circumforaneos homines, qui serpentes & simias, & vrsos, idque genus, per fora circumferunt, Histriones, qui cantillant in triuijs, & comœdias agunt, quos omnes tamen Cyprianus in Ecclesiam recipi noluit, ne pudor & honor Ecclesiæ tam turpi contagione fœdaretur. Epist* 10 *lib.* 1. *(quæ nunc est num.* 61.) *Contagiosæ tempestatis nostræ Gnostici tantum per istos, quantum per suas conciones proficiunt. Inter Prædicantes apud eos collocantur, actitandis enim suis mimis, nihil quam rident Ecclesiæ nostræ Sacrificos, & execrandi sacra nostra traducunt.*

278. cum Astrologis.] Astrologos *(inquit idem) diuinos &*

ariolos intelligo; sibi familiares & amicos habent hæretici. Num tibi videtur Astrologus ille ter impius & hæreticus esse, qui genesin Christi (8. Cal. Ianuarii mensis) retulit ad astra, futurumque dixit Biæothanaton, morte violenta periturum; quia Draco tum, cum cœlestibus aliis nescio quibus signis, traheret caudam, quod ait sinistræ prognosticon esse geniture. Nos hæc inter Christianos, & à Christianis, publicari patimur. Num tibi quoque γνωστικώτερος ille videtur (alius puta peritior & elegantior, quique plus de fonte Castalio potarit) scripturæ cum sua Latinitate nouus interpolator, qui verba Christi, Marci 14. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo: Væ autem homini illi, per quem traditur; sic interpretatur, & ad marginem suæ nouæ traductionis interpretamentum suum adscribit (inquiens, & Christum loqui faciens:) Est quidem mihi fatale prodi, sed non idcirco feret impune proditor. En: Christi mortem reuocat ad fata, sicut Astrologus ad astra. Totus orbis Gallicus insanit, & fornicatur modo post quemdam Magum, quo quid hæreticitius? In suis prognosticis nihil, quam rasos, & de rasis loquitur (quas appellationes à sociis suis Gnosticis didicit) Ecclesiæ nostræ sacerdotes intelligens; quibus dum mala vaticinatur, ipsis optat & imprecatur, Hierarchiam nostram turbari cupiens; nec enim quicquam (Christo Iesu gratia) de prædictis suis accidit. Itaque magna est inter Astrologos & hæreticos, atque semper fuit, concordia. Sunt enim & isti (quamuis non profiteantur) hæretici, aut nihil quidem quam sua somnia credentes, & Athei.

279. cum Philosophis.] Quam bene, inquit idem, Philosophis & hæreticus conueniat, in cap. 7. dictum fuit. A Philosophis autem didicerunt isti pacem cum quibusuis miscere, sicuti proxime legistis.

280. doctrinæ index disciplina est.] Hoc etiam ex ms. Vatic. cod. secundum lectionem Quintini & Macerei, pro eo quod contrario prorsus sensu legebatur: Doctrina index disciplinæ, eo quod præcedat: de genere conuersationis qualitas fidei æstimari potest: Nam (vti recte adnotat Quintinus) quales magistri, tales sunt etiam discipuli, mali corui malum est ouum. Doctrinam nominat à docendo, & disciplinam à discendo.

281. Negant Deum timendum.] Hæretici, inquit idem, dumtaxat amandum Deum docent, Catholici vero timendum, pariter & amandum. Qui solummodo putant amandum, solummodo putant esse bonum, quippe qui nemini per suam bonitatem valeat inferre malum. Quæ fuit opinio quondam Marcionitarum, modoque Gnosticorum. Vnde morum vitæque dissolutio maxima, scilicet, excluso metu damnationis. Hieronym exponens illud in Osee cap. 4. Secundum multitudinem eorum, sic peccauerunt mihi, &c. scriptum reliquit, quod huc maxime pertineat: idcirco referam, quamuis prolixe. De hæreticis facilis intelligentia est, quod quanto plures fuerint, tanto magis delinquunt Deo, & gloriantur in populis, & idcirco decipiunt infœlices, vt peccata populi comedant, & per dulces sermones deuorent domos viduarum. Quum enim viderint aliquos delinquentes, aiunt: Nihil aliud quærit Deus, nisi fidei veritatem, quam si custodieritis, non curat quid agatis. Hæc enim dicentes, in iniquitatibus subleuant animas eorum, vt non solum non agant pœnitentiam, nec humilientur, sed gaudeant in sceleribus suis, & erecta ceruice gradiantur. Si tempestatis nostræ Gnostici suis in congregationibus & libris eadem scriptitant, atque dictitant, ergo sunt hæretici; falsus est alioqui Hieronymus. Quod ethnici de Ioue suo cantant, idem quoque de suo Ioua Gnostici credunt.

Iupiter esse pium statuit, quodcumque iuuaret.

Deus quidem summe bonus est, ideoque super res omnes amandus. Sed etiam summe iustus est, reddens vnicuique iuxta opera sua, propterea summe timendus. Quo ex timore maxima bona sequuntur in Ecclesia catholica, qualia per Tertullianum describuntur hic. Inter quæ sunt:

282. adlectio explorata.] Istud respicit Apostolicum can. 33. (eodem adnotante) qui iubet in fidelium societatem recipiendos ἀνακρίνεσθαι, id est, explorari, discuti, diligenter examinari, priusquam recipiantur in consortium publicum. Verbum iuris est Adlectio, quando quis in aliquorum cœtum recipitur, adscribitur, cooptatur. Adlectio, sicut & origo, ciues facit, & immunitatem tribuit, vt est in leg. in fi lib. 5. ff. De iu. im. & l. 7. De exco. l. 10. C.

283. promotio emerita.] Idem, inquit Quintinus, promoueri, quod prouehi. Qui vero prouehitur, de minori ad maius prouehitur, vt est in Hieronymi canone, Legimus. 93 dist. Sic etiam Latini dicunt: ad dignitates promoueri; & in nostris promotio est ordinum sacrorum susceptio; prout hic promotio dicitur eius qui fit Episcopus, & alius in Ecclesia præficitur. Quod fieri de solis emeritis in suis Ecclesiis Canones præcipiunt, c. Nec emeritis. 61. dist. Vnde hic Tertullianus ostendit emeritam esse debere promotionem, hoc est, emeritos ministros esse solos honoribus ac dignitatibus euehendos. Emeriti milites appellantur, qui militiæ tempus impleuerunt. In Iure quoque vox tritissima, l. 3. §. ignominiæ ff. De infa. & C. sicuti quæ sequitur:

284. apparitio deuota.] Id est (vti idem adnotat) Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, Lectores, aliorumque turba ministrorum, qui præsto solent Episcopo sacrificanti, vel in Ecclesia quid aliud agenti, adesse, officii caussa: tales, inquam, sacrorum ministri per Dei timorem fiunt obsequentes, & deuoti suo Præsuli. Leges dicunt Officiales (puta Scribas, viatores & nuncios publicos, & præcones, atque similes) apparere magistratui: propterea vocantur apparitores. Et apparitio, pro apparitoribus in lege quadam legitur: apparitio iudiciaria, vt & hic: Episcopalis apparitio, id est, Episcoporum ministri. Similiter autem & istud, & quod sequitur, transfert Macereus in linguam Gallicam.

285. processio modesta.] Sic legimus ex ms. Vatic. cod. Quintino & Macereo, pro: moderata. Atqui, quando foras (inquit ille) aliquis & in publicum progreditur, non ille solus & priuatim, sed antecedentibus, seque sequentibus multis, cum pompa & comitatu longo; Latini dicunt eum procedere. Sponsus & sponsa procedunt ad nuptias. Quando mortui cuiuspiam corpus effertur, apud Comicum procedit funus. Et purpuratus Imperator ab aula sua procedit, quando cum suis anteambulonibus, & aliis circumcirca satellitibus & comitibus egreditur à regia. Sic & Episcopus infulis Pontificalibus ornatus, pedo pariter & mitra decoratus, elata cruce præcedente, cereis ac facibus prælucentibus, de templo, seu templi secretario progrediens, quem circumstat vndequaque Clerus, quem sequitur populus, humi procumbens ad benedictionem, tum valde proprie dicitur ille procedere. August cap. 8. lib. 22. de ciuit. Dei, circa finem capitis: Ad me curritur, vbi sedebam, iam processurus. pauloque post: Procedimus ad populum plena erat Ecclesia, &c. Frequenter alibi leges: Inde processio venit, actus ipse procedendi, qui debet absque fastu & superbia fieri. Publicas Litanias, & Supplicationes, apte quoque nunc appellamus Processiones In lege quadam Romana, lib. 42. ff. De dona. inter vir. & vxo. Processus viri nominantur, quando vir honoribus, ac dignitatibus euehitur & augetur: hoc est: Procedit. Atqui aliquid etiam hac de re ex Rhenano supra diximus lib. ad Vxorem 2. cap. 2. num. 25.

CAP. XLIV.

286. Proinde hæc apud nos testimonia, &c.] Hoc peculiariter caput titulo insigniuimus: Quod vel metus futuri iudicii ab hæresibus absterrere nos debeat.

287. qui illam stuprauerint adulterio hæretico, virginem traditam à Christo.] Sæpe quidem (inquit Quintinus) immo semper ab impuris hæreticis & Idololatris tentata fuit Ecclesiæ Christi virginitas, sed incorrupta mansit, & inuiolata virgo, ad ea vsque tempora, quibus sacer Apostolorum chorus diuersum finem sortitus est, & ea tota generatio præteriit, quæ diuinam sapientiam suis ipsius auribus audire meruerat, quod Traiano regnante contigit, sub quo Simeon Cleophæ filius, Domini consobrinus, centum vigintinatus annos, Hierosolymis grauia passus, demum fuit crucifixus, sub quo etiam Traiano Ioannes vita functus est. Illo priore Apostolico sæculo, quæ fuerunt hæreses, latebant, neque palam, dum præsentes adhuc essent Apostoli, quid audebant, aut moliebantur, sed in angulis, & procul ab Apostolis delitescentes ganniebant. Postea vero nihil, effrontes aduersus Ecclesiam Christi, non ausæ sunt adtentare. καὶ γυμνῇ λοιπὸν ἤδη τῇ κεφαλῇ. Et aperto propterea iam nudoque capite nihil occultantes, contra veritatis prædicationem cœperunt falso nominatam scientiam quandam suam prædicare. Hæc Egesippus apud Eusebium cap 32. Eccl. hist. lib. 3. Quæ retuli non inuitus, vt intelligamus hoc misero sæculo nostro tam multos emersisse ex abysso perfidos hæreticos, quia mundi principes atque potentatus demerserunt Episcopos, hoc est: Quia nunc Ecclesia iam nullos habet Apostolorum successores genuinos. Hinc intelligimus etiam quidnam Tertullianus dicere velit, quum stupratam scribit ab hæreticis Ecclesiam, quæ quum scribebat, anni nondum præterierant integri centum sexaginta (vti ipse adfirmat, lib. de Monogam.) post Apostolorum decessum, quod etiam superius adnotabamus.

288. Agnoscent suam potius, &c.] Quintin. & ms. Vatic. legunt: Agnoscunt, & Quintin. addit: hic. sed placet magis prior lectio: Agnoscent, eo quod præcedit: allegabant, & sequatur: Adiicient. Lego autem cum Rhenano: quam suorum. Quod rectius interpretatur Macereus de hæreticorum magistris, substituens cum Gelenio partim, & cum Quintino: qui suos non ante præstruxerunt, quam Rhenanus de Apostolis legens: qui nos ante præstruxerunt. Atqui sic in hunc locum scribit Quintinus: Christum: Christique discipulos dicere nequeunt omnibus non denunciasse venturas, & summopere cauendas hæreses esse. Denunciarunt enim, quod hæreticorum magistri non fecerunt. Hic igitur, occæcati licet, discipuli vident cæcorum Doctorum suorum culpam, qui futura pericula non ante viderunt, & fugienda non admonuerunt.

289. Adiicient præterea, &c.] Stupendis (inquit idem) & mirabilibus præstigiis hæretici nonnulli circumuenerunt atque deceperunt populos, vt Samarites ille magus, qui dementasse homines magicis artibus suis dicitur, Act. cap. 8. Menander, atque ceteri. Legas Epiphanium. Quod eorundem sectatores in erroris excusationem prætendebant, quasi tantis miraculis ad credendum fuissent inducti. Friuola sane defensio, quam Christus ipse reiecit. Cui maximas hac parte gratias debemus, quod in hoc hæreseon tumultu, quo permittit Ecclesiam suam nimis agitari, non item spirituales illas nequitias permiserit per Gnosticos, ipsarum plane ministros, ædi prodigia. Nam, si qui noua docent, etiam noua signa facerent (vt oportet in nouæ religionis institutione) de Christi certe fide (ni fallor cum piis multis) actum foret in Gallia nostra; quandoquidem turmatim currunt ad ignotos nescio quos blaterones, sermone quidem fallaces, opere nullo potentes, ostentis atque miraculis destitutos, nulla denique virtute redemptos.

290. Itaque veniam merebuntur.] Et hoc, & quod sequitur tertium genus excusationis hæreticorum, Tertullianus totum per Ironiam tractat (vti adnotauit etiam Quintin.) Hæreticos ita seipsos fingens excusare, dicereque: Satis sciebamus hæreses futuras, nec hæresibus propter hæresiarcharum prodigia credidimus: attamen ex

Euangelio conceptam primam fidem mutauimus, ideo quod & Euangelium suum Deus mutauerit, & aliud nouum reuelauerit Ebioni, Cerintho, Marcioni, Valentino, ceteriſque, cui nouo nunc Euangelio citra veniæ periculum credimus. Horribiles ac ſtupendas inſidias Satanæ, nihil nō mouentis, vt nos à Chriſto dimoueat. Legimus autem ex cod. Anglico: reſpondente Domino, *pro:* Deo, *quia illud magis Chriſto competit, quem loquentem ad hæreticos hic introducit per Proſopopœiam. Deinde cum Quintino & Macereo verbis aliquot tranſpoſitis :* & diſcentibus meis eadem ad vos prædicare mandaueram, ſemel Euangelium, & eiuſdem regulæ doctrinam Apoſtolis meis delegaueram, ſed quum vos non crederetis, libuit mihi, &c.

291. Reſurrectionem promiſeram &c.] *Rurſus vel Macereo adnotante, tres has hæreſeis ſimul coniungi, vti antea hoc libro non ſemel, negantes* Reſurrectionem carnis, natiuitatem Chriſti ex virgine, *&:* facientes Deum meliorem.

292. Talia capit opinari.] *Verbum:* capit *(inquit Rhenan.) hoc modo ſolet vſurpare; id eſt, accidit, vt alias adhuc opiniones habeant hæretici, aut: poſſunt adhuc alia* opinari *quæ exorbitant, vt vis verbi:* capit, *melius exprimatur. l. 1. aduer. Marc.* Si depreciari capit in creatore. *Addit autem ad explicationem Quintinus: Hic adſtruit quod perpetuo videmus eſſe verum. Fieri ſolet (inquiens) vt qui ſemel à via veritatis contumaciter aberrauit, in profundiſſimum barathrum mendaciorum deuiet, & corruat, & aliena prorſus opinetur ac ſomniet. In Synodo Gangrenſi probare conabar (& non refractariis probatum puto) quod vnius hæreſeos reus omnium ſimul reus eſt. Herculeo pluſquam nodo (ſicut eſt in prouerbio) connexæ ſunt, & colligatæ ſimul hæreſes, non minus arcte, quam Samſonicarum vulpium caudæ. Qui Gnoſticus eſt hoc æuo, Simonianus eſt, Manichæus eſt, Arrianus eſt, Atheus eſt, & quiuis alius eſt ex eo numero. Nihil enim tam impium commĕti ſunt illi, nihil vmquã tam ridiculum ſeu fabuloſum mentiti ſunt, quod ſectatores non habuerit, & quod à Gnoſticis in medium modo non proferatur.*

LIBRI DE PRÆSCRIPTIONIBVS ADVERSVS HÆRETICOS PARS ALTERA, QVÆ inſcribi poſſit de Hæreſibus.

CAP. XLV.

293. Sed nunc quidem generaliter actum eſt à nobis, &c.] *Addimus* à, *ex ms. Vatic. cod. Hucuſque vero (inquit Quintinus) Tertullianus de* Præſcriptionibus, *id eſt, Exceptionibus ac defenſionibus, quibus Catholici valeant hæreticorum depellere calumnioſas intentiones, in genere diſſeruit. Speciatim iam ſingulos proponit Hæreſeon Auctores, qui quaſi iudicio contendere non verebantur in Eccleſiam Chriſti. Atque adeo alterum quendam ceu libellum poſt hunc ſubtexit, quo nominatim ad auum ſuum perſtrinxit hæreticos, qui ſeditioſis factionibus Eccleſiam Chriſti vexarant, & vexabant adhuc. Quare & nos prima facie iudicabamus diſtinguendum hunc librum in duos, ſicuti ſub calcem Argumenti adnotauimus, exemplo Quintini, & initio Rhenani ac Trithemij, qui poſteriorem hanc partem,* Librum de Hæreſibus, *inſcribunt, maxime quum in ms. Anglico non reperiatur, & in Vaticano ita à priori diſtinctus ſit, vt etiam anteponatur libro de Præſcriptionibus aduerſus hæreſes. Verum quia nimis abruptum foret exordium:* Quorum hæreticorum, *& quod etiam Gelenius cenſebat male reuulſam fuiſſe hanc partem à præcedenti, maluimus ſequi vulgatas æditiones, & poſteriores etiam ipſas Rhenani, in quibus Adnotationes in priorem libri partem à poſterioribus non diſtinxit. Sufficit (ſi quis forte in alia ſit ſententia) hic adnotaſſe diſtinctionem, & ſingulas hæreſes numero quodam prætitulaſſe, vt ſi quis velit, poſſit citare aut per capita, aut per Hæreſes, exemplum ſecuti Epiphanij & B. Auguſtini. Præter quos interim præterea exſtant qui de hæreſibus ſcripſerunt antiquiores, B. Irenæus & Philaſter, poſteriores vero Theodoretus, Euthymius, Damaſcenus, B. Iſidorus, Hrabanus, Honorius, ac Gratianus, & qui noſtra tempeſtate ſcripſerunt Bernardus Lutzemburgus, & Grabriel Prateolus, qui multum hic me iuuerunt. Ego vero etiam hac occaſione multos in illis locos reſtitui. Ad quos etiam, quod ad reliquas hæreticorum blaſphemias adtinet, Lectorem remitto: Vti etiam ad Nicolaum Sanderum Anglum de Viſibili monarchia lib. 7. vbi ſingulis ſingulorum hæreticorum hæreſibus Antidotum ex Patribus adponit. Quarum interim eas quæ Iudaiſmi ſunt, quatuor nempe, & eas quæ poſt Euangelium inſurrexerunt, numero xxxi. ſeparatim diſtinximus. Proinde capiti huic titulum damus:* De Iudaiſmi hæreſibus I V. Doſithei Samaritani, Sadducæorum, Phariſæorum, & Herodianorum. *Hoc adnotandum autem, antequam ad ſingulas hæreſes veniam, quod Epiphanius & Damaſcenus libris de hæreſibus ante Chriſtum, quatuor genera hæreſeũ ponant;* Barbariſmum *nempe, ab Adami ætate vſque ad Noe,* Scithiſmum, *à Noe vſque ad Phalec & Ragau,* Helleniſmum *ſiue Græciſmum, à Saruch ad Abrahamum vſque, ſub qua Philoſophorum ſectas comprehendit, &* Iudaiſmum, *à filij Iacob Iuda temporibus ad Chriſtum vſque, quibus addit Epiphanius & Samaritiſmum, faciens 4. eiuſdem ſectas, Gorthenos, Sebuæos, Eſſenos, Doſitheos. B. Honorius vero lib. de hæreſibus, tria dumtaxat, Iudæorum, Paganorum, & qui in Eccleſiam irruperunt. Quorum quod ad Helleniſmi ſeu Paganorum hæreſes adtinet, rectius Epiphanius ac Damaſcenus quatuor dumtaxat Philoſophorum ſectas enumerant, nempe: Pythagoræorum ſeu Peripateticorum, Platonicorum, Stoicorum, & Epicureorum, quam Honorius, qui Peripateticus à Pythagoræis, Academicos à Platonicis, & Cynicos ab Epicureis diſtinguit; addens interim non male Gymnoſophiſtas, quia &* Indorum Gymnoſophiſtas *Tertullianus recenſet infra lib. adu. Marc. 1. quibus addit, quorum ibidem meminit,* Perſarum Magos, *&* Ægyptiorum Hierophantas, *itidem & Gallorum* Druidas. *Scribit autem fere integrum librum de Anima Tertullian.* aduerſus Platonicos.

294. etiam ſpecialiter quibuſdam reſpondebimus.] *Recte hoc interpretatur Macereus, non de tractatu ſequenti, quem* De Hæresibvs *inſcribere liceret, vti diximus, ſed de libris, quibus alias* reſpondit *aduerſus hæreſes quaſdam* ſpecialiter, *nempe iis qui toto hoc Tomo continentur, quorum catalogum habes ſupra pagina prima.*

295. Taceo enim Iudaiſmi hæreticos.] *Præter Tertullianum,* Iudaiſmi hæreſes *recenſent ex ſuperioribus veteribus, Philaſter, Epiphanius, Damaſcenus, & Honorius, in hoc tamen diuerſi, quod primus 28. alter 12. tertius 8. Auctor denique quatuor dumtaxat enumeret, quantum adparet, ex profeſſo prætermittens* Eſſenorum ſectam, *quod ea; vel Ioſepho teſte, ceteris ſit probabilior, & neque hæreſis dici poſſit, quod ſecundum Euſebium ex Philone libro de Therapeutis, ad fidem Chriſti mox conuerſi fuerint, atque adeo primi ex illis Chriſtiani exorti Monachi. Habet id Ioſephus tum libr. 2. de Bell. Iudaico cap. 7. tum Antiq. Iudaic. lib. 18 cap. 2. vbi præterea Phariſæorum & Sadducæorum, de quibus mox latius, & quartam Iudæ Galilæi ſectam commemorat. Porro à Philaſtro 28. Iudaiſmi hæretici recẽſentur: Ophitæ, Caiani, Sethiani,* Doſithei, Sadducæi, Phariſæi, Samaritani, *Nazaræi, Eſſeni, Heliognoſti, Ranarũ cultores, Muſoritæ, Muſoaccaronitæ, Trogloditæ, Fortunæ cœli cultores, Bahalitæ, Aſtaritæ, Molochitæ, Tophetariæ cultores, Puteoritæ, Serpentis ærei cultores Subterranei, Thamur cultores, Belitæ, Bahalitæ, Phytoniſſæ, Aſtharotitæ,* Herodiani, *Ab Epiphanio 7. Scribæ,* Phariſæi, Sadducæi, *Hemerobaptiſtæ, Oſſæi, Nazaræi,* Herodiani, *A Damaſceno,* Samaritani, *Corthenii, Iebuſſæi, Eſſeni,* Doſithei, *Scribæ,* Phariſæi, Sadducæi, *Hemerobaptiſtæ, Hoſſenij, Nazaræi,* Herodiani. *Ab Honorio,* Phariſæi, Sadducæi, *Eſſeni, Marbonæi, Geniſtæ, Meriſtæ,* Samaritæ, *Hemerobaptiſtæ. Ab Auctore denique:* Doſitheni, Sadducæi, Phariſæi, Herodiani. *A Hrabano de Inſtitut. cler. lib. 2. cap. 58.* Phariſæi, Sadducæi, *Eſſenæi, Marbonæi, Geniſtæ, Meriſtæi, Samaritæ, & Hemerobaptiſtæ. Quos omnes vt in concordiam quandam contrahamus, imprimis præter 9. priores & vltimum Philaſtri, reliqui ſunt potius idololatræ quam ſectarii. Ophitæ, Caiani, Sethiani, poſt Euangelium ab Auctore recenſentur. Eſſeni inter hæreticos deputandi non veniunt.* Samaritani Doſithei *erant diſcipuli, & proinde iidem, quemadmodum Corthenii & Iebuſſæi ſiue Gortheni & Nebuæi. Scribæ cum Phariſæis intelliguntur. Hemerobaptiſtæ, Hoſſenii, Nazaræi, Marbonæi & Meriſtæ, peculiarem quidem hæreſim habebant, ſed non itanoti; Geniſtæ vero potius ſchiſmatici cenſendi. Certe B. Hieron. Dialog. adu. Lucifer. iiſdem pene verbis Auctorem imitatur:* Taceo *(inquit)* de Iudaiſmi hæreticis, *qui ante aduentum Chriſti legem traditam diſſiparunt. Quod* Doſitheus Samaritanorum princeps Prophetas repudiauit. *Quod* Sadducæi ex illius radice naſcentes, *etiam* reſurrectionem carnis *negauerunt, &c. ne hic proliziores ſimus.*

296. Doſitheum inquam Samaritanum, &c.] *Alium hunc eſſe exiſtimo à* Doſitheo, *quem inter 7. primos Eccleſiæ hæreticos recenſet Theodoretus fab. hæretic. lib. 1. cap. 3. & (ſi Prateoli æditio mendoſa non ſit) etiam Egeſippus, in quo ego interim nihil tale repperi. Hunc enim* Samaritanum *fuiſſe non modo Auctor, ſed & B. Hieronym. Dial. adu. Lucif. & Epiphanius ac Damaſcenus adfirmant; Philaſter Iudæum vocat generali nomine, qui plures etiam eius errores recenſet, quomodo & Damaſcenus, in hoc tamen conſentientes cum Auctore & Hieron.* quod primus auſus eſt Prophetas repudiare. *Vide plura apud Epiphanium hær. 13.*

297. Taceo Sadducæos, &c.] *Conſentiunt Auctori Ioſephus, Philaſter, Epiphanius & Damaſcenus, quod* ex Doſithei erroris radice ſurgentes, *vtpote etiam* Prophetas repudiantes, *item poſteriores, quod* auſi ſint etiam ad hanc hæreſin reſurrectionem carnis negare, *addentes præter alia à Saddoc homine Iudæo ſic appellatos, immo & à iuſtitia quam iactitabant, Epiphanius & Damaſcenus, vtpote quum Saddic Hebraice iuſtum ſignificet. Patet autem illud de* negata carnis reſurrectione, *Matt 22. Marc 12. Luc. 20. & Act. 23. Ioſephus etiam ſatis conſentit, dum ait eos cum corpore ſimul & animas extinguere.*

298. Prætermitto Phariſæos, &c.] *Quod hi* additamenta quædam legi *(nam ſic lego, pro:* legis) abſtruxerint, *patet Matth. 23. vbi* Phariſæos *& Scribas, graphice ſuis depingit coloribus, & apertius Matth. 15. & Marc. 7. quum ad illos Chriſtus dixit:* Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem hominum, *&c. vel Honorio ſic interpretante. Adludit eodem etiam Ioſephus, dum ait ex horum præſcripto & interpretatione, ſolere fieri quicquid ad precationes ſolemnes ac cultum diuinum adtinet, & certiorem eos legalium rituum notitiam profiteri: Et Damaſcenus item, dum expiationes vrceorum & alia eiuſcemodi illis tribuit. Denique magis dilu-*

dilucide Epiphanius de Scribis, hæres. 16. (quos sub Pharisæis *comprehendit Auctor) consuetudines, inquit, seruantes, quas non ex lege didicerant, & similia de* Pharisæis, *aliaque multo plura, hæres. 17.* Accepisse *vero* eos ipsum quod habent nomen, ab eo quod à Iudæis diuisi sunt, *præterquam quod ex etymologia nominis Hebraica manifestum est; adscritur etiam à Damasceno & Honorio, ac Hieron. vbi supra.*

299. cum his etiam Herodianos, &c.] *Idipsum adfirmant Philaster, Epiphanius & Damascenus, quorum duo variant,* quum Herodem Christum esse dicerent: *Damascenus nempe, percussum ab angelo (vt legitur Act. 10) eundem qui occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio: Epiphanius vero alludens ad* Herodianos, *quorum fit mentio Matt. 22. & Marc. 3. ac 12. Herodem, sub quo Christus passus est, quod ipsum probatum ab illis scribit illa scriptura Gen. 49.* Non deficiet Princeps ex Iuda, &c. donec venerit cui restant quæ reseruantur ipsi. *nam sic illi legebant. Plura vide apud eundem, hæres. 20.*

CAP. XLVI.

300. Ad eos me conuerto, qui ex Euangelio hæretici esse voluerunt, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* Dei. II. III. IV. & V. post Euangelium hæresibus, Simonis Magi, Menandri, Saturnini, Basilidis, & Nicolai: *in quo haudquaquam dubie, vti & in plerisque sequentibus, Beati Irenæi librum primum aduersus hæreses est imitatus, de quibus priusquam vlterius aliquid dicam, inuestienda est hic mentio aliorum quorundam hæreticorum, qui ab Apostolo Paulo recensentur. Sunt illi* Phygellus & Hermogenes; 2. *Timoth.* 1. Hymenæus & Philetus, 2. *Timoth. 2. de quibus supra cap. 3. Item* Alexander, *qui cum Hymenæo etiam coniungitur, 1. Timoth. 1. ac Alexander ærarius nuncupatur, 2. Tim. 4. qui quum eandem sententiam ab Apostolo cum Hymenæo acceperit, videtur etiam idem cum illo sensisse, resurrectionem nondum esse factam. De quo plura reperire est in eius epist. Commentarijs, & apud Theodoretum Præfat. in Polymorphum, vbi cum fabrum ærarium vocat. Deinde* Diotrephes, *de quo conqueritur beatus Ioannes Apostolus Epist. 3. quod amans Primatum gerere sese non reciperet, & plura Venerab. Beda in eius loci Commentario. Porro Pacianus coniungit tamquam primos tres hæreticos:* Simonem Magum, Menandrum, & Nicolaum.

HÆR. I.

301. primus omnium Simon Magus, &c.] *Imprimis primam etiam hæresin post Christum* Simonis Magi *facit Epiphan. hæres. 21. vbi hæc omnia latissime tractat, Simonem oriundum dicens è Gittharum ciuitate in Samaria. Similiter etiam Eusebius hist. Eccles. lib. 2. cap. 12. post eum Niceph. lib. 2. cap. 1. & ante hos omnes Ignatius Epist. ad Trallenses, item Cyrillus Hierosol. Catech. 6 Deinde quod paucis Auctor expressit:* qui in Actis Apostolorum condignam meruit ab Apostolo Petro iustamque sententiam, *prolixe ex cap. 8. Act. prosequuntur B. Irenæus lib. 1. cap. 20 Epiphan. & Theodoretus. Item quod hic est:* Hic ausus est summam se dicere virtutem, id est, summum Deum, *ijsdem pene verbis ille habet: Ipse se docuit sublimissimam virtutem, hoc est, eum qui sit super omnia pater, & sustinere se vocari quodcumque eum vocant homines, Deum nempe (vti apertius habet Cyrillus Hierosolymitanus.) nam hoc est quod præmisit: Hic igitur à multis quasi Deus glorificatus est. Idipsum habent etiam Philastrius, Epiphanius. Theodoretus, immo & Beatus Lucas Act. 8. his verbis:* Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna, *& Beatus Hieronymus adu. Lucifer. Quod vero* mundum ab angelis suis institutum diceret, *adstruunt etiam B. Irenæus, Philastrius, Epiphanius, Theodoretus, vbi supra: quo accedit etiam Damascenus dicens: Quod Deum mundi effectorem negabat; & Isidorus Etymol. lib. 8. cap. 5. Honorius & Hrabanus vbi supra, ac Gratianus, dum & hunc errorem attribuunt: Creatorem non à Deo, sed à virtute quadam superna creatum. Rursum quod adseruerit:* à Dæmone se oberrante, qui esset sapientia descendisse, quærendum apud Iudæos, se in phantasmate Dei, non passum, sed esse quasi passum, *partim sic explicat Irenæus: Docuit semetipsum esse, qui inter Iudæos quasi filius apparuerit. Et Epiphanius: Error (inquit) ille seipsum redarguit. Quum enim dixerit, quod ab ipso facti sint angeli per ipsius intelligentiam, rursus dixit se transformatum esse per singulos cœlos, vt lateret ipsos in descendendo. Clarissime vero Theodoretus. Mutatum descendisse, ne ab angelis agnosceretur, qui creationis officium administrant; & in Iudæa tamquam hominem apparuisse, quum non esset homo, & passum esse, quum non esset passus. Quibus quod ad posteriorem partem adtinet, consentit etiam beatus Augustin. hæres. 1. Porro quomodo ipsi erecta fuerit statua Romæ, diximus supra Tom. 1. Apolog. cap. 13. num. 200. & de* Helena *ipsius meretrice infra dicemus, libro de Anima, vbi agit nominatim* aduersus opinionem Simonis hæretici. *De eadem hæres. sic supra Auctor cap. 33.* Simonianæ autem Magiæ disciplina angelis seruiens, vtique & ipsa inter idololatrias deputabatur, & à Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur. *Sub Claudio autem & Nerone Cæsaribus claruisse constat. Addit præterea Theodoretus ex hac radice ortos Dositheos, Cleobanos, Gorthenos, Masbothæos, Adriacistas, Eutychitas, & Cainistas, hæreses septem. Quorum Eutychitas Clemens Alexandr. Strom li. 7. sub finem, dictas dicit ex ijs quæ nefarie perpetrarunt.*

HÆR. II.

302. Post hunc Menander discipulus eius, &c.] *Quod* Menander eadem dixerit quæ Simon ipse, & quicquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, *latius tradunt B. Irenæus lib. 1. cap. 21. Euseb. hist. Eccles. lib. 3. cap. 20. Philastrius, Epiphanius, & Theodoretus vbi supra. Consentiunt etiam B. Augustinus, Isidorus, Honorius, Hrabanus, & Gratianus hæres. 2. dum illi & eius discipulis Menandrianis errorem adtribuunt, quod mundus non à Deo, sed ab angelis conditus fuerit. quod etiam habet Damascenus; sed (si emendati sint codices) in hoc dissentit ab alijs & Auctore, quod dicit Simonianos id negasse. Similiter confirmant Philastrius, Epiphanius, & Theodoretus, illud Auctoris:* negans habere posse quemquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset; *& omnium latissime Euseb. hist. Eccles. lib. 3. cap. 20. qui eundem multos Antiochia seduxisse tradit, ex Apolog. B. Iustini Martyris. Ille autem addit & ipsum Samaritanum fuisse in vico Caparetura ortum, qui sectatoribus suis minime eos morituros esse persuasit. Fugiendum eundem* Menandrum, *& totam collectionem malignitatis eius monet B. Ignatius epist. ad Trallienses. Vixisse autem sub Vespasiano tradit Niceph. hist. Eccles. lib. 3. cap. 12. & aduersus eum scripsisse dicit Theodoretus B. Iustinum Martyrem, Irenæum, & postea etiam Origenem. Scripsit contra eundem caput integrum Auctor infra lib. de Anima, & alterius capitis partem de* VI mortis.

HÆR. III.

303. Secutus est post hæc & Saturninus, &c.] Saturninum *patria etiam Antiochenum fuisse scribit Philastrius, ab ea (inquit Irenæus lib. 1. cap. 22.) quæ est apud Daphnem, addens eum in Syria sparsisse hæreseis, quem Saturnilum vocant Epiphanius hæres. 23. & Theodoretus, ac eiusdem etiam meminit beatus Hieronymus vbi supra. Cuius errores sequentes partim ipsi, partim alij enumerant. Primum nempe:* Innascibilem virtutem, id est, Deum in summis & illis infinitis partibus, & in superioribus manere, longe autem distantes ab hoc angelos inferiores mundum fecisse, *agnoscunt Irenæus, Philastrius, Epiphanius, & Theodoretus ipsis Irenæi verbis, Augustinus, Damascenus. quare adijciendum est in versione Macarei secundum dicti commatis membrum. Illud vero:* Quia splendor quidam luminis de sursum in inferioribus refulsisset, ad similitudinem illius luminis angelos hominem instituere curasse, &c. *(secundo enim loco vocem* angelos *omitti debere insinuat Macarius) latius explicatur ab Irenæo, Philastrio, Epiphanio, & Theodoreto, in hanc sententiam: Angelos de sursum à summa potestate lucida imagine apparente, quum eam continere non possent, eo quod statim recurrerit sursum, adhortatos esse semel ipsos dicentes:* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Primoque (*vt deinceps etiam Tertulliani ipsius verbis vtar ex libro de Anima, c. 23.*) opus fuisse futile & inualidum & instabile, in terra vermis instar palpitasse, quod consistendi vires deessent. Dehinc ex misericordia summæ potestatis, ad cuius effigiem nec tamen plene perspectam temere structus esset, scintillulam vitæ consecutum, quæ illum exsuscitarit & erexerit, & constantius animarit, & post decessum vitæ ad matricem relatura sit. *Deinde agnoscunt & illud eiusdem:* Christum in substantia corporis non fuisse, & phantasmate tantum quasi passum esse, *Philastrius, Epiphanius & Theodoretus, addentes quod seipsum Christum illum adseruerit. Denique quod dixerit:* resurrectionem carnis nullo modo futuram esse, *colligitur ex supradicto secundo errore, vbi dixit:* reliqua hominis perire. *quare & ab illo id non repetitur. Sub Adriano autem hunc commemorat Eusebius hist. Eccles. lib. 4. cap. 7. quod magis placet, quam quod alij sub Traiano eum collocent, eo quod constet simul cœpisse cum Basilide, quem etiam illi sub Adriano recensent; maxime quum mecum sentiat Theodoretus & Clemens Alexandr. Strom lib. 7. qui addit, quod Glauceam sibi magistrum adscribat, contra quem alii, qui Menandri discipulum faciunt.*

HÆR IV.

304. Postea Basilides hæreticus erupit, &c.] Basilidem *Alexandrinum in Ægypto virus suum sparsisse, non modo Eusebius loco iam citato, sed & beatus Irenæus scribit l. 1. cap. 23. (vbi titulus capitis, cum eo qui erat præcedentis, debet commutari, neque enim hic, sed ibi de Saturnino agit) & meminerunt eiusdem præterea B. Ignatius vbi supra, Firmilianus epist. 75. inter opera B. Cypriani. Et nominatim B. Hieron. adu. Lucifer. breuibus expressit, quod latius Auctor. Tunc* Basilides (*inquit*) summum Deum nomine Abraxas cum trecentis sexaginta quinque æditionibus commentatus est, *qui & Comment. libr. 1. in Amos, Mithram sub eodem aliarum literarum numero ethnicis esse scribit, quem* Basilides Abraxas *portentuoso appellauit nomine. Similiter etiam B. B. Irenæus vbi supra, & Augustinus hæres. 4. per litteras septem Græcas vocis* Αβραξας *explicat illud Auctoris:* cuius nomen hunc in se habeat numerum computatum. *Nam (inquit) α. & β. vnum & duo, ρ. & α. centum & vnum, ξ. & α. sexaginta & vnum, & ς. ducenta faciunt, quæ fiunt in summa CCCLXV. Nec dissentiunt Epiphanius, Theodoretus, & Damascenus, nisi quod legunt:* Abrasax, *vbi eadem sunt etiam Græca litteræ. Hinc vero patet legi debere;* Abraxas *tribus in locis, pro eo quod erat:* Abraxan, *&* Abraxæ, *&:* Abraxa, *&:* a

quo

quo mentem creatam, &c. *vbi Latine expressit* verbum, prouidentiam, virtutem, & sapientiam, *quæ B. Irenæus* Logon, Phronesin, Dynamin, & Sophiam. *Secundum quem & Epiphanium, Theodoretum ac Damascenum omnino etiam lego*: Ex illo prouidentiam ex prouidentia virtutem, & sapientiam. *Interpretatur autem Macarius* angelorum probolas, *primas phalangis partes. nam singulis angelorum ordinibus singulos cœlos illi adscribunt paulo apertius à primo vsque ad trecentissimum sexagesimum quintum. Mihi interim magis probatur, vt dicamus synonyma*: æditiones, & probolas. *nam sic ab Irenæo frequentor, & Auctore infra l. adu. Praxean accipitur. Porro Irenæus & Philastrius agnoscunt etiam illud*: in vltimis quidem angelis, & qui hunc mundum fecerunt, nouissimum ponit Iudæorum Deum, &c. *sed latius Epiphanius & Theodoretus. & illud*: Christum autem venisse in phantasmate, non ab hoc qui fecerit mundum, sed ab illo Abraxas missum, *Irenæus, quibus præterea addunt Epiph. ac Theodoretus*: sine substantia carnis fuisse. *Rursum quod subiungit Auctor*: Hunc passum à Iudæis (*nam sic lego ex ms. Vatic. pro*: apud Iudæos) non esse, sed vice ipsius Simonem crucifixum esse, *Cyrenæum nempe, non ille modo, sed etiam August. Isidorus, Hrabanus & Gratianus. Priores etiam illi agnoscunt Illud*: Martyria negat esse facienda, *sed latius. Illud denique quod* grauiter carnis resurrectionem impugnabat, &c. *solus Irenæus, quamquam obscurius, dum illi adtribuit*: Animæ soli esse salutem, corpus vero natura corruptibile existere, *quod iterum repetit Auctor infra li. de Resurrect. carnis sub initium. Qui etiam lib. 1. Carm. adu. Marc. paucis hæresin primariam Basilidis expressit*:

Tantos esse Deos Basilides credere iussit,
Quantos & dies annus habet, tot denique mundos.

Cæterum, vti diximus, etiam hic sub Adriano Cæsare vixit, & aduersus eum scripsit (Eusebio ac Theodoreto testibus) Agrippa, cui cognomen Castor, Irenæus, Clemens Stromateus, id est Alexandrinus, & Origenes. Meminit etiam filij eius Isidori Theodoretus.

HÆR. V.

305. Alter hæreticus Nicolaus emersit, &c.] *Etsi quinto hæc hæresis ponatur loco ab omnibus Auctoribus prædictis, tamen secunda potius fuit, vtpote Simoni Mago contemporanea, quam Auctor quidem adtribuit* Nicolao, qui de septem Diaconis, qui in Actis Apostolorum adlecti sunt, fuit, *quemadmodum etiam Philastrius, Epiphanius, Damascenus, & Hieron. ad Ctesiph. contra Pelagianos, ac epist. de Fabiano lapso, qui interim aduersus Lucifer. non nisi* Nicolaitas *commemorat. Longe tamen aliter Clemēs Alexādrinus Strom. li. 3. & post eum Euseb. hist. Eccl. l. 3. ca. 23. August. hæres. 5. Theodoretus hær. fab. li. 3. & Niceph. hist. Eccl. li. 3. c. 15.* Nicolaum *excusant, sed dum axat ab illo dictos* Nicolaitas *accusant. Hinc puto sic legi debere apud B. Ignatium epist. ad Trallianos*: *Fugite quoque & immundissimos* Nicolaitas, *amatores libidinis, malos calumniatores: nam talis non fuit Apostolorum minister* Nicolaus. *B denique Irenæus l. 1. c. 27. Honorius, Isidorus, Hrabanus, & Gratianus dubie loquuntur. Certe B etiam Ioannes Apostolus Apocal. 2. non nisi* Nicolaitas *fugiendos mandat. At qui illud*: Hic dicit tenebras in concupiscentia luminis, & quidem fœda & obscœna fuisse, &c. atque ex ipsis natos, dæmones, & Deos, & spiritus septem. &c. *etiam habent Philastrius, Epiphanius: qui latius prosequuntur illos* quosdam turpitudinis natos, & quædam ex illis turpiora, *quæ Auctor præterit. Barbara (inquam) quædam Principum nomina, quæ etiam Damascenus & Augustinus commemorant. Reliqui vero Irenæus, Clemens Alexand. Euseb. Theodoretus, Isidorus, Honorius, Hrabanus, & Gratianus, quemadmodum Auctor supra c. 33.* Nicolaitas *non aliud faciunt, quam* adsertores libidinis atque luxuriæ: *iuxta Apostolum Apocal. 2. qui eos comparat tenentibus doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel, edere & fornicari. Vixit* Nicolaus, *vti diximus, Apostolorum tempore, atq; adeo Claudij aut Neronis.*

CAP. XLVII.

306. Accesserunt his etiam hæreticiilli, &c.] *Titulum huius capitis facimus*: De VI. VII. & VIII. hæresibus, Ophitarum, Caineorum & Sethoitarum *quas longe post recensent Epiphanius Panarij li. 1. To. 3. Augustinus; Theodoretus & Damascenus, præter Gnosticos, quos hic primo loco subiiciunt. illi illos quidam Augustino & Epiphanio testib. à* Nicolaitis ortos volunt, *alii, vti Irenæus, à* Carpocrate *quem adeo cum* Cerintho & Hebione *& reliquis, de quibus infra c. 48. 49. & 50. ad* Cerdonem *vsque istis præmittunt. B. Irenæus vero adhuc serius, nempe post Marcionem, in titulo c. vlt. li. 1.* Ophitas & Cainos *collocat, nulla facta* Sethoitarum *mentione. Philastrius, vti supra etiam adnotauimus, primo loco* Ophitas, Caianos, Sethianos. *Reliqui, Isidorus nempe, Honorius, Hrabanus, & Gratianus,* Ophitas *post* Cerinthum *ante Valentinianos, & postea* Caianos & Sethianos. *Quo fit, vt certi nihil de tempore, quo suas hæreses sparserunt, liceat definire. Ex eo interim quod* Nicolao *subiungat Auctor & August. à* Nicolaitis *ortos* Ophitas *scribit, certe eodem pene tempore fuisse constat. Et vero non inter Iudaismi hæreses recensendas, etiam patet ex B. Hieronym. aduers. Luciferian. qui* Ophitas *inter eos numerat, qui Euangelia laniarunt.*

HÆR. VI.

307. qui Ophitæ nuncupantur. Nam serpentem, &c.] *Clemens Alexandrinus Stromat. li. 7. hos* Ophianos *nuncupat. Eandem vero nominis Etymologiam reddunt Philastrius, Epiphanius, Augustinus, Isidorus, Honorius, Hrabanus, & Gratianus, quod ὄφις Græce, serpens seu coluber Latine dicatur, quem* Ophitæ Christo præferebant, *& adorabant, quod* ipse (*inquiunt*) scientiæ nobis boni & mali originem dedit. *Quo etiam adludit B. Irenæus l. 1. c. 36. Supradicto* (*nam inde id debet incipi, vt cenſtet cum titulo caput in hæc verba: Quidam etiam ipsam Sophiam* serpentem *factam dicunt, quapropter & contrariam exstitisse factori Adæ, & agnitionem hominibus immisisse, & propter hoc dictum* serpentem *omnium sapientiorem. Quibus addit Auctor, ac post eum Epiphanius, & aliam scripturam. Num. 21. de* serpente *æreo exaltato, qua moti*, ipsum introducebant ad benedicenda Eucharistica sua: *ita enim prorsus lego, quod nusquam neutro & plurali numero* Eucharistia *legatur: & dicti Epiphanius, Theodoretus, Augustinus, eius loco transferunt* mysteria, gratiarum actionem, *seu* oblationes in Eucharistia, *quæ voces sacrificiis magis competunt, quæ* Eucharistica *recte dicuntur, quam simplici* Eucharistiæ. *Quod quomodo faceret, sic B. August. explicat Habent (inquit) verum colubrum, quem nutriunt & venerantur. Qui & incantante sacerdote egreditur de cauerna, & ascendit super altare innixum spelunca, & oblationes eorum lambit, & inuoluens se circa eas, regreditur ad speluncam, & ita confringunt oblationes in Eucharistiam, quasi à serpente Christo, vt illi putat, sanctificatas. Quæ ipsa verba etiam ante me citauit Rhenanus. Porro quæ hic habet de* Ialdabaoth (*quod nomen recte interpretatur Feu ardentius, Patres generans*) *partim conformia hæresi Saturnini, quod ad conditionem hominis adtinet, partim noua, B. Irenæus lib. 1. cap. 34.* Gnosticis, *Epiph. hær. 25. & 26.* Nicolaitis & Gnosticis, *item hær. 45. Seuerianis tribuit: at idem Epiph. hær. 27. cum Tertulliano*, Ophitis *rursum, quomodo etiam solo nomine* Ialdabaoth *omisso Theodoretus, & Augustinus. Ad quos compendii gratia Lectorem remittimus, quippe qui clarissime explicant quæ hic Auctor paulo obscurius, maxime autem ad Irenæum & Epiph. hær. 27. qui iisdem pene verbis vtuntur. Suspicor propterea vocari ab Auctore* totam istius erroris scenam, *quod plures idem sentirent. Quædam dumtaxat adiiciam ad maiorem intellectum necessaria. Igitur illud*: omnib. tamen istis Æonem antestare, cuius sit nomen Ialdabaoth, *ita reddit Irenæus. Eum qui à matre primus sit*, Ialdabaoth *vocari. quare haud dubiè etiam apud Epiphanium legere oportet: Et prius genitum esse* Ialdabaoth, *pro eo quod perperam legitur posterius. Deinde* alterum Æonem inferioribus, *siue aquis (vti Epiphan.)* æonibus permixtum, ex quo Ialdabaoth conceptus sit, *vocant Prunicum siue Rronicum. Deinde* filios septem *interpretatur Epiphan. cœlos septem siue* Æonas, *aut Deos, aut angelos, quos adeo Auctor postmodum* virtutes *nuncupat &* angelos inferiores. *Quos interim Irenæus & Theodoretus non omnes filios* Ialdabaoth *faciunt. sed ex illo ad septenarium vsque numerum processisse productiones. Lego autem mox*: quem occlusisse superiora dilatatione, *pro eo quod erat*: dilatione, *nam præcedit conformiter Epiphanius* seque, (*quod, pro*: illum, *accipitur*) in medietate relictum, extendisse totum. *Et quod ab Auctore* homo institutus dicitur, *ab illius interprete vertitur formatus, item* excicatus, *in pedes erectus, quomodo etiam transtulit Macarius*: qui superiora (*sicut etiam vbique legimus cum Vatic. ms cod non*: superna) *cœlestia interpretatur. Denique illud*: Christum non in substantia carnis fuisse, *ita intelligendum ex Irenæo & Theodoreto, quod* Christum *putabant cœlitus in Iesum descendisse, deinde Christo discedente, in incorruptibilitatem solum Iesum passum fuisse. Quod autem* salutem carnis sperandam non esse *etiam hi dicerent, Auctori peculiare est: verum de hoc infra latius li. de Resurr. carn.*

HÆR. VII.

308. Nec non etiam erupit alia quoque hæresis, quæ dicitur Cainæorum, &c.] *Supra sic loquitur Auctor ca.* 33. Sunt & nunc alii Nicolaitæ, Caiana hæresis dicitur; *& infra initio lib. de Baptismo*: quædam de Caiana hæresi vipera venenatissima: *quæ an eadem sit cum* Cainæorum, *in posteriorem locum differo. Certe etiam istos* Caianos *vocant Philastrius, Epiphanius, Augustinus, ac Damascenus, denique Hieron. adu. Lucifer. dum coniungit* Ophitas, Caianos, Carpocratem, Cerinthum, Hebionem, *Auctorem quantum apparet, imitatus, Clemens Vero Alexandr. Stromat. lib. 7.* Caianistas. *Irenæus magis proprie, vti & Theodoretus,* Caianos; *quia nomen vno consensu inde omnes deriuant, quod* Cain magnificabant, quasi ex potenti quadam virtute conceptum. sed & Iudam proditorem defendebant, *vti cum Auctore idem sentiunt: Alij secundum posteriorem quam hic refert, sententiam (præterquam quod Philastrius eam hæresin à* Caiana *distinguens, subiungit post Nicolaum) & Epiphanius iisdem pene verbis secundum vtramque. Legimus autem ex ms. Vatic. cod.* potestates huius mundi, *pro*: potestates hæ.

HÆR. VIII.

309. Sed & illa hæresis processit, quæ dicitur Setthoitarum, &c.] *iidem* Sethiani *vocantur ab Epiphanio, Theodoreto, & Damasceno, dicti à* Seth Adæ filio, qui loco Abelis natus est, *quem etiam venerabantur, testibus Philastrio & Augustino, qui fere iisdē verbis*

repetunt illud: Duos homines ab angelis constitutos, &c. *maxime Epiphanius, et multo prolixius. Huc vero adludunt hauddubie, dum scribunt quosdam sic sentire:* vt dicant Christum Seth fuisse.

CAP. XLVIII.

310. Carpocrates præterea hanc tulit sectam, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* De IX. X. & XI. hæresibus post Euangelium, Carpocratis, Cerinthi, & Hebionis. *Atqui has, vti supra diximus, alij scriptores etiam coniungunt, sed ijs longe præponunt, de quibus capite præcedenti actũ est, & subiciunt* Nicolaitas & Gnosticos.

HÆR. IX.

311. Vnam esse dicit Virtutem. &c.] *Quandoquidem non solum nostro Auctori, sed & à B. Irenæo lib. 1. cap. 24. Augustin. hær. 7 Theodoreto, Damasceno, Isidoro, Honorio, & Hrabano,* Carpocratiani à Carpocrate *dicuntur huius hæreseos sectatores, omnino puto legendum, & apud Philastrium, & apud Epiphanium, hær. 27.* Carpocrates, *non:* Carpocras, *maxime quum similiter appelletur à Clemente Alexandr. Strom. l. 3. Euseb. hist. Eccles. lib. 4. c. 7. Hieronym. adu. Lucifer. Haymone libro 4. Memorabilium, & Niceph. Eccles. hist. lib. 4. cap. 2. Atqui dixisse illum:* vnam virtutem: ex qua prolatos angelos, mundum condidisse, *agnoscunt Iren. Philastr. Theodoret. Epiphan. Augustin. Et ijdem cum reliquis,* Christum natum ex semine Ioseph, hominem tantummodo; *Item & priores illi,* solummodo animam Christi in cœlum receptam, ex quo colligeret, tentata animarum sola salute *(id est, vti recte interpretatur Macereus, quandoquidem sola animæ salus credatur)* nullas corporis resurrectiones. *Porro alterum eius errorem de* Metempsychosi animarum, *integro capite refutat Tertullianus infra lib. de Anima, vbi de eo latius, item* de delcensu animæ à cœlis, & quod Magus & fornicarius fuerit, *atque adeo de incœstis & nefandis* Carpocratianorum mysteriis, *& sociaeius Marcellina. Hoc vnum addam, quod Gnosticorum præcipuum Auctorem faciant* Carpocratem *Irenæus, Epiphanius Eusebius & Nicephorus, Alexandrinum genere Theodoretus, qui etiam filium eius Epiphanem commemorat, & eodem tempore, sub Adrian. nempe Imperatore, cum Basilide vixisse scribunt Eusebius & Nicephorus Aduersus hunc scripsisse Egesippum testatur Haymo.*

HÆR. X.

312. Post hunc Cerinthus hæreticus erupit, &c.] *Istud intelligendum. vt:* post, *non ordinem temporis, sed narrationis significet, quum multo ante, & sub Apostolis,* eruperit Cerinthus. *Nam imprimis Philastrius & Epiphanius dicunt à* Cerintho *seditionem motam, dicente Gentes debere circumcidi; contra quam hæresin Decretum contrarium promulgatum est in primo Concilio Hierosolymitano, Act. 15. & addit Epiphan. etiam contra hunc scriptam Epist. 1. ad Corinth. ab Apostolo Paulo de resurrectione mortuorum. Deinde de B. Apostolo Ioanne legimus apud Irenæum lib. 3. cap. 3. ex relatione B. Polycarpi, quod reperiens* Cerinthum *in balneo, statim inde profugerit. quod ipsum etiam transscripserunt (longe ante* Carpocratis *mentionem) Euseb. l. 4. hist. Eccl cap. 22. Theodoretus & Nicephorus lib. 4. c. 14. & idipsum quidem refer Epiphan hær. 30. contigisse sub Traiano de Hebione, aut potius (vti corrigendum iudico)* de Cerintho. *Quorum quum nemo aliud narret quam vocem Ioannis, Fugiamus ne balneum corruat, nescio vnde desumpserit Prateolus, quod Eusebium citans, dicat* Cerinthum *ruina eius domus extinctum: à quibus & B. Hieron. aduers. Lucifer. non dissentit, addens insuper Catal. Script. Eccles. quod Ioannes Apostolus rogatus ab Asiæ Episcopis, aduersus* Cerinthum, *& maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens. qui adserebant Christum ante Mariam non fuisse, Euangelium scripserit: Imitatus hauddubie ipse. Iren. li. 3. cap. 11. Atqui eosdẽ cum* Carpocrate *errores, de* mundo ab angelis instituto, & Christo homine tantum sine diuinitate, *ei adtribuunt Irænеus lib. 1 cap. 25. Philastrius, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, & Damascenus. Verum illud:* Legem ab angelis datam, & Iudæorum Deum, *eum nempe qui legem dedit,* angelum esse *vnum ex ijs qui mundum fecerunt* non Dominum, *Epiphanius ceteris apertius tradit. Adtribuunt eidem præterea Augustinus, Theodoretus, Isidorus, Honorius. & Hrabanus post Eusebium Chiliastarum errorem, à quo quum alieni non fuerint, Irenæus & Tertullianus ex proposito omisisse videntur; scripserunt interim aduersus eundem* Cerinthi *errorem Gaius & Dionysius Alexandrinus. Quum autem omnes alij* Cerinthus *& Cerinthiani legant, certe ita castigandi sunt Isidorus & Honorius, pro:* Cirinthiani à Cirintho.

HÆR. XI.

313. Huius successor Hebion. fuit, &c.] Successorem Cerinthi Hebionem *sive,* Ebionem, *vocant etiam Philastrius ac B. Hieroym. aduers Lucifer. quibus consentire videntur, qui cum Auctore* Hebionem Cerintho *postponunt, B. Iren. lib. 1. cap. 26. Epiphanius, Augustinus, Damascenus, Isidorus, Honorius, & Hrabanus. Eusebius vero e contrario* Hebionem Cerintho *præponit, quemadmodũ etiam Theodoretus, ac Nicephorus li. 3. c. 3. Vt vt sit, eodẽ tẽpore vna cum B. Ioanne Apostolo vixisse vtrumque constat ex supradicto testimonio B. Hyeronymi Catal. Scrip. Eccl. sub Traiano nempe post Hierosolymorum excidium, vti Epiphanius tradit. Nominis autem etymologiam, ac si dicas mentis inopem, ex Hebræo reddit Eusebius. Porro differentiam, quam hic* Hebionis *à* Cerintho *facit Auctor,* quod a Deo dicit mundum, non ab angelis factum, *Philastrius constituit inter* Carpocratem *&* Cerinthum *: sed emendatos non esse codices, patet ex Irenæo, qui idipsum* Ebioni *tribuit, tanquam diuersum à* Cerinthi *hæresi, &* Hebioni *idipsum tribuit etiam Theodoretus. Quod denique* Legem proposuerit cum Euangelio, *testantur Scriptores ceteri de hæresibus ad B. Augustinum & Theodoretum vsque, ipse Auctor supra cap. 30. & B. Hieron in 30. cap. Isaiæ, vbi & Millenariorum hæresin ipsi adscribit. De altero eius errore. quod* Christus nudus *homo fuerit, infra latius l. de Carne Christi, vbi illum auctor redarguit.*

CAP. XLIX.

314. Valentinus autem hæreticus multas introduxit fabulas, &c.] *Inscribimus hoc caput:* De XII. XIII. XIIII. hæresibus post Euangelium, Valentini, Ptolomæi ac Secundi & Heracleonis. *Quos etiam enumerat B. Irenæus, nempe lib. 1. cap. 5.* Secundum, *ac cap. 6.* Ptolomæum, *& lib. 1. cap. 5. ac lib. 2. cap. 4.* Valentinum, *quem coniungit cum* Ptolomæo & Heracleone, *&* Marcum *cum* Colarbasæis *cap. 8. Philastrius vero etiam ab inuicem distinguit* Ptolomæi, Secundi, Heracleonis, *&* Marci *hæreses; Epiphanius, Augustinus, Damascenus,* Secundianos *à* Ptolomaitis, *&* Marcosios *à* Colanbasianis *&* Heracleonitis *distinguunt. Quos omnes* Collegium Valentinianorum *appellat lib. adu. eos Auctor verbis mox citandis.*

HÆR. XII.

315. Introducit enim pleroma & Æones triginta.] *De* Valenti *&* Valentinianorum *hæresi aliquid supra diximus cap. 7. 30. 33. 38. & 43. tractatum vero præcipuum differimus vsque ad initium lib. infra aduersus Valentinianos, vbi latissime tractatur quicquid ad* pleroma, *id est locum cœli altissimum à plenitudine sic appellatum, &* Æones triginta *adtinet: hic tantum quædam adijciemus ad loci castigationem & intellectum. Primum itaque* Syzygias, id est, coniugationes, *recte interpretatur Macereus coniunctiones matrimoniales, nam ea Græca vox συζυγία, coniugium & coniugationem significat; vnde & infra lib. adu. Valent. cap. 7. Auctor appellat* coniugationes masculorum & fœminarum. *Deinde legisse etiam ipse videtur, quod habet Vatic. cod.* Sed enim ex his quoque processisse, *pro:* ex eis *nam refertur ad proxima.* hominem & Ecclesiam. *Et cum eodem & Philastrio lego:* hanc esse triacontada, *id est, tricentarium; nam Accusatiui casus est Græcum τριακοντάδα, & singularis numeri, non pluralis; quare non conuenit illud quod erat prius:* hæc, *Ibidem ex MS. Vat.* quæ fit in pleromate: *pro eo quod alij:* fit; *& ex lib. adu. Valentina.* Ogdoade, *pro:* Octoade. *Rursum probe ille ad maiorem intellectũ illius de* trigesimo Æone (Sophia *nempe*) quod nisus sit ascendere in superiora, *addit:* pleromatis, *& illud* pene dissolutura esse, *interpretatur de dissolutione substantiæ huius Æonis in substantiam vniuersi. Atqui lego cum Macereo, & partim Rhenano:* nisi quia missus ad constabiliendum illum, ille quem adpellant Horon, confirmasset illum dicto Iao. Hoc pronuntiatio appellat; *pro eo quod legebatur corruptissime* nisi quia misisset, &c. confirmasset illum dicto hoc, Pronuntiatio appellat; *vt referatur ad* Horon, *qui adinstar exclamantis* Iao. *proclamauit, non aliter atque fecit, quum postea Sophiæ huius filia* Achamoth *eundem ascensum in* pleroma *tentaret, sicuti legitur infra latius lib. adu. Valentin. & recte interpretatur suis in hunc librum Adnotationibus Marcereus. Addens rectius hic etiam legi:* Iao, *secundum & Irenæum & Epiphanium ac Tertullianum infra,* quã Iaoth, *quod legebat Rhenan. quia illud nomen erat filii* Ialdabaoth *iuxta Irenæum, de quo ne somniabant quidem Valẽtiniani. Quid autem* Iao *significet, &* Horos, *ibi latius. Addens autem:* Hoc pronunciatio appellat, *ac si dicat, tale sortitur nomen ille pleromatis custos, adludit ad* Heracleonitarum *&* Marcosiorum *hæresin, quæ (Irenæo lib. 1. cap. 9. & Epiphanio hær. 34. testibus) hoc adstruebat quod primus ille pater, qui infra vocatur* Propator Bythos, *pronuntiando & aperiendo os, Verbum emisit, quod adstans, quemlibet Æonem nomine suo appellabat. Quare recte Rhenanus Lectorem remisit ad illud infra de Heracleone:* sed nouitate quadam pronunciationis vult videri alia sentire. Introducit enim imprimis illud fuisse quod pronuntiat. *Rursum quod obcurissime dixit Auctor:* Istum autem Æonem in defectionem factum Achamoth, dicit in passionibus desiderii quibusdam fuisse, *transfert Marcereus ac si dicat:* ab isto Æone factam in defectione Achamoth) *ita vocat partum abortiuum fœmineum, quem supra cap. 7.* Enthymesin & Ectroma *dixit, de quo lib. aduer. Valent. latius, vti & de nomine* Achamoth (etiam ipsam in passionibus desiderii quibusdam fuisse. *Oportet enim sic locum, alioqui corruptissimum, etiam in contextu emendari, vt correspondeat ijs quæ haberet Irenæus, Epiphanius, & Auctor vbi supra. Cum quibus etiam omnino lego:* Achamoth, *pro:* Achamote, *quia illud Græce & Latine legitur; & proinde etiam* cõtristata est, *pro:* contristatus, *quia* Achamoth *fœmina. Nisi malit quis sic legere:* Istum autem Æonem in defectionem factum dicit, &c. & contristatus est, & ex his passionibus concepit, &

peperit Achamoth. Hinc fecit Demiurgus cœlum & terram. Vt vt autem legatur, adij i debet vox; Demiurgus. Denique recte etiam Rhenanus interpretatur: aporiationem, quã Græco nomine ἀπορίαν dicere solet Irenæus, desperationem; nam id Græca vox significat. Porro alterum errorem Valentini (de quo etiam adu. Valentin. ca. 26.) de Christi spiritali corpore, qui quasi aqua per fistulam, ita per Mariæ corpus transmearit, Auctor infra l. de Carne Christi impugnat, vbi de eo latius: Quemadmodum etiam li. de Resurr. carn. errorem eius tertium, quo Resurrectionem huius carnis negat, sed alterius: nam vti supra dixit ca. 33. Paulus in prima ad Corinthios, notat negatores & dubitatores resurrectionis. Hæc opinio propria Sadducæorum: partem eius vsurpat Marcion, & Apelles, & Valentinus, ac paulopost: Timotheum instruens, tangit eos qui dicerent factam iam resurrectionem: id de se Valentiniani adseuerant. Atque hoc est quod addit, sed alterius, nempe carnis resurrectionem admittunt, vtpote iam factam. Eius fa it etiam mentionem B. Hier. adu. errores Ioan. Hieros. ad Pammachium. Præterea illud adnotatione dignum; quo nos hodie munire possumus aduersus modernos hæreticos: Legis & Prophetarum quædã probat, quædam improbat, id est, omnia improbat, dum quædam reprobat. Quod vsque adeo verum agnouerunt alij scriptores, vt disertis verbis scribant, & inter ceteros Damascenus, quod vetus Testamentum reprobauerit. Denique Euangelium Valentini præter hæc nostra, solus, quantum hactenus indagare potui, commemorat Auctor. nam B. Irenæus l. 3. ca. 21 vbi probat quatuor tantum esse recipienda Euangelia, plenissime eos scribit vsos Euangelio Ioannis, Idem est iudicium de Psalmis Valentini, quorum facit mentionem Auctor infra li. de Resurr. carnis. Præterea Valentinum primo in Catholicam doctrinam apud Romanensem Ecclesiam credidisse, sub Episcopatu Eleutheri, Antonini principatu, supra docuimus cum Auctore c. 30. Vbi de temporibus Valentini latius num. 165. sicuti & infra libr. adu. Valentini. num. 1.

H Æ R. XIII.

316. Post hunc exstiterunt Ptolomæus & Secundus hæretici, &c.] Quas alij distinguunt, vti supra dictum est num. 314. Ptolomæi & Secundi hæreseis. & ipse quoque Auctor ca 4. libri aduers. Valentin. hic tanquam vnam recenset, vtpote illos solum duos errores commemorans; qui vtrique communes sunt. primum, post Irenæum li. 1. c. 5. sic clarius explicat sub eiusdem libri finem ca. 38. Humanior (inquit) iam Secundus vt breuior, Ogdoadem in duas Tetradas diuidens, in dextram & sinistram, seu lumen & tenebras: quo fit vt hic dicat aggregatus ab istis quatuor primum, deinde alios octo Æonas (nam sic lego ex Vatic. cod. pro: Æones, aut potius: quemadmodum legunt Philastrius, Augustinus, & ego hic legendum censeo, conformiter superiorib. verbis: quatuor primum, deinde alios quatuor: nam eodem modo dixerunt etiam Irenæus & Epiphanius hær. 32. quaternionem dextram & quaternionem sinistram, quas vocabant lumen & tenebras. Philastrij vero illud, quod peculiariter Secundo adscribit, Secundum adseruisse infinitos Æonas, videtur referri ad id quod hic dicit Auctor: isti addiderunt alios complures, nisi quis malit ad Ptolomæum referri, quod Irenæus li. 1. ca. 6 & Epiphan. hær. 33 scribunt ab hoc Bytho duas vxores datas, Ennœan & Thelesin, id est, intelligentiam & voluntatem, aut vti Irenæum & Auctorem intelligamus cum Theodoreto, vt præter Octonarium, quẽ bipartito diuisit, adiecerit Secundus lucem & tenebras. Alter eorumdem error (quem soli tamen Secundo ipse Auctor, Irenæus & Epiphanius adtribuunt) etiam paulo clarius recitatur vbi supra; Desultricem (inquit) & defectricem illam virtutem, vtpote Achamoth, non vult ab aliquo deducere triginta (nam id ibi addendum) Aeonum, sed à fructibus de substantia eorum venientibus, vtpote Epiphanio teste, ex illis Æonibus, qui post alterum Octonarium posterius facti sunt. Vixerunt autem Ptolomæus & Secundus sub Antonino Pio, & Marco Aurelio Imperatore eius filio.

H Æ R. XIV.

317. Extitit præterea Heracleon alter hæreticus, &c.] De hoc similiter Auctor infra, lib. adu Valentin. cap. 4. Deduxit & Heracleon à Valentino tramites quosdam, & meminit etiam Irenæus li. 2. c. 4. & Clemens Alexandrinus lib 4. Strom. præter Auctores alios initio huius libri citatos. Ad intellectum autem huius capitis maxime facit illud Philastrij. Post hunc Heracleon discipulus ipsius, Valentini nempe, surrexit, dicens principium esse vnum, quem Dominum appellat, deinde de hoc natum aliud, de quo his duobus generationem multorum adserit principiorum, Quo autem nomine vocarentur illa, habet Epiphanius hær. 36. Ex vniuersorum patre Bytho vult esse vniuersorum matrem. quam & Silentium vocat & Veritatem: ex ipsa vero secundam matrem, quæ in obliuione genita est, quam & ipse Achamoth vocat, ex qua de cetero omnia in defectu constituta sint. Quibus consentit etiam B. Augustinus hær. 16. Duo adserunt (inquit) principia, vnum ex altero, & ex his duobus plura alia: ex quo colligitur hauddubie, additis duabus vocibus sic legi debere: imprimis illud fuisse quod pronuntiat, ex ipso Monadem, & deinde ex illa Monade duo. Cur autem vocibus, Pronuntiationis, & pronuntiat, vtatur Auctor, supra diximus n. 315. eo quod Marcus, cuius & Colorbasi discipulum facit Epiphanius Heracleonem, eo genere loquendi vterentur.

C A P. L.

318. Non defuerunt post vos Marcus quidam & Colarbasus, &c.] Capiti huic titulum damus: De xv. post Euangelium hæresi Marci & Colarbasi, quos coniungit Auctor Irenæum imitatus, qui li. 1. ca. 8. & aliquot sequentibus simul tractat, & in titulo, & in contextu. Quæ sit Colarbaseorum & Marci doctrina, quemadmodum etiam Philastrius. At Augustinus, Theodoretus, Damascenus, in duas sectas distinguunt Epiphanius (vti etiam ante me adnotauit Feu-ardentius) veluti nodum dissoluens, primum scribit secutum Marci doctrinam Colarbasum, vnamque hæresin fuisse instar serpentis bicipitis, sed postea de suo quoque nomine Cœtus habuisse. Mirum autem quod Irenæus Marcum susceptorium vocet Colarbasi silentii, tanquam eius discipulum verum ego sic intelligo, quod Marcus scripserit, quæ priuatim cum Colarbaso suis discipulis tradenda simul conclusérant, quæ Colarbasi silentio præteriuit. Porro facit Marcum Magum istum etiam Valentini discipulum Tertullian. dicto ca. 4. li. adu. Valentin.

H Æ R. XV.

319. Nouam hæresim ex Græcorum Alphabeto componentes, &c.] Priusquam ad particulares horum duorum veniam errores, operæ pretium videtur indicare, primum fuisse Marcum, qui Gallias & Hispanias penetrauit, hæreticum. Ita enim habet B. Hieron. Epitaphio Lucinii Bætici. Refert Irenæus vir Apostolicorum temporum, & Papiæ auditoris Euangelistæ Ioannis discipulus Episcopus Ecclesiæ Lugdunensis: quod Marcus quidam de Basilidis Gnostici stirpe descendens, primus ad Gallias venerit, & eas partes, per quas Rhodanus & Garumna fluunt, sua doctrina maculauerit: maximeque nobiles fœminas, quædam in occulto mysteria repromittens, hoc errore seduxerit, magicis artibus ex secreta corporum voluptate amorem sui conciliians; inde Pyrenæum transiens, Hispanias occuparit. Hoc (inquit) ille scripsit ante annos circiter trecentos in ijs libris, quos aduersus omnes hæreses doctissimo & eloquentissimo sermone agnoscunt. Quum autem solum ex parte reperiantur apud Irenæum, puto mutilum adhuc esse 9. caput lib. 1. adu. hæreseis. Atqui primum illum errorem de Græcorum Alphabeto, quemadmodum hic Auctor sic etiam B. Irenæus li. 1. ca. 12. & 13. Marco & Colarbaso adtribuit, soli vero Marco Philastrius, Epiphanius & Theodoretus. Quorum Philastrius indicat hic legi debere: Denique Christum descendisse, quum scribit Christum descendisse in Iesum, iuxta Marci opinionem, maxime quum idipsum etiam Irenæus non obscure significarit. Epiphanius vero ipsis Irenæi verbis omnia latissime explicat hær. 34. E quib. hæc præcipue ad loci huius intellectum pertinent. Primum illud ca. 12 Quapropter etiam Alphabetum Græcorum habere monadas octo, decadas octo, hectontadas octo, (en quas Auctor vocat ogdoadas & decadas) DCCCLXXXVIII (nam sic corrigendus Irenæus) numerum demonstret: hoc est Iesum ex omnibus numeris conflatum, & propter hoc α & ω nominari eum, vt significet ex omnibus eius generationem. Item illud: Vbi vero venisset ipse ad aquam: descendisse in ipsum quasi columbam: Ipsam autem virtutem, quæ descendit, semen esse patris dicit, habens in se & patrem & filium. Cui coniungi debet; quod habetur cap. 10. Quem manifestauit ipse veniendo ad baptismum columbæ descensus, quæ est ω & α. Numerus enim ipsius vocis columbæ apud Græcos (sic ex Epiphanio) nimirum περιστερὰ, est vnum & octoginta. Atqui etiam α & ω tantumdem conficiunt. Quod ipsum indicat his verbis ex Irenæi ca. 12. Epiphanius. Et propter hoc ait eum α. & ω. vt περιστερὰν manifestet, quum hunc numerum habeat hæc auis. Quomodo vero περιστερὰ DCCCI. significet, sic potest explicari. π & ι valent 85. ρ & ι. 110. σ. 200. & τ. & ε 305. α c ρ & α 101. Ibi autem ita afferre, &c. hauddubie locus corruptus est, nisi legatur, ita vt afferre, &c. vanitates ineptum sit, & tunc sensum facile Lector intelliget. Porro ad illud: Alterum Deum fingunt præter creatorem, adludunt B. August. hær 34. & Damascenus, dum dicunt Marcum duo sibi opinatum esse principia. verum quæ hæc præcipua Marcionis hæresis, de ea latissime disputat adu. eum Auctor libris duobis priorib. Illud autem Christum in substantia negant carnis fuisse, dilucidius explicant Philastrius & Augustinus, dum Marco adtribuunt Christum putatiue apparuisse & passum esse. Ex quo proinde errore sequitur aliud: quo negabant carnis resurrectionem futuram. Nam si vere in carne non fuit, Christus, ergo nec in carne resurrexit: proinde nec nos resurgemus: iuxta quod à contrario sensu argumentari possumus ex illo Apostoli, 1. Cor 15. Si resurrectio mortuorum non est, ergo nec Christus resurrexit. Denique de Marci præstigijs Magicis vide initium libri adu. Valentin. & l. Carm. adu. Marcion. & de altero eius errore, quod ad corporis humani creationem adtinet, libr. de Carne Christi. Vixisse autem putantur Marcus & Colarbasus tempore eodem sub Antonino patre aut filio.

C A P LI.

320. Accedit his &c] Hoc caput inscribimus: De XVI. XVII. XVIII & XIX. post Euangelium hæresibus, Cerdonis, Marcionis, Lucani, & Apellis, quos simul coniunximus, cum quod eiusdem sectæ fuerint, tum quod similiter Cerdoni Marcionem subiiciant B. Irenæus libr. 1. capite 28. & 29. Philastrius, Epiphanius, hæres. 41. & 42. Beatus August. hær. 21. & 22. Theod. Damascenus, Isidorus, Hono-

rius,

rius, Hrab. & Gratianus locis supracitatis, & Lucanum & Apellem Marcionis *discipulos faciunt Philastrium, Epiphanium,* & *Damascenus,* & Appellem *similiter Augustinus. Quo pertinet etiam illud Tertulliani infra li.* 4. *adu. Marc.* Sic nec Marcion aliquid boni de thesauro Cerdonis malo protulit, nec Apelles de Marcionis.

HÆR. XVI.

321. Cerdon quidam &c.] *De hoc lib.* 1. *Auctor Carmin. Aduersus Marcionem:*

Hæc vobis per Marcionem Cerdone magistro.

nec dissimiliter B. Cypr. epist. 47. *ad Pompeium:* Marcion, cuius magister Cerdon; *quare & mox recte subiicitur,* Marcion ipsius discipulus, qui hæresin Cerdonis adprobare conatus est. *Eodem pertinet illud lib.* 1. *adu. Marc.* Habuit & Cerdonem quendam informatorem scandali huius. *Quod ipsum certe constat ex erroribus sequentibus, quos confutatos reperire est libris quinque & carmine & prosa aduersus Marcionem conscriptis. Quorum primum:* De initiis, id est, Deis duobus *agnoscunt, qui supra, scriptores de Hæresibus omnes. Commemorant & alterum,* quod Prophetias & Legem repudiabat, *apertis verbis Epiphanius ac Damascenus,* & *ex consequenti Irenæus, Augustinus, Theodoretus, dum scribunt Deum malum, eumque creatorem Legis Mosaicæ legislatorem,* & *vetus Testamentum ab eo reprobatum dicunt. Tertium errorem,* quod Christum in substantia carnis negabat, &c *etiam recensent Philastrius, Epiphanius, Augustinus, immo & Damascenus his verbis à me castigatis, genitum Christum nolebat fuisse. Quare &* resurrectionem corporis ab illo fuisse negatam *fatentur etiam Epiphanius Augustinus,* & *Damascenus. De reliquis illi quidem in* Cerdone *tacent, sed Marcioni omnes eos adtribuunt, vti mox latius. Atqui Irenæus loco citato,* & *rursum lib.* 3. *cap.* 4. *& post eum Cyprianus vbi supra Eusebius histor. Eccles. l.* 4. *cap.* 10. *Epiphanius, Damascenus & Nicephorus Eccles. hist. lib.* 4. *cap.* 3. *de temporibus* Cerdonis *scriptum reliquerunt, quod Romam venerit sub Hygino Papa,* & *proinde sub Antonino Pio.*

HÆR. XVII.

322. Post hunc discipulus ipsius emersit Marcion, &c.] *Quandoquidem particulariter aduersus hunc scripsit Tertullianus libros quinque & carmine & prosa, longiorem de Marcione tractatum differimus ad initium libr.* 1. *infra hoc eodem Tomo. Hic tantum dicemus occasionem hæreseos, tum ex hoc loco, tum ex cap. supra* 30. *& quibus locis singuli refutentur eius errores. Prius itaque illud paulo sic explicat Epiphanius:* Marcion genere Ponticus *fuit ex vrbe Synope (quod ipsum habet ex Philastrio & Tertulliano tum supra cap.* 30. *tum infra lib.* 1. *adu. Marc.*) *qui prima vita sua virginitatem exercuit (solitarius enim vixit)* Episcopi *sanctæ Ecclesiæ nostræ* filius, *Tom.* 5. *lib. de exhort. ad castit. latius (ante Episcopatum & sacerdotium) nam & sequitur de patre, honeste Græce viuens in Episcopatu. Progressu vero temporis,* circa virginem quandam corrumpitur, *& decepta virgine, seipsum atque illam à se detraxit. Et quum illam corrupisset, à proprio patre ex Ecclesia eiicitur.* Marcion *autem multum supplicans, ac veniam precatus, eam à patre non impetrauit. Quum itaque adsequutus non esset ab illo per blanditias quæ petebat, non ferens multorum ludibria, ab vrbe sua fugit,* & *venit Romam, quum mortuus esset Hyginus Episcopus Romanus,* & *cum senibus adhuc superstitibus ac discipulis Apostolorum congressus, petebat vt in congregationem reciperetur;* & *nemo id ipsi permittebat. Æmulatione igitur elatus, vbi non accepit præsidentiam* & *Ecclesiæ ingressum, ad impostoris Cerdonis sectam profugit. Quibus addit Philastrius, fugatum eundem etiam fuisse à B. Ioanne Euangelista, aliisque Presbyteris de ciuitate Ephesi, antequam Romam veniret. Irenæus item lib.* 3. *cap.* 3. *& Epiphanius dicti lib.* 4. *cap.* 13. *quod temporibus Aniceti Romæ existens, B. Polycarpus occurrenti sibi* Marcioni, *rogantique num eum nosset, respondit: Noui primogenitum Sathanæ. Neque dissentit ab eo Epiphanius, quod dicat, Post tempora Aniceti primum venisse Marcionem, quia etsi antea priuatim esset pro hæretico à Polycarpo agnitus, certe non videtur antea declaratus fuisse pro tali. Atque hoc est quod supra cap.* 30. *adnotauimus de Eleutheri Episcopatu secundum Tertullianum. Auctori vero supra cap.* 30. *peculiare est, quod legitur de* ducentis sestertiis à Marcione Ecclesiæ illatis, & eius pœnitentia, qua pacem erat recepturus; si ceteros quoque, quos perditioni eruditisset, Ecclesiæ restitueret, sed morte præuentus. *Atqui non recte hic adsequitur mentë Auctoris Macereus, dum illud:* Hic ex occasione qua dictum sit: Omnis arbor bona, &c. *interpretatur: Hic vt demonstret verum esse:* Omnis arbor, *&c. quia Auctor vult potius illud (vti patet libro* 1. *adu. Marc.)* quod occasione illius scripturæ, Marcion hæresin Cerdonis adprobare conatus est, *tamquam illa bonum Deum & malum Deum significaret, atque adeo duos deos seu duo principia; quem errorem confutat latissime totis duobus libris aduersus Marcionem, vbi etiam interim tertii principii, quod ipse adiecit supra Cerdonem, fit mentio. verum de eo ibi latius. Secundum vtriusque errorem de reiectis Lege & Prophetis, similiter redarguit adu. Marc. lib.* 4. *Tertium vero errorem de* Christo, tum quod Dei creatoris filius fuerit, tum quod vere natus & passus, *toto lib.* 3. *adu. Marc. & libro de Carne Christi. Item & tertium de* resurrectione carnis, *libro eiusdem argumenti, & sub finem li.* 5. *adu. Marcion. Quartum errorem item de* Euangelio Lucæ solo, *quod Marcionis appellabant, adu. Marc. lib.* 4. *Quintum de* Apostoli Pauli Epistolis quibusdam, iisque non totis, *lib.* 5. *Sextum de* Apocalypsi *ab eodem reiecta, recensetur etiam dicto lib.* 4. *vbi de eo latius. Septimum denique de* Actis Apostolorum, *nemo, quod sciam, præter Tertullianum, aut Cerdoni aut Marcioni adtribuit; fortassis id ex consequentia colligit, quod quum non alias scripturas reperiret quam* Euangelium Lucæ & Apostoli Pauli Epistolas vndecim, *necessario sequatur, quod & Acta Apostolorum cum Apocalypsi & veteri Testamento reiecerit. Verumtamen hunc errorem Philastrius* Cerintho *adscribit. Eusebius vero lib.* 4. *Eccles. hist. cap.* 29. *& Niceph. lib.* 4. *cap.* 4. *tribuunt Tatiano, seu potius Seuero eius discipulo, à quo Seueriani dicti. Quum autem nemo alius de* Actis Apostolorum *dubitauerit, non opus est pluribus, eo magis, quod Concilia omnia & Auctores, de quibus supra cap.* 33 *num.* 195. *qui catalogum scripturarum contexuerunt, nominatim illa inter scripturas noui Testamenti enumerant. Ceterum recte admonuit Rhenanus, ad verba illa:* eadem dicete, *Tertullianum solitum verbum præcedens etiam in sequente sententia subaudire, vt hic conatus est* eadem dicere.

HÆR. XVIII.

323. Exstitit post hunc Lucauus quidam nomine, &c.] Lucanum *etiam interiicit inter* Marcionem & Apellem *Philastrius; nec absimiliter Epiphanius* & *Damascenus, præterquam quod* Lucianum *nuncupent. Quorum Epiph. illi etiam adtribuit, quod nuptias reprobaret Ipse autem Auctor infra initio libri de Resurr. carnis cap.* 2 *etiam alium errorem de Anima:* Viderit *(inquit)* vnus aliqui Lucanus, nec huic quidem substantiæ *(animæ nempe)* parcens; quam secundum Aristotelem dissoluens, aliud quid pro ea subiicit; tertium quiddam resurrecturus, neque anima neque caro, id est, non homo, sed vrsus forsitan, qua Lucanus. *Verum de hoc errore,* & *potissimum Aristotelis, quo* animam dissolui *dicebat, latius infra lib. de Anima.*

HÆR. XIX.

324. Post hos subsequitur Apelles discipulus Marcionis, &c.] *Huius* Apellis *frequentissima est apud Auctorem mentio; de quo etiam, ac* Philumene *eius scorto, supra aliquid diximus c.* 6. *nu.* 35. *& ca.* 30. *nu.* 173. 174. *&* 175. *& latius infra To.* 4. *vbi* Libri aduersus Apellem, *qui desideratur, fit mentio. Hic dum taxat subiiciemus quæ ad loci huius intellectum pertinent. Imprimis autem ibi,* posteaquam in carnem suam lapsus est, *alludit ad illud* 1. *Cor.* 6. Qui fornicatur, in corpus suum peccat; *nam idem est quod dixit supra cap.* 30. Lapsus in fœminam, desertor continentiæ Marcionensis, ab oculis sanctissimi *(ironicôs)* magistri Alexandriam secessit. *Et rursum infra lib. de Carne Christi, cap.* 6. qui postquam à discipli.a Marcionis in mulierem carne lapsus est. *Atqui* Apelles Marcionis de discipulo emendator *appellatur ab Auctore infra lib.* 4. *adu. Marc.* & discipulus *postea* desertor *vocatur eodem libro, eo quod quum ille plures deos, hic hoc loco (inquit)* vnum introducit Deum, &c. *Illud item:* Propterea & aliam virtutem quam dicit, Dominum dicit, sed angelum ponit, *explicatius dixit supra cap.* 34. donec *(inquit)* Apelles Creatorem angelum nescio quem glorioſum superioris Dei, faceret Deum Legis & Israelis, illum igneum adfirmans. *Meminit autem etiam angeli ignei,* Dei Israelis *& nostri infra lib. de Anima, vbi de eo, vti &* de Anima ex supercœlestibus sedibus euocata, & de carne quoque ab igneo angelo exstructa, *cuius meminit etiam initio lib. de Resurrect. carnis. Legimus autem secundum interpretationem Rhenani & Macerei:* Ab hoc videri mundum institutum, &c. *Quod vero* Legem & Prophetas repudiabat, *à Marcione sumpsit, de quo lib.* 4. *aduers. Marc. Peculiaris error Apellis de* Christi carne siderea, *refutatur infra lib. de Carne Christi, quemadmodum error de* animarum solarum salute, & negata resurrectione carnis, *libro eiusdem argumenti.* De solo Apostolo Marcionis, *infra lib.* 5. *adu. eundem.* De Phanerosibus Philumenes puellæ, *supra dictum est cap.* 6. *num.* 35. *& cap.* 30. *num.* 176. De syllogismis Apellis *denique, aliisque ad eius hæresin pertinentibus, infra To.* 5 *inter fragmenta Tertulliani. Vixisse autem putatur Marco Antonino Philosopho Imperat. & aduersus eum scripsisse Rhodonem testatur Eusebius Eccles. histor. lib.* 5. *c.* 3.

CAP. LII.

325. His hæreticis omnibus accedit, &c.] *Caput hoc inscribimus:* De XX. & XXI. post Euangelium hæresibus, Tatiani, & eorum qui κατὰ φρυγὰς dicuntur; *quas non longe post Marcionis & Apellis hæreses testatur B. Pacianus obortas, epist.* 1. *ad Sympronianum.*

HÆR. XX.

326. Tatianus quidam alter hæreticus, &c.] *Quod* Tatianus, *siue, vt alii,* Tacianus, discipulus Iustini Martyris post hunc, *id est, post eius obitum,* diuisa *(aut potius* diuersa, *quomodo legendum censeo)* sentire cœpit, *habet B. Irenæus l.* 1. *ca.* 31. *cuius ipsa verba transscripserunt Euseb. hist. Eccles. l.* 4. *c.* 27. *ac Nicephor. lib.* 4. *Philastrius, Epiphanius hær.* 46. *Theodor. lib.* 1 *Damascenus, ronymus Catal. Script. Eccl. Deinde* quod totus secundum V[ulgatam] num sapit, *iidem partim aperte, quod partim ex eo dicunt eum e[sse]*

qui

quosdam Æones finxisse: quos quum à Valentino sumpsisse certum sit non à Marcione, legendum puto apud Philastrium: Æonas autem nuncians, sicut Valentinus delirauit. Item apud Augustinum hæres. 25 lego: Taciani à Taciano quodam, *pro eo quod hactenus legitur:* Tacio, *de quibus eadem phrasi qua Auctor subdit: prolationes quasdam fabulosas sæculorum etiam ipsi sapiunt; cuiusmodi similem etiam phrasin hanc Auctoris Rhenanus adnotat libro eius argumenti:* ne de resurrectione ad Sadducæos sapere videamur. *Quod vero etiam adiecerit illud:* Adam nec salutem consequi posse *(quomodo omnino cum Rhenano legere oportet, etiam refragante ms. cod. lectione, qui habent:* quod iam, *vel:* quodam) *tradunt etiam (vel Rhenano adnotante) B. Irenæus, item Philastrius, Epiphanius, Eusebius, & Nicephorus. Hinc etiam Tertullianus* Adæ salutem, *ex pœnitentia non semel tribuit. Sic supra lib. de Pœnitent. cap. vltim.* Adam exomologesi restitutus in paradisum suum, *& lib. 2. adu. Marcionem.* Ideoque, *inquit,* nec maledixit ipsum Adam & Euam, vt restitutionis candidatos, vt confessione reuelatos. *Porro faciunt hunc Encratitarum, id est, qui se continentes vocabant, principem, damnantium nuptias, supradicti Irenæus li. 1 ca. 30. Epiphanius hær. 46 & 47. Eusebius, B. Hieronym. August. Theodoretus, Damascenus, Isidorus, Honorius, (nam legendum hauddubie, Encratitæ, pro eo quod est, Creathitæ) Nicephorus, Hrabanus, & Gratianus locis supracitatis. Atqui Syrum fuisse* Tatianum *tradunt Clemens Alexandr. Strom. l. 3. & Epiphanius, qui & hæc addit: Scholam suam, inquit, erexit ab initio in Mesopotamia circa xy. ferme annum Antonini Pii Cæsaris. Maximam vero partem prædicationis suæ in Antiochia quæ ad Daphnem sita est, fecit, & in Cilicum partibus; multum autem & in Pisidia. Vbi quum tempora, quibus vixit, significet sub Antonino, necesse est mendum esse in Philastrio illud: Post Decij persecutionem; pro quo legendum censeo: Adriani; nam sub illo passum B. Iustinum Martyrem testis est, præter alios, etiam Epiphanius.*

HÆR. XXI.

327. Accesserunt alii hæretici, qui dicuntur secundum Phrygis, &c.] *Rationem nominis, cur κατὰ Φρυγὰς & Latine* secundum Phrygas, *Tertulliano & Interpreti Epiphanii, reddidimus ad Epist. 75. B. Cypr. nu. 27. ex B. August. hær. 26. & Epiph. hær. 48. quod maxime in* Phrygia *versarentur. Vnde etiam à Clemente Alexandrino Strom. li. 7.* Phrygum *hæresis ex Gente nuncupatur, sicuti Encratitarum, ex operatione. Quum autem κατὰ semper Accusatiuum regat, censeo etiam legi debere* Cataphrygas *apud Philastrium, Eusebium, li. 5. cap. 14. & sequentibus, B. Augustinum, Theodoretum, Damascenum, Isidorum, Honorium, Hrabanu & Nicephorum, ac Gratianum, pro eo quod legitur:* Cataphryges, *aut* Cataphrygis, *aut* Cataphrygiæ, *maxime quum aut* Cataphrygas, *aut* Phrygas *nuncupet etiam B. Hier. Catal. Script. Eccl. in Apollinario & Rhodone, qui aduersus eos scripserunt; & iam antea* Cataphrygas *B. Optatus Mileuitanus apellet lib. 1. adu. Parmenianum. Eorundem distinctio in eos, qui κατὰ* Proclum dicuntur, & qui secundum Æschinem pronuntiantur *(sic enim lego ex Vat. ms. cod. pro:* dicantur, *&:* pronuntientur) *Tertulliano peculiaris est, cui interim eo magis hac in re credendum, quod postea in eandem hæresin inciderit.* Procli *interim sit mentio apud Euseb. Eccl. hist lib. 7. cap. 14 & Nicephorum li. 4. ca. 20. Disputatio (inquit) Gaii viri eloquentissimi Romæ, Zepherino Ecclesiam regente, contra* Proclum Phrygum erroris propugnatorem *habita, ad nos peruenit. Quod ipsum repetitur à Nicephoro li. 4. c. 21. & 34. Quæ etiam verba transscripsit in Catal. Script. Eccl. Hier. in Gaio, præterquam quod* Proclum *vocat* Montani sectatorem, *addens hanc disputationem habitam sub Antonino Seueri filio. Meminit etiam Theodoret. his verbis sicuti à me castigata sunt: Aduersus* Proclum (*antea perperam* Patroclum) *qui huic hæresi præfuit, scripsit* Caius (*pro quo erat corruptissime* Canius) *cuius etiam paulo ante meminimus. Vtrum legatur, perinde esse iudico, maxime quum ms. liber Vatic. legat:* Procolum, *quod magis accedit ad* Proculum. *An idem sit* Proculus, *quem tantopere commendat Auctor infra libro aduersus Valentinianos, nescio; sed de eo ibi latius. De eodem sic Pacianus, vbi supra: Ipsi illi* Phryges *nobiliores, qui se animatos mentiuntur à Leucio, institutos à* Proclo *gloriantur,* Montanum & Maximillam *secuti, quam multiplices controuersias excitarunt* de Paschali die, de Paracleto, de Apostolis, de Prophetis, *multaque alia, sicut & de Catholico nomine, & de venia Pœnitentium. Porro* communem illam blasphemiam, qua in Apostolis quidem (*sic lego ex ms. Vatic. cod. pro:* quidam) dicunt Spiritum sanctum fuisse, &c. *inter scriptores de hæresibus pene peculiare est Auctori. Nam alii distinctionem non facientes inter* Spiritum sanctum & Paracletum, *sentiunt quod in Montano, non in Apostolis,* Spiritum-sanctum *agnouerint. Sic Philastrius. Addunt etiam plenitudinem* sancti Spiritus, *non per Apostolos Christo dante fuisse concessam, sed per illos suos Pseudoprophetas existimant impartitam. Eodem pertinet quod Epiphanius Maximillæ adtribuit, quod se* Spiritus sancti *dona dare iactitaret. Et illud B. Augustin. Aduentum (inquit)* Spiritus sancti *à Domino promissum in se potius quam in Apostolis fuisse asserunt. Quæ ipsa verba etiam transscripserunt BB. Isidorus & Honorius, item Hrabanus & Gratianus. Solus Theodoretus propius accedit his verbis: Is (inquit, de Montano loquens) ambitione & primum locum obtinendi cupiditate motus,* seipsum Paracletum nominauit, *& duas fecit Prophetissas, Priscillam, quam* Priscam *vocare solent Auctor & Hieronymus) & Maximillam & earum scripta, libros Propheticos appellauit. Quæ desumpsit ex Eusebio histor. Eccles. lib. 8. cap. 14. Et his consentit etiam B. Hieronym. aduers. Vigilantium; Sicut (inquit) aliæ hæreses* Paracletum in Montanum *venisse contendunt. Quem ipsum errorem idem pulchre refutat Epistol. ad Hedibiam quæst. 9. & latius Epistol. 54. ad Marcellam aduersus Montanum. Verum de his omnibus latius partim in Vita, partim inter errores Tertulliani, nam B. Augustino teste, hæres. 86. ad Cataphrygas ille postea transiit, quos antea destruxerat, hauddubie adhunc locum adludens, vbi* blasphemiam *vocat, quam tamen posterioribus libris suis nimis frequenter tamquam veritatem ipsam inculcat. Quid? quod B. Hieronym. Catal. Script. Eccles. & post eum Sophronius ac Nicephorus histor. Eccles. libro 4. capite 34. ante hæresin plura aduersus* Montani *dogma conscripsisse illum tradunt, inter quæ etiam est liber infra de Baptismo contra Quintillam, à qua quidam Montani sectatores Quintillani appellabantur: quare & huic illum libro subiecimus, quod inde constet ante omnem errorem ab Auctore conscriptum. Peculiare est etiam illud:* quod plura dicant in Montano Paracletum dixisse, quam Christum in Euangelium protulisse, &c. *verum latius etiam inculcatum ab Auctore post hæresin, vt nullus de eo dubitandi sit locus. Apud neminem etiam reperire licuit illud:* Priuatam autem, (*recens addo,* autem, *ex ms Vat. cod.*) illi qui sunt *κατὰ* Æschinem, hanc habent, vti *(sic etiam ille, pro:* vt) dicant Christum ipsum esse Filium & Patrem. *quæ blasphemia quum fere consentiat cum hæresi xxv.* Praxeæ, *ca. sequenti adscribitur, & late confutatur infra lib. adu. Praxean. Quum autem Eusebio teste Apollonius (aduersus quem scripsit Tertullianus, vti ex fragmentis constat infra Tom. 5) scribat non nisi 40. annis ante se obitisse Montanum, facile est Lectori colligere, verissimum esse quod scribit in Chronicis Eusebius, eodem pene tempore cum Tatiano sub marco Antonino exortam hanc hæresin, quæ κατὰ Φρυγὰς nominatur, auctore Montano & Priscilla, Maximillaque insanis vatibus.*

CAP. LIII.

328. Est præterea his omnibus, &c.] *Postremum hoc caput inscribimus:* De xxii. xxiii. xxiv. & xxv. post Euangelium hæresibus, Blasti, Theodoti Byzantii, Theodoti alterius, Praxeæ ac Victorini.

HÆR. XXII.

329. Blastus accedens, &c.] *De hoc solus scribit Eusebius hist. Eccles. lib. 5. capite 14. & post eum Nicephorus lib. 4. capite 20. huius hæc sunt verba: Primus hæresibus diuinorum virorum doctrina & virtute prorsus euulsis, zizaniorum sator alias insuper seminare non cessauit. Sed & Priorum illarum multi adhuc restabant surculi, multæ etiam derepentè tum primum initium sumentes producebantur. Nam quidam Romæ vigebant, vt Florinus & Blastus, qui & ipsi nouas opiniones de veró veritatis verbo induxerunt. Et Florinus quidem, quod in petitione Presbyterii repulsam tulerat:* Blastus *autem non similem ob caussam. Quilibet vero eorum, officina seorsum contra veritatem instituta, permultos ex Ecclesia in errorem suum pertraxit. Contra quem cap. 19. eiusdem libri Eusebius, postque eum B. Hier. Script. Eccl. Catalogo, B. Irenæum scripsisse dicunt librum de Schismate. Quum itaque de* Blasto *scribit hic Auctor,* quod Pascha dixerit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi xiiii. mensis, *conjicio post Concilia (quorum meminit Euseb. dicti libri 5. cap. 23. Romanum B. Victoris Papæ, Palestinæ sub Theophilo Cæsariensi, Ponti Palma Præside, Galliæ sub Irenæo, item Ecclesiarum apud Osroenam & Bachilli Corinthiorum Episcopi, quæ contrarium definierunt,* Blastum *hunc pro dicta sua hæresi tuenda schisma fecisse. Certe eius aut discipuli aut collegæ fuerunt Quartadecimani, seu Tessareskædecatitæ, seu Paschatis hæretici, ita dicti, quod xiv. mensis, more Iudæorum, Pascha custodiendum contenderent. Quos recenset Philastrius post Florianos, Epiphan. hæres. 50. B. August. hæres. 29. Theodoretus hær. fab. lib. 3. & Damascenus post Quintillianos. Vixisse autem hunc sub Irenæo, & proinde paulo ante Tertullianum, ex prædictis patet.*

HÆR. XXIII.

330. Accedit his Theodorus hæreticus Byzantius, qui postea quam Christi pro nomine comprehensus negauit, &c.] *Sic ex ms. cod. Vat. pro eo quod erat:* apprehensus est *dumtaxat. Nam* negatorem *fuisse tradunt etiam Philastrius post Cataphrygas, Epiphanius hæres. 54. B. August. hæres. 33. (vbi legendum eum ceteris:* à Theodoto *quodam, ac: Quod dicitur quidem* Theodotus, *pro eo quod est:* Theodotione, *&* Theodotion) *& Damascen. post Samseos. Qui ad vnum omnes commemorant causam erroris fuisse, vt ne diceretur Deum negasse, quum Christum negauit, quippe:* quem hominem tantumodo diceret, nulla & alia (*sic lego Ex ms. Vatic. pro:* nullo alio) præ ceteris, nisi sola iustitiæ, auctoritate: *Meminit autem eiusdem* Theodoti hæretici Byzantini *coriarij Eusebius libro 5. capite 17. & Nicephorus libro 4. capite 20 ac 21. An idem sit cum illo* Theodoto admirabili, *qui primus commentitiæ doctrinæ Montani procurationem suscepit, &, sicuti ille, & Maximilla, suspendio perijt, nescio, certe Eusebius diu antea, eiusdem nempe libri capite 15. illius meminit sed Nicephorus eodem tempore, nempe libro 4. capite 23. Illud autem Tertulliani, quod* agno-

A

uerit Theodotus Christum ex virgine natum, *non est contrarium ei quod Beatus Hieronymus aduersus Heluydiam dicit*, Theodotum Byzantium *eadem cum illo sensisse, quia neque ille Christum negabat ex virgine natum, sed dicebat ex Maria & Ioseph, postea etiam alios natos, qui fratres Christi dicebantur. Qui omnes quum* Theodotum *hunc nominent, non placet quod legit vtrobique ms. Vatic. cod.* Theodocus. *Vixisse autem constat ex Eusebio & Theodoreto haret. fab. lib. 2. & albi supracitatis, sub Victore Romano Pontifice, atque adeo sub Commodo Cæsare.*

HÆR. XXIV.

331. Alter post hunc Theodotus hæreticus erupit, &c.] *Peculiare est hoc fere Tertull. quod primus Auctor hæresis* Melchisedechianorum Theodotus *fuerit, quum Epiphanius hæresi 55. magis eo videatur incli nare, quod illi à prioribus prædictis illis* Theodotianis *orti & postmodum auulsi fuerint, qui interim & ibi. & hæres. 67. Hieracem auctorem facit. Consentit tamen Theodoretus libro 2. qui hunc* Theodotum *argentarium fuisse dicit. Certe his* Melchisedechianis, *quod* Christum inferiorem esse quam Melchisedech *dicant, adtribuit præter Auctorem etiam Epiphanius. Reliqui, qui eodem ordine hanc hæresin post præcedentem collocant, nempe Philastrius, Augustinus, Theodoretus, Damascenus, non aliud illis adscribunt, quam quod dixerint, vti etiam Auctor*, Melchisedech. præcipuæ gratiæ cœlestem fuisse virtutem, *atque adeo, neque hominem. Nam id est quod subiungit Auctor, vt* Apator sit, ametor, & agenealogetus, &c. *Adludens ad illud Hebr. 7.* ἀπάτωρ ὠμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων *quod recte vertit noster interpres:* sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens; *pro quo sic paraphasticῶς Auctor*: cuius neque initium, neque finis comprehensus sit, aut comprehendi possit. *Quare adnotandus hic locus aduersus eos, qui Epistolam Pauli ad Hebræos apocryphan facere non verentur. Verum de hoc locus dicendi infra Tom. 5. libro de Pudicitia, vbi Barnabæ (vel Beato Hieronymo teste Catal. Script. Eccles.) non Paulo eam adscribere videtur. Atqui ex dictis Auctoribus constat* Melchisedechianos, *Atque adeo hunc* Theodotum, *antecessisse Tertullianum quam proxime, atq; adeo non sub Maximino, vti Prateolus, sed sub Seuero potius constituendos.*

HÆR. XXV.

332. Sed post hos omnes etiam Praxeas, &c.] *De* Praxea *& eius hæresi infra latius ad titulum libri aduers. Praxean, quo Lectorem remittimus; hic dixisse contenti, quod etiam hallucinetur Prateolus, dum hanc hæresin primum ortam dicit tempore Galieni & Stephani Cæsarum, qui diu post Tertullianum claruerunt. Quis autem* Victorinus, *qui hæresin illus corroborare curauit, non perinde constat. Relinquo itaque Lectoris diligentiæ eius inquisitionem, vt tandem aliquando huic libro finem imponamus.*

B

C

ARGVMENTVM LIBRI DE BAPTISMO ADVERSVS Quintillam, per Iacobum Pamelium.

AVERSVS *hæreseis specialiter responsurus Tertullianus, ab ea incepit, quæ maximi erat momenti, vtpote quæ aquæ baptismum tolleret omnino ad salutem necessariũ, eo absurdior, quod à Quintilla fœmina suam haberet originem.*

I.

Imprimis autem, quum fœlix sit aquæ sacramentum baptismus, quo ablutis delictis pristinæ cæcitatis in vitam liberamur æternam, non otiosum fore istud digestum.

D

II.

Nihil enim obstare, aut simplicitatem sine adparatu, quum stulta mundi Deus elegerit; aut mirandam potestatem, qua lauacro mors diluitur, quod opera diuina sint super omnem admirationem.

III.

Maxime, quum à mundi primordio plurima fuerit aquæ auctoritas, vis, & gratia, qua proinde animare & in baptismi Sacramento nouerunt.

IV.

Vtpote quæ de pristina originis prærogatiua (sicuti tunc spiritus superferebatur super aquam) sacramentum sanctificationis consequantur inuocato Deo, & sanctificatæ vim sanctificandi combibant, atque adeo & ipsæ sanctificent.

V.

Si enim nationes extraneæ, Diabolo res Dei æmulante, in sacris Isidis aut Mithræ aquis initiabantur, & purgatrice aqua se expiari putabant; quanto id magis præstabunt aquæ per Dei viui auctoritatem, quæ adeo spiritui medentur, salutem æternam reformant & conseruant, deleta morte per ablutionem delictorum; quibus exempto reatu eximitur & pœna, ac homo ad similitudinem Dei, non ad imaginem solum, in æternitate censetur.

E

Et vero in aqua emundatos ad maiora dona Spiritus sancti præparari, per ablutionem delictorum; quam fides impetrat obsignata in Patre & Filio & Spiritu sancto; adiecta etiam in testatione fidei & sponsione salutis, Ecclesiæ mentione.

VI.

Exinde egressos lauacro perungui benedicta vnctione, eo quod Christus ab ea dicatur; quæ quidem etsi carnaliter fiat, spiritaliter proficit; quomodo baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritalis effectus, quod delictis liberamur.

VII.

Dehinc manus impositionem fieri, qua per benedictionem (capiti impositis & intermutatis manibus, & transuersim obliquatis ad instar Ioseph, qui Christum ita deformabat) aduocatur Spiritus sanctus; qui tunc super emundata & benedicta corpora, specie columbæ in Dominum baptizatum à patre descendit.

VIII.

Atqui & plura alia religionem aquæ demonstrantia, naturæ patrocinia, priuilegia gratiæ, sollemnia disciplinæ, figurus, præstructiones, & precationes; ad confirmationem ac testimonium baptismi facere.

IX.

Porro in hoc differe à nostro Ioannis baptismum, quod pœnitentiæ esset baptismus in futuram remissionem peccatorum, & quasi candidatus remissionis & sanctificationis in Christo futuræ.

X.

F

Neque id obstare, quod Christus ipse non tinxerit, quum Apostolos tinxisse constet baptismo eodem, quo Ioannes, qui postea Christi.

XI.

Apostolos vero aut baptismo Ioannis tinctos fuisse aut si illoti, vel primæ adlectionis vel indiuiduæ familiaritatis prærogatiuam, compendium baptismi conferre potuisse.

XII.

Legem autem tinguendi impositam, & formam præscriptam à Christo, Ioannis 3. & Matthæi 28. qua obstrinxit fidem ad baptismi necessitatem, post Domini passionem; post quam tincti credentes omnes.

XIII.

Etsi enim Apostolus Paulus ad prædicandum potius quam ad tinguendum missus sit, tamen quosdam ab eo baptizatos; & aliis Apostolis id à Christo præceptum fuisse.

XIV.

Præterea vnum omnino esse aquæ baptismum, sicuti vnus Deus & vna Ecclesia, quo semel delicta diluuntur, quem iterari non oportet, de quo latius in Græco à se digestum esse.

XV.

G

Secundum etiam vnum & ipsum sanguinis baptismum, qui & lauacrum non acceptum repræsentat.

XVI.

Dandi porro baptismum ius esse Episcopo, ac Presbyteris & Diaconis cum Episcopi auctoritate, nisi in necessitatibus vt vtaris, aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellat.

XVII.

Neque vero temere baptismum cuiuis credendum, sed pro cuiusque personæ conditione, ac dispositione.

XVII.

Diem etiam baptismo sollemniorem Pascha præstare & Pentecosten ordinandis lauacris latissimum spatium.

XIX.

Denique ingressuros baptismum, orationibus crebris; ieiuniis, geniculationibus, & peruigiliis, cum confessione omnium retro delictorum, præparari oportere; quibus gratulandum, si non publice confitentur iniquitates.

XX.

H

Ceterum præterquam quod stylus libri huius ita Auctorem redoleat, vt dubitandi non sit locus; certe à B. Hieronymo Catal. Script. Eccles. Luca, citatur ex Tertulliano locus, de Periodis Pauli & Teclæ; nempe Presbyterum quendam in Asia τυπτόμενον *Apostoli Pauli, conuictum apud Ioannem, quod Auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse, & ob id loco excidisse, quod iisdem pene verbis reperire est huius libri de Baptismo capite xvii. Alludit idem Hieronym. epistol. 83. ad Oceanum, agens de plena peccatorum in Baptismo remissione, ad verba illa primi capitis:* Quædam de Caiana hæresi vipera; *immo ibidem integra fere 3. & 9. huius lib. capita descripsit. Hrabanus quoque noster libro 1. de Institutione cler. capite 3. multa desumpsit ex capite 8. & 9. Ante vero hæresin omnem conscriptum vel inde constat, quod aduersus Quintillam conscriptus sit, quæ Montam insaniam secuta, etiam hunc errorem de Baptismo sparsit; sicuti Adnotationibus nostris latius infra numero 2. Edidit hunc primus Gagnæus Parisiensis Theologus, & postea etiam multis in locis castigauit ex Britannico Lælandi codice Sigismundus Gelenius. Nunc vero quum aliquot etiam loci à nobis iuxta sententiam Dominorum Latinii & Harrisii restituti sint, reliquis mederi non licuit sine MS. codice, sed coniecturas quasdam Adnotationibus nostris, quas cum Argumento hoc recens adiicimus interiecimus.*

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, DE [1]BAPTISMO ADVERSUS [2] Quintillam Liber.

FÆLIX [3] sacramentum aquæ nostræ, [4] quia ablutis delictis pristinæ cæcitatis, [5] in vitã æternam liberamur. Non erit otiosum [6] digestũ istud, instruens tã eos qui cum maxime formantur, quam & illos qui simpliciter credidisse contenti, non exploratis rationibus traditionum, intentatã probabilem fidẽ per imperitiam portant: atq; adeo nuper conuersata istic [7] quædã de Caiana hæresi vipera venenatissima doctrina sua plerosq; rapuit, imprimis baptismũ destruens plane secundum naturam: [8] nam fere viperæ, & aspides, ipsique reguli serpentes arida & inaquosa sectantur. [9] Sed nos pisciculi secundum ἰχθῦν nostrum, Iesum Christũ, [10] in aqua nascimur. Nec aliter quam in aqua permanendo salui sumus. Ita Quintilla mõstrosissima, cui nec integre quidem docendi ius erat, optime norat pisciculos necare, de aqua auferens. [11] Sed enim quanta vis est peruersitatis ad fidem labefactandam, vel in totum non recipiendam, vt ex his eam impugnet, ex quibus constat. Nihil adeo est quod obduret mentes hominum, quam simplicitas diuinorum operum quę in actu videntur, & magnificentia quæ in effectu repromittitur: vt hic quoque quoniam tanta simplicitate sine põpa, sine apparatu nouo aliquo, deniq; sine sumptu homo in aqua demissus, & [12] inter pauca, verba tinctus, non multo vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio æternitatis. Mentior si nõ econtrario Idolorum solemnia vel arcana de suggestu & apparatu, deque sumptu fidẽm & auctoritatem sibi extruunt. Prõ misera incredulitas, quę denegas Deo proprietates suas, simplicitatem & potestatem. [13] Quid ergo? nonne mirandum & lauacro dilui mortem? At quin eo magis credendum, si quia mirandum est, idcirco non creditur qualia enim decet esse opera diuina, nisi super omnem admirationem? Nos quoq; ipsi miramur, sed quia credimus. Ceterũ incredulitas miratur, nõ credit. Miratur enim simplicia quasi vana, magnfica, quasi impossibilia. Et sit plane vt putas, satis ad vtrumque diuina pronuntiatio præcucurrit. Stulta mundi elegit Deus [14] vt confundat sapientiam eius, [15] & prædifficilia penes homines, facilia penes Deum. Nam si Deus & sapiens & potens, quod etiam præteruentes eum non negant; merito in aduersariis sapientiæ potentiæq;, id est, in stultitia & impossibilitate materias operationis suæ instituit. Quoniam virtus omnis ex his causam accipit, à quibus prouocatur. [16] Huius memores pronuntiationis tanquam præscriptionis, nihilominus quã stultum & impossibile sit aqua reformari tractamus, quod vtique ista materia tantæ dignationis meruerit officiũ, vt opinor, auctoritas liquidi elementi exigenda est. Atquin plurima suppetit, & quidem à primordio. Nam vnum ex his est, quæ ante omnem mundi suggestum impolita adhuc specie penes Deum quiescebant. [17] *In primordio* (inquit) *fecit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inuisibilis & incompositа, tenebræ erant super abyssum,* [18] *& spiritus Dei super aquas ferebatur.* Habes homo in primis ætatem venerari aquarum, quod antiqua substantia; dehinc dignationem, quod diuini spiritus sedes, gratior scilicet ceteris tunc elementis. Nam & tenebræ totę adhuc sine cultu siderũ informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cœlum rude: solus liquor, semper materia perfecta, læta, simplex, de suo pura, dignum vectaculum Deo subiiciebat. Quid quod exinde dispositio mundi modulatricibus quodammodo aquis Deo constitit [19] Nam vt firmamentum cœleste suspenderet, in medietate distinctis aquis fecit, [20] & vt terram aridam suspenderet, segregatis aquis expediit ordinato dehinc per elementa mundo cũ incolæ darentur, [21] primis aquis præceptũ est animas proferre. Primus liquor quod viueret edidit, ne mirũ sit in baptismo, si aquæ animare nouerunt. [22] Nam ipsius quoq; hominis figurãdi opus sociantibus aquis absolutum est de terra materia, non tamen habili nisi humecta & succida quã s. ante quartum diem segregatæ aquæ in stationẽ suam superstite humore limo temperarant. Si exinde vniuersa vel plura prosequar, quæ de elementi istius auctoritate commemorẽ, quanta vis eius aut gratia, quot ingenia, quot officia, quantũ instrumentum mundo ferat: vereor ne laudes aquæ potius quã baptismi rationes videar congregasse. Licet eo plenius doceã nõ esse dubitandum, si materiã, quã in omnibus rebus & operibus suis Deus disposuit, etiã sacramẽtis propriis parere fecit, si quæ æternã gubernat, & in cœlesti procurat. [23] Sed ea satis erit præcepisse, in quibus & ratio baptismi recognoscitur prima illa, quæ iam etiam ipso habitu prænotabatur ad baptismi figurã, Dei spiritũ, qui ab initio superuectabatur super aquas, intinctos reformaturum. Sanctum autem vtique super sanctum ferebatur, aut ab eo quod superferebatur, id quod ferebat, sanctitatem mutuabatur. Quoniã subiecta quæq; materia eius quæ desuper imminet, qualitatẽ rapiat necesse est, maxime corporalis spiritalem, & penetrare & insidere facilem per substantiæ suæ subtilitatem. [24] Ita de sancto sanctificata natura aquarum, & ipsa sanctificare concepit. Nemo dicat, [25] Nunquid ipsis enim aquis tinguimur, quæ nunc in primordio fuerunt? non vtique ipsis nisi ex ea parte qua genus quidem vnum, species vero complures. Quod autẽ generi adtributũ, est, etiam in specie redũdat. Ideoq; nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alueo diluatur, [26] nec quicquam refert inter eos quos Ioannes in Iordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit. Nisi & ille spado quẽ Philippus inter vias fortuita aqua tinxit, plus salutis aut minus retulit. [27] Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogatiua sacramẽtũ sanctificationis consequuntur, inuocato Deo. Superuenit n. statim spiritus de cœlis, & aquis supereſt, sanctificãs eas de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi cõbibunt. Quanquã ad simplicem actũ competat similitudo, vt quoniã vice sordiũ delictis inquinamur, aquis abluamur. Sed delicta sicut non in carne comparent, quia nemo super cutem portat maculam Idololatriæ, aut stupri, aut fraudis: ita eiusmodi in spiritu sordent qui est auctor delicti. Spiritus enim dominatur, caro famulatur: tamen vtrunque inter se communicant reatum, spiritus ob imperium, caro ob ministerium. Igitur medicatis quodammodo aquis per angeli interuentum, & spiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in eisdem spiritaliter mũdatur. [28] Sed enim nationes extraneæ ab omni intellectu spiritaliũ potestatẽ eadem efficacia idolis suis subministrant sed viduis aquis sibi mentiuntur. [29] Nã & sacris quibusdam per lauacrum initiantur, [30] Isidis alicuius, [31] aut Mithræ, [32] ipsos etiã Deos suos lauationibus efferunt. [33] Ceterũ villas, domos, templa, totasq; vrbes aspergine circumlatæ aquæ expiant passim, [34] certe ludis Apollinaribus & Pelesiis tingũtur. Idq; se in regenerationem & impunitatem periuriorũ suorũ agere præsumũt. Itẽ penes veteres [35] quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat. Igitur si de sola natura aquæ, quod propria materia sit adlegendi auspicii emundationis blandiuntur quanto id verius aquæ præstabunt per Dei auctoritatem à quo omnis natura earũ constituta est? Si religione aquã medicari putant, quæ potior religio quã Dei viui: quo agnito, hic quoq; studiũ diaboli cognoscimus res Dei æmulantis, cũ & ipse baptismum

Cap. I. Gen. 1. Cap. II. 1. Cor. 1. Matth. 19. Cap. III. Gen. 1. Ibidem. Prou. 8. Gen. 1. Cap. IV. Gen. 1. Gen. 1. Cap. V.

A

ptiſmũ in ſuis exercet. quid ſimile? Immũdus emundat, perditor liberat, damnatus abſoluit. ſuã videlicet operam deſtruet diluẽs delicta, quæ inſpirat ipſe. Hæc quidem inteſtimoniũ poſita ſunt repellentibus fidẽ, ſi minime credant rebus Dei, quarũ adfectationibus apud æmulũ Dei credunt. an nõ & alias ſine vllo ſacramento 36 immundi ſpititus aquis in cubant, adfectantes illã in primordio diuini ſpiritus geſtationẽ? Sciunt opaci quique fontes, & auii quiq; riui, & in balneis piſcinæ & erupi in domibus vel ciſternæ & putei, qui rapere dicũtur, ſcilicet per vim ſpiritus nocentis, 37 Nã & enectos 38 & lymphatos & 39 hydrophobos vocãt, quos aquæ necauerũt, aut amẽtia vel formidine exercuerũt: Quorsũ iſta retulimus? ne quis durius credat angelũ Dei ſanctũ aquis in ſalutẽ hominis tẽperandis adeſſe, cũ angel⁹ malus profanus cõmerciũ eiuſdẽ elementi in pernicié hominis frequentat. Angelũ aquis interuenire, ſi nouũ videtur, exemplũ futuri præcucurrit. piſcinã Bethſaidã angelus interueniẽs cõmouebat: obſeruabat, obſeruabant qui 40 valetudinẽ querebantur. Nã ſi quis præuenerat deſcendere illuc, queri poſt lauacrũ deſinebat. Figura iſta medicinæ corporalis ſpiritalẽ medicinã canebat, an forma, qua ſemper carnalia in figura ſpiritalium antecedũt. Proficiente itaque in hominibus gratia Dei plus aquis & angelo acceſſit qui vitia corporis remediabant, nunc ſpiritũ medẽtur: qui temporalem operabãtur ſalutẽ, nunc æternã reformant: qui vnum ſemel anno liberabant, nunc quotidie populos conſeruant, deleta morte per ablutionẽ delictorum. 41 Exempto ſcilicet reatu, eximitur & pœna. 42 Ita reſtituetur homo Deo ad ſimilitudinẽ eius qui retro ad imaginẽ Dei cõditus fuerat. imago in effigie, ſimilitudo in æternitate cenſetur. 43 Recipit enim illũ Dei ſpiritum, quẽ tunc de afflatu eius acceperat ſed poſt amiſerat per delictũ. [44 Non quod in aquis Spiritum ſanctũ conſequamur, ſed in aqua emundati ſub angelo Spiritu ſancto præparamur. Hic quoque figura præceſſit. Sic enim Ioannes ante præcurſor Domini fuit, præparans vias eius: ita & angelus baptiſmi arbiter ſuperuẽturo Spiritui ſancto vias dirigit ablutione delictorũ, quã fides impetrat 45 obſignata in Patre & Filio & Spiritu ſancto. Nã ſi in tribus teſtibus ſtabit, omne verbũ, quanto magis dum habemus per benedictionem eoſdem arbitros fidei, quos & ſponſores ſalutis, ſufficit ad fiduciam ſpei noſtræ etiam numerus nominum diuinorum. Quum autem ſub tribus 46 & teſtatio fidei & ſponſio ſalutis pignerentur, 47 neceſſario adiicitur Eccleſiæ mentio: quoniam vbi tres, id eſt, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ibi Eccleſia quę trium corpus eſt. [48 Exinde egreſſi de lauacro perunguimur benedicta vnctione 49 de priſtina diſciplina, qua vngui oleo de cornu in ſacerdotium ſolebant. Ex quo Aaron à Moyſe vnctus eſt, 50 vnde Chriſtus dicitur à 51 chriſmate quod eſt vnctio, quæ, Domino nomẽ accommodauit, facta ſpiritalis, quia ſpiritu vnctus eſt à Deo patre, ſicut in Actis: 52 *Collecti ſunt enim vere* in iſta ciuitate *aduerſus ſanctum filium tuum, quẽ vnxiſti.* 53 Sic & in nobis carnaliter currit vnctio, ſed ſpiritaliter proficit: quomodo & ipſius baptiſmi carnalis actus, quod in aqua mergimur, ſpiritalis effectus, quod delictis liberamur. [54 Dehinc manus imponitur, per benedictionẽ aduocans & inuitans Spiritum ſanctum. Sane humano ingenio licebit ſpiritum in aquã arceſſere, & concorporationem eorum accommodatis deſuper manibus alio ſpiritu tantæ claritatis animare, Deo autem in ſuo organo non licebit per manus ſanctas 55 ſublimitatem modulati ſpiritalem? Sed eſt hoc quoque de veteri ſacramento, 56 quo nepotes ſuos ex Ioſeph Efrẽ & Manaſſem Iacob capitibus impoſitis & intermutatis manibus benedixerit, & quidem ita tranſuerſim obliquatis in ſe, vt Chriſtum deformantes iam tunc portenderent benedictionẽ in Chriſtum futuram. 57 Tunc ille ſanctiſſimus Spiritus ſuper emundata & benedicta corpora libens à patre deſcendit, 58 ſuper baptiſmi aquas tanquã priſtinam ſedem recognoſcens conquieſcit, columbæ figura delapſus in Dominum, vt natura Spiritus ſancti declararetur per animal ſimplicitatis & innocentiæ: 59 ꝙ etiã corporaliter ipſo felle careat columba. Ideoque, *Eſtote,* (inquit) *ſimplices ſicut columbæ* ne hoc quidem ſine argumento præcedentis figuræ. 60 Quemadmodũ enim poſt aquas diluuii, quibus iniquitas antiqua purgata eſt, poſt baptiſmum (vt ita dixerim) mundi pacem cœleſtis iræ præco columba terris adnunciauit dimiſſa ex arca, & cum olea reuerſa: quod ſignum etiam apud nationes paci prætenditur. Eadem diſpoſitione ſpiritalis effectus terræ, id eſt, carni noſtræ emergenti de lauacro poſt vetera delicta columba Sancti ſpiritus aduolat, pacem Dei adferens, emiſſa de cœlis, 61 vbi Eccleſia eſt arca figurata. Sed mundus rurſus deliquit, quo malè cõparetur baptiſmus diluuio. Itaque igni deſtinatur, ſicut & homo qui poſt baptiſmum delicta reſtaurat, vt hoc quoq; in ſignũ admonitionis noſtræ debeat accipi. [62 Quot igitur patrocinia naturæ, quot priuilegia gratiæ ꝙ ſolemnia diſciplinæ, figuræ prędſtructiones, precationes religionem aquæ ordinauerunt? 63 Primo quidem quũ popul⁹ de Ægypto libere expeditus, vim regis Ægypti per aquam tranſgreſſus euadit, ipſum regem cum totis copiis aqua extinxit. Quæ figura manifeſtior in baptiſmi ſacramento? Liberantur de ſeculo nationes per aquã ſcilicet, & diabol ũ dominatorem priſtinũ, in aqua oppreſſũ derelinquunt. 64 Item aqua de amaritudinis vitio in ſuũ cõmodum ſuauitatis Moſei ligno remediatur. Lignum illud erat Chriſtus venenatæ & amaræ retro naturæ venas inſaluberrimas, aquas baptiſmi, ſcilicet ex ſeſe remedians. 56 Hæc eſt aqua, quæ de comite petra populo defluebat. Si enim petra Chriſtus, ſine dubio aqua in Chriſto baptiſmũ videmus benedici. Quãta aquæ gratia penes Deũ & Chriſtũ ei⁹ eſt ad baptiſmi cõfirmationem. Nunquã ſine aqua Chriſtus; 66 ſiquidẽ a & ipſe aqua tinguitur. 67 Prima b rudimẽta poteſtatis ſuę vocatus ad nuptias aqua auſpicatur. Cũ ſermonẽ facit. 68 ſitientes c ad aquã ſuã inuitat ſempiternam. Cũ d de agape, docet 69 aquæ calicẽ fratri oblatũ inter opera dilectionis probat. 70 Apud puteũ vires reſumit; ſuper aquã incedit libenter, trãsfretat; aquã diſcentibus miniſtrat; perſeuerat teſtimoniũ baptiſmi vſque ad paſſionem quũ deditur in crucẽ, aqua interuenit, ſciũt Pilati manus. 71 quũ vulneratur, aqua de latere prorũpit, ſcit lancea militis. [72 Diximus quantum mediocritati noſtræ licuit de vniuerſis, quæ baptiſmi regionẽ ſtruũt, tunc ad reliquũ ſtatũ eius ęque vt potero progrediar de quæſtiunculis quibuſdã. 73 Baptiſmus ab Ioãne denũtiatus iã tunc habuit quæſtionẽ, ab ipſo quidẽ Domino propoſitam Phariſæis, cæleſtis ne is baptiſmus eſſet, an verro terrenus? De quo illi nõ valuerunt conſtanter reſpondere, 74 vtpote nõ intelligentes, quia nec credentes. Nos porro quãtula fide ſumus, tãtulo & intellectu poſſumus æſtimare, diuinũ quidẽ eum baptiſmũ fuiſſe, mandatu tamẽ, nõ & poteſtate, ꝙ & Ioannẽ à Domino miſſum legimus in hoc munus, ceterũ humanum condition̄e. Nihil enim cœleſte præſtabat, ſed cœleſtibus præminiſtrabat, 75 pœnitentiæ ſcilicet præpoſitus, quæ eſt in hominis poteſtate. 76 Denique legis doctores & Phariſæi, qui credere noluerunt, nec pœnitentiã egere. Quod ſi pœnitẽtia humanũ eſt, & baptiſmus ipſius eiuſdẽ conditionis fuerit neceſſe eſt, aut daret & Spiritũ ſanctũ & remiſſionẽ delictorum ſi cœleſtis fuiſſet. 77 Sed neque peccatũ dimittit, neq; Spiritũ indulget niſi Deus ſolus. Etiã ipſe Dominus, niſi ipſe prius aſcẽderet ad patrẽ, aliter negauit Spiritũ deſcẽſurũ. id quod Dominus, nondũ conferebat, ſeruus vtiq; prędſtare poſſet. 78 Adeo poſtea in Actis Apoſtolorũ inuenimus, quoniã qui Ioannis baptiſmũ habebant, nõ accepiſſent Spiritum ſanctũ, quem ne auditu quidẽ nouerant: ergo non erat cœleſte quod cœleſtia non exhibebat: quũ 79 ipſum quod cœleſte in Ioanne fuerat ſpiritus Prophetiæ; poſt totius ſpiritus in Dominum translationem vſque adeo defecerit, vt quem prædicauerat, quem aduenientem deſignauerat, poſtmodũ an ipſe eſſet, miſerit ſciſcitatũ. Agebatur itaq; baptiſmus pœnitentiæ quaſi candidatus remiſſionis & ſanctificationis in Chriſto ſubſecuturę. Nã

B

C

D

E

F

G

H

Cap. VI.

Cap. VII.

Cap. VIII.

Cap. IX.

Cap. X.

Gen. 1.

Ioan. 5.

Gen. 1.

Matth. 3.

Matth. 28.

Ibid. 18.

Leuit. 18.

1. Reg. 15.

Act. 4.

Gen. 49.

Matth. 3.

Matth. 3.

Gen. 2.

Luc. 3.

Exod. 14.

Exod. 15.

Exod. 7.

Num 20.

1. Cor. 10.

a Matth. 3.

b Ioan. 3.

c Ioan. 7.

d Matt. 26.

Ioan. 4.

Matth. 14.

Ioan. 13.

Matth. 27.

Ioan. 19.

Matth. 21.

Iſaiæ 7.

Marc. 3.

Ioan. 16.

Act. 19.

Ioan. 4.

Matt. 11.

quod

quod prædicabat 80 baptismum pœnitentiæ in remissionē delictorū, in futurā remissionē enunciatum est. Siquidē pœnitentia antecedit, remissio subsequitur, & hoc est viam præpare: qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat. Ipse professetur sua non esse cœlestia, sed Christi, dicendo, *Qui de terra est, de terra loquitur*: 81 *qui de supernis venit, super omnes est.* 82 Item sola se pœnitentia tinguere, venturum mox qui Tingueret in spiritu & igni. Scilicet, quia vera & stabilis aquæ fides qua tinguitur in salutem, simulata autem & infirma igni tinguitur in iudicium. [83 Sed ecce (inquiunt) venit Dominus, & non tinxit. Legimus enim: *& tamen is non tinguebat, verbum discipuli eius*: quia reuera ipsum suis manibus tincturum Ioannes prædicasset. Non vtique sic intelligendum est, sed simpliciter dictum more communi. Sicut est (est verbi gratia) Imperator proposuit edictum, aut præfectus fustibus cæcidit: nūquid ipse proponit, aut nunquid ipse cædit? 84 semper is dicitur facere cui præministratur. Ita erit accipiendum, *Ipse vos tinguet*, pro eo quod est, per ipsum tinguemini, vel in ipsum. Sed ne moueat quosdam, quod non ipse tinguebat. In quem enim tingueret? in pœnitētiam. quo ergo illi præcursorem? in peccatorum remissionem, quam verbo dabat? in semetipsum, quem humilitate cælabat? in Spiritum sanctum, qui nondum à patre descenderat in Ecclesiam, 85 quam nondum Apostoli struxerant? Itaque tinguebant discipuli eius vt ministri, vt Ioannes ante præcursor 86 eodem baptismo Ioannis, ne qui alio putet, quia nec exstat alius nisi postea Christi, qui tunc vtique à discentibus dari non poterat, vtpote nondum adimpleta gloria Domini, nec instructa efficacia lauacri per passionem & resurrectionom: 87 quia nec mors nostra dissolui posset nisi Domini passione, nec vita restitui sine surrectione ipsius. [88 Quum vero præscribitur 89 nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: *Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam*, suboriuntur scrupulosi immo temerarii retractatus quorundam, quomodo ex ista præscriptione Apostolis salus competat, 90 quos tinctos non inuenimus in Domino, præter Paulum. Immo quum Paulus solus ex illis baptismum Christi induerit, aut præiudicatum esse de ceterorum periculo, qui careant aqua Christi, vt præscriptio salua sit, aut rescindi præscriptionem, si etiam non tinctis salus statuta est. Audiui, Domino teste, eiusmodi, ne quis me tam perditum existimet, vt vltro exagitem libidinem styli, quæ aliis scrupulum incutiat. Et nunc illis, vt potero, respondebo, qui negant Apostolos tinctos. Nam si humanum Ioannis baptismum inierant, & Dominicum desiderabant, quatenus vnum baptismum definierat ipse Dominus, dicens Petro perfundi nolenti: 91 *Qui semel lauit, non habet necesse rursum*: quod vtique non tincto non omnino dixit: & hæc probatio exerta aduersus illos, qui adimunt Apostolis etiam Ioannis baptismum, vt destruant aquæ sacramentū. An credibile videri potest, in his personis viam tunc Domini non præparatam id est, baptismum Ioannis, quæ ad viam Domini per totum orbem aperiendam destinabantur? Ipse Dominus nullius pœnitentiæ debitor tinctus est, peccatoribus non fuit necesse? Quid ergo, alii tincti non sunt? non tamen comites Christi, sed æmuli fidei, legis doctores & Pharisæi. Vnde & suggeritur, quum aduersantes Domino tingui noluerint, eos qui Dominū sequebantur, tinctos fuisse, nec cum æmulis suis sapuisse, maxime quando Dominus cui adhærebant, testimonio Ioannem, *Nemo* (dicens) *maior inter natos fœminarum Ioanne baptizatore.* Alii plane satis coacte iniiciunt tunc Apostolos baptismi vicem impleſſe, quum in nauicula fluctibus adspersi operti sunt; ipsum quoq; Petrum per mare ingredientem satis mersum. Vt opinor autem, aliud est adspergi vel intercipi violentia maris, aliud tingui disciplina religionis. Ceterum nauicula illa figuram Ecclesiæ præferebat, quod in mari, id est, seculo, fluctibus, id est, persecutionibus & tentationibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente, donec orationibus sanctorum in vltimis susciteatus compescat seculum, & tranquillitatem suis reddat. Nunc siue tincti quoquo modo fuerunt, siue inloti perseuerauerunt, vt & illud dictū Domini de vno lauacro sub Petri persona ad nos tantummodo spectet, de salute tamē Apostolorum satis temerarium est ęstimare, quia illis vel primæ adlectionis, & exinde indiuiduæ familiaritatis prærogatiua compendium baptismi conferre posset. Cum illo opinor, sequebantur illum, qui credenti cuique salutem pollicebatur. *fides tua te* (aiebat) *saluum fecit*, &, *remittuntur tibi peccata*, credenti vtique, nec tamen tincto. Id si Apostolis defuit, nescio quorum fides. 92 vno verbo Domini suscitatus teloneum dereliquit; patrem, & nauem, & artem qua vitam sustentabat, deseruit; qui patris exequias despexit: summum illius Domini præceptum: 93 *Qui patrem aut matrem mihi prætulerit, non est me dignus*, ante perfecit quam audiuit. [94 Hic ergo scelestissimi illi prouocant quæstiones. Adeo dicunt, baptismus non est necessarius, quibus fides satis est: nam & Abraham nullius aquæ nisi fidei sacramento Deo placuit. Sed in omnibus posteriora concludunt, & sequentia antecedentibus præualent. Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem & resurrectionem. At vbi fides aucta est credendi in natiuitatem, passionem, resurrectionemque eius, addita est ampliatio sacramēto, 95 obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec potentiam habuit sine sua lege. 96 Lex enim tinguendi imposita est, & forma præscripta. *Ite* (inquit) *docete nationes, tinguentes eas in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti.* Huic 97 legi collata definitio illa: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum*, obstrinxit fidem ad baptismi necessitatem. Itaq; omnes exinde credentes tinguebantur. Tunc & Paulus vbi credidit, tinctus est. Et hoc est quod Dominus 97 in illa plaga orbationis præceperat, 99 *Exurge*, dicens, *& introi Damascum, illic tibi demonstrabitur quid debeas agere*, scilicet tingui, quod solum ei deerat. Alioquin satis didicerat atq; crediderat Nazarenum esse Dominum Dei filium. [100 Sed de ipso Apostolo reuoluunt, quod dixerit, *Non enim me ad tinguendum Christus misit*, quasi hoc argumento baptismus adimatur. Cur enim tinxit Gaium & Crispum & Stephanæ domum? quamquam etsi non eum miserat Christus ad tinguendum, tamen aliis Apostolis præceperat tinguere. Verum hæc pro conditione tunc temporis ad Corinthios scripta sunt, quoniam schismata & dissensiones inter illos mouebantur, dum alius Paulo deputat, alius Apollo. Propter quod pacificus Apostolus, ne sibi omnia defendere videretur, non ad tinguendum ait se missum, sed ad prædicandum. Nam & prius est prædicare, posterius tinguere. Si prius prædicatū: puto autem licuit & tinguere, cui licuit prędicare. [101 Nescio si quid amplius ad controuersiam baptismi ventilatur. Sane retexā quod supra omisi, ne imminentes sensus videar intercidere: Vnus omnino baptismus est nobis, 102 tam ex Domini Euangelio, quam ex Apostoli litteris; 103 quoniam vnus Dominus & 104 vnum baptismum & 105 vna Ecclesia in cœlis 106 Sed circa hæreticos sane quid custodiendum sit, digne quis retractet; ad nos enim æditum est. Hæretici autem nullum habēt consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos vtiq; testatur ipsa ademptio communicationis. Non debeo in illis cognoscere quod mihi est præceptum, quia non idem Deus est nobis & illis, nec vnus Christus, id est idem. Ideoque nec baptismus vnus, quia non idem. Quem quum rite non habeant, sine dubio non habent, nec capit numerari, quod non habetur: ita nec possunt accipere quia non habent. 107 Sed de isto plenius iam nobis in Græco digestum est. 108 Semel ergo lauacrum inimus, semel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet. 109 Ceterum Israel Iudæus quotidie lauat, quia quotidie inquinatur. Quod ne in nobis quoque factitaretur, præterea de vno lauacro definitum est. Felix aqua quæ semel abluit, quæ ludibrio peccatoribus non

A
Ioan. 3. Luc. 3.
Cap. XI. Ioan. 4. Luc. 3.
B
Rom. 6. Cap. XII. Ioan. 3.
C
Ioan. 13.
D
Matth. 11.
E
Matth. 8. Matth. 14. Matth. 8.
Ioan. 13.
Marc. 10.
Matth. 9. Matth. 4. Matth. 8. Matth. 10.
Cap. XIII. Gen. 15.
F
Matth. 28. Ioan. 3. Act. 9. Ibid.
Cap. XIV. 1. Cor. 11. Ibid.
Ibid.
G
Cap. XV. Ioan. 3. Ephes. 4.
H
Marc. 7. Hebr. 6.

A
Cap. XVI. Luc.12.

est, quæ non assiduitate sordium infecta rursus quos diluit, inquinat. [110 Est quidem nobis etiam secundum lauacrum, vnum & ipsum, sanguinis scilicet: de quo Dominus, 111 *Habeo*, inquit, *baptismo tingui*: quum iam tinctus fuisset. Venerat enim per aquam & sanguinem, sicut Ioannes scripsit, vt aqua tingueretur, sanguine glorificaretur. 112 Proinde vt nos faceret aqua vocatos sanguine electos, hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit. Quia qui in sanguinem eius crederent, aqua lauarentur: 113 qui aqua lauissent, etiam sanguinem potarent. Hic est baptismus, qui lauacrum & non acceptum repræsentat, & perditum reddit. [114 Supereſt ad concludendam materiolam de obseruatione quoque dandi & accipiendi baptismum commonefacere. Dandi quidem habet ius summus sacerdos qui est Episcopus. 115 Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem. 116 Quo saluo, salua pax est. Alioquin etiam laicis ius est. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest, nisi Episcopi iã aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur, dicentes, Domini sermo non debet abscondi ab vllo: Proinde & baptismus æque Dei census ab omnibus exerceri potest: sed quanto magis laicis disciplina verecundiæ & modestiæ incumbit, quum ea maioribus competat, ne sibi adsumant dicatum Episcopi officium Episcopatus. Æmulatio, schismatum mater est. Omnia licere dixit sanctissimus Apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus vt vtaris, sicubi, aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurentis excipitur, quum vrget circunstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si superfederit præstare, quod libere potuit. 117 Petulantia autem mulierum quæ vsurpauit docere, vtique non etiam tinguendi ius sibi pariet, nisi si quæ noua bestiau euenerit similis priscinæ: vt quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat. 118 Quod si quæ Pauli perperam scripta legunt, 119 exemplum Teclæ ad licentiam mulierum docendi tinguendique defendunt: sciant in Asia Presbyterum qui eam scripturam construxit quasi titulo Pauli de suo cumulans, conuictum atque confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse. Quam enim fidei proximum videretur, vt is docendi & tinguendi daret fœminæ potestatem, 120 qui ne discere quidem constanter mulieri permisit. *Taceant*, inquit, *& domi maritos suos consulant*. [121 Ceterum baptismum non temere credendum esse sciunt, quorum officium est, *Omni petenti te dato*, suum habet titulũ perinde ad eleemosynam pertinentem. Immo illud potius perspiciendum, *Nolite dare sanctum canibus, & 122 porcis proijcere margaritas vestras & manus ne facile imposueris, 123 ne participes aliena delicta*. Si Philippus tam facile tinxit eunuchum, recogitemus manifestam & exertam dignationem Domini interfuisse. Spiritus Philippo præceperat in eam viam prætendere, spado & ipse inuentus est non otiosus, nec qui subito tingui concupisceret: sed ad templum orandi gratia profectus scripturæ diuinæ impressus: sic oportebat deprehendi, cui vltro Deus Apostolum miserat. ad 124 quem rursus spiritus vt se curriculo eunuchi adiungeret iussit, scriptura ipsius fidei occurrit, in tempore exortatus adsumitur, Dominus ostenditur, fides non moratur, aqua non expectatur, Apostolus perfecto negotio eripitur. 125 Sed & Paulus reuera cito tinctus est. Cito enim cognouerat Iudas hospes vas eum esse electionis constitutum. Dei dignatio suas præmittit prærogatiuas, omnis petitio & decipere & decipi potest. Itaque pro cuiusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate cunctatio baptismi vtilior est: præcipue tamen circa paruulos. 126 Quid enim necesse est, si non tam necesse 127 sponsores etiam periculo ingeri? qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & prouentu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus, *Nolite illos prohibere ad me venire*. Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur, fiant Christiani quum Christum nosse potuerint. quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum? cautius agetur in secularibus, vt cui substantia terrena non creditur, diuina credatur. norint petere salutem, vt petenti dedisse videaris. 128 Non minore de caussa innupti quoque procrastinandi, in quibus tentatio præparata est tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vagationem, donec aut nubant, 129 aut continentiæ corroborentur. Si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt 130 consecutionem quam dilationem: fides integra secura est de salute. [131 Diem baptismo solenniorem Pascha præstat, cum & Passio Domini in qua tinguimur, adimpleta est. nec incongruenter ad figuram interpretabitur, quod cum vltimum Pascha Dominus esset tacturus, missis discipulis ad præparandum, 132 *Inuenietis*, inquit, *hominem aquam baiulantem*. Paschæ celebrandæ locum de signo aquæ ostendit. 133 Exinde Pentecoste ordinandis lauacris latissimum spatium est, quo & Domini resurrectio inter discipulos frequẽtata est, & gratia Spiritus sancti dedicata & spes aduentus Domini subostensa, quod tunc in cœlos recuperato eo, angeli ad Apostolos dixerunt sic venturum quemadmodum & in cœlos conscendit, vtique in Pentecoste. Sed enim Hieremias cum dicit: 134 *Et congregabo illos ab extremis terræ in die festo*, Paschæ diem significat & Pentecostes, qui est proprie dies festus. Ceterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo: si de solennitate interest, de gratia nihil refert. [135 Ingressuros baptismum, orationibus crebris, ieiuniis & geniculationibus, & peruigilijs orare oportet, & 136 cum confessione omnium retro delictorum, 137 vt exponant etiã baptismum Ioannis, *Tinguebantur*, inquit, *confitentes delicta sua*. Nobis gratulandum est, si non publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras. 138 Simul n. & de pristinis satisfacimus cõflictatione carnis & spiritus, & subsecuturis tentationib. munimenta præstruimus. *Vigilate & orate*, inquit, *ne incidatis in tentationẽ*. Et ideo (credo) tentati sunt, quoniã obdormierũt, vt adprehẽsum Dominũ destituerint, & qui cũ eo perstiterit, & gladio sit vsus, ter etiam negauerit: 139 nam & præcesserat dictum: Neminem intentatum regna cœlestia consecuturum. Ipsum Dominum post lauacrum statim tentationes circumsteterunt quadraginta diebus ieiuniis functum. Ergo & nos, dicet aliquis, à lauacro potius ieiunare oportet, & quis enim prohibet, 140 nisi necessitas gaudii & gratulatio salutis? Sed Dominus, quantulum æstimo, de figura Israelis exprobrationem in ipsum retorsit. Namque populus mare transgressus, in solitudine translatus per quadraginta annos, illic cum diuinis copiis aleretur, nihilominus ventris & gulæ meminerat, 141 quam Dei. Deinde Dominus post aquam segregatus in deserta quadraginta dierum ieiunia emensus, ostendit non pane viuere hominem Dei, sed Dei verbo: tentationesque plenitudini & immoderantiæ ventris adpositas abstinẽtia elidi. Igitur benedicti quos gratia Dei expectat, cum de illo sanctissimo lauacro noui natalis ascenditis, & primas manus apud matrem cum fratribus aperitis, petite de patre, petite de domino, peculia, gratias, distributiones charismatum subiiciente, *Petite, & accipietis*, inquit. Quæsistis enim, & inuenistis; pulsastis, & apertum est vobis. Tantum oro, vt cum petitis, 142 etiam Tertulliani peccatoris memineritis.

B
2. Cor. 6. & 10.
1. Cor. 14. Ca. XVIII. Luc. 6. Matth. 7. 1. Timot. 5.
C
Act. 8.
Act. 9.
D
Matth. 19
Ioan. 5.
Ioan. 19. Ca. XVII.
E
Cap. XIX.
Marc. 14. Act. 2.
F
Act. 1. Hier. 31.
Cap. XX.
Matth. 3.
Matth. 26.
Luc. 22. Matth. 4.
G
Matt. 7.
H

ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM DE BAPTISMO.

1. DE BAPTISMO.] *Vti Lectori Catholico, iuxta quod promisimus supra Tom. 2. lib. de Cor. militis c. 3. numero 30. hic satisfaciamus, de singulis Baptismi ceremonijs partim, ex ipso Rhenani in eum librum Adnotationibus, partim ex ipso Tertulliano, B. Cypria-*

no, aliisque Patribus, breuissimo quo fieri poterit compendio tractabimus; sicuti de Missæ ceremoniis idipsum præstitimus initio libri de Oratione, & de Pœnitentia tribus partibus eiusdem tituli libro. Quum autem de baptizandi ritu (vti etiam Rhenanus adnotauit) qui apud Veteres & Tertullianum in vsu fuit, quædam consuetudo mutarit; pleraque tamen hodie etiam à nobis obseruari manifestum fiet, si eodem ordine quo celebrantur, singulas tractemus ceremonias, idque verbis potissimum Tertulliani & Burchardi seu potius Alcuini, à Rhenano citatis, additione facta ex Sacramentario D. Gregorij à nobis Tom. 2. Leiturgicûn Latinorum edito, aut Ordine Romano antiquo vulgato, non ita nuper à Dn. Melchiore Hittorpio cum reliquis Officiorum Diuinorum Scriptoribus. Præmittemus interim aliquid de statis bis in anno (vti etiam ante me adnotauit Rhenanus) baptismi temporibus, & Ministro baptismi, ac Sponsoribus, quos Susceptores vocamus, item & de Catechumenis ac Competentibus, de Scrutinijs quinque, differentes tractatum de Baptismo paruulorum vsque ad huius libri cap. 18.

Imprimis itaque Pascha & Pentecosten sola antiquitus extra necessitatem præscripta fuisse ad baptismum, *Tertullianus his verbis infra cap. 19. (vbi de eo latius) significat*: Diem (*inquit*) baptismo solemniorem Pascha præstat, quum & passio Domini, in qua tinguimur, adimpleta est. Exinde Pentecoste (*id est, vti loquitur c. 3. lib. de Cor. milit.* à die Paschæ vsque ad Pentecosten) ordinandis lauacris latissimum spatium est; quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia sancti Spiritus dedicata. Cæterum omnis alioqui dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo. *Hactenus ille. Qui mos antiquus (inquit Rhenanus) etiam vsque ad tempora Caroli Magni & Ludouici Augusti seruatus est. Indicant hoc leges ab illis sancitæ, quibus cauetur ne quemquam sacerdotes baptizent, excepto mortis articulo, præterquam in Pascha & Pentecoste. Eas sanctiones complectitur volumen Legum Pipini, Caroli Magni, Ludouici Pii, & Lotharii, quas Ansegisus Abbas collegit, & extant adhuc in multis Bibliothecis. Seleustadii sane habentur apud Fidei, & Argentorati in Libraria templi maioris. Hoc sic accipiendum, vt sciamus post Pascha infantes natos ad baptismum Pentecostes reseruatos, & natos post Pentecosten ad Paschalem festum diem baptismo offerri solitos, excepta, ceu dixi, necessitate, vna cum adultis Catechumenis, qui de externis nationib. Danorum, Normannorum, Sclauinorum, & similium populorum, Christianæ religioni initiabantur. Ex his enim gentib. propter continua Germanorum bella nunquam non in has regiones mancipia adferebantur. Quin ipsi maiores nostri propter Hunnorum, Auarum, Vgrorum, assiduas & exitiabiles deuastationes suis interdum sacris priuabantur ad tempus. Quibus adde, quod eius consuetudinis vestigium etiamnum seruetur in quibusdam antiquis cathedralibus Ecclesiis, & nominatim ante hos motus Vltraiectina, in quibus pridie Paschæ & Pentecostes sollemnu baptismus per Episcopos celebrari solet. & eius obseruationis meminit Rupertus libro 4. de Diu. offic. c. 8. Quid? quod etiam quotannis obseruatur Romæ apud S. Ioannem Lateranensem in baptisterio Constantini sollemnis baptismus Catechumenorum Iudæorum aut aliorum Infidelium. Hæc res animaduersa lucem adfert (eodem adnotante) ad intelligendas ceremonias & cantica, quibus adhuc vtimur, non solum (vti ille) in Paschalibus ceremonijs, sed per multas etiam Quadragesimæ ferias, quibus propriæ dicebantur sollemnis illius baptismi, quod sub Paschæ fiebat, singulæ quæque quæ præmitti solent, ceremoniæ.*

De Ministro Baptismi *hæc loquitur Tertullianus infra cap.* 17. Dandi baptismi ius habet summus sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem. Sufficiat tamen in necessitatibus vt vtaris laico, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, quum vrget circunstantia periclitantis. *Vbi de hoc etiam latius.*

Sponsorum vero in baptismo *meminit infra Tertullianus cap.* 18. Quid enim (*inquit*) necesse est, non tam necesse est, sponsores etiam periculo ingeri? *Quos etiam Susceptores iam tum appellatos (vti & Rhenanus adnotauit) significauit, supra dicto 3. cap. de Coron. militis*: Inde susceptí lactis & mellis concordiam prægustamus. *Sed etiam infra de hoc plura.*

Ante omnia autem (inquit Alcuinus, quem nomine Burchardi citat Rhenanus) Paganus sit Catechumenus. *Ita enim illos à catechizando vocabant Veteres, sicuti etiam* Audientes *siue* Auditores, *de quibus supra Tom. 2. lib. de Pœnitent. cap. 6. nu. 39. & libro præcedenti de Præscript. aduersus hæret. capite 41. numero 256. & latius in Cyprianum epistola 13. numero 4. ac 24. numero 7. Hic sufficiant verba hæc Tertulliani ex loco priori:* Nemo sibi aduletur, Auditorum tyrocinio deputatur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat. An alius est intinctis Christus, alius Audientibus? Num spes alia, vel merces; alia formido iudicii, alia necessitas pœnitentiæ? Hæc prima Audientis intinctio est, metus integer. *Vbi habes, quod etiam pœnitentiam agere deberent ante baptismum Catechumeni praeter fidei catechizationem in qua instruebantur, quamquam interim primas baptismi ceremonias, de quibus infra, Ordo Romanus & B. Gregorij Sacramentarius inscribunt* Ordinem ad faciendum Catechumenum *eo quod eo modo dumtaxat, sicut etiam hodie, catechizarentur paruuli; quum adulti multo ante in Catechumenorum fuissent numero.*

Hi vero iam baptismi tempore adpropinquante BB. Paciano sermonibus de baptismo, Augustino & Ambrosio sermonibus quamplurimis Competentes *vocantur (vti etiam libro præced. num. 256. diximus) quod simul baptismum peterent. Quo adludit his verbis Tertullianus dicto cap. 6. lib. de Pœnit.* Itaque Audientes optare intinctionem; non præsumere oportet. Qui enim optat, honorat; qui præsumit, superbit. *Iidem ab eodem Augustino, vbi supra, & in Ordine Romano, ac Sacramentario B. Gregorij,* Electi *vocantur, quod ad baptismum factis scrutinijs eligerentur.*

Scrutinia denique ante Baptismum sex fiebant *Quadragesimæ tempore, & septimum in Vigilia Paschæ, iuxta Ordinem Romanum, quem citant Alcuinus & Amalarius libr. de Diuin. Officijs. Ita vt primum* scrutinium *incipiat à feria quarta Dominicæ tertiæ. Quæ frequentius iterabantur (Alcuino teste, iuxta quod etiam sub nomine Burchardi citauit Rhenanus) vt exploretur sapius, an post renuntiationem Sathanæ sacra verba datæ fidei radicitus corde defixerint. Adquæ (quum ex Ordine Romano similia in* scrutiniis *illis facta constet) adludit haudubie Tertullianus his verbis infra cap. xx.* Ingrediturus baptismum orationibus crebris, ieiuniis, & geniculationibus, & perunigilio orare oportet. *Certe etiam Concilij Bracarensis Patres eodem spectant cap. 3. Nos (inquiunt) omnimode præcipimus, & antiqui Canones præcipiunt, vt ante Baptismum xx. dies ad purgationem exorcismi Catechumeni veniant, & in illis xx. diebus iuxta canonicum præceptum erudiantur, & consecrentur. Totidem enim dies computantur à Sabbatho Hebdomadæ III. Ad eadem, & potissimum tertium, quod in apertione aurium dicebatur, adludit beatus Ambrosius libro de iis qui mysterijs initiantur, capite 1. & de Sacramentis libro 1. capite 1. item beatus Augustinus, Sermone ad Competentes, & loco citato ab Amalario de Diuinis Officiis, libro 1. capite 8. & Rupertus de Diuinis Officiis, libro 4. capite 18. 19. 20. & 21. verbis infra citatis capite 20. huius libri. In Hispaniis præterea id peculiare fuit, vt infantium capita ante baptismum lauarentur, idque certo die, quem Capitulauii appellabant, vti patet ex beati Isidori libro 6. Etymologiarum, capite 18. & libro 1. de Offic. Ecclesiasticis, capite 27. Quod in Galliis quoque vsitatum patet ex Alcuino, libro de Ecclesiast. Offic. qui id fieri solere scribit in Dominica Palmarum; cui similia sunt apud beatum Cyrillum Hierosolymitanum, Præfatione in Catechesin.*

Porro quandoquidem omnes & singulæ septem scrutiniorum, aliæque ceremoniæ repetebantur in Sabbato sancto quum baptizarentur, maxime ob paruulos recens natos, qui prioribus non interfuerant (sicuti patet ex Ordine Romano pagin. 32. & 27. Amalario de Diuin. Offic. libr. 1. cap. 16. ac sequentibus, & Alcuino eiusdem argumenti libro pagin. 61. & sequent.) quare & à Hrabano simul omnes recitantur libr. 1. de Institut. Cleric. cap. 27. 28. 29. & 30. eo quo celebrabantur ordine omnes recitabimus, quas tribus (quod aiunt) verbis demonstrabo easdem esse pene, quibus etiamnum vtimur.

Primum itaque recitabantur nomina baptizandorum *in prioribus scrutinijs descripta (vti est in Ordine Romano, & Sacramentario beati Gregorij) quorum masculi stabant ad dexteram, fœminæ ad sinistram. Huc pertinet illud Concilii cuiusdam Carthaginiensis can. 85. citatum à Burchardo Decret. libro 3. capite 1. Baptizandi nomen suum dent. & cuius sit apud Dionysium Areopagitam Ecclesiasticæ hierarchiæ capite 2. mentio, nominum descriptio. tam eius qui baptizandus est, quam susceptoris; item illud beati Augustini libro de cura pro mortuis agenda: Dedit nomen inter alios Competentes. & verba similia epistola 155. item quod habet beatus Clemens Romanus epistola 3. Accedat qui baptismum vult, ad sacerdotem, & nomen suum det. Meminit & Rhenanus citans caput Legum 1. quæstion. 2. quod est ex Concilio Hincmari Remensis Episcopi apud sanctum Medardum cap. 8. Atqui etiam hodie ante omnia* Nomina baptizandorum *reddi iubentur à Susceptoribus, & postea sapius interrogantur, & citantur à Susceptoribus, vt iam olim etiam Dionys. Areopag. adnotauit.*

Posthæc (Alcuino teste libr. de Diuin. offic. quem ex Burchardi Decret. libr. 6. qui alius sit oportet quam hodie exstat, citat Rhenanus) accedens ad baptismum, renuntiat maligno spiritui & omnibus damnosis eius pompis. *Quod ipsum hodie fit, nisi quod alio ordine, nempe immediate ante baptismum, quum illud fieret olim bis, nempe & in scrutinio primo, & rursum antequã baptizaretur. Hinc est illud Tertulliani lib. de Corona militis, cap. 3.* Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis eius. *Super quo loco Rhenanus. Hoc (inquit) fiebat ad Occidentem, teste Hieronymo. Interpres Dionysii de Eccles. hierarch. Deinde (inquit) Occidentem versus illum statuens intendentem, manusque impingentem ad eandem regionem conuersas, insufflare illum ter Satanam iubet, ac præterea abrenuntiationem profiteri. Id sequenti capite exponens, docet impulsione manuum baptizandum obscurã militiã consortia renuere & exsufflare. Quibus adiicienda præterea hæc verba Dionysii Areopagitæ ibidem, nempe capite 2. sequentia: Et quum post trinam* abrenuntiationis *contestationem tertio se ille abrenuntiare professus fuerit, ad Orientem illum traducit. Quæ omnia etiam repetit B. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 1. mystagogica, clarius appellans protensionem manuum in renuntiatione. Eodem adludit etiam Auctor dicti libri capite 13.* Omnes (coronandi causæ) alienæ, profanæ, illicitæ, semel iam in Sacramenti testatione eieratæ; hæ enim erant pompæ diaboli & angelorũ eius. *Item quod est libro ad Martyras, capite 2.* Christianus etiam extra carcerem seculo renuntiauit *& libro de Spectaculis, capite 4.* Quum (*inquit*) renunciasse nos diabolo & pompæ & angelis

A eius ore nostro contestamur, quid erit summum ac præcipuum, in quo diabolus & pompæ & angeli eius censeantur, quam Idolatria? Igitur si ex Idololatria vniuersam Spectaculorum paraturam constare constiterit, indubitate præiudicatum erit, etiam ad Spectacula pertinere renuntiationis nostræ testimonium in lauacro; quæ diabolo & pompæ & angelis eius sint emancipata. Si quid ex his non ad Idolum pertinuerit, id neque ad Idololatriam neque ad nostram eierationem pertinebit. *Ac cap.* 24. Hoc erit pompa diaboli, aduersus quam in signaculo fidei eieramus. Quod autem eieramus, neque facto, neque visu, neque prospectu, participare debemus. Ceterum nonne eieramus & rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius? *Rursum illud libro de Idololatria capite* 6. Quomodo *(inquit)* renuntiauimus diabolo & angelis eius, si eos facimus? Quod repudium diximus his, non dico cum quibus, sed de quibus vinimus? *Libro item de Habitu muliebri, capite* 2. Hi sunt angeli, quibus in lauacro renuntiamus. *Denique illud infra libro de Anima* Pactus es enim renuntiare ipsi, & pompæ, & angelis eius. *Similia Beati Cypriani testimonia & aliorum Patrum citata inueniet Lector Adnotat. nostris in epist. eius* 7. *num.* 15. *& lib. de Orat. Dom. num.* 33. *Quibus adde Origenem hom.* 12. *in Numeros, B. Pacianum lib. de baptismo, B. Ambrosium l. de iis qui mysteriis initiantur, cap.* 1. *& lib.* 1. *de Sacrament. cap.* 2. *B. Seuerum Alexandr. in baptismi ritibus. Repetitam autem iterum immediate ante baptismum interrogationem & abrenuntiationem diaboli, sicuti fit hodie, patet ex Sacramentario S. Gregorij, Ambrosio & Augustino locu ibi citatis.*

B Exsufflatur *etiam (inquit apud Rhenanum Alcuinus) vt fugato diabolo, Christo Domino nostro paretur introitus. Ad* Exsufflationis *vero ritum adludit* B. *Dionysius Areopagita verbis citatis, præterquam quod per ipsum baptizandum in sua Ecclesia id fieri solitum significet, quum dicit:* Insufflare, *seu potius* exsufflare *illum ter Satanam iubet. Beatus Gregorius in Sacramentario magis accedit ad Alcuini & nostram consuetudinem, qua sufflat ter in faciem Presbyter, dicens: Exi ab eo Satan, &c. quod in baptismo paruulorum per Susceptores & Presbyteros iam olim vsitatum significat locus paulopost citandus. Eodem pertinet illud B. Cyrilli Hierosolym. Catech. mystag.* 2. *vbi loquitur de oleo exorcizato, in cuius etiam exorcismo, sicuti & salis, de quibus infra latius fiebant exsufflationes.* Insufflationes *(inquit) sanctorum & nominis Dei inuocatio, tamquam vehementissima quædam flamma vrit dæmones, & in fugam conuertit. Meminerunt eiusdem Exsufflationis B. Isidorus lib.* 2. *de offic. Eccles. cap.* 20. *ac Hrabanus noster de Instit. cleric. lib.* 1. *cap.* 27. *Denique illis vetustior B. Augustinus lib.* 2. *de nuptijs & concupisc. cap.* 18. *ac* 29. *etiam BB. Cyprianum & Ambrosium citans lib.* 2. *de pecc. orig. lib.* 3. *contra Iulianum, libro* 3. *contra Epist. Parm. libro* 2. *contra Cresc. capite* 3. *& libro* 1. *de Symbolo ad Catechum. capite* 1. *denique etiam B. Seuerus Alexandr. in Græcorum baptismi ritibus. Eodem denique pertinere existimant viri eruditi quidam illud Auctoris supra libro* 2. *ad Vxorem capite* 5. quum aliquid immundum flatu expuis.

C Exorcizatur etiam *(inquit ibidem Alcuinus) id est, coniuratur malignus spiritus, vt exeat & recedat, dans locum Deo vero. Cuius Exorcismi eadem pene verba, quibus hodie vtimur, recensentur in Ordine Romano, & partim in Sacramentario B. Gregorij. Quid? Quod ad verba illa:* Da honorem Deo viuo & vero, *adludat B. Cyprianus alicubi. Similes autem exorcismos Græcorum habes apud B. Seuerum Patriarcham Alexandr. in dictis baptismi ritibus, qui extant in Bibliotheca SS. Patrum. Alios quoque locos aliorum Patrum de exorcismo in baptismo citautmus in epist. Cypriani ad Magnum* 76. *num.* 54. *Sicuti & de potestate Exorcistarum in dæmones, quam ijsdem pene verbis amplificat ille, epist.* 2. *ad Donatum num.* 10. *quibus Tertullianus supra Tom.* 1. *Apolog cap.* 23. *&* 43. *Quibus adde Optatum Mileuitanum contra Parm. lib.* 4. *& Iulium Firmicum lib.* 2. *Matheseon cap.* 3. *&* 4. *Auctor præterea ad baptismi Exorcismum videtur adludere supra lib. de Præscription. aduers. haret. cap.* 41. Ipsæ *(inquit)* mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tinguere. Exorcismus *autem, teste B. Isidoro lib.* 2. *de offic. Ecclesiast. cap.* 20. *sermo increpationis est contra immundum spiritum, in Energumenis siue Catechumenis factus, per quem ab illis diaboli nequissima virtus & inueterata malitia expulsa fugetur. Cui simile est illud Optati Mileuitani contra Parmenian. libro* 4. *Hoc Exorcismus operatur, per quam spiritus immundus depellitur & fugatiue.*

D Imponit etiam manum *(inquit B. Gregorius in Sacramentario)* Presbyter in frontibus eorum, *dicendo: Signaculum Saluatoris Domini nostri Iesu Christi in frontem tuam pono, & similiter in pectus. Quam hauddubie intelligit Vincentius à Thibari in Concil. Carthag. sub B. Cypriano sententia* 37. *dicens. Ergo primo* per manus impositionem in Exorcismo, *secundo per baptismi regenerationem, possunt ad Christi pollicitationem venire. Et eodem adludit Tertullianus libro de Spect. capite* 4. *&* 24. *dum baptismum* signaculum fidei *vocat verbis supracitatis. Quemadmodum & Theodoretus libro* 4. *hist. Ecclesiast. capite* 8. *ἀναπομπὴν, & Dionys. lib. Eccles. Hierarch capite* 5. *σφραγῖδα σφραγίδα, baptismum nuncuparunt. Ceterorum Patrum de* signo Crucis in baptismo *vsitato testimonia habes partim supra Tom.* 2. *lib. de Corona militis, numero* 40. *& latius Adnotat. nostris in B. Cypriani epist.* 56. *numero* 31. *& epist.* 63. *numero* 39. *His addemus illud Dionys. Areopag. Imponit eius capiti manum, consignansque illum, sacerdotibus mandat, virum susceptoremque describant. Et paulopost: Rursusque ille orans benedicit, eique manus imponit. Et quod habet B. Augustin. de Symbolo libro* 2. *& libro* 4. *capite* 1. *Per sacratissimum signum crucis vos suscepit in vtero sancta mater Ecclesia, cuius etiam meminit in Psalm.* 30. *Orationes complures huc pertinentes, qua etiamnum recitantur, reperire est in Ordine Romano, & Sacramentario B. Gregorij.*

Accipit quoque Catechumenus sal *(inquit, vbi supra, Alcuinus) vt putrida & fluxa eius peccata sapientia sale diuino munere mundentur. Et vero* Exorcismum & Benedictionem salis *eandem, quæ nunc vtimur, reperire est in Ordine Romano, & Sacramentario B. Greg. Deinde huius ceremoniæ meminerunt præterea Ven. Beda in* 1. *l. Regum, cap.* 27. *quemadmodum citatur ab Iuone, Decreti parte* 1. *de baptismo, capite* 100. *& Gratiano de consecratione distinctione* 4. *cap. Sal. B. Isidorus de Eccles. offic. lib.* 2. *cap.* 20. *& Hrabanus noster loco sæpe citato, quomodo etiam B. Seuerus Alexandr. in bapt. ritibus. Eodem videtur pertinere quod legitur de* Sale Catechumenorum *Concil. Carthag.* 3. *can.* 5. *& illud B. Augustin. Confess. libro* 1. *capite* 11. *Signabar iam signo eius, & condiebar eius sale. Deinde (inquit idem Alcuinus)* Symboli Apostolici traditur ei fides; *vt vacua domus, & à prisco habitatore derelicta, fide ornetur, & vt præparetur habitatio Deo. Quo adludit procul dubio Tertullianus libro de Corona militis, capite* 3. *numero.* 30. *quum dicit:* Amplius aliquid respondentes quam Dominus in Euangelio determinauit. *Verum de eo latius in Adnotationib. nostris in B. Cyprian. epist.* 70. *numero* 15. *& infra capite* 6. *Hic dumtaxat dicemus, quod ex BB. Augustino & Ambrosio constet iterum repetitam Symboli interrogationem & professionem, sicuti fit hodie immediate ante baptismum. Item illud quod fidem suam Romæ ex editiori loco in conspectu populi profiterentur Competentes, sicuti patet de Victorino Rhetore apud Augustinum li.* 8. *Confess. cap.* 2.

Tanguntur *(inquit Alcuinus, vbi supra)* & nares, *vt quamdiu spiritum naribus trahat, in fide accepta perseueret. De quo apertius secundum consuetudinem etiam hodie obseruatum in hæc verba Sacramentarius Beati Gregorij;* Deinde vero tangat ei nares & aures cum digito de sputo, & dicat ad aurem dexteram, *Ephata, quod est: Adaperire; ad nares: In odorem suauitatis; ad aurem sinistram: Tu autem effugare diabole, &c. Ea autem omnia authentica esse patet ex B. Ambrosio libro* 1. *de Sacrament. capite* 1. *& lib. de iis qui myster. initiantur. capite* 1. *Cuius mysterium ex illis in hæc verba descripsit loco citato Hrabanus: Postea tanguntur ei nares & aures cum saliua, & dicitur ei verbum Euangelicum, quod Iesus, quando surdum & mutum sanauit, Marc.* 7. *Tangens cum sputo linguam eius, & mittens digitos suos in auriculas eius, dixit Ephata, quod est, Adaperire. Quod ipsum etiam repetit Beda homil.* 19. *id Euangelium tractans, quemadmodum ab Iuone in Decreto citatur. Fit etiam mentio tactus narium & aurium apud B. Cyrill. Hieros. Catechesi* 3. *mystag. sed per vnctionem. Adludit etiam B. Augustinus quodam Sermone, vbi apertionis mysterij meminit; & expresse Amalarius libro de Eccles. offic. capite* 8. *& ipse Alcuinus latius lib. de Diuin. offic. de Sabb. Paschæ.*

Pectus quoque *(inquit Alcuinus)* perungitur oleo, *vt signo sanctæ crucis diabolo claudatur ingressus.* Signatur & scapulæ, *vt vndique muniatur. Item in pectoris & scapularum (sic enim lego, pro: scapulæ) vnctione signatur fidei firmitas, & operum bonorum perseuerantia. Quod explicatius tradit more etiamnum obseruato B. Gregorius in Sacramentario. Posthæc tangat ei pectus & inter scapulas de oleo sancto, crucem faciendo cum pollice dicens: Vngo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Cui similia Amalar. de Eccles. offic. libro* 1. *cap.* 23. *& Hrabanus, vbi supra. Et vero iam ab Apostolorum ætate Beatus Dionysius Areopagita, vbi supra: Et quum illum ministrii perfecte exuerint, deferunt sacerdotes sanctum vnctionis oleum, at vero Pontifex trino crucis signaculo vnctionem inchoans. Cui similia de tota corporis vnctione habet Beat. Cyrill. Hieros. Catechesi mystag.* 2. *Chrysost. hom.* 6. *in Epist. ad Colossens. ac B. Seuerus Alexandrinus baptismi ritibus. Verum in Ecclesia Latina, dumtaxat vnctum caput & pectus satis indicat B. Ambros. libro de iis qui mysterijs initiantur, capite* 6. *faciens itidem mentionem vnctionis in genere lib.* 1. *de Sacrament. cap.* 2. *quomodo etiam B. Isidor. libro* 2. *de Diuin. offic. cap.* 20. *Eodem pertinent quæ scribuntur in Ordine Romano, Sacramentario Beati Gregorij, ac Amalario lib.* 1. *de Ecclesiast. offic. cap.* 12. *de Exorcismo olei, quod sanctum, sanctificatum, seu Catechumenorum, appellant, iu die Cœnæ Domini. Nam sic loquitur Hrabanus vbi supra: Vngetur illius tunc pectus de oleo sanctificato, & ante illum iamdudum B. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap.* 27. *verbis mox citandis, immo & B. Clemens Romanus similia habet epist.* 3.

Deinde (inquit Hrabanus libro 1. *de Institutione clericorum capite* 28.) consecratur fons. *Quod etsi priori loco à Rhenano citato non habeatur, reperitur tamen eodem capite apud Alcuinum de Sabbatho sancto Paschæ, & præterea in Amalario libro* 1. *capite* 26. *in Ordine Romano, & Beati Gregorii Sacramentario. Immo vero disertis verbis B. Cypr. Epist.* 7. *ad Ianuarium: Oportet (inquit) mundari & sanctificari aquam prius à sacerdote: quo adludit etiam Tertullianus infra huius lib. cap.* 4. Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogatiua Sacramentum sanctificationis consequuntur, inuocato Deo. Superuenit enim statim spiritus de cœlis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso. *Vbi hac de re latius, potissimum propter Magdenburgenses, qui negant ea ætate aquam consecrari solere.*

Posthæc (inquit Alcuinus) in nomine sanctæ Trinitatis, trina submersione baptizatur, *Et recte per inuocationem sanctæ Trinitatis (sic enim lego) homo ad imaginẽ sanctæ Trinitatis creatus, ad eandem renouatur imaginem, & qui tertio gradu peccati, id est, consensu, cecidit in mortem, tertio eleuatus à fonte, per gratiam surgit ad vitam. Similiter Tertullianus supra libro de Corona milit. cap. 3.* Dehinc ter mergitamur. *quæ verba transcripsit B. Hieron. libr. aduers. Lucifer. & infra lib. aduers. Praxean. (iuxta quod & Rhenanus ibi adnotat) vbi de Christo loquitur:* Et post resurrectionem *(inquit)* spondens missurum se discipulis promissiones Patris, & nouissime mandans vt tinguerent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non in vnum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tinguimur. *Atqui baptismum in nomine Trinitatis necessarium esse ex Matth. capite 28. & alias late deducit B. Cypr. Epist. ad Iubaianum 73. numero 56. & 74. ad Pompeium, num. 18.* quo pertinent quæ similia leguntur de trina mersione apud *BB. Dion. Areopag. Clementem Romanum, Basilium, Cyrillum Hierosolym.* locis citatis in Canone *Apostol. 49. & apud Ambros. libr. 2. de Sacrament. capite 5. Hieronym. in cap. 4. ad Ephesios, Isidorum lib. 2. de Eccles. offic. capite 24. & Seuerum Alexandrinum. vbi supra Chrysostom. hom. 24. in Ioannem, Didymum libro 2. de Spiritu sancto, Basilium iterum lib. de Spiritu sancto, cap. 15. Ambros. de Spiritu sancto lib. 1. cap. 3. Denique Zachariam Papam epist. ad Bonifacium Episcopum.* Mersioni *vero, quæ proprie baptismus est, successit nunc in Occidentali Ecclesia citra ætatem B. Gregorii primi* asperso, *seu perfusio aquæ terna, quam etiam legitimam esse, & verum baptisma conficere, multis probat B. Cyprian. epist 76. ad Magnum, vbi etiam aliquid diximus num. 44. Ad quam etiam pertinet illud Auctoris supra Tom. 2. libr. de Pœnit. cap. 6.* asperginem vnam cuiuslibet aquæ.

Tum (inquit Alcui. vbi supra, quamquam ordine præpostero, postponens quod debebat præmittere, sicut idem ipse eodem capite indicat) sacro chrismate caput perungitur, *& mystico tegitur velamine, vt intelligat se diadema regni & sacerdotii dignitatem portare iuxta Apostolum:* vos estis genus regale & sacerdotale, offerentes vosmetipsos Duo viuo hostiam sanctam & Deo placentem. *Cui similia videre est apud Beatum Isidorum libro 2. capite 26. Amalarium de Eccles. offic. libro 1. capite 27. & Hrabanum vbi supra; denique in Ordine Romano, Beati Gregorij Sacramentario. Quid? quod Tertullianus infra cap. 7.* Exinde *(inquit)* Egressi de lauacro perungimur benedicta vnctione, de pristina disciplina, qua vngi oleo de cornu in sacerdotium solebant, ex quo Aaron a Mose vnctus est. *Vbi & de hac vnctione, & de* chrismate, *ex Patribus eiusdem aut prioris ætatis, aduersus Magdenburgenses, qui ad Montani ceremonias referre non verentur.*

Denique (inquit idem Alcuinus) albis induitur vestibus. *Cui respondent Ordo Romanus, B. Gregorij Sacramentarius, Amularius lib. 1. capite 29. & Hrabanus lib. 1 itidem capite 29. Ac etiam eandem recenset consuetudinem B. Dionys. Areopag loco sæpe citato: Assumentes autem illum (baptizatum nempe) sacerdotes, suique accessus duci consignant, & vna cum ipso illum vestem baptizati mundiciæ congruam induunt, sicque indutum rursum ad Pontificem ducunt. Vbi vides denuo mentionem Susceptorum. Meminit & B. Ambros. de iis qui mysterijs initiantur capite 7. & Laurentius Presbyter sermone de Pœn. His adde quæ habet Rhenan. in dictum librum Tertull. de Cor. militu: Pontius Paulinus baptismum (inquit) hus carminibus describit:*

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos.
Infantes niueos corpore, corde, habitu:
Circumdatque rudes festis altaribus agnos:
Pura salutiferis imbuit hora cibis.
Hinc senior sociæ congaudet turba cateruæ,
Alleluia nouis balat ouile choris.

Istius vestigium adhuc hodie seruatur, per hoc quod vestis candida baptizati capiti imponitur post baptismum & vnctionem.

Quidam etiam (inquit B. Honorius in Gemma animæ, libro 3. de Sabb. Paschæ) mox de fonte eleuatis lumen dare solent, *quatenus splendidis operum lampadibus sponso venienti occurrant. Meminit etiam lucernarum ardentium, quæ dabantur in manus iam baptizatorum B. Gregor. Nazianz. serm. de baptis. & Gregor. Turonensis libro 5. cap. 11. ac Niceph. hist. Eccles. lib. 3. cap. vltimo.*

Sic Corpore *(inquit vbi supra Alcuinus)* & Sanguine Domini confirmatur, *vt illius sit capitis membrum, qui pro nobis passus est, & resurrexit. Cui similia habent Ordo Romanus, & Sacramentarius B. Gregorii, nisi quod Communionem recensent post Manus impositionis seu Confirmationis Sacramentum, quod Pontifex siue Episcopus baptismum celebrat. Quæ conditio etiam additur ab ipso Alcuino non multo post præcedentia, atque adeo etiam illa sic intelligenda veniunt. Nam & B. Dionys. Areopag. communionem post inunctionem Episcopalem collocat, itidem & B. Ambros. lib. 3. de Sacram. capite 1. & lib. de iis qui mysterijs initiantur cap. 7. & 8. Adludit ad hanc consuetudinem etiam auctor lib. 4. aduers. Marcion. cum dicit:* nec alibi coniectos ad Sacramentum baptismatis & Eucharistiæ admittens. *Qui etiam interim post Manus impositionem collocat Communem, libro de Resurrectione carnis verbis infra citatis capite 8. Meminerunt eiusdem consuetudinis Beatus Hieronymus aduersus Lucifer. Paulinus verbis paulo ante citatis, Augustin. lib. 5. Hypognosticõn. Hanc vero communionẽ etiam à paruulis tunc vsitatã, manifestum fit ex Ordine Romano & Alcuino, vbi sic legitur. Illud autem etiam de paruulis prouidendum est, ne postquam baptizati fuerint, vllum cibum accipiant; neque lactentur sine summa necessitate antequam communicent Sacramento corporis Domini. Quod iisdem verbis repetitur ab Alcuino. Verum aliquid de parvulorum Communione diximus Adnotationibus nostris in B. Cypriani lib. de Laps. num. 89. quã hauddubie tum sublata est, quando cessauit adultorum baptismus & certa illa baptizandi tempora amplius obseruata non sunt obpericulum irreuerentiæ.*

Nouissime *(inquit idem Alcuinus apud Rhenanum)* per impositionem manus à summo sacerdote septiformis gratiæ spiritum accipit, vt roboretur per spiritum sanctum, ad prædicandum alijs quo fuit in baptismo per gratiam vitæ donatus æternæ. *Quod sicuti diximus, intelligitur, vbi sacerdos baptizat in absentia Episcopi. Verum de hoc latius infra huius lib. cap. 8. cuius initium:* Deinde manus imponitur, per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctum.

Porro, vti Tertullianus tradit sapedicto capite 3. lib. de Corona militis, in Africa aliquid præterea seruabatur post dictam Confirmationem & Communionem: Inde susceptis, *inquit, vbi rursus ad Susceptores adludit,* lactis & mellis concordiam prægustamus. *Et huius autem apud Veteres ceremoniæ meminit Hieronym. aduers. Lucifer, vti etiam ante me adnotauit Rhenanus, in hæc verba:* Deinde *inquit* egressos à baptismo lactis & mellis prægustare concordiam.

Quibus addit Rhenanus ex eodem Hieronymo etiam alteram consuetudinem in Occidentis Ecclesijs, qua recens baptizatis vinum & lac dabatur. *Explicans autem ille Isaiæ locum illum:* Venite, emite sine argento & absque vlla commutatione vinum & lac: *Quod, inquit, vinum miscuit & sapientia in cratere suo, omnes stultos sæculi mundique sapientiam non habentes prouocans ad bibendum; & vt non solum vinum emamus, sed & lac, quod significat innocentiam paruulorum.*

Lotionem pedum *quoque in Mediolanensi Ecclesia obseruatam significat his verbis D. Ambrosius libro 3. de Sacram. capite 1 Succinctus summus sacerdos pedes tibi lauit. Non ignoramus quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus sequimur & formam. Vide ergo, ne forte propter multitudinem declinauerit. Cuius etiam meminit l. de iis qui misterijs initiantur, ca. 6. Quod postea interdictum Concilij Elibertini cap. 48. Forta ssis ea lotio pedum fiebat, quod obseruaretur id quod sequitur dicto cap. 3. lib. de Corona militis, apud Tertullianum:* Exque ea die, lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. *Super quo loco Rhenanus: Apud Veteres (inquit) frequens erat lauandi consuetudo; verum recens baptizati per hebdomadam abstinebant. Docet in Apologetico suo Tertullianus Christianos etiam vsos lauacris, sed tamen cauisse, ne ethnicorum ceremonias obseruare viderentur:* Non lauor *(inquit)* diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam. Attamen lauor honesta hora & salubri, quæ mihi & calorem & sanguinem seruet.

Quando autem Hebdomadæ Paschatis incidit mentio, hoc & hic adjiciendum, quod ea vocaretur antiquitus Hebdomoda in albis, *vtpote cuius Sabbatho siue Dominica sequenti Albas vestes deponerent baptizati, sicuti constat tum ex multis Veteribus, tum potissimum ex B. Augustini sermone ad Competentes, Dominica in Octauis Paschæ. Quam consuetudinem etiam obseruatam tota octaua Pentecostes patet ex Amalario lib. 1. de Eccles. Offic. cap. 38.*

Hæc res animaduersa (inquit, vbi supra Rhenanus) lucem adfert *ad intelligendas ceremonias & cantica, quibus adhuc in Paschalibus feriis sollemniter vtimur (nam ipse Paschæ dies peculiariter resurrectioni dedicatus est) Qualia sunt Hymnus: Rex sanctorum. Responsorium: Vidi aquam. Hymnus: Ad cœnam agni prouidi introitus feriæ secundæ: Introduxit vos Dominus in terram fluentem lac & mel. Introitus feriæ tertiæ: Aqua sapientiæ potauit eos; & hulti Oratio: Deus qui Ecclesiam tuam nouo semper fœtu multiplicas. Introitus feriæ quartæ:* Venite benedicti patris mei. *Introitus feriæ quintæ: Victricem manum autem Domine laudauerunt. Et Oratio: Deus qui diuersitatem gentium, in confessione tui nominis adunasti; da vt renatus fonte baptismatis, vna sit fides mentium, & pietas actionum. Secreta: Suscipe, quæsumus, Domine munera populorum tuorum propitius, vt in confessione tui nominis, & baptismate renouati, sempiternam beatitudinem consequantur. Introitus feriæ sextæ: Eduxit eos Dominus in spe. Secreta: Hostias, quæsumus, Domine placatus adsume, quas & pro renatorum expiatione peccati deferimus, & pro acceleratione cœlestis auxilij. Introitus Sabbati: Eduxit Dominus populum suum. Introitus quoque Dominicæ diei: Quasimodogeniti. Quæ propterea pluribus indicaui, quores apertius cognoscetur.*

2. ADVERSVS QVINTILLAM.] Quintillani *(inquit Epiphan. hæres. 48. 49. & 52.) qui & Pepuziani appellantur. Artotyritaque, ac Priscillani, iidem sunt cum Phrygibus, & ex ipsis originem ducunt; diuiduntur autem iuxta quendam modum. Tradunt enim hi in Pepuza, aut Quintillam, aut Priscillam (non possum certo adfirmare, vnam autem ex ipsis) in Pepuza dormiuisse, & Christum ad ipsam venisse, condormiuisseque ipsi hoc modo, velut illa delusa dixit: In forma (inquit) mulieris formatus, in veste splendida ad me venit Christus, & immisit in me sapientiam, & reuelauit mihi hunc locum esse sanctum, & hic Ierusalem è cœlo descendisse. Quare etiam hucusque dicunt, initiari sic quasdam mulieres in eo loco. Mulieres Itaque apud ipsos vocantur Prophetissæ.* Quintillam *vere ducem ac principem hi habent cum*

Priscilla, quæ etiam est apud Phrygas. Episcopi quoque apud ipsos sunt mulieres, & Presbyteri mulieres. Quod ipsum iisdem pene verbis repetunt Beatus Augustinus hæres. 27. & Damascenus libro de hæresibus; nulla interim mentione facta quod baptismum negauerint: quem errorem adscribunt Archontici, quos contribuit Theodoretus Ascodrutis vel Ascrodupetis. Propius adtingere ad hanc hæresin Seleucianos & Herminianos scribunt Philastrius & Augustinus hæres. 59. quos dicunt baptismum in aqua non recipere: Quos secuti sunt Proclianitæ (sicuti apud Philastrium legere oportet, pro: Prodianitæ) qui à quo Proclo dicti, infra latius libro aduers. Praxean ad hæc verba Auctoris. Secundum Valentinos & Proclos. *Atqui Tetullianus notat quidem supra libro de Præscription. aduersus hæreticos capite* 41. Mulieres hæreticas procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere curationes repromittere, forsitan & tinguere. *Quo pertinet etiam illud Tom. 2. lib. de veland. virgin. ca. 9.* Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vendicare. *Et infra illud cap.* 17. Petulantia autem mulierum quæ vsurpauit docere, vtique non etiam tinguendi ius sibi pariet. *Verum quum ibidem indicet nondum Quintillam eo tunc deuenisse audaciæ, eo quod subiungat:* nisi si quæ noua bestia euenerit similis pristinæ, vt quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat; *videtur Quintilla postea baptismum quidem admisisse, sed per mulieres dari voluisse, tamquam Presbyteras & Prophetissas. Vt vt sit, hinc patet, nondum consensisse, quum hæc scriberet Auctor, in Quintillam, aut Marcellam, aut Priscam tamquam Prophetissas, atque adeo ante hæresin omnem conscriptum hunc librum. Quod etiam vt fiat quamfiestius, recens titulo addidimus:* ADVERSVS QVINTILLAM, *quippe qua indicet aduersus eam conscriptum hunc Librum his verbis capite* 1. Ita Quintilla monstrosissima, cui nec integre quidem docendi ius erat, optime norat piscículos necare, de aqua auferens.

CAP. I.

3. Fœlix Sacramentum aquæ nostræ, &c.] *Caput hoc primum non aliud quam* Præfatio *est totius libri.* Sacramentum *autem esse* baptismum *quum nemo vmquam dubitauerit, paucos dumtaxat locos Tertulliani adferemus: Idque non solum ea significatione qua* Sacramentum *pro iureiurando accipitur, quemadmodum interpretatur Rhenan. (meo iudicio, non recte) illud supra libri ad Martyras capite* 3. quum in Sacramenti verba respondimus, *& debet intelligi illud eiusdem Tom. 2. libro de Corona militis capite* 11. Credimusne humanum Sacramentum diuino superduci licere? *Verum etiam proprie pro mysterio diuino & Ecclesiæ Sacramento, quale est illud libro 4. aduers. Marc.* nec alibi coniunctos ad Sacramentum baptismatis admittere, *& illud libro de Anima:* fecutissimi atque tutissimi Sacramenti. *Item quod habet supra libro de Idololatria capite* 6. De ipso Sacramento nostro interpretaremur, nobis aduersas esse fidei eiusmodi artes. *Et libro, de Velandis virginib. capite* 2. eadem lauacri Sacramenta. *Rursum infra hoc ipso libro capite* 5. an non & alias sine vllo Sacramento, immundi spiritus aquis incubant: *& capite* 9. Quæ figura manifestior in baptismi Sacramento? *Item infra capite* 13. addita est ampliatio Sacramento. *Et lib. 1. aduersus Marcum* iam nec ipsis fidei Sacramentum, *& paulopost*: & in hoc totum salutis Sacramentum carnem mergit. *Similes Beati Cypriani loci septem à nobis adnotati sunt in Indice. Si quis aliorum Veterum testimonia postulet, facile erit reperire apud modernos scriptores, & maxime inter Auctoritates quæ in Catechismo maiori Canisii latissime citantur. Nos hic dumtaxat ob Caluinum & alios quosdam* aquæ *necessitatem in baptismo adserimus, prout etiam fecimus Adnotation. nostris in Beati Cypriani Epistola 2. numero* 8. *vbi adnotauimus non nouam esse hanc hæresin, sed iam olim à Philastrio & B. Augustino hæresi* 54. *damnatam in Seleucianis & Herminianis, & ex professo contra eundem conscriptum esse hunc librum. Pro quo facit tum istud exordium, tum illud infra cap.* 12. vt destruant aquæ Sacramentum; *& illud capite* 13. nullius aquæ Sacramento, *quemadmodum etiam loquitur ipsum imitatus Beatus Hieronymus epistola* 83. *ad Oceanum, apud quem etiam* aquarum Sacramenta *leguntur: tum denique quod capite* 3. 4. 5. *&* 9. *toties prærogatiuas* aquæ *inculcet. Vt non omittam quod vox βάπτισμα, tinctionem significat, quæ sine aqua fieri nequit, & lauacri appellationem, omnibus Veteribus vsitatam, ipsique Auctori nostro frequentissimam, infra hoc libro, & aliis locis supracitatis numero* 1. *Quo pertinet etiam* trina, *de qua paulo ante*, mersio, *quæ sine* aqua *fieri non potest, & ipsum Christi baptismi præceptum:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum; *quod infra etiam vrget Auctor cap. 13. tum etiam* benedictio aquæ, *qua baptismo præmittitur, cuius paulo ante etiam facta est mentio, & latior infra cap. 4. Comprobat eandem aquæ necessitatem B. Chrysost. hom. 24. in Ioannem, ex baptismo familiæ Cornelii per B. Petrum Apostolum, Act. 10. vbi dicitur:* Numquid aquam prohibere quis potest? *&c. Atque adeo comprobari potest etiam verbis illis Eunuchi, Act* 8. Ecce aqua: quis prohibet me baptizari? *Beatus Hieronymus similiter & Auctor serm. de Ablut. pedum, quantam vim habeat qua in Christo sanctificata, iisdem scripturis comprobant, quibus Auctor infra. Eodem etiam pertinet comparatio baptismi cum diluuio, 1. Petri 3. Item quod cum Natatoria Siloe comparetur plerumque à Patribus. Rursum quod Aspersionis aquas veteris Testamenti figuratum baptismum scribunt Beatus Cyprianus epist. ad Magnum 76. & B. August. quæst. 32. in Numeros. Denique illud 1. Corint. 6.* Sed abluti estis: *& quod ad ipsum B. Paulum dicit Ananias, Act. 22.* Exurge & baptizare, & ablue peccata tua. *Et illud B. Cypriani epist. 63. ad Cæcil. Quotiescunque aqua sola in scripturis sanctis nominatur,* baptisma *prædicatur.*

4. quia ablutis delictis pristinæ cæcitatis, &c.] *Latinius censet legendum:* qua, *vti ad aquam referatur, sed illud placet. Similes autem sunt loci supra libro de Pœnit. Tom. 2. cap. 6.* Neque ego renuo diuinum beneficium, id est, ablutionem delictorum, inituris aquam omnino saluum esse. *Infra quoque cap.* 4. Quamquam ad simplicem actum competat similitudo, vt quoniam vice sordium delictis inquinamur, aquis abluamur. *Et cap. 5.* per ablutionem delictorum, *ac*: exempto reatu. *Et capite 6.* ablutione delictorum. *Item capite 7.* quod delictis liberamur. *Denique lib. 1. adu. Marc. agens contra Deum creatorem Marcionis*: Cur enim *(inquit)* rei baptisma quoque apud eum exigitur, si remissio peccatorum est? quomodo videtur delicta dimittere, qui non videtur retinere? *Quæ omnia faciunt aduersus eos, qui dicere non verentur in baptismo peccata omnia non plene deleri, sed reatum manere, contra quos etiam egimus Adnot. nostris in B. Cyprian. epist. 2. numero* 14. *Quibus adde locos Patrum sequentes B. Hieron. epist. 83. ad Oceanum, Clem. Alexandr. lib. 1. Pædag. capite 6. Chrysostom. homil. ad baptizandos, Reticij Augustud. episc. verbis à B. August. citatis lib. 1. contra Iulianum, capite 2. & ipsius Beati Augustini libro 1. contra 2. Epist. Pelag. capite 13. libro 1. de nupt. & concupisc. capite 23. Enchirid. capite 119. libro 3. de Symbolo capite 10. ac 25. & libro 1. Retract. capite 15. Ambr. libro 1. de Apol. Dauid, capite 12. denique Lactantij libro 3. Diuin. Instit. 26. capite Eodem omnino pertinent verba Beati Hieronymi paulopost citata numero 7. & hæc B. Optati Mileuitani lib. 5. contra Parm. Quis fidelis nesciat baptisma virtutum esse vitam, criminum mortem, peccatorum naufragium?*

5. in vitam æternam liberamur.] *En alterum effectum baptismi. Quo pertinet etiam illud infra cap. 2.* consecutio æternitatis; *& cap. 5.* Ista restituetur homo ad similitudinem eius, qui retro ad imaginem Dei conditus fuerat; imago in effigie, similitudo in æternitate censetur; *item illud, quamquam subobscurum, capite 3. de aqua:* si, quæ vitam æternam gubernat, & in cœlesti procurat. *Similia videre est apud Chrysost. hom. 13. qua est exhortatio ad baptismum, Clem. Alexand. Pædag. libro 1. capite 6. Ambros. libro de Hel. & ieiun. cap. 22. & vbi hæredes Dei baptizatos esse probat ex Apostolo Paulo, Epist. 82. ad Vercell. Eccles. quod ipsum repetit Chrysostom. hom. de baptizatis, quemadmodum à B. Augustin. citatur libro 1. contra Iulianum capite 2. Eodem pertinet præceptum Christi*: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cœlorum, *ergo à contrario sensu, qui renatus fuerit, hæres sit regni cœlorum. Quibus adde locum ipsum Apostoli Pauli apertissimum Tit. 3.* Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. *Et illud Optati Mileuit. loco dicto numero præcedenti, vbi* cœlestis regni comparationem *baptismum vocat.*

6. digestum istud.] *Etiam hæc vox Iureconsultorum, vti patet ex titulo Digestorum Iuris ciuilis.*

7. quædam de Caiana hæresi vipera venenatissima, &c. imprimis baptismum destruens.] *Omnino ita legendum, pro eo quod erat:* Gaiana, *inde colligitur, quod nusquam* Gaianæ *hæreseos, aut similis appellationis, præterquam tempore Zenonis Imperatoris, multis post Tertullianum seculis, Gaianistarum fiat mentio, &* Caianæ *etiam meminerit Auctor supra libro de Præscription. aduersus hær. capite* 33. Sunt & nunc *(inquit)* alii Nicolaitæ, Caiana hæresis dicitur; *vbi ad hæresin istius Quintillæ illum adludere adnotauimus num. 196. vt pote quæ se Propheten esse diceret, non aliter atque Iezabel illa, contra quam B. Ioannes Apostolus Apocal. 2.* Deinde confirmatur *hæc mea castigatio ex B. Hieron. Epist. 83. ad Oceanum, vbi ad verbum fere locum hunc imitatur: Et consurgit (inquit) mihi* Caiana hæresis, *atque olim emortua vipera contritum caput leuat: quæ non ex parte, vt ante consueuerat, sed totum Christi subruit Sacramentum. Dicit enim esse aliqua peccata, quæ Christus non possit purgare sanguine suo, & tam profundas scelerum pristinorum inhærere corporibus atque animis cicatrices, vt medicina illius ad tenuari non queat. Quid aliud agit, nisi vt Christus frustra mortuus sit? Frustra autem mortuus est, si aliquos viuificare non potest. Cetera omitto, ne sim prolixior. Quid? quod etiam hæresin, quod non sint perpetienda Martyria, contra quam agit Auctor Scorpiaco aduersus Gnosticos,* Caianam *nuncupet Beatus Hieronymus libro aduersus Vigilantium, de qua appellatione ibi latius. Hic subiungam, confirmari meam opinionem ex dictis verbis eiusdem, quod nō omnino baptismum destrueret Quintilla, sed ex parte, id est, negaret aquæ baptismum, quem tamen imprimis necessarium ostendit Tertullianus. Cui congruit etiam sequens comparatio & Auctoris, & Beati Hieronymi cum vipera, & quod paulopost dicit:* optime norat piscículos necare, de aqua auferens. *Recte autem dicit hanc* viperam de Caiana hæresi ortam; *nam Marcosij (quorum* Caianos *discipulos fuisse adnotauit Epiphan. vti diximus supra libro de Præscript. aduers. hæret. cap 47. numero 306. hær. 7.) seu Gnosticorum quidam, Beato Irenæo teste lib.*

1 cap. 18. *etiam baptismi mysterium per visibiles creaturas, atque adeo per aquam fieri negabant.*

8. Nam fere viperæ & aspides, ipsique reguli serpentes arida & inaquosa sectantur.] *legimus hic* fere *aduerbialiter, ex coniectura Latinij, pro eo quod erat per diphthongum* feræ ; *nam feris aliis non competit quod hic habet Auctor.* De vipera & serpentibus (*quorum species etiam* aspides) *consentit Plinius nat. hist. libr.* 8. *capite* 39 *his verbis:* Serpentium *sola* vipera *terra dicitur condi, cetera arborum aut saxorum caueis. Nam inde colligitur eos* arida & inaquosa sectari. De Regulis, *id est, Basiliscis, apertius habet Beatus Isidorus Etyl. lib.* 12. *capite* 4. Reguli (*inquit*) *sicut scorpiones,* arentia quæque sectantur. *Quod ad verbum fere desumpsit ex epist.* 83. *B. Hieronym. ad Oceanum, adludentis, quantum adparet, ad parabolam Christi de spiritu qui ambulat per loca arida & inaquosa.*

9. Sed nos piscículi secundum ἰχθῦς nostrum.] *Facit ad intellectum huius loci B. Optatus Afer. lib.* 3. *adu. Parmenian. (vti etiam ante me adnotarunt Latinius & Franciscus Balduinus.) Hic (de Christo loquens) inquit: est* piscis, *qui in baptismate per inuocationem sanctalibus vndis inseritur; vt quæ* aqua *fuerat, à* pisce *etiam piscina vocitetur. Cuius* piscis *nomen, secundum appellationem Græcam, in vno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet* ἰχθῦς enim (*sic lego*) *Latine est Iesus Christus, Dei filius, saluator. Quod ipsum repetit B. August. l.* 18. *de ciuit. Dei, cap.* 23. *Vocis autem Græcæ, quæ singulis vocis* ἰχθῦς *litteris indicantur, hæ sunt* Ἰησοῦς, Χριστὸς, Θεοῦ Υἱὸς, Σωτὴρ.

10. in aqua nascimur, &c.] *Sic rursum ex castigatione Latinij lego, pro:* nascamur; *nam sequitur :* nec aliter quam in aqua permanendo salui sumus. *Quæ ipsa verba imprimis sunt adnotanda contra eos, qui aquæ necessitatem in baptismo negant, contra quos egimus supra nu.* 3. *De* Quintilla, *item num.* 2.

CAP. II.

11. Sed enim quanta vis est peruersitatis, &c.] *Caput hoc inscripsimus :* Quod nihil nos mouere debeat baptismi simplicitas & admiranda potestas immo tanto magis amplectendum.

12. inter pauca verba tinctus.] *Adludit ad verbum baptismi* in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, *de qua supra num.* 1 *vbi de trina mersione agitur, ad singula nomina & personas singulas.*

13. Quid ergo? nonne mirandum & lauacro dilui mortem] *Et tertium baptismi effectum, quo* mors diluitur, *non quidem temporalis, sed aeterna; quod ipsum repetit Auctor infra cap.* 5 deleta mortis peralutionem delictorum, *item lib.* 1. *adu. Marcion.* Si absolutio mortis est baptismus, quomodo absolueret (Deus creator) à morte, qui non diuinxit ad mortem? *Eodem pertinet quod infra cap.* 3. *habetur:* ne mirum sit in baptismo, si aquæ animare nouerunt. *quod imitatus B. Cyprian. epist.* 2. *ad Donatum: Lauacro (inquit) aquæ salutaris animatus. Præterm isi autem quod secundo superflue repetebatur:* Atqui in eo magis credendum est, *item cum Gagæo iterum :* præcucurrit, *pro:* præcurrit.

17. vt confundat sapientiam eius.] *Etiam hinc patet propriam habuisse translationem Auctorem maxime noui Testamẽti, quod ipse legat* sapientiam eius *mundi, nempe pro eo quod & Græce & Syriace, & Latine, & alii omnes non aliud quam:* sapientes. *Et vero germanam hanc esse lectionem Auctoris patet supra libro de Præscription. aduersus hæret. capite* 7. *vbi sic legitur :* stulta mundi in confusionem etiam Philosophiæ ipsius elegit.

15. & prædifficilia penes homines, &c.] *Simile est istud, quod tamen paraphrastice magis videtur citare, pro eo quod est Matth.* 19. Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia sunt possibilia; *nam* prædifficilia *interpretatur impossibilia, & possibilia facilia.*

CAP. III.

16. Huius memores pronunciationis, &c.] *Titulum huic capiti damus :* Quod plurima in primordio mundi elemento aquæ auctoritas fuerit. *probat autem hoc suum institutum* ex aquarum antiquitate, dignatione *seu dignitate* mundi modulatione, quæ & animas protulerint, sine quibus etiam hominis opus absolutum non sit. *quæ omnia ad verbum fere transscripsit B. Hieron. epist.* 73. *ad Oceanum, verbis mox citandis.*

17. In primordio (*inquit*) fecit Deus, &c.] *Infra lib. aduers. Hermogen. vertit:* in principio, *vbi idipsum latissime explicat, sed eiusdem vtrumque significationis est, & genuinum esse constat ex eo quod sequitur infra c.* 5. in primordio. *Illud autem :* & tenebræ erant super abyssum *paulo post declarat.*

18. & spiritus Dei super aquas ferebatur.] *Hoc ipsum diuersis verbis explicat. Mox hisce :* aqua vectaculum Deo subiiciebat, &c. Dei spiritus superuectabatur super aquas, & ab eo quod super ferebatur, id quod ferebat, sanctitatem mutuabatur, *ac ca.* 5. ad fectantes illam diuini spiritus gestationem. *ex quibus locis repositum etiam hic:* Dei, *pro eo quod erat:* Domini *maxime quum & Græca vox* Θεὸς, *& Hebræa* אלהים *consentiant, & ipse B. Hieron. vbi supra Rudis (inquit) mundus, necdum sole rutilante, nec pallente luna nec astris micantibus,* incompositam & inuisibilem (*en versionem Tertulliani*) *materiam abyssi magnitudine & deformibus tenebris opprimebat. Solus* spiritus Dei *in aurigæ modum* super aquas ferebatur, *& nascentem mundum in figura baptismi parturiebat.*

19. Nam vt firmamentum cœleste, &c.] *Hoc sic expressit B. Hieronym. Inter cœlum & terram medium exstruitur firmamentum, & iuxta Hebraici sermonis* ἐτυμολογίαν, *cœlum Samaim ex aquis sortitur vocabulum, & aquæ quæ super cœlos sunt, in laudes Dei separantur.*

20. & vt terram aridam suspenderet.] *Adludit ad illud Prouer.* 8. quando appendebat fundamenta terræ, *cui simile est illud Isaiæ* 40. Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera?

21. primis aquis præceptum est, &c.] *Istud totidem fere verbis B. Hieronymus repetit : Primum (inquit) de aquis quod viuit egreditur; & pennatos fideles de terra ad cælum leuat.*

22. Nam ipsius quoque hominis figurandi opus, &c.] *Itidem & istud sic transscribit B. Hieronym. Fabricatur homo de limo, & inter manus Dei aquarum sacramenta versantur. Limus enim describitur sic ab Auctore* humecta & succida materia; *eadem nempe, sicuti eleganter subiungit :* quam ante quartum diem segregatæ aquæ in stationem suam superstite humore limo temperarant. *Nam sic lego cum Latinio pro : temperant.*

CAP. IV.

23. Sed ea satis erit præcerpsisse,] *Inscriptionem huius capitis fecimus:* De sanctitate aquæ. quæ à Spiritu sancto sanctificata etiam ipsa sanctificat.

27. Ita de sancto sanctificata natura aquarum, & ipsa sanctificare concepit.] *Eodem pertinet quod mox subiungit* superuenit enim statim spiritus de cœlis. & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt. *Item quod infra legitur c.* 10. candidatus remissionis & sanctificationis in Christo subsecuturæ. *Adnotandi loci contra eos, qui negant sanctificationem quæ fit per baptismum, quæ tamen ex ipsis scripturis sacris confirmatur. Eo pertinet illud* 1. *Cor* 6. Abluti estis, Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, *Quare recte etiam Chrysost. homil. ad Neophytos :* Non enim fiunt tantum liberi, *sed & sancti, non tantum sancti, sed & iusti, non solum iusti, sed & filij, nec solum filij, sed & hæredes, non solum hæredes, sed & fratres Christi, sed & cohæredes. Cui similia habet hom. ad baptizandos, locum illum priorem citans. Similibus aliorum Patrum testimoniis supersedeo, ne sim prolixior. Hic sufficiat locus B. Optati Mileuitani l.* 5. *contra Parmenian. vbi de vnico baptismo tractat:* Sacramenper se esse sancta.

25. Numquid ipsis enim aquis, &c.] *Adnotat similem particulæ* enim *vsurpationem Latinius etiam infra c.* 11. In quem enim tingueret? &c. 20. & quis enim prohibet.

26. Nec quicquam refert inter eos quos Ioannes in Iordane, &c.] *Quod hic crude dixit, quo sensu id intelligat, infra late prosequitur c.* 8. *Atqui per illud:* & quos Petrus in Tiberi tinxit, *refutatur rursum eorum calumnia, qui Petrum Romæ fuisse negant, contra quos supra vide Adnotat. nostras in lib. de Præscript. adu. hæret. cap.* 24. *num.* 144. *cap.* 23. *num.* 186. *& c.* 36 *nu.* 214.

27. Igitur omnes aquæ, &c. sacramentum sanctificationis consequuntur, inuocato Deo. Omnes (*inquam*) aquæ, *siue (vti paulo prius locutus est)* mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alueo diluatur. *Deinde dicit quidem* sanctificationem consequi de pristina originis prærogatiua, *sed non nisi,* inuocato Deo. *Quod adeo quamtumuis id negent Centuriatores Magdenburgenses, ad consecrationem aquæ, quæ ante baptismum fit, omnino pertinet (vti etiam Cassander fatetur libr. de Baptismo) De qua apertius B. Cyprianus, immo Synodus Africana, Epist. ad Ianuar. Oportet (inquit) mundari & sanctificari aquam à sacerdote. Item Sedatius Episco. in Carthag. Concil. senteut.* 18. *Aqua sacerdotis prece in Ecclesia sanctificata, abluit delicta. Etiam his antiquior B. Dionys. Areop. Eccle. Hierarch. c.* 2. *At vero Pontifex (inquit) aquas baptismi prece ac inuocatione sanctificans, terque in eas ad crucis effigiem (vti etiamnum fit) sanctissimum fundens vnguentum, terque ad numeiam sacræ effusionis, carmen quod Prophetæ Deo pleni diuinitusque afflati, pronuntians. Quod idem repetit sub finem cap.* 4. *Etiam media ætatis Auctores consuetudinis non scripte meminerunt, qua* consacrabatur aqua baptismi. *Beatus Basilius lib. de Spiritu sancto cap.* 27. *Ambros. lib.* 1. *de Sacramentis c.* 5. *ac de ijs qui mysteriis initiantur cap.* 3. *& B. Hieronym. sæpe dicta Epist.* 73. *ad Oceanum. Recentiorum testimonia habes supra nu.* 1. *inter reliquas ceremonias baptismi. Etsi autem fateor plerumque consecratam primum aquam baptismi tempore, tamen pro baptizandis in necessitate, sicuti & hodie, reseruari solere aquam consecratam in labro aliquo, satis indicare videntur B. Optat. Mileuit. lib.* 5. *contra Parmenian. Cyrillus Hierosol. Catechesi* 5. *Origenes hom.* 12. *in Numeros, & Ambros. l.* 1. *& 2. de Sacramentis, c.* 5. *ac Prudent. Hymno nocturno, qui fontis baptismi mentionem faciunt. Idem ritus seruatus fuit à multis seculis & apud Græcos, ac apud Æthiopes, vti ex ritibus constat B. Seueri Patriarchæ Alexandrini, & Petri Abbatis Æthiopici, qui inde ab Apostolorum temporibus, vti etiam constat ex dictis verbis Dionys. Areop. Hierarch. Eccl.* 4. *Quid? quod Iustinus respons. ad Orthod quæst.* 139. *Socrates hist. Eccles. cap.* 27. *& Zonaras in Leone Isaurico,* κολυμβήθρων *vocant, & Ambros. de ijs qui misteriis initiantur, ca.* 11. *regenerationis sacrarum, Baptisterium etiam, vti hodie id vocamus, celebrat suis versibus Paulinus epist. quadam ad Severum Auctores vero Diuinorum officiorum peculiarem consecrationem fontis*

baptis-

A

baptismatis faciunt, isdem pene verbis, quibus hodie pridie Paschæ & Pentecostes. Quamquam interim in necessitate omnis aqua etiam non consecrata sufficiat.

CAP. V.

28. Sed enim nationes, extraneæ ab omni, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* Si nationes lauacro se initiantes, purgati se putabant, multo id magis baptismi aquas efficere. *Atqui huc etiam pertinet illud quod est infra cap.* 8. Sane humano ingenio licebit spiritum in aquam arcessere, & concorporationem eorum accommodatis desuper manibus alio spiritu tantæ claritatis animare.

29. Nam & sacris quibusdam per lauacrum initiantur.] *Desumpsisse istud videtur partim Auctor ex B. Iustino Martyre, qui Apolog. 2. ad Antonin. Pium ita loquitur: Porro lauationem hanc quiū audissent dæmones per Prophetam promulgatam, vt & ingressuri in delubra eorum, & accessuri ad illos, atque libationibus & adipis nidoribus offerendis operaturi seipsos aqua adspersione lustrarent, effecerunt. Quin vt toto quoque corpore lauentur prodeuntes, priusquam ad templa, vbi illi collocati sunt, veniant, instinctu & opera sua curant. Scribit & Seruius in 4. Æneid. Virgil. quod qui superis sacrificabant, abluerentur, qui vero inferis, aspergerentur. De quo plura Gyraldus syntag. 17. quamquam hoc ad omnia sacrificia pertineat, quum Auctor solum de quibusdam loquatur.*

30. Isidis alicuius.] *De* Isde *vide supra Tom. 2. lib. de Corona Milit. cap. 7. num. 77. & 84. vbi ex Eusebii lib. 3. cap. 2. de Demonstratione Euang. docuimus* Isidem *dictam non modo Cererem, sed & Iunonem, immo etiam Cybelen, quam Magnam matrem Deum appellabant. Quod postremum fit probabile ex B. Hieron. lib. 2. adu. Iouinian. vbi coniungit ieiunia castorum* Isidis & Cybeles, *de quibus infra libro de Ieiunio. Deinde omnino confirmatur ex carmine B. Cypriani, seu potius Tertulliani, ad Senatorem, vbi postquam dixisset:*

Quis patiatur enim te Matrem credere magnam
Posse Deum dici, rursusque putare colendam,
Cuius cultores infamia turpis inurit?

paulopost subiungit:

Siquis ab Isiaco Consul procedit in vrbem,
Risus oris erit; quis te non rideat autem,
Quis fueris Consul, nunc Isidis esse ministrum?

Et quasi adludat ad lauacri initiationem quæ fiebat in sacris hisce, postea adfert:

Et pariter lædunt gelidum feruensque lauacrum.

Quandoquidem interim mox citandis verbis B. Aug. videtur indicare Cœlesti virgini & Berecynthiæ *similes fuisse Ludos exhibitos, & nos non semel adnotauimus, maxime Apolog. cap. 24. numero 383. Cœlestem deam Africanam Cererem fuisse; potest etiam de illius sacris Auctor hic intelligi, quæ ipsa* Isis *dicta est, quippe in quibus certa quædam initiatio, Aristophane teste, & purgatio erat necessaria. Aut certe de similibus sacris, quæ in Pelusio* Isidi *fiebant, ad eundem modum, quo Romæ sacra Matris Deum.*

B

31. aut Mithræ.] *De lauacro in hisce sacris sic supra Auctor libro de Præscript. adu. hæret. cap.* 40. Tinguit & diabolus quosdam vtique credentes ac fideles suos. *B. autem Iustinus Martyr adu. Tryphonem, indicat eos qui hisce mysterijs initiabantur, in hoc imitatus verba quædam Isaiæ* 33, Aqua eius fidelis. *Plura de mysteriis* Mithræ *vide tum ibi libro de Præscriptione, vbi supra numero* 240. 241. 242. 243. 244. 245. *& 246. Item Tom. 2. lib. de Cor. milit. cap. vlt. num.* 206. 207. *& 208. Quum interim Capella Martianus verbos, vbi supra, citatis eundem faciat* Mithram *& Osirin, siue Serapin, apud Ægyptios, cuius sacra & Isidis eadem, non mirum est si similia dicit Auctor* Isidis & Mithræ *sacra. Porro B. Hier. li. 2. aduers. Iouinian. citat Eubulum qui historiam* Mithræ *multis voluminibus explicat.*

C

32. Ipsos etiam Deos suos lauationibus efferunt.] *Istud de sacris Matris Deum disertis verbis tradit B. August. lib. 2. de ciuit. Dei. cap. 4. Ludis (inquit) turpissimis, qui Diis Deabusque exhibebantur, oblectabamur. Cœlesti Deæ & Berecynthiæ matri Deorum omnium, ante eius lectica, de sollemni lauationis eius, talia per publicum cantitabantur à nequissimis scenicis, qualia non dico matrem Deorum, sed nec matrem ipsorum scenicorum deceret audire. Ac paulopost: Quæ sunt sacrilegia, si illa erant sacra?* aut quæ inquinatio, si illa lauatio? *Super quo loco Ludou. Viues tradit, pridie Idus Aprileis matrem Deum, magna pompa à Gallis ad Almonem fluuium, qui non procul ab Vrbe Tiberi miscetur, ibique ad confluentem duorum omnium ablui solere eius simulacrum, idque ex Lucano libro* 1. *Pharsal. Ouid. Fastor. libro* 4. *& B. Prudentio in Romano martyre. Citat etiam Gyrald. de Diis gentium, syntag.* 4. *Vibium Sequestrum ad Virgilianum filium, Ammianum lib.* 23. *Valerium Flaccum lib.* 8. *Argonaut. & Claudianum. De* Isidis *autem sacris videtur accedere ad Auctoris sententiam, quod ex Herodoto citat Athenagoras Oratione pro Christianis. De lacu apud Saitas circulari forma solo saxeo exornato, in quo imagines erant defunctorum ligneæ pictura expressa, quas ostendebant in noctis sacris & mysteriis.*

33. Ceterum villas, &c. aspergine circumlatæ aquæ expiant.] *Adludit haud dubie ad Lustrationes, quibus* expiabantur, *tum aliis variis modis, tum etiam aliquando* aspergine circumlatæ aquæ villæ, domus, templa, & totæ vrbes, *quam adeo aquam lustralem vocabant. Verum de his late Gyraldus* 17. *Syntag. histor. Deorum, agens de sacris Amburbalibus, Ambarualibus, & lustralibus.*

D

34. certe Ludis Apollinaribus & Pelusiis tinguuntur, &c.] *Lege:* tinguuntur. *pro:* tinguntur, *more Tertullianico. Atqui puto* Apollinares ludos *hic dici qui fiebant in honorem* Mithræ: *quem eundem* Apollinem *dictum supra adnotauimus li. de Cor. milit. &* Pelusios à Pelusio *Ægypti oppido sic dictos, qui celebrabantur* Isidi, *vt quemadmodum in sacris, sic & in eorundem* ludis tinguerentur. *Nam de* Apollinaribus Ludis *aut* Pelusiis *nihil tale quid alibi reperire potui.*

35. quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat.] *Nota est (teste Gyraldo, vbi supra) historia, nihil omnino notius apud Auctores, quo* quisquis homicidio se infecerat, *bis septies* se purgatrice aqua, *veste que aqua abluebat & expiabat plerumque apud flumina. Loqui autem addit ibidem Pausaniam in Atticis de simili purgatione Thesei ob interfectos Pallantis filios, & in Corinthius de Apollinis expiatione & Dianæ post eadem Pythonis. Item Herodotum lib. 2. de Adrasto, qui Crœsum Regem adiit expiationis causa, ob interemptum incaute Regis filium. Atqui paulopost pro:* perditor liberat *(inquit Harrisius) legendum:* proditor. *verum illud placet.*

36. immundi spiritus aquis incubant, &c.] *Istud apertius explicat, quum subiungit de quibusdam* fontibus, riuis, piscinis, curipis, *(de quibus supra libro de Spectac. capite 8. numero 77.)* cisternis, & puteis; qui rapere dicuntur per vim spiritus nocentis. *Huc autem pertinet quod Orpheus poemate ad Musæum, dæmonas distinguit in cœlestes, aereos, aqueos, terrestres, subterraneos & vagos, quorum aqueos Deos Nymphas vocabant, de quibus mox latius. Psellus libro de Dæmonibus, quartum eorum genus facit aqueum, quod humoribus se immergat, ac libenter circa lacus fluuiosque habitat, & multos perdit aquis. Porphyrius haud absimiliter lib. Respons. ex Orac. Apollinis.*

37. Nam & enectos.] *Qui ita dicantur subiungit, nempe:* quos aquæ necauerunt. *Cuiusmodi virium aliquot recenset aquas Plin. nat. hist. l. 2. cap. 103. & li. 31. cap. 2. Priori quidem loco tres* fontes *in Beroso Taurorum colle, & vnum in Carcinensi Hispan. agro. Posteriori vero aquas in Thracia apud Cychros, & Lycium in Leontinis tertio die, si quisquam biberit; & circa Thessalica tempe: vtrobique vero Nonacrin Arcadiæ, de qua latius lib. de Anima, c. 50. infra, vbi eius fit mentio.*

38. & lymphatos.] *Nempe eos (vti mox addit)* quos aquæ amentia exercuerunt. *Quod ipsum de* Colophone *scribit Auctor infra lib. de Anima:* Lymphaticos *legens, de quo ibi latius. Adtribuit idipsum Plinius posteriori loco iuxta Callimachum Gallo Phrygiæ fluuio, si in potando excedatur necessarius modus, & fonti rubro in Æthiopia secundum Ctesiam.* Lymphatos *autem à* Lymphis, *quo olim nomine Nymphæ nuncupabantur, dictos adnotauit Nannius Miscell. l. 4. p. 107. id comprobans ex Varrone de Re rustica lib. 1. ca. 1. vbi inter Deos agrorum enumerat* Lympham. *Quoniam (inquit) sine aqua omnis arida ac misera cultura. Græcis autem dicebantur hi* Νυμφόληπτοι, *tamquam ex adspectu Nymphæ alicuius territi, quam in aquis vidissent, quod primum ab aquis abhorrentes, paulopost furere incœperant.*

39. & hydrophobos.] *Eos nimirum,* quos aquæ *(vti sequitur)* formidine exercuerunt. *Similiter autem B. Hier. epist. 83. ad Oceanum. Reguli (inquit) & scorpiones postquam ad aquas venerint,* ὑδροφόβους *&* Lymphaticos *faciunt. Quæ B. Isidorus ad verbum transscripsit Etym. lib. 12. cap. 3. & alibi iisdem nominibus nuncupat, qui à cane rabido morsi aquam metuunt. Atque adeo aquæ marinæ immersi sanari solent. Quod haud dubie habet ex Plinio lib. 29. ca. 6. vbi etiam aliud remedium indicans: Est limus (inquit) saliue sub lingua rabiosi canis, qui datus in potu fieri* hydrophobos *non patitur. Multo tamen vtilissime iecur eius, qui in rabiem momorderit, datur, si possit fieri, crudum mandendum; si minus, quomodo coctum, aut ius coctu carnibus.*

40. qui valetudinem querebantur.] Valetudinem *appellat, quam supra Tom. 1. lib. aduers. Iudæos cap. 13.* inualetudinem; *quippe quum illa etiam in malam partem accipiatur. Deinde* queri *cum Accusatiuo vsitatum est etiam Ciceroni l. de Amiciti. & epist. ad Atticum libro 5. epist. 65. ac Cæsar. li. 1. de bello Gall. Quemadmodum &* mederi *cum Accusatiuo Terentio in Phorm. vt non miretur quis illud Auctoris iuxta lectionem Gagnæi, qui primus hunc librum adidit:* nunc spiritum medentur, *quæ adeo magis placet quam ea quam substituit Gelenius:* spiritui.

41. Exempto scilicet reatu, eximitur & pœna.] *Facit hic locus contra eos, qui concupiscentiam post baptismum audent peccatum dicere, quippe quum* reatum exemptum *dicat. Pœnam autem, quam* eximi quoque *dicit, æternam intelligi, nam mors & aliæ pœnæ peccati originalis temporales manent in baptizato.*

42. Ita restituetur homo Deo ad similitudinem eius qui retro ad imaginem Dei fuerat, &c.] *Facit ad huius loci intellectum quod habet Origenes lib. 3. Periar. cap. 6. Moses (inquit) ante omnes primam hominis conditionem enarrans, inquit:* Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *tunc deinde addit:* Et fecit Deus hominem ad Dei imaginem. *Hoc ergo quod dixit:* Ad imaginem Dei fecit eum, *& de* similitudine *tacuit: non aliud indicat, nisi quod* imaginis *dignitatem in prima conditione præceperit:* similitudinis *vero* perfectio *in consummatione seruata est. Scilicet vt ipse sibi propria industria studiis ex Dei imitatione conficeret; quum possibilitatem sibi perfectionis diuinitus datā,*

per

per imaginis *dignitatem, in fine demum, per operum expletionem perfectam sibi ipsi* similitudinem *consummaret. Id enim est quod addit Auctor,* Imago in effigie, similitudo in æternitate censetur. *Et infra quoque libro de Resurrectione carn. cap. 6. legit dumtaxat:* Et fecit hominem Deus; id vtique quod finxit, ad imaginem Dei fecit illum.

43. Recipit enim illum Dei spiritum, quem tunc de adflatu eius acceperat, &c.] *Sensus iste illius Gen. 2.* Et flauit Deus flatum vitæ in faciem hominis; *quem sequitur etiam Cyrill. in hunc locum scribens. Allegoricus potius est quam litteralis, vel B. Thoma Aquinate teste l. aduersus errorem Græcor. c. 27. imo eundem deridet B. August. lib. 15. de ciuit. Dei, c. 24. Quare ipse quoque verum & germanum sensum indicauit de spiritu vitæ, id est, ipsa anima, tum supra lib. de Pœnit. cap 3. quum dicit* animam adflatu Dei consummatam, *tum latius infra libro de Anima vbi de eadem. Hic adiungam dumtaxat ex B. August. lib. de Hæres. quod Philastrius multas hæreses recensuerit, quæ hæreses non sunt; inter quas recte Sixtus Senensis Bibl. Sanct. lib. 5. adnot. 27. collocat eam, quæ (non erronee, sed recte) spiraculum vitæ supradictum de anima rationali interpretatur cum BB. Chrysostomo, Augustino, & ipso, vti iam dictum est, Tertulliano.*

CAP. VI.

44. Non quod in aquis spiritum sanctum consequamur, &c.] *Huic capiti titulum damus:* Quod ad maiora dona Spiritus sancti per baptismum præparemur. *Atqui quamquam hic crude loquatur Auctor, certe mentem suam indicat infra cap. 10. quum baptismum Ioannis à baptismo Christi distinguit, quod ille* neque remissionem peccatorum, neque Spiritum sanctum daret; *agnoscit ergo in baptismo* Spiritum sanctum dari, *non ibi modo, sed & apertius alibi, vbi baptismum dicit esse consecutionem Spiritus sancti. Alioqui enim non constaret illud Christi, Ioan. 3.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. *Verum hic loquitur more ipso scripturarum, secundum quem legitur Act. 8. de Petro & Ioanne in Samariam missis:* Qui quum venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tũc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. *Eo enim hauddubie adludit auctor infra initio ca. 8. vbi de sacramento agit Confirmationis, seu Manusimpositionis, quum dicit:* Dehinc manus imponitur, per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctum. *Et similiter loquuntur quotquot de baptismi ceremonis scribunt. vocantes Manusimpositionem seu Vnctionem chrismatis Episcopalem, perfectionem baptismi, quæque perficiendi vim habeat, & Spiritum sanctum plene conferat, de quo infra latius Hic sufficiat Patrum sententia explicatio, quam habet Hrabanus noster l. 1. de Instit. cler. c. 30. Signatur (inquit) baptizatus cum chrismate per sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem vero in fronte: vt priori vnctione significetur* Spiritus sancti *descensio ad habitationẽ Deo consecrandam (hoc est enim quod hic dicit Auctor:* Spiritui sancto præparamur ablutione delictorum) *in secunda quoque, vt eiusdem* Spiritus sancti *septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis & scientiæ & virtutis venire in hominem declaretur. Nec mirum (addit ibidem) si homo bis eodem chrismate ad accipiendum* Spiritum sanctum *vnguatur, quum idem* spiritus *bis sit ipsis Apostolis datus. In terra semel, quando post resurrectionem suam Dominus insufflauit in eos, & dixit:* Accipite Spiritum sanctum, &c. *Et de cœlis semel, quando post ascensionem Domini in die Pentecostes in linguis igneis super Apostolos venit, & omnium gentium linguis eis loqui concessit. Et postea: Quod autem gratia* Spiritus sancti *aquas baptismi fœcundans illustret, insinuat Ioannes, quum ipsum Dominum in* Spiritu sancto *baptizare testatus est, dicens:* Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. *Numquam enim aqua baptismatis filios suos generare posset, nisi prius ipsa dono* Spiritus sancti *illuminata esset, vt in ipsa mirabiliter partum spiritalis lucis efficeret idem* Spiritus, *qui in primordio simul cum Patre & Filio illum purgationi aptum creauit. Si quis plura desiderat, latissime prosequitur Beatus Hieronymus libro aduersus Luciferianos,* Baptismum sine Spiritu sancto non esse. *Quo pertinet etiam illud Beati Cypriani epist. 2. ad Donatum: Cœlitus* spiritu *hausto reparat secunda natiuitas; & epist. 63. ad Cæcilium: Per baptismum* Spiritus sanctus *accipitur. Et tamen idem epist. ad Ianuarium 70. ita loquitur: Vngi necesse est qui baptizatus sit, vt habere in se gratiam Dei possit. Quod hauddubie de maiori gratia debet intelligi. Confertur itaque, vt tandem concludam in Baptismo* Spiritus sanctus *ad peccatorum remissionem, & in Confirmatione ad robur fidei. Huc pertinet etiam illud Melchiadis epistola ad Episcopum Hispan. vbi dicit* Spiritum sanctum *in baptismo tribui ad innocentiam, in Confirmatione vero ad gratiæ augmentum. Porro legimus omnino cum Gagnæo:* Spiritui sancto præparamur, *pro:* spiritu, *eo quod sequatur:* superuenturo spiritu sancto vias diriget.

45. obsignata in Patre, & Filio & Spiritu sancto.] *Istud pertinet ad* interrogationes & recitationes Symboli, quæ fiunt ante baptismum, *de quibus aliquid supra diximus num. 1. & Adnotat. in Cyprian. loco ul. citato. Hic adde, videri mihi desumptã hanc ceremoniam ex illa 1. Petri 3.* Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio in Deum. *Hinc est & illud Cyrilli Hierosolymitani Catech. 1. mystag. Tum admonebaris vt diceres, Credo in Patrem & Filium, & Spiritum sanctum. de quo vide Optat. lib. 3. & Firmilianum inter Epist. Cypriani epist. 75. Cæcilium, Concil. Carthag. Cypriani, Rufinum in expositionem Symboli, & Origenem homil. 5. in Numeros.*

46. & testatio fidei & sponsio salutis pignorentur.] *Sic omnino lego, pro:* pignerentur. *Hucautem pertinent phrases, hæc Tertulliani supra Tom. 2. libro de Spectac. cap. 4.* Quum aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profitemur; *& lib. de Coron. milit. cap. 11.* Credimusne humanum sacramentum diuino superduci licere, & in alium Dominum respondere post Christum? *& illud eiusdem l. de Spect. c. 24.* Nonne eieramus & rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius? *Deinde etiam alij similes loci, vbi de sacramento seu iuramento: (quod hic* testationem *& sponsionem vocat) agit, quod in baptismo præstatur. Sic l. ad Martyr. c. 3.* quum *(inquit)* in sacramenti verba respondimus. *Item hoc Tom. 3. l. de Præscript. adu. hær. c. 20.* eiusdem sacramenti vna traditio; *& infra Scorpiaco adu. Gnosticos:* Præscribitur mihi ne quem alium Deum dicam huic sacramento militans ab hostibus prouocem *& mox:* Quis hunc suo militi exitum voluit, nisi qui tali cum sacramento consignauit, *vbi habes etiam* consignationis *vocem, pro eo quod hic,* obsignatam. *Nec vero absimiliter B. Hieron. ad Heliodorum: Recordare tyrocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus in* sacramenti verba iurasti.

47. necessario adiicitur Ecclesiæ mentio.] *Istud ipsum habent BB. Cyprian. epist. 70. supra citata ad Ianuarium, & 76. ad Magnum, Cyrill. Hieros. Catech. 18. mystag. Hieronym. contra Lucifer. August. lib. 5. contra Donatistas c. 20. ac homil. ad Neophytos. Quamquam enim nonnihil differant in forma huius interrogationis, ab omnibus,* certe adiicitur Ecclesiæ mentio. *Apud Beatum Cyprianum & Beatum Augustinum legitur ita: Credis in remissionem peccatorum, & vitam æternam* per sanctam Ecclesiam. *Apud Hieron. Credis* sanctam Ecclesiam, *credis remissionem peccatorum. Cyrillus sic: Credo in vnum baptisma, in remissionem peccatorum, & in* vnam sanctam Ecclesiam Catholicam. *Rufinus:* Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, *remissionem peccatorum. Et huc satis consentit Hrabanus noster libro 1. de Instit. cler. c. 23. Et exquiritur (inquit) si confiteatur* vnam esse Catholicam Ecclesiam, *& si credat remissionem peccatorum. In Ordine Romano (vti etiamnum) recitatur integrum Symbolum post trinam interrogationem, quarum vltima est: Credis in Spiritum sanctum,* sanctam Ecclesiam Catholicam, *sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam quam eandem reperire est in Sacramentario B. Greg. Quæ omnia eo latius, vt suppleamus hic quod desiderabatur supra l. de Præscript. aduers. hær. c. 13. in Expositione Symboli Apostolici. Eodem pertinet quod infra habet. Auctor cap. 11. de Christo:* In quem enim tingueret? In pœnitentiam quo ergo illi præcursorem? In peccatorum remissionem, quam verbo dabat? In semetipsum, quem humilitate cælabat? In Spiritum sanctum, qui nondum à Patre descenderat? In Ecclesiam, quam nondum Apostoli struxerant.

CAP. VII.

48. Exinde egressi de lauacro perunguimur, &c.] *Inscriptionem huic capiti dedimus.* Quod post baptismum Chrismate perungui tur baptizatus. *Cui similes sunt loci Tertulliani infra lib. de Resurr. carn. ca. 8.* Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur, caro vnguitur, vt anima consecretur. *& lib. 1. adu. Marc.* Sed ille quidem nec aquam reprobauit qua suos abluit, nec oleum quo suos vnguit *Meminerunt præterea huius vnctionis post baptismum (quam in vertice capitis per sacerdotem fieri supra diximus, num. 44.) BB. Dionys. Areopag. Eccl. Hierarch. c. 2. & 3. Cyrill. Hierosol. Catech. myst. 3. Basilius l. de Spiritu sancto, c. 27. Theophyl. ad Autolycum lib. 1. Iustinus Martyr quæst. 137. Nazianzenus Orat. in sanctum Baptisma, Damascenus Orthod. fid. libr. 4. cap. 10. & Seuerus) Alexandr. in ritibus baptismi. Auctores Græci. Nec absimiliter Latini BB. Cyprianus sermone de vnct. Chrism. Ambros. l. 2. de Sacram. cap. 5. & l. de iis qui mysterijs initiantur, cap. 6. Augustin. lib. 15. de Trinit. cap. 26. & li 4. de Symbolo c. 1. & Damasus in Siluestro, Concil. Arausic. ca. 1. Adludit etiam B. Hieron. epist. 4. ad Rusticum sub finem, ac Laurentius homil. de Pœnitent. Optatus denique Mileuitanus distinctionem indicat inter hanc vnctionem, & eam quæ postea fit per Manusimpositionem, lib. 4. adu. Parmen. dum adiiciorem hanc vnctionem refert descensum columbæ in Christum, ad Manusimpositionem vero vocem auditam de cœlo:* Hic est filius meus dilectus. *Quam distinctionem plerique non animaduertentes etiam viri eruditi (sicuti & nos in Cypr. Epist. ad Ianua. nu. 16.) Veterum confundunt testimonia tanquam de vna, quum loquantur de tribus vnctionibus diuersis, prima ante baptismum oleo, quod Catechumenorum vocant, in pectore & scapulis: secunda post baptismum charismate per sacerdotem in vertice capitis (de quibus supra n. 1) & tertia quæ fit in sacramento Confirmationis in fronte per Episcopos (de qua latius ca. sequenti) Laodicensis Concilii can. 48. ad vtramque vnctionem chrismatis post baptismum est indifferens, sic & Cyrill. Alexandr. lib. 9. in Leuiticum. Neque vero quia hæretici etiam opobalsamo vnguebant baptizatum, propterea in Catholicis id improbandum pulchre deducit Feu-ardentius noster in B. Irenæum lib. 1. c. 18. num. 7.*

49. de pristina, &c.] *Hunc locum pene ad verbum sic descripsit*

Hrabanus noster loco supracitato: Et hoc de pristina disciplina (*sic enim ibi lego, pro*: *vnctione*) *tractum est exemplum*, qua vngui in sacerdotium *& regnum* solebant *antiqui*. Vnde & Aaron *& filij eius post lauacrum à* Moyse vncti sunt, *vt sacerdotes Domini fierent. Et Salomon & ceteri Reges per Prophetas & sacerdotes perfusi sunt* cornu olei, *vt regni gubernacula tenerent. Ex quo loco etiam hic legimus*: in sacerdotium, *pro*: sarcerdotio.

50. Vnde Christus dicitur, &c.] *Similiter de* Christi *nomine lib. 3. adu Marc. & lib. adu. Praxean. infra, vbi de eo latius.*

51. à chrismate.] *De* Chrismate, *siue oleo in altari sanctificato. quo post baptismum vnguuntur fideles, adnotauimus Veterum testimonia ad epist. 70. B. Cypriani ad Ianuarium, nu. 17. Quibus adde B. Cyrilli Alexandrini lib. 9. in Leuiticum, Cyrill. Hieros. Catech. myst. 3. Pacianum l. de bapt. & epist. 1. ad Sympron. Amphiloch. in vita Basilij, Optat. Mileuit. contra Parmen. libro 3. Eius autem consecrationem solis Episcopis licitam definiuit Concil. Rom. sub B. Syluestro, capite 5. Carthag. 3. cap 36. Carthag. 4. capite 36. Toletan. 1. capite 20. Plura vide de* Chrismate *apud B. Isidorum lib. 2. de Eccles. offic c. 25. & Hrabanum nostrum libro 1. de Inst. cleric. dicto 27. ca. Hoc vnum addam, quod Episcopus Consecrationem* Chrismatis *etiam attribuant BB. Dionys. Areopag. Eccl. Hier. c. 4. & Clemens Papa 1. Constit. Apost. li. 7. vbi eandem pluribus prosequuntur.*

52. Collecti sunt enim vere, &c.] *Sic prorsus castigandus hic locus pro eo quod erat*: enimuero. *nam Grace legitur Act. 4.* συνήχθησαν γὰρ ἐπ' ἀληθείας, *paraphrastice autem transtulit*: filium tuum *pro eo quod Grace est* παιδά σου, *id est, puerum tuum, sicut transtulit noster interpres; qui etiam recte addit* Iesum, *quod in Graecis & Syriacis exemplaribus legatur.*

53. Sic & in nobis carnaliter, &c.] *Etiam istud pene ad verbum transcripsit Hrabanus vbi supra: Quod (inquit)* dum carnaliter fit, spiritaliter proficit, quomodo & ipsius (*sic enim lego*) baptismi gratia visibilis actus est, quod in aqua mergimur, sed spiritalis effectus, quod à delictis mundamur. *Simile est autem illud B. Cyrilli Hierosol. Catech. vide (inquit) ne illud esse putes vnguentum tantum. Quemadmodum enim panis Eucharistiæ post sancti Spiritus inuocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi, sic & sanctum hoc vnguentum (quod paulo ante* Chrisma *nuncupauit) non amplius est nudum vnguentum, neque (si quis ita appellare malit) commune*, postquam iam consecratum est, *sed est chrisma Christo, quod* aduentu Spiritus sancti per ipsius diuinitatem energiam habet. *Nec absimiliter B. Cyprian serm. de vnctione chrismatis, & alijs sacramentis. Non hæc medendis corporibus est vnctio instituta, quia sanctificatis elementis, iam non propria natura præbet effectum, sed virtus diuina potentius operatur, & adest veritas signo, & Spiritus sacramento, &c. ne prolixiores simus.*

CAP. VIII.

54. Dehinc manus imponitur, per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctum, &c.] *Caput hoc inscripsimus*: De manus impositionis sacramento. *Quod etsi pro veteri Ecclesiæ more ita nuncupet, tamen etiam cum vnctione olei fieri solere satis indicat comparatio, quam subiungit Spiritus sancti, & columbæ in arcam Noe cum olea reuersæ. Immo & diserte verbis supra Tom. 2. l. ad Martyras, de Christo, c. 3.* qui vos (*inquit*) Spiritu vnxit; *cum quo conuenit illud l. de Præscript. adu. hær c. 36.* aqua signat, Spiritu sancto vestit. *Item ad consignationem in fronte, quæ fit in hoc sacramento, adludit eiusdem lib. cap. 40.* Signat illic in frontibus milites suos. *Quæ quem affectum habeant, his verbis indicat infra lib. de Resurr. carn. cap. 8.* Caro signatur, vt & anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur. *Quæ omnia in hoc sacramento usitata fuisse tam à tempore Apostolorum, loculeplestus est B. Dionys. Areopag. Qui inprimis Eccles. Hierarch. cap. 2. 2. postquam vnctionis meminisset duplicis ante & statim post baptismum, postea subiungit: Sicque indutum candida veste ad* Pontificem *ducunt.* Ille diuino ac deifico prorsus vnguento virum signat. *Deinde c. 4. eiusdem Est (inquit) Synaxi finitimum* Sacramentum, *quod præceptores nostri* vnguenti mysterium *nominant; etiam modum consecrationis late deducens, & inter cetera adijciens: quod hoc* diuinum vnguentum *in cuiusuis rei consecratione adhibetur; & paulopost: Quinetiam ei qui sanctissimo regenerationis mysterio initiatur, diuini Spiritus aduentum consumens, vnguenti datur profusio. Quid? quod Hrabanus vbi supra de hoc sacramento interpretatur illud B. Ioannis Apostoli:* Vos (*inquit*) vnctionem habetis à Spiritu sancto, *item illud Apostoli 2. Cor. 1.* Qui vnxit nos Deus, qui & consignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. *Cui simile videtur etiam illud Ephes. 1.* In quo credentes signati estis, Spiritu promissionis sancto. *Pluribus Veterum testimonijs supersedeo, remittens Lectorem ad Adnotat. nostras in B. Cypria. epist. 72. ad Stephanum Papam nu. 4. ac 73. ad Iubaianum n. 7 4. item ad ea quæ supradiximus lib. de Præscript. adu. hær. c. 40. nu. 243. vbi comprobauimus* sacramentum *esse, & huius libri c. 6. nu. 44. vbi quid à baptismo differat diximus. Hic adijciemus dumtaxat, quod tribus verbis indicauimus ad epist. 70. Cyprian. nu. 16. quod etiam necessarium sit hoc sacramentum. Id autem imprimis vel ex eo constat, quod non modo prædictis verbis Dionys. Areopag. perfici dicat hoc vnguento baptismi sacramentum, (quo genere loquendi vtitur etiam Concil. Eliber. c. 38. Aurel. cap. 3. iuxta quod à Gratiano citatur de consecr. dist. 5. c. vt ieiuna. Item Clemens 1. epist. 3. Fabianus epist. 2. Melchiades & Vrbanus Papæ Romani locis infra citatis.) Quod item & supra cap, 6. & hic Actor satis indicat, hic primum plenitudinem conferri Spiritus sancti ad robur fidei, qualiter etiam loquitur B. Cyprianus dicta epist. ad Iubaianum. Quod nunc quoque (inquit) apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo diuino consummentur, & B. Hieronym. aduers. Lucifer. Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum sanctum quem nos adferimus in vero baptismate tribui; discе hanc obseruationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Apertius autem B. Cyprian. epist. 70. ad Ianuar. Vngi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, vt accepto Chrismate, id est, vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. & Concil. Laodic. cap. 48. Oportet baptizatos post baptismi sacratissimum Chrisma percipere, & regni cœlestis participes fieri. & Canon B. Vrbani Papæ: Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt plene Christiani inueniantur. Et his antiquior B. Patianus, serm. de baptis. Hæc autem compleri alias nequeunt, nisi lauacri & chrismatis & Antistitis sacramento. Lauacro enim peccata purgantur, chrismate Spiritus sanctus superfunditur, vtraque vero ista manu & ore Antistitis impetramus. Item Melchiades Papa epist. ad Episc. Hispaniæ: Ita coniuncta sunt hæc duo sacramenta, vt ab inuicem, nisi morte præueniente, nullatenus possint segregari, & vnum sine altero rite perfici non potest, nam vnum præueniente morte saluare sine altero potest, aliud autem non potest. Denique omnium horum antiquissimus B. Clemens Papa 1. Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, id est, septiformem gratiam Spiritus sancti percipere, quia aliter perfectus Christianus esse non poterit, si non necessitate, sed incuria vel voluntate sic remanserit. Quod à B. Petro accepimus, & ceteri Apostoli docuerunt. Qui etiam Apost. Constit. l. 3. c. 16. vnguenteum istud sacrum vocat* βεβαιωτικὸν ἐξομολογίας, *id est, confirmationem confessionis fidei. Quod nomen etiam in hodiernum diem huic sacramento adscribitur, quod confirmetur baptizatus in fide. Sed hæc sufficiant, dummodo adijciamus etiam formam, quali hodie vtimur, huius sacramenti, indicari à B. Ambrosio l. de ijs qui myster. initiantur, cap. 7. Signauit (inquit) te Deus pater, confirmauit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis. Hoc etiam adiecto, quod tum ex locis citatis de Chrismate supra numero 51. & aliis hic adductis, nominatim B. Hieronym. patet ordinarie non nisi ab Episcopis conferri hoc sacramentum, cui consentiunt BB. Pontifices Euseb. epist. 3. Damas. epist. 4. Innoc. 1. epist. 1. & Leo 1. epist. 88.*

55. sublimitatem modulari spiritalem,] *Simili phrasi dixit supra Auctor c. 3.* modulatricibus quodammodo aquis: *& quod magis ad institutum hoc pertinet, Tom. 2. lib. de Orat. cap. 11.* Nos vero non adtollimus tantum manus, sed etiam expandimus, dominica passione modulantes, *Metaphora deducta à canticis ad aliorum similitudinem* modulatis. *Ac si dicat, Dominicam passionem expansione manuum imitantes: quod hic paulopost dixit:* Christum deformantes.

56. quo nepotes suos, &c. Iacob capitibus impositis. & intermutatis manibus benedixerit, &c.] *Pulchre Auctor hanc benedictionem* Iacob, qua nepotes suos ex Ioseph o Ephrem & Manassem benedixit, *Gen. 48. figuram fuisse indicat huius sacramenti* manus impositionis, *in qua & manus imponuntur, &* benedictio in Christum *datur, per consignationem nempe crucis, qua ibi significabatur* intermutatis manibus *in formam crucis. Cui similiter infra Tom. 5. Nouatianus li. de Trinit. Iacob transuersis super capita puerorum manibus collatis, Deus, inquit, &c. Quod adeo etiam confirmat sententiam Catholicorum, qui omnem benedictionem cum Beato Augustino tradunt per signum crucis fieri, vti iam nuper adnotauimus in Beati Cypriani epistola 63. ad Cæcilium numero 39. & supra etiam adtigimus Tomo secundo libro de Corona militis, capite 3. num. 40. & supra hoc libro num. 1. vbi de crucis signo inter baptismi ceremonias egimus, quo pertinet id etiam quod sequitur.*

57. Tunc ille sanctissimus Spiritus, &c.] *Etiam hæc verba transcripsit loco supracitato Hrabanus noster*: Tunc (*inquit*) ipse Spiritus sanctus post (*seu potius*, super) mundata & benedicta) *nota benedictionem post baptisma*) corpora, *atque animas*, libens à patre descendit. *Quibus præterea hic addit Auctor.*

58. super baptismi aquas tamquam pristinam sedem recognoscens conquieuit, columbæ figura delapsus in Dominum, &c.] *Similiter fere B. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. mystagogica: Vt Christus (inquit) post quam in Iordane baptizatus est, ascendit de aquis, & factus est super eum subsiantialis aduentus Spiritus sancti, simili super similem ascendente, sic etiam nobis, postquam ex sacro fonte ascendimus, datum est* Chrisma, *quod imaginem gerit illius, quo vnctus est Christus, Vbi etiam plures de hoc sacramento Prophetas præcessisse tradit in veteri Testamento, Leuit. 8. 3. Regum 1. & prædictionem eiusdem Isaiæ 25. quum dicitur*: Et vnguentur vnguento. *quod postremum etiam sic interpretantur Beatus Cyrillus Alexandrinus in Commentar. & Theophanes Niceæ Episcop. l. de Symphonia veteris & noui Testamenti. Verum hoc magis pertinet ad ea quæ supra diximus numero 54. Propius huc accedit B. Hieronymus aduersus Luciferianos, & apertius adhuc B. Optatus Mileuitanus contra Parmen. libro 4. Descendit (inquit) Christus in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, sed venturum oleum aqua debuit antecedere, ad mysteria initianda & ordinanda & implenda baptismatis. Apertum est cœlum Deo Patre vnguente, spiritale oleum* descendit

in ima-

in imagine columbæ, & *insedit capiti eius, & perfudit eum. Cuine impositio manus defuisse videretur, vox audita est Dei de nube dicentis*: Hic est filius meus de quo bene sensi. *Porro de* columbæ *figura latius infra libro de Carne Christi.*

59. quod etiam corporaliter felle ipso careat, &c.] *Similiter B. Isidorus Etymol. l. 12. cap. 7. Columbæ aues mansuetæ, & in hominum multitudine conuersantes, ac* sine felle.

60. Quemadmodum enim post aquas diluuii, &c.] *B. Hieronym. hunc locum imitatus epistol. 83. ad Oceanum: Peccat (inquit) mundus, & sine aquarum* diluuio *non purgatur. Statimque* columba Spiritus sancti, *expulso alite teterrimo, ita ad Noe, quasi ad Christum in Iordane deuolat, & ramo refectionis ac luminis* (oleæ nempe) pacem mundo adnunciat. *Immo integram quam hic habet comparationem Auctor, paucis ille repetit Dialog. aduersus Lucifer. Emittitur (inquit) de arca coruus, & non rediit, & postea* pacem terræ columba nuntiat: Ita & in Baptismate Ecclesiæ, *teterrimo alite expulso, id est, diabolo,* pacem terræ nostræ columba Spiritus sancti nuntiat.

61. Vbi Ecclesia est arca figurata.] *Idipsum latius expressit ibidem B. Hieronym. A x x x. (inquit) cubitis incipiens, & vsque ad vnum cubitum paulatim decrescens,* arca *construitur. Similiter & Ecclesia multis gradibus consistens, ad extremum Diaconis, Presbyteris, Episcopisque finitur. Periclitata est* arca *in diluuio; periclitatur* Ecclesia *in mundo. Dies me deficiet, si omnia* arcæ *sacramenta cum* Ecclesia *componens edisseram. Porro de bapt. ignis in iudicio, latius infra cap.* 10.

CAP. IX.

62. Quot igitur patrocinia naturæ, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* De aliis multis aquę priuilegiis. *Similiter autem laudes aquæ prosequitur B. Hieronym. verbis mox citandis dicta epistol. ad Oceanum. Quibus addit præterea* aquæ priuilegia *ex scripturis & Psal. 73. Gen. 21. 24. 26. & 29. Exod. 2. Item* prædictiones, *Cantic. 6. Mich. 7. Ezechiel. 36. Isai. 42.*

63. Primo quidem quum populus de Ægypto, &c.] *Istud paucioribus paulo verbis transcripsit D. Hieron. Pharao (inquit) cum exercitu suo, nolens populum Dei exire de* Ægypto, *in typo baptismatis suffocatur.*

64. Item aqua de amaritudinis vitio, &c.] *Etiam hoc imitatus B. Hieronym. Mara (inquit) mutatur sacramento crucis: hoc enim est quod hic dicit Auctor:* ligno remediatur.

65. Hæc est aqua, quæ de comite petra populo defluebat, &c.] *Paraphastice hoc commemorat ex scripturis, partim Exod. 17. & Numero 20. maxime vero 1. Corinth. 10.* Bibebant autem de spirituali consequente eos petra; *quod hic dicit:* comite petra. Petra autem erat Christus. *Quum autem & Græce & Latine addatur apud Apostolum,* spiritali, *facilior est eius loci, alioqui difficilis, intellectus, vt fuerit Prophetia non modo baptismi, sicuti hic apud Auctorem & apud Beatum Augustinum Sermone 93. sed etiam potius sanguinis Christi in nouo Testamento, quemadmodum interpretatur B. Augustinus Sermone 108. de tempore, qui etiam vtrumque intellectum subindicat li. 4. quæst. super Numer. cap. 35.*

66. Siquidem & ipse aqua tinguitur.] *Id pluribus expressit B. Hieronymus Ipse saluator (inquit) post baptisma & sanctificatas suo Lauacro Iordanis aquas, regnum cœlorum incipit prædicare.*

67. Prima rudimenta, &c. *Paucioribus istud B. Hier. Primum signum ex aquis facit.*

68. sitientes ad aquam suam, &c.] *Sic & B. Hieron. Sitiens vocatur ad potum.*

69. aquæ calicem fratri paruulo oblatum, &c.] *Omnino sic legendum, pro:* patri, *Nam nulla mentio patris Matth. 10. sed legitur & Græce, Latine, & Syriace:* Quicumque dederit potum vni ex paruulis seu minimis istis calicem aquæ.

70. Apud puteum vires resumit.] *Eodem pertinet quod habet ex eodem capite 4. Ioannis Hieronymus: Samaritanus vocatur ad puteum. Peculiariter autem citatur ab Auctore illud Matth. 24.* super aquam incedit libenter, *&,* transfretat. *Deinde (vbi* discentes *more suo accipit pro discipulis) illud Ioan. 13.* aquam discentib. ministrat. *Denique quod addit de* aqua *& Pilati* manibus.

71. quum vulneratur, &c.] *Istud rursum sic repetit Hieronym. Quia ab* aquis *cœperat, finiuit ab* aquis. *Latus Christi percutitur lancea: & baptismi atque martyrii pariter sacramenta funduntur.*

CAP. X.

72. Diximus quantum mediocritati nostræ, &c.] *Titulum huic capiti dedimus;* Quid differat Ioannis baptismus à baptismo Christi. *in hoc nempe quod* hic det Spiritum sanctum, & remissionem delictorum, *ille vero dumtaxat* fuerit candidatus remissionis & sanctificationis in Christo subsecuturæ, *vtpote* baptismus pœnitentiæ in futurum peccatorum remissionem, *Cui similia habet vbi supra B. Hieronymus, & Dial. aduersus Luciferian. iisdem Auctoris verbis: Ioannis baptisma non tam peccata dimisit, quam* baptisma pœnitentiæ fuit in peccatorum remissionem, id est, in futuram remissionē, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsecutura, &c. *ne prolixiores simus. Eadem videre est apud BB. Ambrosium li. 2. super Luc. c. 48. & in Psal. 37. Chrysostom. homil. 11. in Matth. Augustinum li. 5. de Baptismo, capite* 10. *Hilarium in Matth. Canon. 2. Quid? quid ipse Apostolus Paulus Act. 9.* Sic Ioannes (*inquit*) baptizauit baptismo pœnitentiæ in eum qui venturus est? *Quæ omnia adnotanda contra Caluinum, Instit. cap. 17.*

73. Baptismus ab Ioanne denuntiatus, iam tunc habuit quæstionem, &c.] *Latius hanc scripturam Matth. 21. tractat Auctor infra l. 4. aduers. Marcionem, quo ad intellectum huius loci Lectorem remittimus.*

74. vtpote non intelligentes, quia nec credentes.] *Alludit ad illud Isai. 7. iuxta edit. 70.* Nisi crediderit is, non intelligetis; *notandum contra nostri temporis Aristarchos, qui intellectu volunt omnia metiri. Quo pertinet etiam titulus c. 5. libro 1. aduersus Iud. B. Cyprian. vbi & hanc scripturam ita citat: Nihil posse Iudæos intelligere de scripturis, nisi prius in Christum crediderint. Item titulus l. 3. c. 42. tantum nos posse quantum credimus. Quemadmodum autem hic dicit:* quantula fide sumus. *similiter etiam infra capite 20.* Sed Dominus quantulum æstimo.

75. pœnitentiæ scilicet præpositus, quæ est in hominis potestate.] *Facit hoc ad adsertionem Liberi arbitrii, de quo latius infra libro 2. aduersus Marcion. Adiuti (inquam) à gratia Dei.*

76. denique Legis doctores, &c. nec pœnitentiam egere, &c.] *Ita lego ex castigatione Dn. Latinii & Harrisii, pro eo quod erat:* agere: *nam & infra ca. 12. etiam in præterito de iisdem dicit:* tincti non sunt, sed æmuli fidei Legis doctores & Pharisæi.

77. Sed neque peccatum dimitti, &c.] *Adludit ad Marc.* Quis potest peccata dimittere nisi solus Deus?

78. Adeo postea in Actis Apostolorum, &c.] *Ad eundem fere modum B. Hier. sapedicta epist. ad Oceanum.* Qui Ioannis acceperant baptisma, quia Spiritum sanctum nesciebant, *iterum baptizarentur, ne quis putaret Gentibus ac Iudæis aquas sine Spiritu sancto ad salutem posse sufficere. Qui locus contra eos adnotandus, qui Gentilibus & Iudæis salutem in sua fide adscribere non verentur.*

79. quum ipsum quod cœleste in Ioanne fuerat spiritus Prophetiæ, &c. defecerit, &c.] *Facit hic locus, quemadmodū etiam ibi monuimus, num. 56. ad intellectum eius quod legitur cap. 8. li. de Præscript. aduersus hæreticos:* quum etiam Ioannes, de illo certus esse desiisset. *Ita enim interpretatur illam suscitationem Beatus Ioannis Baptistæ Matth. 11. per discipulos suos:* Tu quis es? *ac si reuera ignorasset, & ibi; & hic, & infra quoque libro 4. aduersus Marcion. Eodem videntur accedere B. Hieronym. in Matthæum, & post eum Beda in Luc. capite 7. ac B. Gregorius Papa 1. homil. 6. & homil. 1. in Ezechielem. Verum Chrysostomus homilia 38. in Matth. & post eum Theophylactus & Oecumenius, siue secundum quosdam Euthymius, eam opinionem oppugnant.*

80. baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, &c.] *Adludit ad illud Marc. 1. & Luc. 3.* prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; *in* futuram (*inquit*) remissionem, *vti latius supra nu. 72.*

81. qui de supernis venit. &c.] *Supra li. de Orat. capite 1. l git:* qui de cœlis. *Vtrumque habetur Ioann. 3. illud priori loco ex Græco ad verbum: ὁ ἄνωθεν hoc posteriori, præterquam quod & latine legatur singulari numero;* in cœlo.

82. Item sola se pœnitentia tinguere, &c.] *Paraphrastice istud citat. Nam Luc. 3. non aliud legitur, quam:* ego quidem baptizo vos aqua. *Legimus autem more Tertullianico:* tinguere, *& mox.* tingueret, *ac* tinguitur, *& sic vbique hoc libro, cum antea tum postea, quod semel dixisse sufficiat.* Tinctionem *autem* in igni, *interpretatur, de* igni in extremo iudicio, *non hic modo, sed etiam supra cap. 8.* Sed mundus (*inquit ibi*) rursus deliquit, quo male comparetur baptismus diluuio. Itaque igni destinatur. *Quare etiam pergimus legere:* Simulata autem & infirma igni tinguitur in iudicium. *Mirum est autem quod legat hic Auctor dumtaxat:* in Spiritu, *quum exemplaria omnia tam Græca & Syriaca quam Latina legant:* Spiritu sancto.

CAP. XI.

83. Sed ecce (inquiunt) venit Dominus, & non tinxit, &c.] *Inscripsimus istud caput:* Quod Christus, si non per se, mandato suo per Apostolos tinxerit. *In quo Auctorem imitatur B. Augustinus epist. 108.*

84. Semper is dicitur facere, cui præministratur.] *Hoc est eius, cuius edicto proposito obeditur. Hæc est autem regula accommodatissima ad multas eiusce modi quæstiones scripturæ decidendas, vti etiam ante me adnotauit Latinius.*

85. quam Nondum Apostoli struxerant.] *Istud facit pro Traditionibus Ecclesiasticis non scriptis, quod non Christum modo, sed & Apostolos Ecclesiam struxisse scribat; quanto magis illis aliquas ceremonias licuit Ecclesiæ superstruere, vti etiam supra l. de Orat. ca. 9. tradidit, quod* Orationi Dominicæ ius sit superstruendi petitiones alias.

86. eodem baptismo Ioannis, ne qui alio putet.] *Peculiaris est Auctori sententia, quod Apostoli non nisi Ioannis baptismo baptizarint, & hic differens à communi Petri Lombardi sententia.*

87. quia nec mors nostra dissolui posset, &c.] *Adludit ad illud Rom. 6.* Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, *&c.*

CAP. XII.

88. Quum vero præscribitur, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* Quod Apostoli baptizati fuisse videantur.

89. nemini sine baptismo competere salutem, &c.] *De hoc latius infra ca. sequ, quo is fidei articulus tractatur ex eadem scriptura Ioan. 3. Lego autem paulopost cum Latinio:* vt vltro exagitem libidinem styli, *pro:* & vltro exagitet.

90. quos tinctos non inuenimus in Domino præter Paulum, &c.] *Similiter Beatus Augustinus dicta epistola* 108. *Scriptum est, quando baptizatus sit Apostolus Paulus, & scriptum non est, quando baptizati sint alij Apostoli, verum tamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus. Qui deinde quasi cõiciens eos à Christo baptizatos, quando dicitur Ioannis tertio:* Posthæc exijt Iesus & discipuli eius in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis, & baptizabat; *tandem concludit saltem baptizasse per discipulos suos. Quos (inquit)* intelligimus iam fuisse baptizatos, siue baptismo Ioannis, *sicut nonnulli arbitrantur (hauddubie ad hunc Tertulliani locum adludens)* siue quod magis credibile est, baptismo Christi. *Porro lego paulo post, num* 91. quia illis vel primæ adlectionis, *pro:* quæ, *quod nullo sensu legebatur.*

91. Qui semel lauit, non habet necesse rursum, &c.] *Etiam hic longe alia est, atque adeo paraphrastica lectio Auctoris, pro eo quod omnia exemplaria Ioannis decimo tertio cap. tam Latina quam Græca & Syriaca sic legunt:* Qui locus est, non indiget nisi vt pedes lauet. *Auctor vero addit:* semel, *& postremum illud per Eclipsin omittit, vt magis ad institutum faciat, tam de non iterando baptismo, quod paulopost iterum repetit, (de quo latius infra cap.* 15.*) quam vt hinc probet* Apostolos antea tinctos fuisse, *saltem* Ioannis baptismo. *Priorem interpretationem sequitur etiam B. Cyprianus sermone de ablutione pedum. Posteriorem B. Augustinus dicta epistol.* 108. *dicens disertis verbis ibi intelligi, quod iam Petrus baptizatus fuerat. Lego autem paulopost, vt constet sensus:* Quid ergo, alii tincti non sunt? non tamen comites Christi. *& deinde:* sed æmuli fidei, *phrasi Auctori vsitata supra libro de Præscriptionibus aduersus hæreticos cap.* 40 *numero* 253. *Postea etiam noue dixit:* Ioanne baptizatore; *quem nos Baptistam vocamus & ipse alibi semper* Ioannem *simpliciter nuncupat. alterum vero semper* Ioannem Apostolum.

92. Vno verbo Domini suscitatus, &c.] *Istud refertur ad vtrumque membrum, tum de Matthæo qui telonium dereliquit, audito verbo Domini,* Sequere me, *Matth. 9. tum de alijs discipulis, Matt. 4. qui vocati à Domino, statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum. Illud item:* Qui patris exequias desperit, *ad illum refertur, cui dixit Dominus, Matth.* 8. Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. *Quæ ipsa omnia iisdem pene verbis habes supra Tom. 2. li. de Idolol. ca.* 12.

93. Qui patrem aut matrem mihi prætulerit, &c.] *Etiam hoc paraphrasticõs transtulit:* mihi prætulerit, *pro eo quod tam Græce & Syriace quam Latine legitur:* amauerit plusquam me.

CAP. XIII.

94. Hic ergo sceleratissimi illi, &c. *Titulus huius capitis est,* Quod post passionem Christi baptismus sit necessarius. *Adnotandum autem, quod vocet* sceleratissimos, qui dicerent fidem satis esse, *exemplo Abrahæ, contra quos scripta est 1. Iacobi epist. catholica.*

95. obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei.] *Iisdem pene verbis dixit supra Tom. 2. lib. de Pœnitent. cap.* 6. Lauacrum illud obsignatio est fidei.

96. Lex enim tinguendi imposita est, & forma præscripta, &c.] Formam baptismi *indicnt præscribi verbis illis Christi, Matth. vltim.* Ite, docete omnes nationes, tinguentes eas in nomen Patris, & Filii & Spiritus sancti. *Quod ipsum fatentur Patres plerique locis supracitatis Adnotation. huius libri numer 1. de trina mersione. Vertit autem illud:* in nomen, *ad verbum ex Græco, εἰς τὸ ὄνομα, pro quo supra lib. de Præscription. aduersus hæret. capite* 20. *paraphrasticõs:* in Patrem, & in Filium, & in Spiritum sanctum, *sicuti & ibi adnotauimus, nu.* 116.

97. Huic legi collata definitio illa, &c.] *Eodem pertinet illud c. præced.* Præscribitur nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam, *paucioribus dixit, quod hic pluribus, ipsis verbis Euangelicus, Ioan. 3. expressit:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum; *præterquam quod legat:* regnum cœlorum, *pro eo quod & à Patribus aliis & Latine, Græce, & Syriace legitur:* regnum Dei. *Quemadmodum etiam Auctor ipse infra libr. de Anima, c.* 39. Alioquin meminerit Dominicæ definitionis: Nisi quis nascatur ex aqua & Spiritu, non introibit in regnum Dei *Quo fit vt hic legẽdum putem:* regnum Dei. *At qui hanc scripturam etiam ad baptismi necessitatem comprobandam adducunt BB. Clemens Roman. epist. 4. Augustin. libro 6 de baptismo contra Donatum, cap.* 12. *ac libro 1. de Peccat. merit. & remiss. capite* 30. *Cyprian. epistol.* 72. *ad Stephanum Papam, ad Iubaianum, & libro 3. Testimoniorum ad Quirinum capite* 25. *Denique Patres reliqui omnes.*

98. in illa plaga orbationis.] *Noue* orbationem *accipit pro orbatione visus.*

99. Exurge (dicens) & introi Damascum, &c.] *Etiam hic paraphrasticõs* Damascum *transtulit, pro eo quod Latine & Græce indefinite:* ciuitatem; *&:* demonstrabitur, *pro eo quod Græce est, λαλη-θησεται, & Latine:* dicetur, *aut sicuti ex Syriaco vertitur,* Sermo habebitur.

CAP. XIV.

100. Sed de ipso Apostolo reuoluunt, &c.] *Hoc caput inscribimus:* Quod etiam Apostolus Paulus quosdam tinxerit. *Pulchre autem redarguit eos qui contrarium adfirmabant, ex eodem ipso Apostoli loco 1. Cor. 1.*

CAP. XV.

101. Nescio si quid amplius ad controuersiam baptismi, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* Quod baptismus: aquæ vnus sit. *Quod ipsum latissime & sæpissime tractatur à B. Cypriano, maxime vero Epistolis 70. ad Ianuarium, 71. ad Quintum, 73 ad Iubaianum, 74. ad Pompeium, & ante omnem errorem libri de Vnit. Ecclesia.*

102. tam ex Domini Euangelio.] *Adludit ad id, quod supra dixit capite* 12. quatenus vnum baptismum definierat ipse Dominus, dicens Petro perfundi nolenti: Qui semel lauit.

103. quoniam vnus Dominus, &c.] *Addidimus cum Harrisio & Latinio:* Dominus, *tum quod ita legitur ab omnibus, Ephes. 4. Græce Latine, & Syriace, tum quod alioqui imperfecta esset oratio:* quoniam vnus & vnum.

104. vnum baptismum.] Baptismum *vsurpatur ab Auctore neutro genere, sicut & Rufino loco infracitato num.* 112.

105. & vna Ecclesia in cœlis.] *Videtur hic desiderari:* & in terris, *quod tamen addere noluimus sine ms. cod. Etsi autem id aperte ad Ephes. 4. non habeatur, iubindicatur tamen his verbis:* Vnum corpus & vnus spiritus. *Quemadmodum pulchre explicat D. Cyprian. libro de Vnitate Eccles. in hæc verba: Quando (inquit) Apostolus Paul. hoc idem doceat, & sacramentum vnitatis ostendat, dicens:* Vnum corpus & vnus spiritus, *&c. vbi toto libro & Adnotation. nostris in eundem latissime tractatum videre est, vt pluribus non sit opus.*

106. Sed circa hæreticos sane quid custodiendum sit, &c. *Sic omnino legendum, pro eo quod erat:* quæ, *mendosissime Obscurissimum est autem illud:* Ad nos enim editum est; *vti etiam sequentia: An velis ab hæreticis non posse conferri, an vero accipi non posse* baptismum. *de quo latius Tom. 4.*

107. Sed de isto pleniusiam nobis in Græco digestum est.] *Patet hinc etiam Græce scriptum ab Auctore librum de Baptismo,* in quo plenius digestum est de hæreticorum baptismo. *sicut infra dicemus latius Tom. 4. inter fragmenta Ter.*

108. semel ergo lauacrum inimus, &c.] *Similiter infra lib. 1. aduers. Marcion. de Baptismo loquens.* Iteratio enim *(inquit)* non competit ei *& disertis verbis B. Cyprian. epist. 63. ad Cæcilium: Quod semel sumitur, nec rursus iteratur, ad quem locum ex B. Augustin. causam reddimus nu. 27. Sic etiam sermone de ablut. pedum: Quem sui reuerentia non patitur iterari. Similia videre est apud Clementem Romanum Constitut. Apostol. li. 6. c 15. Optatum toto fere li. 5. aduers. Armenian. Basil. li. de Spiritu sancto cap. 15. Vnde & rebaptizationes prohibentur disertis verbis Carthaginiens. Concil. 1. c. 1. à Leone 1. Epist. 79. ad Nicetam, & 37. ad Leonem Rauennatem Episcopum. denique & ab Imperatorib. Honorio & Theodosio, iuxta quod à Iustiniano in Codicem relatum est lib. 1. titul. 6. Ne sanctum baptisma iteretur, l. 2.*

109. Ceterum Israel Iudæus quotidie lauat, &c.] *Adludit partim ad lotiones crebras manuum, & baptismata quotidiana Iudæorum, quorum fit mentio Marci 7. maxime vero ad baptismatum doctrinam, quam reiicit Hebr. 6. etiam de* vno lauacro *definiens, quum subdit:* Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesq; sæculi venturi, prolapsi sunt; rursus renouari, *Nam de baptismo locum illum interpretatur B. Ambros. tum in Comment. tum l. 2. de Pœnitent. c. 2. & alij Patres.*

CAP. XVI.

110. Est quidem nobis etiam secundum lauacrum, vnum & ipsum, sanguinis, &c.] *Titulum huic capiti damus.* De baptismo sanguinis: *quem & ipsum* vnum *recte adddit, nequis putet contraria baptismi vnitati. Meminit eiusdem baptismi* sanguinis *B. Cyprian. epistol. 73. ad Iubaianum, vbi aliquot Veterum similia testimonia adnotauimus; quibus addere licet eundem Cyprian. lib. de Orat. Domin. post num. 68. & lib. de Exhort. ad mart. vbi etiam* secundum *baptismum vocat, & sub finem serm. de Stella & Magis, Origenem li. de Singular. cleric n. 120. & omnibus his antiquiorem Clementem Roman li. 5. Constitut Apostol. cap. 7.*

111. Habeo (inquit baptismo) tingui.] *Similiter huc locum Luc. 12. interpretantur de baptismo sanguinis BB. Cyprianus dicta epistola ad Iubaianum, Ambrosius in Psal. 118. lit. 3. vers. 1. Gregorius quoque Nazianzenus hom. de secundis Epiphaniis Legisse autem videtur Auctor βαπτισμων, pro eo quod legitur etiam nunc βαπτισμα. Illud legit aditio Syriaca, & B. Cyprianus ac Ambrosius, hoc vero B. Irenæus lib. 1. capite* 18. *& B. Hieronymi versio.*

112. Proinde vt nos faceret aqua vocatos, &c.] *Omnino sic legendum, pro eo quod erat dum taxat nullo sensu:* Proinde nos facere. *Porro huc respexisse videtur Rufinus in Symbolum, numer 94. quum locum illum Ioannis 19. de aqua & sanguine, quæ profluxerunt de latere Christi inter cetera interpretatur. Potest tamen (inquit), etiam intelligi, quod duplicem gratiam baptismi significet*

vnam

vnam quæ datur per aquæ baptismum, aliam quæ per martyrium profusione sanguinis quæritur. Vtrumque enim baptismum nominatur.

113. qui aqua lauissent, etiam sanguinem potarent.] *Huc videtur respexisse B. Cyprian. lib 3. Testimon. ad Quirin. cap 25. quum illud: Ad regnum Dei nisi baptizatum non posse peruenire, probat non solum ex supracitata scriptura, Ioan. 3. sed & ex illa Ioan. 6.* Nisi ederitis carnem filii hominis & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis *Hinc etiam B. Augustin. libro 3. de pecat. merit. & remiss. cap. 4. sic idem illud interpretatur: Nisi participes facti fuerint corporis eius. Qui tamen conformiter reliquis Patribus etiam de sacramentali esu & potu corporis & sanguinis Domini locum illum interpretantur. Cypriani loci sunt Testimon. lib. 1. aduers. Iud. cap. 22. & serm. de Cœna Domini; Augustini vero serm. 2. de verbis Apostoli & Alii complures.*

CAP. XVII.

114. Superest ad concludendam materiolam &c.] *Inscripsimus hoc caput:* De baptismi ministro.

115. De hinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.] *Similia habet B. Ambrosius lib. 3. de Sacramen. cap. 1. Clemens Rom. Apostol Constitut. lib. 3. c. 10. & 11. Verum intelligendus vterque extra necessitatem. Nam subiungitur paulopost ab Auctore:* Sufficiat scilicet in necessitatibus vt vtaris (*ad laicum verba faciens*) sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. *Hinc & B. Hieronym. Dial. aduers. Luciferian. in persona Orthodoxi, primum quidem dicit: Inde veni, vt* sine Episcopi iussione neque Presbyter neque Diaconus ius habeant baptizandi: *sed addit:* quod frequenter, si tamen necessitatis agit summa, etiam licere laicis. *Addens deinde exemplum baptismi per Diaconum baptismum Eunuchi à Philippo Diacono, Act. 8. quem ipsum etiam adlegat B. Hilarius in Psalm. 160. Quibus consentit B. Isidorus lib. 2. de offic. Eccles. cap. 24. verbis citatis de consecr. dist. 4. capite Constat.*

116. Quo saluo, salua pax est, &c. *Obscrum esse hunc locum etiam Latinius adnotauit. Ergo vero puto hunc fere esse sensum,* Saluo honore Ecclesiæ, salua pax erit, *id est, nulla controuersia.* Alioquin etiam laicis ius est, *si nempe non respiciamus honorem Ecclesiæ.*

117. Petulantia autem mulierum, &c.] *De baptismo mulieribus interdicto diximus supra Tom. 2. libro de Velandis virginibus, capite 9 ad illud:* Non permittitur mulieri tinguere, *num. 65. 66. 67. & 68. item ad illud lib. de Præscription. aduers. hæret. ca. 41.* Ipsæ mulieres hæreticæ audent, forsitan & tinguere, *nu. 263. & supra huius lib. numero 2. Hic adyciemus dumtaxat ita Tertullianum & reliquos Patres hac in parte intelligendos, de mulieribus quæ baptizandi officium sibi vsurpabant, non vero ita, vt necessitate baptizare non liceret. Nam (sicuti paulo prius ipse Auctor dixit)* tunc constantia succurrentis excipitur, quum vrget circumstantia periclitantis. *Hinc iam olim legitur in Concil. Carthag. 4. can. 100. Mulier, quamuis sancta, baptizare non audeat, nisi necessitate cogente.*

118. Quod si quæ Pauli perperam scripta degunt, &c.] *Supra Argumento huius libri adduximus verba Beati Hieronymi ex Catalogo Script. Eccles. quibus hunc locum citat, aque adeo librum inscriptum:* Periodos Pauli & Teclæ, *siue* Actus Pauli, *siue* Actus Pauli & Teclæ, *tamquam* perperam scriptum, *id est, Apocryphum, sicut hic Auctor improbat, quemadmodum etiam Euseb. Eccles. histor li. 3. capite 9. Gelasius Papa in Decreto de scripturis quæ legenda in Ecclesia, relato in Decretum Gratiani, dist. 15. c. Sancta Romana Ecclesia.*

119. exemplum Teclæ ad licentiam mulierum docendi tinguendique defendunt.] *Huc propius reliquis accedit B. Hieronym. quum addit: Et totam baptizati Leonis fabulam. Etsi autem liber ille pro Apocrypho sit habitus ob causam hic ab Auctore redditam, non tamen integra martyrij Teclæ historia propterea censebitur talis, quia eius diserte his verbis meminit Cyprian. Oratione, quam sub die passionis suæ dixit: Sicuti (inquit) liberasti* Teclam *de medio Amphitheatro. Meminit etiam eiusdem Ambrosius epistol. 7. ac 81. & libro 2. de Virgin. Chrysostomus homil. 35. in Acta Apostolorum, Nazianz. Orat. 12. 13. & 30. Epiphan. hæres. 78. Augustinus lib. 30. contra Faustum c. 4. Seuerus, vita Martini libro 2. capite 16. & pluribus in locis Fortunatus, sicuti ante me adnotauit doctissimus vir Dn. Doctor Ioan. Molanus, ad 23. Septemb. diem Martyrologii Vsuardi, & insuper primam Martyrem eam dici in Græcorum Menologio. Historiam paucis ibi commemoratam videre est, & latius in Martyrologio Adonis inter vitas Sanctorum Surij nostri, quarum summa est: Quod* Tecla *in Seleucia ciuitate Isauriæ ignem, bestias, serpentes, aliosque vicerit cruciatus. Cui ibidem ob victoriam Zenoni Imperatori eius reuelatione sibi promissam, postea templum erexit Zeno Imperator, vti refert Euagr. Eccles. hist. li. 3. c. 8. Porro ex Beato Hieronymo hunc locum citante addidi:* à Ioanne, *maxime quum etiam Sophronius legat,* ἐπὶ Ἰωάννε.

120. qui ne discere quidem constanter mulieri permisit, &c.] *Gagnæus habet:* ne docere quidem, *sed istud magis placet. Adludit enim ad illud 1. Corinth. 14.* Mulieres in Ecclesia taceant; neque enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit? Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. *Quod ipsum; auctoribus hic citatur:* Taceant (*inquit*) domi maritos suos consulant.

CAP. XVIII.

121. Ceterum baptismum non temere credendum esse sciunt, &c. *Verba hæc titulum huius capitis indicant:* Quod non temere cuiuis credendus baptismus.

122. & porcis proijcere margaritas vestras.] *Rursum sic lego secundum exemplaria omnia tam Græca & Syriaca, quam Latina, Matth. 7. quæ plurali numero legunt, maxime quum sic legat Auctor supra Tom. 2. lib. 2. ad Vxorem, c. 5. & li. præced. ca. 41. vbi diserte legitur:* & porcis margaritas, licet non veras, iactabant.

123. ne participes aliena delicta.] *Etiam hoc peculiare est Tertulliano, quum reliqui patres, & aditiones omnes, tam Latina quam Græca & Syriaca legant:* neque. *Sedulius interim Comment. suo in Epistol. Pauli (qui B. Hieronymo etiam inscribitur inter illius opera) simili modo interpretatur. Si enim (inquit) cito ante tempus (quod hic transtulit Auctor* facile) *manus cuidam posueris, peccatis eius communicabis.*

124. ad quem rursus, &c.] *Sic iterum cum Gagnæo; nam in posterioribus editionibus omissum erat:* ad. *Pulchre autem totam historiam Act. 8.* tincti spadonis *prosequitur.*

125. Sed & Paulus, &c.] *Sic omnino legendum, eo quod Act. 9 quo hauddubie adludit,* tinctus, *non* vnctus Paulus *Apostolicus legatur, & quæri inbeatur ab Anania, in domo* Iudæ; *non ergo* Simon hospes, *sed:* Iudas. *Nisi forte quis malit Auctori impingere memoriæ lapsum, vt hospitem Petri Simonem pro hospite Pauli Iuda recensuerit. Legimus item cum Gagnæo:* cunctatio baptismi vtilior est.

126. Quid enim necesse est, si non tam necesse, &c.] *Ex eodem Gagnæo iterum adycio:* si non tam necesse, *namillud mitigat Auctoris opinionem, qua sentire videtur* circa paruulos cunctationem baptismi vtiliorem, *sed:* si non tam necesse est, *id est, extra necessitatem. Fortassis loquitur de baptismo dumtaxat illorum paruulorum differendo, quorum parentes infideles sunt. Hoc enim per illud quod de sponsorum periculo subijcitur, videtur innuere. Vbi enim parentes Christiani sunt, non videntur* sponsores periculo ingeri. *Videat itaque Lector de hoc etiam loco nostra Prolegomena. Hoc hic sufficiat, non propterea improbari ab Auctore* baptismum paruulorum, *sed saltem in necessitate adprobari, tum hoc loco, tum supra capite 12. vbi dicit:* Nemini sine baptismo competere salutem: *capite 13. vbi de necessitate baptismi ex professo tractat, tum infra libro de Anima, vbi filios suos fidelium* sanctitatis *quidem* candidatos *fatetur, sed* sanctos negat, nisi renatos. *Paulo mitius adhuc sentiebat Fidus Episcopus Africæ, qui existimabat non ante octauum diem baptizandos infantes. Verum late respondet B. Cyprian. epist. 59. cum ceteris suis Collegis in Synodo Africana: Nulli hominum nato misericordiam Dei denegandam. vbi in Adnotat. nostris numero 5. varia Veterum testimonia pro* baptismo paruulorum *adduximus. Quibus adde B. Augustepistol. 23. ad Bonifacium libro 6. Hypognosticon, libro 3. de Anima & eius origine, capit. 9. libro 1. de peccat. merit. & remiss. capite 23. libro 1. de nupt. & concupiscentia capite 20. & rit. libro capite 7. & sermon. 14. de Verbis Apostoli libro 10. super Genes. ad litt. & Enchiridii c. 43. Item Ambros. li. 2. de Abraham, c. 11.*

127. sponsores.] *De* Sponsoribus *in baptismo paruulorum apertus hic locus; de Susceptoribus adulterorum intelligendum illud capite 3. libro de Coron. nulit. etiam iuxta interpretationem Rhenani:* Inde susceptis, &c. *De prioribus diserte loquitur B. August. locis modo citatis, & alii veteres, quicumque de baptismo paruulorum loquitur, ac B. Dionys. Eccle Hierarch. capite 7. De posteriorib. idem Dionys. e iusdem li. cap. 2. primum his verbis: Iuxta quod à suo susceptore fuerat edoctus: deinde illis: Vt virum susceptoremque describant: denique: Assumentes illum sacerdotes, susceptorique sui acciessus duci consignant. Eodem pertinet illud B. Augustini de restit. cath. conuers. Quos ex baptismo suscepistis, docete & castigate. Atque hoc est quod hic dicit Auctor:* sponsores periculo ingeri, & prouentu malæ indolis falli.

108. Non minore de causa innupti quoque procrastinandi, &c.] *Etiam hoc inter errores, aut saltem nauos Tertulliani collocandum putaui in nostris Prolegomenis.*

129. aut continentiæ corroborentur.] *Facit istud pro* continentia *à matrimonio, de qua latius supra To. 2. libro de Cultu fœminarum, c. 9. n. 51. libro 1. ad Vxorem, cap. 6 numero 37. & 38. ac l. de Veland. Virginibus n. 1.*

130. consecutionem.] *Similiter* consecutionem, *pro baptismi consecutione accipit B. Cyprian. li 3. Testim. ad Quirin. capite 97. sicut &* consequi, *pro baptisma consequi, ibidem, capite 43. n. 88.*

CAP. XIX.

131. Diem baptismo sollemniorem Pascha præstat, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* De temporibus solemnis baptismi Pascha & Pentecoste. *quippe extra quæ non nisi infirmi, & qui mortis, ægritudinis, obsidionis vel naufragii necessitate periculoque vrgebantur, tinguiolim consueuerint, Quinimmo (vti etiam ante me adnotauit Brissonius in Obseru. diuini & humani Iuris) reliquis festiuitatibus baptismi celebrationem interdictam fuisse constat ex Conciliorum Gerundensis capite 4. Compendiensis cap. 3. & Vvormat. cap. 11 quemadmodum à Burchardo citantur libr. 4. Decret. capite 6. & 7. ab Iuone Panorm. cap. 60. & Gratiano de consecrat. distinct. 4. cap. de Catechumenis. Qui etiam adferunt in eandem rem Decreta*

Syricij ad Himerium Tarraconensem, Leonis ad Episcopos Siculos, & Gregorii ad Tarsenses, Burchard. nempe eiusdem lib. cap. 5. Iuo ca. 58. 59. & 63. Gratianus de consecrat. dist. 4. cap. Non sine ratione, c. Duo tempora, c. Venerabilis, &c. Baptizandi consentiunt præterea Tertulliano Ambrosius libro de Myster. Pascha, & Basilius hom. exhortatoria ad sacrum baptisma. & Concil. Matis. c. 2 3. de Paschate, Nicephor. histor. Eccles. libr. 13. cap. 19. Aimonius libr. 3. de Gest. Franc. cap. 49. & Otho Frisingensis histor. lib. 6. cap. 1. De Paschate *vero &* Pentecoste *B. Hieronym. epistol. ad Pammach. contra errores Ioannis Hierosolym. Gregor. Turon. histor. Franc. libr. 5. cap. 11. ac Scriptores de Eccles. offic. Alcuinus agens de Festo Epiphaniæ ac vigilia* Paschæ, *Amalarius alicubi, Hrabanus de Instit. cleric. lib. 2. cap. 38. & perduraſſe vsque ad tempora Caroli & Ludouici Imperatorum supra ostendimus num. 1. inter baptismi ceremonias. Causam cur abrogata sit hæc consuetudo, subodorari licet ex Socrate libro 5. histor. Eccles. cap. 19. vbi dicit, in Thessalia plurimos absque baptismo mortuos, quod diebus Paschæ dumtaxat baptismata fieri consueuissent. Eandem rationem mutasse etiam de toto tempore Pentecostes verisimile est ex negligentia subinde aut parentum, aut presbyterorum Parochialium. Reddit Rupertus Tuitiensis & aliam causſam l. 4. de Diuin. offic. c. 18 propter auctam fidelium multitudinem. Certe necessitatem numquam exclusam significat ipse Auctor his verbis, sub huius capitis finem*: Ceterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo. Si de sollemnitate interest, de gratia nihil refert.

132. Inuenietis, inquit, hominem aquam baiulantem.] *Omnino lego*: Inuenietis, *pro* Conuenietis, *eo quod & Marc. 14. & Luc. 22.* Occurret vobis homo aquæ lagenam siue amphoram baiulans: *maxime consentientibus etiam Græcis & Syriaco exemplaribus. Et vero non iubebantur conuenire, id est, alloqui hominem aquam baiulantem, sed dominum domus quam ille ingrediebatur.*

133. Exinde Pentecoste.] *Quum & libro de Idololatria capite 14. (vti illic numero 110. adnotauimus) accipiat* Pentecosten, *pro tempore omni inter Pascha & Pentecosten; hic certe accipiendum taxat pro ipso festo* Pentecostes, *patet ex supra citatis Patrum testimoniis, qui scribunt in vigilia* Pentecostes *baptismum celebrari solitum, cuius vestigium etiamnum retinemus in benedictione fontis, tam in dicta vigilia, quam in vigiliis Paschæ. Nam & subiungit Auctor disertis verbis*: Paschæ diem significat & Pentecostes, qui est proprie dies festus.

134. Et congregabo illos ab extremis terræ in die festo.] *Istud citatur secundum editionem 70. (vt etiam adnotauit Latinius) ex Hierem. capite 31. vbi legitur illud*: Et congregabo illos ab extremis terræ; *quod etiam Hebraice ad verbum legitur, & subditur: ἐν ἑορτῇ, id est, in solemnitate, siue, vt transfert Auctor*: in die festo, *pro eo quod ex Hebraico legitur pluribus longe verbis*: inter quos erunt cœcus & claudus. *Atqui ex interpretatione hac eius loci per Auctorem, constat in textu explicandi gratia additum, quod hodie præterea legitur Græce πάσχα, & transfertur* Paschæ.

CAP. XX.

135. Ingressuros baptismum, orationib. crebris, ieiuniis & geniculationibus, & peruigiliis, &c. *Inscriptionem huic postremo capiti dedimus*: De pœnitentia baptizandorum. *Exstat autem supra Tom. 2. hac de re integrum caput 6. lib. de Pœnit. hoc titulo*: Quod etiam audientes pœnitentiam agere debeant. *Vbi etiam numero 28. plura ad eandem rem testimonia Patrum adduximus. Atqui ad verbum fere istud descripsit Beatus Leo Papa epistola sua Decretal. ad Episcopos Siciliæ, citata iam olim ab Alcuino libro de Eccles. offic. de baptizandis Electis, præterquam quod ad Apostolorum institutionem id referat: Qui (inquit) secundum Apostolicam regulam & exorcismis scrutandi, & ieiunijs sanctificandi, & frequentibus prædicationibus imbuendi sunt. Et magis huc accedit illud Beati Augustini lib. 4. de Symbolo, cap. 1. Omnia sacramenta, quæ acta sunt & aguntur in vobis per ministerium seruorum Dei, exorcismis, orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione ceruicum, humilitate pedum. Hic sufficiat adnotatum, quod huc pertineant septem illa scrutinia, de quibus supra num. 1. inter ceremonias baptismi, quippe in quibus frequentissime vsitatæ* orationes, ieiunia, geniculationes, & peruigilia, *vti ex Ordine Romano, & alijs scriptoribus de Diuinis officiis illic citatis, manifestum est.*

136. & cum confessione omnium retro delictorum.] *Si vllus locus faciat pro confessione peccatorum speciali & secreta, certe iste imprimis. Verum de illo vide latissimum tractatum dicto libro de Pœnitentia, num. 1. 14. 54. 58. 59. & 62. Maxime autem facit huc id quod addit Auctor*: Nobis gratulandum est, si non publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras.

137. vt exponant etiam baptismum Ioannis.] *Sane hoc intelligendum, & per Parenthesin legendum, ne videatur etiam baptismum Ioannis inter peccata quæ confitenda erant ante baptismum, comprehendi.*

138. Simul etiam & de priſtinis satisfacimus, conflictatione carnis & spiritus.] *Hoc similiter ad confirmandam* satisfactionem, *alteram pœnitentiæ partem, pertinet, de qua etiam latissime dicto libro de Pœnit. cap. 5. nu. 26.*

139. Nam & præcesserat dictum: Neminem intentatum regna cœlestia consequuturum.] *Videtur adludere ad illud Luc. 22.* Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et (*ac si dicat propterea*) ego dispono vobis regnum. *Alioqui certe non potest reperiri locus, vbi negatiue istud dicatur.*

140. nisi necessitas gaudii & gratulatio salutis.] *Videtur alludere ad Alleluia, quod in* signum gaudii & gratulationem salutis *recens baptizatorum, toto Paschali tempore in Ecclesia vsitatum est.*

141. quam Dei.] *Rursus* quam *vsurpat Auctor, pro, plus quam. Paulopost autem Latinius censet legendum*: Domino, &c. subiiciente: Petite & accipietis, *omisso*, inquit, *pro eo quod legebatur*: subiacente: Petite & accipietis, inquit. *Cui & ego adsentior.*

142. etiam Tertulliani peccatoris memineritis.] *Vel hinc constat, contra quam quidam perperam censuerunt, alioqui viri eruditi, non esse dubitandum de hoc libro, quin Tertulliani sit. At qui etiam* peccatorem *se ex humilitate nominat supra Tom. 2. sapedicto lib. de Pœnit. cap. vltimo.*

ARGVMENTVM LIBRI ADVERSVS HERMOGENEM, per Iacobum Pamelium.

QVVM *Hermogenes in Africa hæresin introduceret de Materia Deo coæterna, ex qua, non vero de nihilo, mundum creasset Deus, Librum hunc aduersus illum conscripsit Tertullianus.*

Primum autem nouellam eam esse doctrinam tradit, & à Stoicis mutuatam. I.

Deinde hac argumentatione suam illum coloraſſe hæresin; quum ex semetipso facere mundum non potuerit, neque etiam ex nihilo, sicuti ille perperam contendebat, proinde ex Materia fecisse. II.

Etsi autem Deus semper Deus fuerit, non tamen semper Dominum fuisse, quod Deus substantiæ nomen sit, Dominus potestatis. III.

Hinc institutam disputationem incipiens, docet Materiam Deo coæternam esse non posse, nisi duos Deos faciamus. IV.

Si enim innata & semper Materia, si innatus & semper Deus; ambo sine initio, ambo sine fine, ambo etiam auctores vniuersitatis; Materiæ illum eadem adscribere, quæ Deo. V.

Frustra adeo dicere illum, saluum esse Deo, vt sit solus, & primus omnium auctor, & omnium Dominus; quum eadem Materiæ contra Dei ipsius conteſtationem adscribat. VI. G

Si dicat minorem & inferiorem Materiam Deo, & idcirco illi incomparabilem, obstare Materiæ æternitatem, quæ neque diminutionem, neque subiectionem admittit. VII.

Proinde etiam Deo præponere Materiam, & Deum potius Materiæ Hermogenem subijcere; quum de Materia cuncta feciſſe illum scribit, cuius proinde substantia eguerit Deus. VIII.

Non posse etiam dicere, Deum vt Dominum Materia vsum; quum Dominus nondum esset, atque adeo aut vi, aut precario. IX.

Neque excusari Hermogenem, quod alioqui Deum mali auctorem dicere oporteat, nisi malum à Materia, non à creatore deducant; quia si non auctor, certe mali assentator, immo adsertor inuenietur Deus, qui malum Materiæ ante mundi constitutionem sustinuerit, quam vt mali æmulus emendasse debuerat. X.

Maxime quum persuadere non posit malam esse Materiam, si æterna sit; aut si quod æternum sit, malum credi possit, insuperabile malum esse, & frustra nos laborare de auferendo malo ex nobis ipsis. XI.

Deinde si mala sit, æternam esse non posse, quum Deus illam de malo in bonum demutarit, faciens bona omnia; id autem quod æternum est, sit indemutabile. XII. H

Sin vero nulla demutatio in illa sit facta, oportere Materiam & bonæ fuisse & malæ naturæ, & proinde neque etiam bonum auctorem Deum facere licebit, nisi ex occasione Materiæ. XIII.

Quod proinde Deus seruiat Materiæ iuxta illum, & ex necessitate quædam etiam mala producat. XIV.

Porro rectius dici creasse Deum ex nihilo omnia. XV.

Igitur aut Deo adscribendum & bonum & malum qui ex Materia fecerit, aut Materiæ, aut vtrumque vtrique; vt pares sint ambo, ex æquo mali & boni adfines; atque adeo non posse euadere Hermogenem, quin Deum auctorem mali faciat. XVI.

Iam vero non conuenire eius sententiam cum vnici Dei statu, à quo omnia, sine alterius cuiusquam consilio, vt scripturæ sanctæ ratio constet. XVII.

Solam enim Sophiã, i. Sermonẽ Dei filiũ, nempe vnigenitũ & XVIII.

primo-

primogenitum, patri cooperatum, cui perperam Hermogenes Materiam præponit.

Occasiones quidem Hermogenem sumpsisse (vt hæreticis fere mos est simplicia torquere) verborum illorum: In principio Deus fecit cœlum & terram, Sed principium ibi esse inceptionis verbum, non alicuius substantiæ nomen, aut pro principatu & potestate positum.

Posse interim intelligi & in Sophia sua condidisse omnia Deũ iuxta illud Euãgelii: In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deũ & Deus erat Sermo? omnia per ipsũ facta sunt.

Scripturam etiam eo ipso ex nihilo omnia facta significare, quod non scribat ex aliquo facta.

Spiritum enim sanctum hanc rationem scripturæ constituere, vt, quum quid ex aliquo sit, & quod fiat & vnde fiat, referat.

Argumentari equidem Hermogenem ex illis sequentibus scripturæ verbis: Terra erat inuisibilis & incomposita.

Verum terræ nomen, Materiam non significare.

Neque duas proponi terras in scriptura, vnam quam Deus in principio fecerit, aliam ex qua fecerit.

Sed vnam dumtaxat terram, quæ initio facta narretur, postmodum vero etiam, qualis fuerit facta, describatur.

Particulam item: Erat, non significare quasi infecta sit; quippe quæ etiam de omni re nata dici possit.

Etiã nihil pro eo facere particulas, Inuisibilis & Incõposita.

Siquidem omnia opera sua primum inculta, postea suo ordine ornauit & consummauerit.

Immo et sequẽtia illa: Et tenebræ super abyssũ, & Spiritus Dei ferebatur super aquas, potius illi cõtrariari quã fauere.

Nihil quoq; pro illo facere, quod scriptura expresse solũ cœli & terræ mentionẽ faciat; sub illis enim & species omnes contineri.

Quid? quod & abyssum & tenebras à Deo conditas scriptura testetur, quæ adeo ad Materiam innatam pertinere nequeant.

Constare proinde & omnia à Deo facta, & ex Materia non facta, quæ etiam si fuisset, à Deo facta crederetur.

Porro ex nihilo omnia constitisse, inde suaderi, quod diuina dispositio omnia, vti è scripturis patet, in nihilum redactura sit.

Iam vero inde etiam agnosci contrarietates Hermogenis, quod neque corporalis sit, neque incorporalis Materia.

Neque etiam rationi rectæ conuenire, quod partim corporalem partim incorporalem dicat.

Sibi quoque in hoc nõ consentire, quod alibi boni & mali adfinem Materiã constituat, alibi nec bonam nec malam pronuntiet.

Quum autem etiam situm Materiæ adsignet, faciens illam subiacentem Deo in loco qui sit infra Deum obduci eum & refelli, qui alibi eam infinitam fecerit.

Definitiuam antem dici non posse, aut comprehensibilem, aut demutabilem, sicut tamen rectius illi videbatur, si (quod alibi asseruit) æterna sit.

Et iam in hoc etiam sibi non constare, quod dicat, in melius reformatam Materiam.

Motum etiam Materiæ nequaquam adscribi posse.

Plurimas itaque colligi posse contrarietates Hermogenis.

Etiam de motu, quippe qui alibi certamen, alibi tarditatem motui adscribat.

Denique dum disputat, qualiter Deus mundum operatus sit, & à Stoicis Philosophis illum recedere, & a Prophetis.

Prophetas autem & Apostolos rectius tradere non solum visu & accessu Deum omnia creasse, sed in Sermone & Spiritu suo, modo inuestigabili, ex nihilo.

Ceterum Libri huius aduersus Hermogenem hisce verbis mentionem facit Tertullianus libro sequenti aduersus Valentinianos c. 14. Hæc (inquit) erit materia, quæ nos commisit cum Hermogene, ceterisque, qui Deum ex Materia, non ex nihilo, operatum cuncta præsumunt. Disertis etiam verbis scripti eius aduersus Hermogenem meminit Vincentius Lirinensis: & B. Hieron. li. aduersus Heluidium, ad verbum quædam citat ex huius lib. cap. 1. & l. ad Ctesiphontem adu. Pelagianos illud: Patriarchæ hæreticorum Philosophi. Quare recte etiam recensetur inter opera Tertulliani à Trithemio & Politiano, qui MS. viderunt. Publicauit autem primus Rhenanus, primum Scholiis, deinde & Adnotationibus illustratum, & multis quidem locis egregie castigauit. Nunc denuo vero eundem ex Vaticano vno MS. exemplari, & Latinij codice recognouimus, & Adnotationibus quoque nostris locupletauimus.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI ADVERSVS HERMOGENEM LIBER.

SOLEMVS [2] hæreticis compendii gratia de posteritate præscribere. In quantum n. veritatis regula prior quæ etiam futuras hæreses prænunciauit, in tantum posteriores quæque doctrinæ hæreses præiudicabuntur: quia sunt quæ futuræ veritatis antiquiore regula prænuntiabantur. 3 Hermogenis autem doctrina tam nouella est, denique ad hodiernum homo in seculo, & 4 natura quoque hæreticus, etiam turbulentus: 5 qui loquacitatem, facundiam existimet: & impudentiam, constantiam deputet: & maledicere singulis, officium bonæ conscientiæ iudicet, 6 Præterea pingit licite, 7 nubit assidue: legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit: bis falsarius [8] & cauterio & stylo totus adulter, & prædicationis & carnis. siquidem & nubentium contagio fœtet. 9 nec ipse Apostolicus Hermogenes in regula perseuerauit: Sed viderit persona, cum doctrina mihi quæstio est: Christum Dominum non alium videtur aliter cognoscere, alium tamen facit quem aliter cognocit: immo totum, quod est Deus, aufert, nolens illum ex nihilo vniuersa fecisse. 10 A Christianis enim cõuersus ad Philosophos, de Ecclesia [21] in Academiã & Portiaum, inde sumpsit à Stoicis Materiam cum Domino ponere, quæ ipsa semper fuerit neque nata, neque, facta, nec initium habens omnino nec finem, ex qua Dominus omnia postea fecerit. [12] Hanc primam vmbram plane sine lumine pessimus pictor illis argumentationibus colorauit. Præstruens aut Dominum de semetipso fecisse cuncta, aut de nihilo, aut de aliquo: vtrum ostenderit neque ex semetipso fecisse potuisse, neque ex nihilo, quod supereſt exinde confirmet, ex aliquo eum fecisse, atque ita aliquid illud Materiam fuisse. Negat illum ex semetipso facere potuisse: quia partes ipsius fuissent, quæcunque ex semetipso fecisset Dominus. Porro in partes non deuenire, vt indiuisibilem & indemutabilem & eundem, semper qua Dominus. Ceterum si de semetipso fecisset aliquid, ipsius fuisset aliquid. Omne autem & quod fieret: & quod faceret, imperfectum habendum: quia ex parte fieret, & ex parte faceret: aut si totus totum fecisset, oportuisset illum simul & totum esse, & non totum: quia oporteret & totum esse, vt faceret semetipsum, & totum non esse, vt fieret de semetipso. Porro difficillimum. Si enim esset, nõ fieret, esset enim: si vero non esset, non faceret: quia nihil esset. Eum autem qui semper sit non fieri, sed esse illum in æuum æuorum. Igitur non de semetipso fecisse illum [13] qui non eius fuerit conditionis, vt de semetipso facere potuissent. Proinde ex nihilo nõ potuisse eũ facere, sic contendit, bonum & optimum definiens Dominum qui bona atque optima tam velit facere quã sit? immo nihil non bonum atque optimũ & velle eũ & facere. Igitur omnia ab eo bona & optima oportuisse fieri secundũ conditionẽ ipsius. Inueniri aũt & mala ab eo facta, vtiq; non ex arbitrio, nec ex voluntate: quia si ex arbitrio & voluntate, nihil incongruens & indignũ sibi faceret. Quod ergo non arbitrio suo fecerit, intelligi oportere ex vitio alicuius rei factum, ex materia esse sine dubio. [14] Adiicit & aliud: Deum semper Deum etiã Dominum fuisse, nunquam non Deũ. Nullo porro modo potuisse illum semper Dominum haberi, sicut & sẽper Deum, si non fuisset aliquid retro semper, cuius sẽ-

per Dominus haberetur: fuisse itaque Materiam semper Deo Domino. Hanc coniecturam eius iam hinc destruere properabo, quam hactenus propter non intelligentes adiecisse duxi, vt sciant, cetera quoque argumẽta tam intelligi quam reuinci Dei nomen dicimus semper fuisse apud semetipsum, & in semetipso, Dominum vero non semper: diuersa enim vtriusq; conditio. Deus substantiæ ipsius nomẽ, id est, diuinitatis; Dominus vero non substantiæ, sed potestatis: substantiã semper fuisse cum suo nomine, quod est Deus, postea Dominus accedentis scilicet rei mentio. Nam ex quo esse cœperunt in quæ potestas Domini ageret, ex illo per accessionem potestatis & factus & dictus est Dominus: quia & pater Deus est, & iudex Deus est, non tamen ideo pater & iudex semper, quia Deus semper. Nã nec pater potuit esse ante filium, nec iudex ante delictum: [15] Fuit autem tempus, cum & delictum & filius nõ fuit, quod iudicem, & qui patrem Dominum faceret. Sic & Dominus non ante ea, quorum Dominus existeret, sed Dominus tantũ futurus quandoq;, sicut pater per filium, sicut iudex per delictum, ita & Dominus per ea, quæ sibi seruitura fecisset. Argumẽtari tibi videor Hermogenes. [16] Nauiter scriptura nobis patrocinatur, quæ vtrunque nomen ei distinxit, & suo tempore ostendit. Nam Deus quidem quod erat semper, statim nominat: *In principio fecit Deus cælum & terram.* Ac deinceps quam diu faciebat quorũ Dominus futurus erat, Deus solum modo ponit. [17] *Et dixit Deus, & fecit Deus, & vidit Deus*, & nusquam adhuc Dominus. At vbi vniuersa perfecit, ipsumque vel maxime hominem qui proprie Dominum intellecturus erat, Dominus etiam cognominatur. Tunc etiam Dominus nomen adiunxit: [18] *Et accepit Deus Dominus hominem quem finxit. Et præcepit Dominus Deus.* Ac exinde Dominus qui retro Deus tantum, ex quo habuit cuius esset. Nam Deus sibi erat, rebus autem tunc Deus, cum & Dominus. Igitur in quantum putabit ideo Materiam semper fuisse, quia Dominus semper esset, intantum constabit nihil fuisse quia constat Dominum non semper fuisse. Adiiciam & ego propter non intelligentes, [19] quorum Hermogenes extrema linea est, [20] & quidem ex penu etiam illius retorquebo aduersus illum. Cũ enim neget Materiam natam aut factam, sic quoq; inuenio Domini nomen Deo non competisse in Materiã: quia libera fuerit necesse est, quę, originẽ non habendo, non habuit rem quod erat, nemini seruiens. Itaq; ex quo Deus potestatem suam exercuit in eam, faciendo ex Materia, ex illo Materia Dominum Deum passa, demonstrat, hoc illum tam diu non fuisse, quã diu fuit. [21] Hinc denique incipiam de Materia retractare, quod eã Deus sibi cõparet proinde non natam, proinde nõ factam, proinde æternam: sine initio, sine fine propositam. Quis enim alius Dei census, quam æternitas? quis alius æternitatis status, quã semper fuisse & futurum esse, ex prærogatiua nullius initii & nullius finis? Hoc si Dei est propriũ, solius Dei erit, cuius est proprium: quia si & alii asscribatur, iam non erit Dei proprium, sed commune cum eo cui & asscribitur. [22] Nam etsi sunt qui dicũtur Dei siue in cœlo, siue in terra nomine, ceterum vnus Deus pater, ex quo omnia: quo magis apud nos solius Dei esse debeat, quod Dei propriũ est: &, vt dixi, iam non propriũ esset, quia alterius esset. Quod si Deus est, vnicum sit necesse est, vt vnius sit. Aut quid erit vnicum & singulare, nisi cui nihil adęquabitur? quid principale, nisi quod super omnia, nisi quod ante omnia, & ex quo omnia? Hæc Deus solus habendo est, & solus habendo, vnus est. Si & alius habuerit: tot iã erunt Dei, quot habuerint quæ Dei sunt. Ita Hermogenes duos Deos infert. Materiam parem Deo infert. Deum autem vnum esse oportet: quia quod summum sit, Deus est: summum autẽ nõ erit, nisi quod vnicum fuerit: vnicum autem esse nõ poterit, cui aliquid adæquabitur. Adæquabitur autẽ Deo Materia, cum æterna censetur. [23] Sed Deus, Deus est: Materia, Materia est. Quasi diuersitas nominum, comparationi resistat, si status idem vindicetur. Sit & natura diuersa, sit & forma non eadem, dũmodo ipsius status vna sit ratio. Innatus Deus, an non & innata Materia? Semper Deus, an non semper & Materia? Ambo sine initio, ambo sine fine; ambo etiam auctores vniuersitatis: tam qui fecit, quam de qua fecit. Neque enim potest non & Materia auctrix omnium deputari, de qua vniuersitas consistit. Quomodo respondebit? Non statim Materiam cõparari Deo, si quid Dei habeat, quia nõ totum habendo non concutrat in plenitudinẽ comparationis? Quid Deo reliquit amplius, vt nõ totũ Dei, Materiæ dedisse videatur? Vel qua, inquit, & sic habente Materia salua sit Deo & auctoritas & substantia, qua solus & primus auctor est, & Dominus omnium censeatur. Veritas autem sic vnum Denm exigit defendendo, vt solius sit quicquid ipsius est. Ita enim ipsius erit si fuerit solius: & ex hoc alius Deus non possit admitti, dũ nemini licet habere de Deo aliquid. Ergo, inquis, nec nos habemus Dei aliquid. Immo habemus, & habebimus, sed ab ipso, non à nobis. Nam & Dei erimus, si meruerimus illi esse de quibus prædicauit, *Ego dixi, vos Dei estis*: &: [24] *Stetit Deus in Ecclesia Deorum*: sed ex gratia ipsius, nõ ex nostra proprietate: quia ipse est solus, qui Deos faciat. Materia autem proprium facit quod cum Deo habet: aut si à Deo accepit, quod est Dei, ordinem dico æternitatis, potest & credi & habere illam cum Deo aliquid, & Deum illam non esse. Quale est autẽ cum confitetur ille aliquid cũ Deo habere, & vult solius Dei esse, quod Materiam non negat habere? [25] Dicit saluum Deum esse, vt & solus sit & primus, & omniũ auctor, & omniũ Dominus, & nemini cõparãdus, quæ mox Materiæ quoq; adscribit. [26] *Ego quidem Deus*, contestabitur Deus, & iurauit nonnũquã per semetipsum, quod alius non sit qualis ipse: sed mendacem eum faciet Hermogenes: erit enim & Materia, qualis Deus, infecta, innata, initium non habens, nec finem. [27] Dicet Deus: *Ego primus*, & quomodo primus, cui Materia coætanea est? Inter coætaneos autem & contemporales ordo nõ est, aut & Materia prima est. *Extendi*, inquit, *cælum solus*: atquin non solus; cum ea enim extendi, de qua & extendit. Cum proponit: saluo Dei statu fuisse Materiam, vide ne irrideatur à nobis, proinde saluo statu Materiæ fuisse Deum, communi tamen statu amborum. Saluum ergo erit & Materiæ, vt & ipsa fuerit, sed cum Deo: quia & Deus solus, sed cum illa. Et ipsa prima cum Deo quia & Deus primus cum illa: sed & illa incomparabilis cum Deo, quia & Deus incomparabilis cum illa, & auctrix cum Deo, & domina cum Deo. Sic aliquid & non totum Materiæ habere, ita illi nihil reliquit Hermogenes, quod non & Materiæ contulisset: vt non Materia Deo, sed Deus potius Materiæ comparetur. Atque adeo cum ea quæ propria Dei vindicamus, semper fuisse, sine initio, sine fine, & primum fuisse & solum, & omnium auctorem, Materiæ quoque competant: quæro quid diuersum & alienum à Deo, ac per hoc priuatum Materia possederit, per quod Deo non compararetur? In qua omnia Dei propria recensentur, satis præiudicant de reliqua comparatione. [28] Si minorem & inferiorem Materiam Deo, & idcirco diuersam ab eo, & idcirco incomparabilem illi contendit, vt maiori, vt superiori: præscribo non capere vllam diminutionem & humiliationem, quod sit æternũ & inuatum: quia hoc & Deum faciat tantum, quantus est, nullo minorem, neque subiectiorem, immo omnibus maiorem & sublimiorem. Sicut enim cetera quæ nascũtur, aut finiunt, & idcirco æterna non sunt semel opposita fini, quæ & initio admittunt ea quæ Deus nõ capit, diminutionem dico interim & subiectionem: quia nata & facta sunt: Ita & Deus ideo ea nõ capit, quia nec natus omnino, nec factus est. Materiæ autẽ status talis est. Igitur & duobus æternis, vt innatis, vt infectis, Deo atque Materiæ, ob eandem rationẽ communis status, ex æquo habentibus id, quod neque diminui, nec subiici admittit, id est, æternitatẽ: neutrum dicimus altero esse minorem siue maiorem: neutrum altero humiliorẽ, siue superiorem, sed stare ambo ex pari magna, ex pari sublimia, ex pari solidæ & perfectæ fœlicitatis, q̃ censetur

A æternitas. 29 Neq; enim proximi erimus opinionibus Nationum, quæ si quando coguntur, Deum confiteri, tamen & alios infra illum volunt. Diuinitas autem gradum non habet, vtpote vnica. Quæ si & in Materia erit, vt proinde innata & infecta, & æterna, aderit vtrobique: quia minor se nusquam poterit esse: quomodo ergo discernere audebit Hermogenes: atque ita subiicere Deo materiam, æternam æterno, innatam innato, auctricem auctori? dicere audentem, & ego prima, & ego ante omnia, & ego à quo omnia: pares fuimus, simul fuimus, ambo sine initio, sine fine: ambo sine auctore, sine Deo. Quis me Deus subiicit contemporali, coætaneo? Si quia Deus dicitur, Habeo & ego meum nomen. Aut ego sum Deus aut ille Materia: quia ambo sumus quod alter est nostrum. Putas itaque Materiam Deo non comparasse, quã scilicet subiiciat illi?

Cap. VIII. [30 Atquin etiam præponit illam Deo, & Deum potius subiicit Materiæ; cum vult: eum de Materia cuncta fecisse. Si enim ex illa vsus est ad opera mundi: iam & Materia superior inuenitur, quæ illi copiam operandi subministrauit, & Deus subiectus Materiæ videtur, cuius substantiæ eguit. Nemo enim nõ eget eo 31 de cuius vtitur: nemo non subiicitur ei cuius eget, vt possit vti: sic & nemo de alieno vtendo non minor est eo de cuius vtitur. Et nemo qui præstat de suo vti, non in hoc superior est eo cui præstet vti. Itaque Materia ipsa quidem Deo non eguit, sed eguisse Deo præstitit, diuite & locuplete & liberali, minori opinor & inualido & minus idoneo de nihilo facere quę velit. Grande reuera beneficium Deo contulit, vt haberet hodie per quem Deus cognosceretur, & omnipotens vocaretur: nisi quod iã non omnipotens: si non & hoc potens, ex nihilo omnia proferre. Sane & sibi præstitit aliquid Materia, vt & ipsa cum Deo possit agnosci coæqualis Deo, immo & adiutrix: nisi quod solus eam Hermogenes cognouit, 32 & Haereticorvm Patriarchae Philosophi. Prophetis enim & Apostolis vsque adhuc latuit, puto & Christo.

Cap. IX. [33 Non potest dicere Deum vt Dominum Materia vsum ad opera mundi: Dominus enim nõ potuit esse substantiæ coæqualis. 34 Sed precario forsitan vsus est: & ideo precario, non dominio, vt cũ ea mala esset, de mala tamen sustinuerit vti, scilicet ex necessitate mediocritatis suę, qua non valebat ex nihilo vti: non ex potestate, quam si habuisset omnino vt Deus in Materiã, quam malam norat, ante eã in bonum conuertisset vt Dominus & bonus, vt ita de bono non de malo vteretur. Sed quia bonus quidem, Dominus autem non, ideo, qualem habuit, tali vsus necessitatem suam ostendit cedentem conditioni materiæ: quã si dominus fuisset emendasset. Sic enim Hermogeni respõdendum est cum ex dominio defendit Deum materia vsum, & de re non sua, scilicet non facta ab ipso. Iam ergo malum ab ipso, qui est mali si non auctor, quia nõ effector, certe permissor, quia dominator. Si vero materia non & ipsius qua malum, Dei non erit: de alieno ergo vsus, aut precario vsus est qua egens eius: aut & iniuria, qua præualens eius. His enim tribus modis aliena sumuntur: Iure, beneficio, impetu, id est, dominio, precario, vi domino non suppetente. Eligat Hermogenes, quid Deo congruat, precario an vi de materia cuncta fecisset. Non ergo melius censuisset Deus nihil omnino faciendum quam precario, aut vi faciendum, & quidem de malo?

Cap. X. [35 Nonne etiam si materia optima fuisset, æq; indecorũ sibi existimasset de alieno licet bono? Fatue satis, si ita gloriæ suæ causa molitus est mundum, vt debitorem se alienæ substantiæ ostenderet, & quidem non bonæ. Ergo, inquit, ex nihilo faceret, vt mala quoque arbitrio eius imputarentur. Magna, 36 bona fide, cæcitas hæreticorum pro huiusmodi argumentatione, cum ideo aut alium Deum bonum & optimum volunt credi, quia mali auctorem existiment Creatorem: aut materiam cum Creatore proponunt, vt malũ à materia, non ã Creatore deducant: quando nullus omnino Deus liberetur ista quæstione, vt nõ auctor mali videri proinde possit, quisquis ille est qui malũ etsi non ipse fecit, tamen à quocunque & vndevnde passus est fieri. Audiat igitur & Hermogenes, dum alibi de mali ratione distinguimus, interim se quoque nihil egisse hac sua iniectione. Ecce enim etsi non auctor, 37 sed assentator mali inuenitur Deus, qui malũ materiæ tanto sustinuit de bono ante mundi constitutionem, quã vt bonus & mali æmulus emẽdasse debuerat. 38 Aut enim potuit emendare, sed noluit: aut voluit quidẽ, verum non potuit infirmus Deus. Si potuit & noluit, malus & ipse, quia malo fauit: & sic iam habetur eius quod licet nõ instituerit, quia tamen si noluisset illud esse, nõ esset, ipse iã fecit esse; quod noluit non esse. Quo quid est turpius? Si id voluit esse quod ipse noluit fecisse, aduersum semetipsum egit, cum & voluit esse quod noluit fecisse, & noluit fecisse quod voluit esse. Quasi bonũ voluit esse, & quasi malũ noluit fecisse. Quod non faciendo malũ iudicauit, id sustinendo bonum pronunciauit: malum pro bono sustinendo, & non potius eradicando, assertor eius inuentus est: male si per voluntatem, turpiter si per necessitatem. Aut famulus erit mali Deus aut amicus, cum materiæ malo conuersatus, nedum etiã de malo eius operatus.

Cap. XI. [39 Et tamen vnde nobis persuadet Hermogenes, malã esse materiã? Non enim poterit non malũ dicere cui malum ascribit. Nam definimus diminutionẽ & subiectionẽ capere nõ posse quod sit ęternũ 40 vt alii coæterno inferius deputetur. Ita & nunc nec malũ dicimus competere illi, quia nec subiici ex hoc possit, quod nullo modo potest subiici, quia æternum est. Sed cum alias summum bonum constet esse quod sit æternum vt Deus, per quod solus est Deus; dum æternus est, & ita bonus, dũ Deus: quomodo materiæ inerit malum quam vt æternam, summum bonũ credi necesse est? Aut si quod æternum est poterit & mali capax esse, poterit hoc & in Deũ credi & sine causa gestiuit malum à Deo transferre, si competit & æterno, competendo materiæ. Iam vero si quod æternum est, malum potest credi, inuincibile & insuperabile erit malum, vt æternum: & tamen nos frustra laboramus de auferendo malo ex nobis ipsis, cum & Deus hoc frustra mandat & præcipit: 41 immo & iudiciũ frustra constituit Deus; & in iustitia vtique puniturus, quibus contra malum finis, cum præses eius diabolus abierit in ignem, quem præparauit illi Deus & angelis eius, 42 prius in puteum abyssi relegatus, 43 quum reuelatio filiorum Dei redemerit conditionem à malo, vtique vanitati subiectam; cum restituta innocentia & integritate conditionis 44 pecora condixerint bestiis, 45 & paruuli de serpentibus luserint; cum pater filio posuerit inimicos sub pedes, vtique operarios mali. Itaque si finis malo competit, necesse est competierit initium. Erit materia habens initium habendo & finem mali. Quæ enim malo deputantur, secundum mali statum computãtur.

Cap. XII. [46 Age nunc malam ac pessimam credamus esse materiam vtique natura: sicut Deum bonum & optimum credimus proinde naturæ: porro naturam certam & fixam haberi oportebit tam in malo perseuerantem apud materiam, quam in bono apud Deum inconuertibilem & indemutabilem. Scilicet qua si demutabitur natura in materia, de malo in bonum demutari poterit & in Deo de bono in malum. Hoc loco dicet aliquis: 47 Ergo de lapidibus filii Abrahæ non suscitabuntur, & genimina viperarum non facient pœnitentiæ fructum, & filii iræ non fient filii pacis; si natura mutabilis non erit. Temere ad ista exempla respicies ô homo: non enim competunt ad causam materiæ, quæ innata est, ea quæ nata sunt, lapides, & viperæ, & homines. horum enim natura, habendo institutionem, habere poterit & cessationem. Materiam vero tene semel æternam determinatam, vt infectam, vt innatam: & ideo indemutabilis & incorruptibilis naturæ credendam, ex ipsius etiam sententia Hermogenis, quam opponit cum Deum negat ex semetipso facere potuisse: quia non demutetur quod sit æternum, amissurum scilicet quod fuerat, dum fit ex demutatione quod non erat, si nõ esset æternũ. Domi-

E

F

1. Cor. 5. Matth. 24.

Apoc. 20. Rom. 8. Isai. 11. Psal. 109.

G

Matth. 3.

H

A num vero æternum aliud esse non posse, quam quod est semper. Hac & ego definitione merito illum repercutiam. Materiam æque reprehendo, cum ex illa mala, pessima etiam, bona atque optima à Deo fiunt: 48 *Et vidit Deus quia bona, & benedixit ea Deus*, vtiq; qua optima, non certe qua mala ac pessima. Demutationem igitur admisit materia, & si ita est, statum æternitatis amisit: mortua est denique sua forma. Sed æternitas amitti non potest: quia nisi amitti non possit, æternitas non est. Ergo nec demutationem potuit amisisse: quia si æternitas est, demutari nullo modo potest. [49 Et quęretur, quomodo ex ea bona facta sint, quæ ex demutatione nullo modo facta sunt? Vnde in mala ac pessima boni atque optimi semen? Certe *nec bona arbor, fructus malos ædit*: quia nec Deus nisi bonus: *nec mala arbor, bonos*: quia nec materia est nisi pessima. Aut si dabimus illi aliquid, etiam boni germinis, iam non erit vniformis naturæ, id est, malæ in totum: sed iam tum duplex, id est, bonæ & malæ naturæ. Et quæretur iterum, an in bono & malo poterit conuenire luci & tenebris, dulci & amaro. Aut si potuit vtriusque diuersitas boni & mali concurrisse, & B duplex natura fuisse materiæ amborum ferax fructuum, iam nec bona ipsa Deo deputabuntur, vt nec mala illi imputentur: sed vtraque species de materiæ proprietate sumpta, ad materiam pertinebit. Quo pacto neque gratiam bonorum Deo debebimus, nec inuidiam malorũ, quia nihil de suo operatus ingenio.] 50 Per quod probabitur manifeste materiæ deseruisse. Nam etsi dicatur, licet ex occasione materiæ, suo tamen arbitrio bona protulisse, quasi nactus bonum materiæ, quanquam & hoc turpe sit, certe cum ex eadem etiam mala profert, vel hęc vtique non de suo arbitrio proferendo, seruit materiæ, aliud non habens facere quam ex malo proferre, inuitus vtique qua bonus, ex necessitate vt inuitus, & ex seruitute vt ex necessitate. Quid ergo dignius, ex necessitate, eum condidisse mala, an ex voluntate? Siquidem ex necessitate condidit, si ex materia ex voluntate, si ex nihilo. Iam enim sine causa laboras, ne malorum auctor constituatur Deus: quia etsi de materia fecit, ipsi deputabuntur qui fecit, proinde quatenus fecit. Plane sic interest vnde fecerit, ac si de nihilo fecisset: nec interest vnde fecerit, vt inde fecerit, vnde C eum magis decuit. Magis autem eum decuit ex voluntate fecisse quam ex necessitate: id est, ex nihilo potius quam ex materia. Dignius est Deum etiam malorum auctorem liberum credere, quam seruum. Quæcunque potestas ei, 51 quam pusillitas competit. Si & sic concedimus materiam, quidem nihil boni habuisse, Dominum vero si quid boni ædidit, sua virtute ædidisse, aliæ æque oborientur quæstiones. Primo si bonum in materia omnino non fuit, non ex materia bonum factum, quod materia scilicet non habuit. Dehinc si non ex materia, iam ergo ex Deo, factum. Si nec ex Deo, iam ergo ex nihilo factum. Hoc enim supereſt secundum Cap. XV. Hermogenis disposition em. [52 Porro si bonum, neq; ex materia factum est, quia non erat in illa vt in mala: neque ex Deo; quia nihil potuit ex Deo fieri, sicut definit Hermogenes: inuenitur bonum iam ex nihilo factum, vt ex nullo factum, vt neque ex materia neque ex Deo. Et si bonum ex nihilo, cur non & malum? immo cur non omnia ex nihilo, nisi si insufficiens fuit diuina virtus omnibus producendis, quæ aliquid protulerit ex nihilo: Aut si ex materia mala bonum processit, quia neque ex nihilo neque ex Deo; sequetur vt ex conuersione processerit materiæ, contra denegatam æterni conuersionem. Ita vnde bonum constitit, iam negabit Hermogenes inde illud constare potuisse. Necesse est autem ex aliquo eorum processerit, ex quibus negauit procedere potuisse. Ceterum si ideo malum non ex nihilo, ne Dei fiat, de cuius arbitrio videbitur factum sed ex materia, vt ipsius sit, de cuius substantia erit factum: & hic vt dixi, auctor mali habebitur Deus, qui cum eadem virtute & voluntate debuisset omnia ex materia protulisse: aut tantum bona (non omnia tamen bona) protulisset, etiam mala vtique aut volens esse mala, si poterat efficere ne essent: aut non valens efficere omnia bona, si voluit & non fecit: dum nihil interest, per infirmitatem Dominus auctor mali extiterit, an per voluntatem. Aut quæ fuit ratio, vt cum bona fecisset quasi bonus, etiam mala protulisset quasi non bonus, cum non congruentia sibi solummodo ædidit. Quid necesse erat suo opere prolato, etiam materiæ negotium curare, proinde & malum proferendo, solus vt cognosceretur bonus de bono, materia autem ne cognosceretur mala de malo? Plus bonum floruisset sine mali afflatu. Nam & Hermogenes expugnat quorundam argumentationes, dicentium mala necessaria fuisse ad inluminationem bonorum, ex contrariis intelligendorum. Ergo nec propterea locus mali proferendi fuit: aut si qua alia ratio exegit illud induci, cur non & ex nihilo potuerit induci, ipsa ratione excusatura Dominum ne mali auctor existimaretur, quæ nunc cum de materia operatur mala excusat: si excusat adeo vbique & vndique illuc compellitur quæstio quo nolunt, qui ipsam mali rationem non examinando, nec dignoscendo, quomodo illud aut Deo adtribuant, aut à Deo seperent, pluribus, & indignioribus destructionibus Deum obijciunt. [53 Igitur in præstructione huius articuli, & alibi forsitan retractandi, equidem definio, aut Deo ascribendum & bonum & malum, quæ ex materia fecit: aut materiæ ipsi ex qua fecit: aut vtrunque vtrique, quia ambo sibi obligantur, qui fecit, & de qua fecit: aut alterum alteri. Tertius enim præter materiam & Deum, non est. Porro si Deus erit vtrunque, videbitur Deus etiam mali auctor: Deus autem, vt bonus, auctor mali non erit: si materia vtrunque, videbitur materia etiam boni matrix, mala autem in totum materia boni non erit matrix, si vtriusque erit vtrunque: in hoc quoque comparabitur Deo materia, & pares erunt ambo, ex æquo 54 mali ac boni adfines: æquari autem Deo materia non debet, ne duos Deos efficiat: si alterum alterius, vtique Deo bonum, & materiæ malum: neque malum Deo, neq; materiæ bonum adscribetur: & bona autem & mala Deus de materia faciendo, cum ea facit. Hæc si ita sunt, nescio qua possit euadere sententia Hermogenes, qui Deum, quoquomodo de materia malum condidit, siue voluntate, siue necessitate, siue ratione, non putet mali auctorem. Porro si mali auctor est ipse qui fecit, plane socia materia 55 per substantiæ suggestum: excludis iam causam materiæ introducendæ. Nihilominus enim, & per materiam Deus auctor mali ostenditur, si ideo materia præsumpta est, ne Deus mali auctor videretur. Exclusa itaque materia dum excluditur causa eius, supereſt vti Deum omnia ex nihilo fecisse constet. Videbimus an & mala, cum apparuerit quæ mala, & an mala interim ea quæ putas. Dignius enim de suo arbitrio produxit, hæc quoque producendo de nihilo, quam de præiudicio alieno, si de materia produxisset. Libertas, non necessitas, Deo competit: malo voluerit mala à semetipso condidisse, quam non potuerit non condidisse.] 56 Vnici Dei status hanc regulam vindicat: non aliter vnici, nisi quia solius: non aliter solius, nisi quia nihil cum illo: sic & primus erit, quia omnia post illum: sic omnia post illum, quia omnia ab illo: sic ab illo, quia ex nihilo, vt illi quoque scripturæ ratio constet, 57 *Quis cognouit sensum Domini? Aut quis illi consiliarius fuit? aut quem consultatus est? aut viam intelligentiæ & scientiæ quis demonstrauit illi; quis tradidit, & retribuetur ei?* Nemo vtique: quia nulla vis, nulla materia, nulla natura substantiæ alterius aderat illi. Porro si de aliquo operatus est, necesse est ab ea ipsa acceperit & consilium & tractatum dispositionis, vt viam intelligentiæ & scientiæ. Pro qualitate enim rei operari habuit & secundum ingenium materię, non secundum suum arbitrium: adeo vt & mala pro natura non sua, sed substantiæ fecerit. [58 Si necessaria est Deo materia ad opera mundi, vt Hermogenes existimauit; habuit Deus materiam longe digniorem & idoneiorem non apud Philosophos æstimandã, sed apud Prophetas intelligendam, Sophiam suam scilicet. 59 Hæc denique sola cognouit sensum Domini: *Quis enim scit*

quæ

A *quæ sunt Dei, & quæ in ipso nisi spiritus qui in ipso?* Sophia
autem spiritus, hæc illic consiliarius fuit, via intel-
Isa. 40. ligentiæ & scientiæ ipsa est. Ex hac fecit, faciendo per
Prou. 8. illam, & faciendo cum illa.[60] *Quum pararet cœlũ*, inquit
aderam illi, & quum fortia faciebat (super ventos) *quæ*
sursum nubila, & cum firmos ponebat fontes eius quæ sub
cœlo est, ego eram compingens cum ipso. Ego eram ad quam gaude-
bat, quotidie autem oblectabar in persona eius. Quando ob-
lectabatur, quum perfecisset orbem, & inoblecta-
batur in filiis hominum. Quis non hanc potius
omnium fontem & originem commendet, materiam
vero materiarum, non sibi subditam, non statu diuer-
sam, non motu inquietam, non habitu informem,
sed insitam & propriam & compositam & decorã, qua-
li Deus potuit eguisse, sui magis quam alieni egens? De-
nique vt necessariam sensit ad opera mundi, statim eam
condit & generat in semetipso. *Dominus*, inquit *condidit*
Prou. 8. *me initium viarum suarũ in opera sua:* [61] *ante secula fundauit*
me prius quam faceret terram, priusquam montes collocarentur,
ante omnes autem colles generauit me: [62] *prior autem abysso ge-*
nita sum. Agnoscat ergo Hermogenes idcirco etiam
B Sophiam Dei natam & conditam prædicari, ne quid
innatum & inconditum præter solum Deum crede-
remus. Si enim intra Dominum quod ex ipso & in
ipso fuit, sine initio non fuit: Sophia scilicet ipsius exin-
de nata & condita ex quo in sensu Dei ad opera mundi
disponenda cœpit agitari: multo magis [63] non capit
sine initio quicquam fuisse quod extra Dominum fu-
Ioan. 1. erit. Si vero Sophia eadem Dei sermo est sensu sophia,
& sine quo factum est nihil, sicut & dispositum si-
ne sophia, quale est vt filio Dei sermone vnigenito
& primogenito aliquid fuerit præter patrem antiqui-
us: & hoc modo vtique generosius, nedum quod inna-
tum nato fortius, & quod infectum facto validius? quia
quod vt esset nullius eguit auctoris. multo sublimius
erit eo, quod vt esset, aliquẽ habuit auctorẽ. Proinde si
malum quidem innatum est, natus autem sermo Dei:
Eructauit enim, inquit, *sermonem optimum*, non scio an à
bono malum possit adduci, validius ab infirmo, vt in-
natum a nato. Ita & hoc nomine materiã Dei præponit
C Hermogenes, præponendo eam filio. Filius enim ser-
mo, & Deus sermo: *& ego & pater vnum sumus* nisi quod
sustinebit æquo animo filius eam præponi sibi, quę pa-
Cap. XIX. tri adæquatur [[64] Sed & ad originale instrumentum
Moysi, prouocabo, vnde & diuersa pars suspiciones suas
» ingratis fulcire conatur, ne scilicet nõ inde instrui vide-
» retur, vnde oportet. Itaq; occasiones sibi sumpsit quo-
Gen. 1. » rundam verborum, vt hæreticis ferre mos est simplicia
quæque torquere. Nam & ipsum principium, in quo
» Deus fecit cœlum & terram, aliquid volunt fuisse, quasi
» substantiuum & corpulentum, quod in materiam inter-
» pretari posit. Nos autem vnicuique vocabulo proprie-
tatem suam vindicamus, principium initium esse, &
competisse ita poni rebus incipientibus fieri. Nihil enim
quod fieri habet sine initio esse, quin initium sit illi ip-
sum dum incipit fieri. [66] Ita principium siue initiũ in-
ceptionis esse verbum: non alicuius substantiæ nomen.
Iam nunc si principalia Dei opera cœlũ & terra sunt quę
ante omnia Deus fecit suorũ esse proprie principiũ, quę
priora sunt facta, merito sic præfatur scriptura. *In princi-*
pio fecit Deus cœlum & terram, quemadmodum dixisset,
D In finem Deus fecit cœlum & terram: si post vni-
uersa fecisset. Aut si principium aliqua substantia est, e-
rit & finis aliqua materia. Plane licebit etiã substantiuũ
aliquid principium esse alii rei, quæ ex ipso sit futura:
vt argilla principium testæ, vt semen principium herbæ.
Sed cum ita vtimur vocabulo principii quasi originis,
non quasi ordinis nomine: adiicimus & mentionem ip-
sius rei specialiter, quam volumus principium alterius
rei, De cetero si sic ponamus, verbi gratia: In principio
fecit figulus peluim vel vrnam: iam non materiam si-
gnificabit principium: nõ enim argillã nominaui prin-
cipium, sed ordinem operis; quia figulus ante cetera
primum peluim & vrnã fecit, exinde facturus & cetera,
ad ordinationem operum principii vocabulũ pertine-
bit, non ad originem substantiarum. Possum & aliter E
principium interpretari, non ab re tamen: [67] nam & in
Græco principii vocabulũ, quod est ἀρχὴ, non tantum
ordinatiuũ, sed & potestatiuum capit principatum. [68]
Vnde & ἄρχοντες dicunt principes & magistratus. Ergo
secundum hanc quoque significationem principiũ pro
principatu & potestate sumetur. In principatu enim &
in potestate Deus fecit cœlum & terram. [[69] Sed vt nihil Cap. XX.
aliud significet Græca vox, quam principium, & prin- Isa. 1.
cipiũ nihil aliud capiat, quam initium: habemus etiã il- Psal. 2.
lam initium agnoscere, quæ dicit: [70] *Dominus condidit*
me initium viarum suarum in opera sua. Si enim per Sophiã
Dei omnia facta sunt; & cœlum ergo & terram Deus
faciens in principio, id est initio, in Sophia sua fecit. De-
nique si principium materiam significaret, non ita scrip-
tura instruxisset, *In principio Deus fecit*, sed *ex principio.* Gen. 1.
Non enim in materia, sed ex materia, fecisset. De So- Sap. 8.
phia autem potuit dici, *in principio*. In Sophia enim
primo fecit, in qua cogitando & disponendo iam fece- Gen. 1.
rat: quoniam etsi ex materia facturus fuisset, ante in So-
phia cogitando & disponendo iam fecerat. Quoniam
etsi erat initium viarum, quia cogitatio & dispositio
prima Sophiæ sit operatio, de cogitatu viam operibus
instituens, hanc & inde auctoritatem scripturæ mihi F
vindico, quod & Deus qui fecit, & ea quæ fecit, osten- Prou. 8.
dens, vnde fecerit non proinde testatur. Nam quum in
omni operatione tria sint principalia, qui facit, & quod
fit, & ex quo fit: tria nomina sunt ædenda in legitima o-
peris enarratione: persona factoris, species facti, forma
materiæ. Si materia nõ ædetur, [71] vbi & opera & operæ
operator æduntur, apparet ex nihilo eũ operatũ. Proin-
de enim æderetur ex quo, si ex aliquo fuisset operatus.
Denique Euangelium vt supplementum instrumenti
veteris adhibebo, in quo vel eo magis debuerat ostendi
Deus ex aliqua materia vniuersa fecisse, quod illic etiam
per quem omnia fecerit reuelatur. [72] *In principio erat ser-*
mo. In quo principio scilicet, *Deus fecit cœlum & terram.* Ioan. 1.
Et sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo, Omnia per ipsum Gen. 1.
facta sunt, & sine illo factum est nihil. Cum igitur & hic Ioan. 1.
manifestetur & factor, id est, Deus, & facta, id
est, omnia, & per quem, id est, sermo: nonne & vnde G
omnia facta essent à Deo per sermonem, exegisset ordo
profiteri, si ex aliquo facta essent; Ita quod non fuit non
potuit scriptura profiteri. Et non profitẽdo, satis proba-
uit non fuisse: quia profiteretur si fuisset. [[73] Ergo, in- Ca. XXI.
quis, si tu ideo præiudicas ex nihilo facta omnia, quia "
non sit manifeste relatum de materia præcedenti factũ "
quid, vide ne diuersa pars ideo contendat ex mate- "
ria omnia facta, quia proinde non aperte significatũ sit
ex nihilo quid factum. Plane retorqueri quædam facile
possunt: non statim & ex æquo admitti, vbi diuersi-
tas causæ est. Dico enim etsi non aperte scriptura pro-
nuntiauit ex nihilo facta omnia, sicut nec ex materia, nõ
tantam fuisse necessitatem aperte significandi de nihi-
lo facta omnia, quanta esset si ex materia facta fuissent.
Quoniam quod fit ex nihilo, eo ipso dum non ostendi-
tur ex aliquo factum, manifestatur ex nihilo factum: [74]
& nõ periclitatur ne ex aliquo factũ existimetur, quan-
do non demonstretur ex quo sit factum. Quod autem
ex aliquo fit, nisi hoc ipsum aperte declaratur ex aliquo
factum, illud dum ex quo factum sit ostenditur, pericli- H
tabitur primo videri ex nihilo factum, quia non æditur
ex quo sit factum. Dehinc etsi ea sit conditione vt non
possit videri ex aliquo, proinde periclitabitur, ex alio
longe factũ videri, quam ex quo factũ est, dum nõ pro-
ponitur vnde sit factum. Ita si ex nihilo Deus cuncta
fecisse non potuit, scriptura non adiecisset illũ ex nihi-
lo fecisse: ex materia eum fecisse omni modo debuit e-
dixisse, licet ex materia fecisset: quia illud in toto habe-
bat intelligi, etsi non significaretur: at istud in dubio,
nisi significaretur. [[75] Atque adeo Spiritus sanctus Cap. XXII.
hanc scripturæ suæ rationem constituit, vt cum quid ex
aliquo fit, & quod fit, & vnde fit, referat. [76] *Fruticet,* Gen. 1.
inquit, *terra herbam fœni, seminantem semen secundum ge-*
nus, & secundum similitudinem, & lignum fructuosum

faciens

A

faciens fructum, cuius semen in ipso in similitudinem. Et factum est sic. Et produxit terra herbam fœni seminantem semen secundum genus, & lignum fructuosum faciens fructum, cuius semen in ipso in similitudinem. Et rursus: *Et dixit Deus: Producant aquæ repentia animarum viuarum, & volatilia volantia super terram 77 per firmamentum cœli. Et factum est sic. Et fecit Deus cetos magnos, & omnem animam animalium repentium, quæ produxerunt aquæ secundum genus ipsorum.* Item post hæc. *Et dixit Deus: Producat terra animam viuentem secundum genus, quadrupedia & repentia, & bestias terræ, secundum genus ipsorum.* Si ergo ex iam factis rebus, alias res Deus proferens, ostendit per Prophetam, & dicit quid vnde protulerit: 78 (quamqnam possimus vnde illas prolatas æstimare, dum ne ex nihilo, iam enim facta erant quædam ex quibus prolatæ videri possent:) si tantam curam instructionis nostræ insumpsit Spiritus sanctus, vt sciremus quid vnde processerit, nonne proinde nos & de cœlo & de terra compotes redidisset, significando vnde ea esset operatus, si de aliqua materia origo constaret illorum? vt tanto magis ex nihilo ea videretur operatus, quanto nihil adhuc erat factum, ex quo opetatus videretur. Itaque sicut ea quæ de aliquo prolata sunt, ostendit vnde prolata sint, ita quæ non ostendit vnde prolata sint, ex nihilo prolata confirmat. Igitur *in principio Deus fecit cœlum & terram.* Adoro scripturæ plenitudinem, qua mihi & factorem manifestat & facta: In Euangelio vero amplius & ministrum atque arbitrium rectoris inuenio Sermonem. An autem de aliqua subiacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat 79 Væ illud adiicientibus aut detrahentibus destinatum. [80 Sed ex sequentibus argumentatur; quia scriptum sit: 81 *Terra autem inuisibilis & incomposita.* Nam & terræ nomen redigit in materiam, quia terra sit quæ facta est ex illa. Et *erat* in hoc dirigit quasi quæ semper retro fuerit innata & infecta. *Inuisibilis autem & rudis*; quia informem & confusam & inconditam vult fuisse materiam. Has quidem opiniones eius singilatim reuincam, sed interim volo sic ei respondere. Putamus his articulis materiam demonstrari. Nunquid tamen, quia erat ante omnia, & tale aliquid esse ex ea factum scriptura significat? Atquin nihil tale significat. Fuerit licet materia, quantum sibi licet, vel potius Hermogeni: potuit & fuisse, & tamen nihil Deus ex illa fecisse, vel quia non decebat Deum alicuius eguisse, certe quia nec ostenditur quicquam ex materia fecisse. Sine causa ergo esset, inquis. Non plane adeo sine causa. Nam etsi mundus non est factus ex illa, sed hæresis facta est, & quidem hoc impudentior, quod non ex materia facta est hæresis, sed materiam ipsam potius hæresis fecit. [82 Reuertor nunc ad singulos articulos, per quos putauit significatam esse materiam. Et primo de nominibus expostulabo. Horum enim alterum legimus, quod est terræ; alterum non inuenimus, quod est materiæ. Quæro ergo, Cum materiæ nominatio non extet in scriptura, quomodo ei etiam terræ appellatio accommodetur in alio iam genere substantiæ nota? Quo magis materiæ quoque nominatio extitisse debuerat, consecuta etiam terræ appellationem, vt scirem terram commune cum materia esse nomen, ne illud ei soli substantiæ vindicarem, cuius & proprium, in qua magis notum est, vel ne illud in quamcunque aliam speciem, nec vtique omni materiæ communicare possem, si vellem. cum enim non extat proprium vocabulum eius rei cui commune vocabulum adscribitur, quãto non comparet cui adscribatur, cuicunque alii poterit asscribi. ita Hermogenes, etsi materiam ostenderet nominatam, deberet eandem probare terram quoque cognominatam, vt ita vtrunque illi vocabulum vindicaret. [83 Vult igitur duas proponi terras in ista scriptura; vnam quam in principio Deus fecit: Aliam, materiam, ex qua fecit, de qua dictum sit, *Terra autem erat inuisibilis & rudis.* Vtique si quæram ex duabus quæ cui nomen terræ accommodare debet? dicetur, hanc quæ facta sit ex illa ex qua facta est, vocabulum deriuasse quia verisimilius sit ab origine sobolem potius, quam originem à sobole vocitari. Hoc si ita est, alia nobis obuoluitur quæstio, an competat terram hanc quam Deus fecit, ex illa ex qua fecit, cognomentum deriuasse. Audio enim apud Hermogenem ceterosque Materiarios hæreticos, terram quidem illam iuformem & inuisibilem & rudem fuisse: hanc vero nostram proinde & formam, & conspectum, & cultum, à Deo consecutam. Aliud ergo factam quam erat ea ex qua facta est. Porro aliud facta, non potuit cum ea denominatione sociari, à cuius conditione desciuerat. Si nomen proprium materiæ illius fuit terra, hæc quæ non est materia, aliud scilicet facta, terræ quoque non capit nomen alienum, & statu suo extraneum. Sed materia facta, id est, terra, habuit cum sua origine consortium nominis sicut & generis. Non audio. Nam & testam, licet ex argilla confectam, iam non angillam vocabo, sed testam: 84 & electrum, licet ex auro & argento fœderatum, nec argentum tamen nec aurum appellabo, sed electrum. à cuius habitu quia diuertit, pariter & à voto eius recedit, appellationis, sicut & conditionis proprietate. Quam autem transierit de statu terræ illius, id est, materiæ, ista terra vel eo palam est, quod hæc apud Genesim testimonium boni accipit: *Et vidit Deus quia bonum:* illa autem apud Hermogenẽ in originem & causam malorũ deputatur. Postremo si ideo hæc terra, quia & illa, cur non & materia hæc quoque quia illa? Immo iam & cœlum & omnia, si ex materia constant, & terræ & materiæ vocari debuerunt. Satis ista de terræ nomine (in quo materiam intelligi voluit) quod nomen vnius elementi omnes sciunt, natura primum, deinde scriptura docente, 85 nisi & Sileno illi apud Midam regem adseueranti de alio orbe, credendum est, 86 auctore Theopompo. Sed & Deos multos idem refert. [87 Nobis autem vnus Deus & vna est terra quam in principio Deus fecit. Cuius ordinem incipiens scriptura decurrere, primo factam eam edicit, dehinc qualitatem ipsius edisserit. sicut & cœlum primo factum professa, *In principio fecit Deus cœlum.* dehinc dispositionem eius superinducit: 88 *Et separauit inter aquam quæ erat infra firmamentum, & quæ super firmamentum, & vocauit Deus firmamentum cœlum* ipsum quod in primordio fecerat. Proinde & de homine, *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum.* Dehinc qualiter fecerit reddit: 89 *Et finxit Deus hominem de limo terræ, & afflauit in faciem eius flatum vitæ & factus est homo in animam viuam.* Et vtique sic decet narrationem inire, primo præfari, postea prosequi, nominare, deinde describere. Alioquin vanum, si eius rei cuius nullam præmiserat mentionem, id est, materiæ ne ipsum quidem nomen, subito formam & habitum promulgauit: ante enarrat qualis esset, antequam an esset; ostendit figuram deformati, nomen abscondit. At quanto credibilius secundum nos eius rei dispositionem scriptura subiunxit, cuius institutionem simulque nominationem præmisit. Quam denique integer sensus est: *In principio Deus fecit cœlum & terram, terra autem erat inuisibilis & rudis*, quam Deus scilicet fecit de qua scriptura cum maxime ediderat. 90 Nam & *Autem* ipsum, velut fibula coniunctiuæ particulæ ad connexum narrationi appositum est, *Terra autem.* Hoc enim verbo reuertitur ad eam, de qua supra dixerat, & alligat sensum. Adeo auferhinc *Autem*, & soluta compago est, vt tunc possit de alia terra dictum videri, *Terra erat inuisibilis & rudis.* [91 Sed tu supercilio capitis & nutu digiti accommodato altius tollens, & quasi retro iactans: *Erat*, inquis, quasi semper fuerit scilicet innata & infecta, & idcirco materia credenda. At ego sine vllo lenocinio pronunciationis simpliciter respondebo, de omni re posse dici. Erat, etiam de ea quæ facta, quæ nata sit, quæ aliquando non fuerit, & quæ materia nvn sit. Omne enim quod habet esse, vnde habeat, siue per initium, siue sine initio, hoc ipso quod est, etiam Erat dicetur. Cui competit prima verbi positio in definitionem, eiusdem etiam declinatio verbi decurret in relationem. Est definitionis caput, Erat relationi facit. 92 Hæ sunt argutiæ & subtilitates hæreticorum

Ibid. Ibid.

Gen 1. Ioan. 1.

Apoc. Vlt. Cap. XXIII.

Gen. 1.

Cap. XXIV.

Gen. 1.

Cap. XXV.

Gen. 1.

Cap. XXVI. Gen. 1.

Vbi supra.

Cap. XXVII.

A

CAP. XXVIII.

B

CAP. XXIX.

C

D

ticorum, ſimplicitatem communium verborum torquentes in quæſtionē. Magna ſcilicet quæſtio eſt. Si erat terra quæ facta eſt. Sane diſcutiendum, an ei competat inuiſibilē & rudem fuiſſe quæ facta eſt, an ei ex qua facta eſt, vt eiuſdē ſit erat, cuius & quod erat. [93 Atquin non tantum probabimus iſtum habitum huic terræ competiſſe, ſed & illi alii non competiſſe. Nam ſi nuda materia Deo ſubiacebat, nullo ſcilicet elemento obſtruente: ſiquidem nondum quicquā erat præter ipſam & Deum: vtique inuiſibilis eſſe non poterat. Quia etſi tenebras volet in ſubſtantia fuiſſe materiæ (94 cui articulo reſpondere debebimus ſuo ordine) etiam homini tenebræ viſibiles ſunt; hoc enim ipſum quod ſunt tenebræ videntur, nedū Deo. Et vtique ſi inuiſibilis eſſet, nullo modo cognoſceretur qualitas eius. 95 Vnde ergo compertus eſt Hermogenes informem & confuſam & inconditam illam fuiſſe, quæ vt inuiſibilis latebat: 96 aut ſi hoc à Deo reuelatum eſt, probare debet. Sic & an rudis dici potuerit, expoſtulo. Certe enim rude illud eſt quod imperfectum eſt? Certe imperfectum non poteſt eſſe, niſi quod factum eſt? Quod enim minus factum eſt, imperfectum eſt. Certe, inquis. Ergo materia quæ facta non erat, in totum imperfecta eſſe non potuit. Quæ imperfecta non fuit, etiam rudis non fuit. Initium non habens, quia facta non fuit, caruit & rudimento. Initii enim accidens eſt, rudimentum. Terra vero quæ facta eſt, meruit & rudis dici. Statim enim vt facta eſt, habuit imperfectæ locum, ante perfectionem. [97 Siquidem omnia opera ſua Deus ordine conſummauit, incultis primo elementis 98 depalans quodammodo mundū, dehinc exornatis velut dedicans. Nam & lumē non ſtatim ſplendore ſolis impleuit, & tenebras non ſtatim ſolatio lunæ temperauit, & cœlum non ſtatim ſideribus ſtelliſque ſignauit, & maria non ſtatim beluis frequentauit, & ipſam terram non ſtatim varia fœcunditate dotauit: Sed primo eſſe ei contulit: dehinc non inuacuum eſſe ſuppleuit. Sic enim & Eſaias: *Non inuacuum ait fecit illam*, 99 *ſed inhabitari.* Poſtea ergo quam facta eſt, futura etiam perfecta, interim erat inuiſibilis & rudis. Rudis quidē, hoc quoq; ipſo quod inuiſibilis, vt nec viſui perfecta, ſimul & vt de reliquo nondum inſtructa. Inuiſibilis vero, vt adhuc aquis tanquam munimento genitalis humoris obducta. Qua forma, etiam adfinis eius caro noſtra producitur. Nam & Dauid ita canit: *Domini eſt terra & plenitudo eius*, 100 *orbis terræ, & omnes qui habitant in illa. Ipſe ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina præparauit eam.* Segregatis enim aquis in cauatiorem ſinum, emicantior facta eſt arida, quæ antehac aquis tegebatur. Exinde itaque & viſibilis efficitur, dicente Deo: 101 *Congregetur aqua in congregationem vnam, & videatur arida.* Videatur, inquit, non fiat. Iam enim facta erat, ſed inuiſibilis vſque tunc videri ſuſtinebat. Arida autem, quod erat futura ex diuortio humoris, tamen terra. *Et vocauit Deus aridam terram*, non materiam. Sic & perfectionem poſtea conſecuta, deſinit rudis haberi cum pronuntiat Deus: *Fruticet terra herbam fœni ſeminantem ſemen ſecundum genus & ſecundum ſimilitudinem, & lignum fructuoſum faciens fructum, cuius ſemen in ipſo in ſimilitudinem.* Item: *Producat terra animam viuam ſecundum genus, & quadrupedia, & repentia, & beſtias terræ ſecundum genus.* Impleuit igitur ordinem ſuum ſcriptura diuina. Quam enim prædixerat inuiſibilem & rudem, ei & viſionem reddidit & perfectionem. Non alia autem materia erat inuiſibilis & rudis. Ergo materia erit poſtea viſibilis & perfecta. Volo itaque videre materiam; viſibilis enim facta eſt. Volo & perfectam eam recognoſcere, vt ex illa etiam fœni herbam, & ex illa decerpam lignum fructuoſum, & ex illa animalia vſui meo famulentur. Sed materia quidem nuſquam: terra vero hic, id eſt, coram. Hanc video, hac perfruor, ex quo inuiſibilis & rudis eſſe deſiit, de qua manifeſtiſſime Eſaias: 102 *Hæc dicit Dominus qui fecit cœlum.* Iſte Deus qui demonſtrauit terram & fecit illam. Certe eandem demonſtrauit, quam & fecit. Quomodo demonſtrauit? Vtique dicendo: *Videatur arida.* Quare videri iubet, niſi quia retro non videbatur? vt ſic quoque eam non in vacuum feciſſet faciendo viſibilem, & ita habilem. Et ſic per omnia probatur nobis, hanc quam incolimus, eandem & factam eſſe à Deo & oſtenſam, nec aliam fuiſſe rudem & inuiſibilem, quam quæ & facta & oſtenſa eſt. atque ita: *Terra autem erat inuiſibilis & rudis*, ad eam pertinet quam Deus cum cœlo ſeparauit. [103 Sic & ſequentia coniecturam Hermogenis inſtruere videbuntur: *Et tenebræ ſuper abyſſum, & Spiritus Dei ſuper aquas ferebatur*: quaſi & hæ confuſæ ſubſtantiæ, maſſalis illius modis argumenta portendant. Atquin ſingillatim definiens tenebras, abyſſum, ſpiritum Dei, aquas nihil confuſum, nec in confuſione incertum æſtimari facit tam diuiſa relatio certorum & diſtinctorum elementorum. Hoc quidem amplius, quum ſitus proprios eis adſcribit, tenebras ſuper abyſſum, Spiritum ſuper aquas, negauit confuſionem ſubſtantiarum, quarum demonſtrando diſpoſitionem, demōſtrauit etiam diſtinctionem. 104 Vaniſſimum denique, vt materia quæ informis inducitur, de tot formarū vocabulis informis adſeueretur, non ædito quid ſit illud corpus confuſionis, quod vnicum vtique credendum eſt, ſi informe eſt: vniforme etenim quod informe eſt. Informe autem quod ex varietate confuſum eſt, vnam habeat neceſſe eſt ſpeciem: quod non habet ſpeciem, dum ex multis vnam habet ſpeciem: Ceterum aut habebat in ſe ſpecies iſtas materia, de quarum vocabulis intelligendas eſſe tenebras dico, & abyſſum, & ſpiritum, & aquas: aut non habebat. Si enim habebat, quomodo inducitur non habens formas? Si non habebat, agnoſcitur? [105 Sed & illud vtique captabitur: de cœlo ſolo & de terra iſta ſcripturam ſignificaſſe, quod eam in principio Deus fecerit: de ſpeciebus autem ſupradictis nihil tale: & ideo eas quæ factæ non ſignificentur, ad infectam materiam pertinere. Reſpondebimus huic quoque ſcrupulo. Scriptura diuina ſatis diſſereret, ſi ſummas ipſas rerum à DEO factas commenda ſſet cœlum & terram, habentes vtique ſuggeſtus ſuos proprios, qui in ipſis ſummis intelligi poſſent. Suggeſtus autem cœli & terræ primo tunc fuerint tenebræ, & abyſſus, & ſpiritus, & aquæ. Nam terræ quidem ſuberat abyſſus & tenebræ. Si enim abyſſus infra terrā tenebræ autem ſuper abyſſum, ſine dubio & tenebræ & abyſſus infra terram. Cœlo vero Spiritus & aquæ ſubiacebant: nam ſi aquæ ſuper terram, quæ eam texerant, Spiritus autem ſuper aquas, pariter & Spiritus & aquæ ſuper terram. Quæ vero ſuper terram, ea vtique infra cœlum. Et ſicut terra abyſſo & tenebris, ita & cœlum ſpiritui & aquis incubabat, & complectebantur. Et ita nouum non eſt, vt id ſolum quod continet nominetur, qua ſummale: in iſto autem intelligatur & quod continetur, qua portionale. Ecce ſi dicam, ciuitas extruxit theatrum, & circum, ſcena autem erat talis & talis, 106 & ſtatuæ ſuper eutipum, & obeliſcus ſuper omnia ferebatur: quia non & has ſpecies edixerim factas à ciuitate, non erunt ab ea cum circo & theatro? an ideo non adieci factas has quoque ſpecies, qua inerat eis quæ facta prædixeram, & ineſſe quibus inerant, intelligi poterant. Sed vacet hoc exemplum vt humanum: aliud de auctoritate ſcripturæ ipſius arripiam. *Fecit*, inquit, *Deus hominem de terra & adflauit in faciem eius flatum vitæ, & factus eſt homo in animam viuam.* Faciem quidem eius hic nominat, ſed nec ipſam factam à Deo dixit. 107 Coſtā vero & oſſā, & carnem, & oculos, & ſudorem, & ſanguinem poſtea loquitur, quæ nec tunc facta à Deo ſignificauit. Quid reſpondebit Hermogenes? Nunquid & membra hominis ad materiam pertinebunt, quia non nominatim facta referuntur? An & hęc in hominis 108 factitatione cenſentur? Proinde membra erant cœli & terræ abyſſus & tenebræ, Spiritus & aquæ. In corporibus enim membra ſunt facta, in corporibus & membra ſunt nominata. Nullum elementum non membrū eſt eius elementi quo continetur: Omnia autē elementa cœlo aut terra continentur. [109 Hæc reſponderim pro ſcriptura præſenti, quatenus hic ſoloru

E

Gen 1. Ca. XXX. Gen. 1.

F

CAP. XXXI.

G

Gen. 1.

H

Gen. 1.

Gen. 2. 3. & 4.

Gen. 1.

Ca. XXXI

corpo-

Iſai. 25.

Pſal. 23.

Gen. 1.

Ibid.

Ibid.

Iſai. 45.

Gen. 1. Iſai. 45.

A corporum factitationem commendare videtur cœli & terræ. Sciit esse qui vltro in corporibus & membra cognoscerent, ideo compendio vsa est. Prouidit tamen & hebetes & insidiosos, qui, dissimulato tacito intellectu ipsis quoque membris verbum factitationis significatorium exigerent. Itaque & propter istos singulas species factas docet aliis in locis. Habes Sophiam, *Prior autem abyssо genita sum*, dicentem: vt credas abyssum quoque genitam, id est, factam, quia & filios facimus, licet generemus. Nihil interest, facta an nata sit abyssus, dum initium detur illi, quod non daretur si materiæ subiecta esset. De tenebris vero ipse Dominus per Esaiam: *Ego, qui struxi lucem & feci tenebras.* De spiritu æque Amos: 110 *Qui solidat tonitruum, & condidit spiritum, & adnunciat in homines Christum suum:* eum spiritum conditum ostendens, qui in terras conditas deputabatur, qui super aquas ferebatur, librator & adflator & animator vniuersitatis: 111 non, vt quidam putant, ipsum Deum significari spiritum, quia *Deus spiritus.* Neque enim aquæ Dominum sustinere sufficerent; sed eum spiritum dicit, de quo etiam venti constiterunt: vt ait per Esaiam: *quia spiritus à me exiuit, & flatum omnem ego feci,* Item de aquis eadem Sophia. 112 *Et cum firmos ponebat fontes quæ sub cœlo est, ego eram modulans cum ipso.* Quum ergo & eas species probamus à Deo factas, etsi in Genesi tantummodo nominantur sine factitationis mentione; respondebitur fortasse ex diuerso. 113 Plane factas eas sed ex materia. vt stilus quidem Moysi, *Et tenebræ super abyssum, & spiritus Dei super aquas ferebatur*; materiam sonet: ceteræ vero scripturæ, quæ ex materia factæ sint species in diuerso demonstrent. Ergo sicut terra de terra, ita & abyssus ex abysso, & tenebræ ex tenebris, & spiritus & aquæ ex spiritu & aquis constiterunt. Et sicut supra diximus, non potuit informis fuisse materia, si species habebat, vt & aliæ ex ea sint confectæ, nisi quod non aliæ, sed ipsæ ex semetipsis. Siquidem non capit diuersas fuisse quæ hisdem nominibus æduntur: quod iam operatio diuina otiosa videri possit, si quæ erant fecit, cum generosiora essent, quæ non erant facta, si fierent. Igitur vt concludam, aut materiam tunc significauit Moyses cum scribit, *Et tenebræ super abyssum, & spiritus Dei super aquas ferebatur*; Aut quum hæ species alibi postea demonstrantur factæ à Deo, debuerunt æque demonstrari ex materia, quam Moyses præmiserat, factæ: Aut si species istas, & non materiam significauit Moyses, vbi materia demonstrata sit quæro. [114 Sed dum illam Hermogenes inter colores suos inuenit 115 (inter scripturas enim Dei inuenire non potuerit) satis est quod omnia & facta à Deo constat, & ex materia facta non constat: quæ etiam si fuisset, ipsam quoque à Deo factam credidissemus: quia nihil innatum præter Deum præscribentes, obtineremus. In hunc vsque articulum locus est retractatui, donec ad scripturas prouocata deficiat exhibitio materiæ. Expedita summa est: nihil inuenio factum, nihil ex nihilo, quia quod factũ inuenio, non fuisse cognosco. Etiamsi quid ex aliquo factum est, ex facto habet censum, vt ex terra herba, & fructus, & pecudes, & figuratio hominis ipsius: vt ex aquis natatiles & volatiles animæ. Huiusmodi origines rerum ex his prolatarum, potero materias appellare: sed factas à Deo & ipsas [116 Ceterum omne ex nihilo constitisse, illa postremo dispositio suadebit, quæ omnia in nihilum reda ctura est. Siquidem & cœlum conuoluetur vt liber, immo nusquam fiet cum ipsa terra, cum qua primordio factum est. *Cœlum & terra præteribunt*, inquit, 117 *Cœlum primum & terra prima abierunt, & locus non est inuentus illis*: quia scilicet quod & finit, locũ amittit. Sic & Dauid, *Opera manuum tuarũ cœli, & ipsi peribunt.* 118 Nam etsi mutabit illos velut opertorium, & mutabuntur, sed mutari perire est pristino statui, quem dum mutantur, amittunt. 119 *Et stellæ quidem de cœlo ruent, sicut fici arbor, quum valido commota vento acerba sua amittit. Montes vero tanquam cera liquescent, à conspectu Domini.* 120 *Quum surrexerit, scilicet confringere terram. Sed & paludes*, inquit, *arefaciam.* 121 Et quærent, aquam, nec inuenient; 122 etiam mare Oceanus. Quæ omnia etsi alter putauerit spiritaliter interpretanda, non tamen poterit auferre veritatem ita futurorum, quomodo scripta sunt. Si quæ enim figuræ sunt, ex rebus consistentibus fiant necesse est, non ex vacantibus: quia nihil potest ad similitudinem de suo præstare, nisi sit ipsum quod tali similitudine præstet. Reuertor igitur ad causam definientem omnia ex nihilo ædita in nihilum peruentura. Ex æterno enim id est, ex materia, nihil Deus interibile fecisset, nec ex maioribus minora condidisset, cui magis congruat ex minoribus maiora producere, id est, ex interibili æternum: quod & carni nostræ pollicetur, cuius virtutes & potestates suas, hunc iam arrhabonem, voluit in nobis collocasse, vt credamus etiam illum vniuersitatem ex nihilo velut emortuam, quæ scilicet non erat, in hoc vt esset, suscitasse. [123 De cetero vero statu materiæ, etsi non est retractandum, prius enim erat, vt eam esse constaret, tamen ac si constiterit, persequendus est ordo: quo magis eam non esse constet, cuius nec reliquus status consistat, simul vt contrarietates suas agnoscat Hermogenes. Prima inquit, facie videtur nobis incorporalis esse materia: exquisita autem ratione recta, inuenitur neque corporalis, neque incorporalis. Quæ est ista ratio recta, quæ nihil recti renunciat, id est, nihil certi? Nisi fallor enim, omnis res aut corporalis aut incorporalis sit necesse est: (124 vt concedam interim esse aliquid incorporale de substantiis duntaxat, cum ipsa substantia corpus sit rei cuiusque:) certe post corporale & incorporale nihil tertium. Age nunc sit & tertium quod illa recta ratio Hermogeniana compererit, quæ neque corporalem neque incorporalem materiam facit: vbi est, quale est, quid vocatur, quid describitur, quid intelligitur? Tantum hoc ratio renuntiauit, nec corporalem materiam nec incorporalem. [125 Sed ecce contrarium subiicit, aut alia fortasse ratio ei occurrit, ex parte corporalem renuntians materiam, & ex parte incorporalem. Iam ergo ne neutrum sit, vtrunque materia censenda est? Erit enim corporalis & corporalis aduersus renunciationem rectæ rationis illius plane rationem non reddentis sententiæ suæ, sicut nec alia reddit. Corporale enim materiæ, vult esse, de quo corpora ædantur: incorporale vero, inconditum motum eius. Si enim, ait corpus tantummodo esset, nihil ei incorporale appareret, id est, motus. Si vero in totum incorporalis fuisset, nullum corpus ex ea fieret. 126 Quanto hæc rectior ratio, nisi quod si tam rectas lineas ducis Hormogenes quam ratio ista, pictor te bardior non est. Quis enim tibi concedit motum, in secundam partem substantiæ deputare: cum substantiua res non sit, quia nec corporalis, sed accidens, si forte substãtiæ & corpori, vt actus, & pulsus, vt lapsus, vt casus, ita & motus. Nam siue à semetipso quid mouetur, actus eius est motus, certe pars substantiæ nõ est, sicut tu motum substantiam facis materiæ incorporalem. Omnia denique mouentur aut à semetipsis vt animalia, aut ab aliis 127 vt inanimalia, tamen nec hominem, nec lapidem, & corporalem & incorporalem dicemus, quia & corpus habeat & motum, sed vnam omnibus formam solius corporalitatis, quæ substantiæ res est: si qua incorporalia eis adsunt, aut actus, aut passiones, aut officia, 128 aut libidines eorum, non portiones deputamus. Quo ergo facit, portionem materiæ in motum disponere, qui non ad substantiam pertinet, sed ad substantiæ habitum? Quid enim si immobilem placuisset tibi inducere materiam, nunquid immobilitas secunda pars formæ videretur? Sic itaque nec motus. 129 Sed de motu & alibi licebit. [130 Nunc enim video te ad illam rursus rationem reuerti, quæ tibi nihil certe renunciare consueuit. Nam si vt nec corporalem, nec incorporalem infert materiam, ita nec bonam nec malam adlegasset, proinde superargumentasset, Si enim, inquis, esset bona quæ semper hoc fuerat, nõ desideraret compositionem Dei: si esset natura mala, non accepisset translationem in melius: nec quicquam compositionis suæ adplicuisset illi Deus tali natura: Inuacuum enim

Prou. 8.
Isai. 45. Amos 4.
Isai. 57. Prou 8.
Cap. XXXIII.
Cap. XXXIV.
Isai. 34. Matth. 24. Apoca. 21. Psal. 101. Apoc. 6. Psal 96. Apocal. 6. Isai. 2 Isai. 41.
Cap. XXXV.
Cap. XXXVI.
Cap. XXXVII.

labo-

laborasset, Verba hæc tua sunt: quorum te & alibi meminisse oportuerat, ne quid his contrarium inferres. 131 Sed quoniam de mali & boni ambiguitate super materiam in præteritis aliquid retractauimus, nunc ad præsentē, & solā propositionem & argumentationem tuā respondebo. Nec dicam, & hic te certum aliquid debuisse pronunciasse: aut bona, aut mala, aut tertiū aliquid: sed ne hic quod tibi libuit pronuntiasse, custodisse. Rescindis enim quod pronuntiasti nec bonam nec malam: quia cum dicis, Si esset bona non desideraret componi à Deo, malam portendis: & cum adponis, Si esset mala natura, non admitteret in melius translationem, bonam suboստendis: Atq; ita & boni & mali adfinem constituisti, quam nec bonā nec malā pronuntiasti. Vt autem & argumentationē, qua putasti te propositionem tuam confirmaturum, tetundam, oppono etiam illud, Si bona fuisset materia semper, quare non desiderasset in melius reformari? Quod bonum non desiderat, aut non optat, aut non capit profectum, vt fiat de bono melius? Æque si mala natura fuisset, quare non potuerit à Deo conuerti, vt à potentiore vt ab eo qui lapidum quoque naturam conuertere valeat in filios Abrahæ? Nempe ergo non tantum comparās Dominum materiæ, sed & subiicis, à quo natura materiæ deuinci & edomari in melius non potuisset. Sed & quā hic non vis natura malam, alibi te confessum negabis. [132 De situ materię id tracto, quod & de motu, vt peruersitatem tuam traducat. Subiacentem facis Deo materiā, & vtique locum illi qui sit infra Deū. In loco ergo materia. Si in loco, ergo intra locum: si intra locum, ergo determinatur à loco, intra quem est: si determinatur, habet lineam extremam, 133 quam, quantū proprie pictor, agnoscis finē esse omni rei cuius linea extrema est. Non ergo erit infinita materia, quæ dum in loco est, à loco determinatur, & dum determinatur ab illo, extrema eum linea patitur. At tu infinitam facis dicēs: Infinita est autem, eo quod semper est. Etsi qui discipulorum tuorum voluerit argumentari, quasi infinitatem æuo non motu corporis intelligi velis: atquin corporaliter infinitam, corporaliter immensam, & incircunscriptam, sequentia ostendunt, Vnde, inquis, nec tota fabricatur, sed partes eius. Adeo corpore infinita, non tempore est. 134 Et obduceris, corpore eam infinitā faciens, cum locum ei adscribens, intra locū & extremā loci lineam includis. Sed tamen cur non totam eā formauerit Deus, nō scio, nisi qua aut inualidus, aut inuidus. Itaq; dimidium eius quæ non tota formata sit quæro, vt qualis tota fuerit agnoscā. Debuerat enim Deus vt 135 exemplarium antiquitatis ad gloriam operis palā fecisse. [136 Sit nunc definitiua, sicut rectius tibi videtur per demutationes suas & translationes: sit & comprehensibilis, vt quæ fabricatur, inquis, à Deo, quia & cōuertibilis & demutabilis & dispartibilis. Demutationes enim eius, inquis, dispartibilem eam ostendunt. 137 Et hic à lineis tuis excidisti, quibus circa personam Dei vsus es, præscribens Deum illam non ex semetipso fecisse, quia in partes venire non posset qui sit æternus & manens in æuum, ac per hoc immutabilis & indiuisibilis. Si & materia eadem æternitate censetur, neque initium habens neq; finem: eadem ratione nō poterit pati dispertitionem & demutationem, qua nec Deus. In æternitatis consortio posita, participet cum illo necesse est & vires, & leges, & conditiones æternitatis. Atque cum dicis, Partes autē eius omnia simul ex omnibus habent, vt ex partibus totum dinoscatur: vtique eas partes intelligi vis, quæ ex illa prolatæ sunt, quæ hodie videtur, à nobis, Quomodo ergo omnia ex omnibus habent, vtique ex pristinis, quando quæ hodie videntur, aliter habeant quam pristina fuerunt? [138 Dicis in melius reformatam materiam, vtique de deterioribus: & vis meliora deteriorum exemplarium ferre. Confusa res erat, nunc vero composita est. Et vis ex cōpositis incomposita præberi. Nulla res speculum alterius rei, id est, non coæqualis. 139 Nemo se apud tonsorem pro homine mulum inspexit, nisi si qui putat in hac extructione mundi, dispositæ iam & comptæ, inornem & incultam materiam respondere. Quid hodie informe in mundo, quid retro speciatum in materia, vt speculum sit mundus materiæ? Cum ornamenti nomine sit penes Græcos mundus, quomodo inornatæ materiæ imaginē refert, vt dicas totum eius partibus cognosci? Certe ex illo toto erit etiam hoc quod non venit in deformationem. Et supra ædidisti, non totam eam fabricatam. Igitur vel hoc rude & confusum & incompositum non potest in expolitis & distinctis compositis recognosci, quæ nec partes materiæ appellari conuenit, cum à forma eius ex mutatione diuisa recesserunt. [140 Reuertor ad motum, vt vbique te lubricum ostendam. Inconditus, & confusus, & turbulentus fuit materiæ motus. Sic enim & ollæ vndique ebullientis similitudinem opponis. Et quomodo alibi alius à te adfirmatur? Cum enim vis materiam nec bonam nec malam inducere: Igitur, inquis, subiacens materia æqualis momenti habens motum, neque ad bonum, neque ad malum plurimum vergit. Si æqualis momenti, iam non turbulentus, nec 141 cacabaceus, sed compositus, & temperatus, scilicet qui inter bonum & malum suo arbitrio agitatus, in neutram tamen partem pronus & præceps, 142 mediæ (quod aiunt) aginæ æquilibrato impetu ferebatur. Hæc inquies, non est, hæc turbulentia 143 & passiuitas non est, sed moderatio, & modestia & iustitia motationis neutram in partem inclinantis. Plane si huc & illuc aut in alterum magis proclinaret, tunc inconcinnitatis, & inæqualitatis, & turbulentiæ denotari mereretur. Porro si neque ad bonum neque ad malum pronior erat motus, vtique inter bonum & malum agebatur: vt ex hoc quoque materiam determinabilem appareat, cuius motus 144 nec malo nec bono pronus, eo quod in neutrum vergebat, intra vtrumque ab vtroque pendebat, & hoc nomine ab vtroque determinabatur. Sed & bonum & malum in loco facis, cum dicis motum materiæ in neutrum eorum fuisse propensum. Materia enim quæ in loco erat, neque huc neque illuc deuergens, in loca non deuergebat, in quibus erat bonum & malum. Dans autem locum bono & malo, corporalia ea facis, faciendo localia, quia quæ locum habent, prius est vt corporalia sint. Denique incorporalia proprium locum non haberent, nisi in corpore, cum corpori accedunt. Ad bonum autem & malum non deuergente materia, vt aut corporalia aut localia non deuergebat. Bonum ergo & malum erras si substantias esse vis. Substantias enim facis quibus loca adsignas. Loca autem adsignas, cum materiæ motum ab vtraque regione suspendis. [145 Dispersisti omnia, ne de proximo, quam contraria sibi sint relucerent. At ego colligā singula & conferam. Inconditum adseueras motum materiæ, eamque adiicis sectari informitatem: dehinc alibi, desiderare componi à Deo. Desiderat formationem quæ sectatur informitatem, aut sectatur informitatem quę desiderat formationem? Non vis videri Deū æquari materiæ: & subiicis, habere illam cum Deo cōmunionem. Impossibile enim, inquit, non habentem illam commune aliquid cum Deo, ornari eam ab ipso. atquin si commune aliquid habebat cum Deo, nō desiderabat exornari ab ipso, pars scilicet Dei per cōmunionem. Aut & Deus poterat ornari à materia, habendo cum illa aliquid & ipse commune, & iam in hoc necessitati subiicis Deū, si fuit aliquid in materia propter quod eam formaret. Cōmune autem inter illos facis, quod à semetipsis mouentur, & sēper mouentur. Quid minus materię quā Deo adscribis? Totum consortium diuinitatis hoc erit, libertas & æternitas motus. Sed Deus composite, materiæ incōdite mouentur. Tamen diuinum proinde, motu proinde libero & æterno. Atquin plus materię das, cui licuit sic moueri, quomodo Deo non licuit. [146 De motu & illud notauerim. Nam secundum ollæ similitudinem, sic erat, inquis, materiæ motus, antequam disponeretur, concretus, inquietus, inadprehensibilis præ nimietate certami-

nis Dehinc subijcis: Stetit autem in Dei compositione, & in adprehensibilem habuit inconditum motum, præ tarditate inconditi motus. 147 Supra, certamen motui adscribis, hic tarditatem. Nam de natura materiæ quoties cadas, accipe. Supra dicis: Si autem esset materia natura mala, non accepisset translationem in melius nec Deus aliquid compositionis accommodasset Illi. Inuacuum enim laborasset. Finisti igitur duas sententias, nec materiam natura malam, nec naturam eius à Deo potuisse cõuertisi. Horum immemor, postea infers: At vbi accepit cõpositionem à Deo, & ornata est, cessauit à natura. Si in bonum reformata est, vtiq; de malo reformata est. Et si per compositione Dei cessauit à natura mali, natura cessauit ergo, & mala fuit natura ante compositionem, & desinere potuit à natura post reformationem. [148 Sed & qualiter operatum facias Deum, sequitur vt ostendam. Plane à Philosophis recedis, sed tamen & à Prophetis. 149 Stoici enim volunt Deum sic per materiam decucurrisse, quomodo mel per fauos. At tu, non, inquis, pertransiens illam facit mundũ, sed solummodo adparens & ad propinquans ei, sicut facit 150 qui decor solummodo adparens, & Magnes lapis solummodo adpropinquans. Quid simile Deus fabricans mundum, & decor vulnerans animum, 151 aut Magnes adtrahens ferrum? Nam etsi adparuit Deus materiæ, sed non vulnerauit illam quod decor animũ: & si adpropinquauit, sed non cohęsit illi, quod Magnes ferro. Puta nunc exempla tua competere. Certe si adparendo & adpropinquando materiæ, fecit ex illa Deus mundum, vtique ex quo adparuit fecit, & ex quo adpropinquauit. Ergo quando non fecerat retro, nec adparuerat illi, nec adpropinquauerat. Et cui credibile est, Deum non adparuisse materię, vel qua consubstantiali suæ per æternitatem: ab ea longe fuisse, quem credimus vbique esse, & vbique adparere? 152 cui etiam inanimalia & incorporalia laudes canunt apud Danielem Quantus hic locus, in quo Deus à materia tantum distabat, vt neque adpareret, neque adpropinquaret ante mundi molitionem? credo, peregrinatus est ad illam de longinquo, cum primũ ei voluit adparere & adpropinquare. [153 At enim Prophetæ & Apostoli nõ ita tradunt mundum à Deo factum, adparente solummodo & adpropinquante materiæ, quia hec materiam vllam nominauerunt: sed primo Sophiam conditam, initium viarum in opera ipsius: dehinc & sermonem prolatum, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Denique *sermone eius cœli confirmati sunt.* 154 *& Spiritus ipsius vniuersæ virtutes eorum.* 155 Hic est Dei dextera, Dei & manus ambæ per quas operatus est, atque molitus est. *Opera enim manuum tuarum*, inquit, *cœli:* 156 per quas & mensus est terram, & palmo cœlum. Noli ita Deo adulari, vt velis illum solo visu & solo accessu tot ac tantas substantias protulisse, & non propriis viribus instituisse. Sic enim & Hieremias commendat: *Deus faciens terram* 157 *in valentia sua, parans orbem in intelligentia sua, & suo sensu extendit cœlos.* 158 Hæ sunt vires eius, quibus enixus, totum hoc condidit. Maior est gloria eius, si laborauit. Denique septima die requieuit ab operib. Vtrunque suo more. Aut si adparens solummodo & adpropinquans fecit hunc mundum, nunquid cum facere desiit, rursus adparere & adpropinquare cessauit? Atquin magis adparere cœpit & vbique conueniri Deus, ex quo factus est mundus. Vides ergo quem admodum operatione Deus vniuersa constituit, valentia facientis terram, intelligentia parantis orbem, & sensu extendẽtis cœlum: non adparentis solummodo nec adpropinquantis, sed adhibentis tantos animi sui nisus, Sophiã, Valentiam, Sensum, Sermonem, Spiritum, Virtutem. Quæ illi non erant necessaria, vt adparendo tantummodo & adpropinquãdo profectus fuisset. 159 Hæc autem sunt inuisibilia eius, quæ secundum Apostolum ab institutione mundi factis eius conspiciuntur, non materiæ nescio quæ, sed sensualia ipsius. *Quis n. cognouit sensum Domini?* De quo exclamat, *ô profundum diuitiarum & Sophiæ,* 160 *vt ininuentibilia iudicia eius, & in inuestigabiles viæ ius!* Quid hæc magis sapiunt, quam vt ex nihilo omnia facta sũt? quę nec inueniri nec inuestigari nisi solo Deo possent, alioqui inuestigabilia, si ex materia sunt inuestigata & inuenta. Igitur inquantũ constitit materiã nullã fuisse, ex hoc etiam quod nec talem competat fuisse qualis inducitur, in tantum probatur omnia à Deo ex nihilo facta, nisi quod Hermogenes eundem statum describendo materiæ quo est ipse, inconditum, confusum, turbulentum, ancipitis & precipitis & feruidi motus, documentum artis suæ dum ostendit, ipse se pinxit.

ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM ADuersus Hermogenem.

1. ADVERSVS HERMOGENEM.] *Etsi* Hermogenis *in hæreticorum Catalogo sub finem li. de Præscriptionib. adu. hæreticos non meminerit, ad hæresin tamen eius adludit, eiusdem libri ca. 7. in hac verba?* Et vbi Materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est: *vbi quædam huc pertinentia ex Quintino descripsimus nu. 43. & nominatim etiam eius meminit c.* 30 Ceterum, *inquit*, & Nigidius nescio quis, & Hermogenes, & multi alii adhuc ambulant, peruertentes vias Dei. *vnde videtur Nigidius ille eiusdem cum illo secta fuisse, sicuti illic adnotauimus num.* 177. *Et vero iam dictam hæresin* Hermogeni *adscribit c.* 33. Idem, *inquit*, Apostolus, quum impiobat elementis seruientes, aliquem Hermogenem ostendit, qui Materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparat. *Eundem etiam errorem Marcioni impingens li. adu. eundem* 5. *ca. penult.* Collocans, *inquit*, & cum Deo creatore Materiam de Porticu Stoicorum. *Meminit rursum infra li. sequenti, verbis in Argumento citatis. Item libro de Anima, libri mentionem faciens,* De censu animę aduersus Hermogenem, *de quo plura T. 4. inter T. rtulliani Fragmenta. Rursum tacito nomine li. de Resurrect. carnis*: Igitur confido Deum totum hoc ex nihilo protulisse, & Deum nosti fidendo, quod tantum Deus valeat. Nam & quidam infirmiores hoc prius credere volunt, de Materia potius subiacenti ab illo vniuersitatem secundum Philosophos dedicatam. *Denique etiam To. 5. l. de Monogam. verbis mox citandis c. 1. n.* 7. *Quare falluntur Prateolus Catal. hæreseon, dum* Hermogenem *facit Sabellij asseclam, atque adeo non nisi Galieni Imperatoris temporibus erupisse, quemadmodum etiam in eo quod* Hermiam, *à quo* Hermiani, *confundit cum* Hermia *Massalianorum hæreticorum duce:* Hermiani (*inquit Aug. hær. 54.*) *ab* Hermia, *qui elementorum Materiam, de qua factus est mundus, non à Deo factam dicunt: sed Deo coæternam. Quæ quum eadem plane sit hæresis, omnino putarim illic legendum:* Hermogeniani *ab* Hermogene. *nipostea etiam* Hermogenem & Hermogenianos *recenseret, qui Patripassianorum hæresin sint secuti. Verum quid obstat duos hæreticos eodem dici vocatos nomine, maxime quum conformiter Auctori nostro scribat Theodoretus hæret. fab. l. 1.* Hermogenes, *inquit ex subiecta Materia, & congenita dicit Deum omnia fabricatum. Existimabat n. stolidus fieri non posse, vt Deus vniuersorum ex ijs quæ non sunt fabricaret, ita enim lego, pro fabricaretur. Vbi etiam addit: Is dicebat corpus Domini in sole esse repositum: Diabolum autem & Dæmonas esse in Materiam refundendos. Theophilus Antiochenus Episcopus scripsit in eum, & similiter Origenes. Quod ipsum de Theophili li. adu. hæresin* Hermogenis *adtestatur B. Hier. Catal. Script. Eccl. quem adeo Auctorem imitatum esse verisimile est. Item Origenis ea de re fragmentum habetur apud Eusebium loco infra citato. Quid? quod B. Isidorus Etymol. l. 8. c. 5. Rabanus l. 2. Instit. cleric. c. 58. & posteros Gratianus Can. Quidam autem 24. qu. 3.* Hermogeniani, *inquiunt, ab* Hermogene, *vocati, qui Materiam non natam introducens, &c. verbis ipsis Auctoris vtentes paulo prius citatis ex li. de Præscript. hæret. c. 33. apud quos interim legere oportet cum Tertulliano:* & Deum adseruit *pro eo quod irreperat:* Deam. *Quibus consentit etiam Henorius li. de hæres.* Hermogeniani, *inquit, ab* Hermogene *quodam vocati. Hi Materiam mundi Deo æqualem faciunt. Quo fit vt legendum esse putem apud Philastrium l. de hæres. in hunc modum*: Hermogeniani ab Hermogene, *qui fuerunt in Africa, qui & ita sentientes abiecti sunt ab Ecclesia Catholica. Est & hæc vanitas Galatarum Selenci & Hermiæ hæreticorum: qui quum volunt Deum esse corporeum, Hylen etiam, id est, Materiam mundi coæternam esse cum Deo adserant. Etiusdem interim hæreseos sectatorem fuisse Sabellium non solum ex Philastrio & Augustino patet, sed etiã Eusebio de Præpar. Euang. l. 7. vbi contra Sabellium de Materia non ingenita, & quod causa malorum non sit, c. 8. & 9. disputatur: atq; adeo ad intellectum huius libri facit, vt postea suis quibusdam locis adnotabimus sicuti & ex Epiphanio quædam, hær. 66. Qui Maneti Manichæorum principi eundem errorem adscribit, quem admodum etiam Gregorius Nyssenus li. de Homine. Auctor infra c. 25. hos vocat*: Materiarios hæreticos, *contra quos etiam agit Lactant. diuin. Institut. li. 2. c. 9. cuius verba adferemus infra, partim ad illud ca. 1. num. 10.* A Christianis conuersus ad Philosophos, *partim ad illud cap. 8. num.* 32. Patriarchæ hæreticorum Philosophi. *Ceterum antequam in hæresin incideret*, pictorem *fuisse* Hermogenem *infra demonstrabitur ex Auctore num. 6.*

CAP. I.

2. Solemus hæreticis compendii gratia de posteritate præscribere, &c.] *Primum hoc caput inscripsimus*: Quod nouella sit pictoris Hermogenis hæresis de Materia Deo coæterna. *Atqui* præscriptionem *aduersus hæreses de nouitate esse quam optimam late deduxit Auctor supra eiusdem tituli & argumenti libro, maxime num.*1 *&* 182. *& totis capitibus* 29. 30 *ac* 31. *Adludit hic ad scriptutas easdem de prænuntiatis hæresibus, quæ ibi citatæ sunt c.* 4. *Matth.*7. *ac* 24. 1.*Cor.*11.2.*Cor.*11. *&* 1.*Ioan.*2.

3. Hermogenis autem doctrina tam nouella est, &c.] *Hinc patet vixisse* Hermogenem *ætate Tertulliani, quod addat*, ad hodiernum homo in sæculo.

4. Natura quoque hæreticus etiam turbulentus.] *Hoc adnotatu dignum, quod iam tum adseratur* hæreticus natura turbulentus: *quod, prô dolor, exemplis quam manifestis plus satis hodie experimur.*

5. qui loquacitatem, facundiam existimet, &c.] *Locum hunc his verbis citat B.Hieron.lib.adu. Heluidium:* Homo (inquit) turbulentus. Qui, *vt ille ait (Tertullianum haudubie significans, quem admodum me iam nuper monuit Dn. Harrisius)* loquacitatem facundiam existimat, & maledicere omnibus, bonæ conscientiæ signum arbitratur.

6. Præterea pingit licite.] Hermogenes *iste (inquit Rhen.) Africanus, arte* pictor *erat. Nec vero prohibitum vsquam pingere, si obscœna ignominiosaque excipias. hoc est ergo quod dicit*: pingit licite. *Qui item illud quod mox sequitur:* in artem contemnit, *sic interpretatur. Nam, inquit, pictoriam deseruit, quæ ars ex se mala non est. Præcipit autem lex Dei, vt labore manuum viuamus. Ceterum maluit otiosus esse seductor populi, quam pictor. Eodem pertinent quæ habet infra Auctor cap.* 2. hanc primam vmbram plane sine lumine pessimus pictor coloravit *& cap.* 33. Sed dum illam Hermogenes inter colores suos inuenit. *& c.*36. nisi quod si tam rectas lineas ducis Hermogenes, quam ratio ista, pictor te bardior non est, *& ca.*38 quam, quantum proprie pictor, agnoscis. *Eodem etiam adludit lib.*1.*adu.Marc. quum dicit*: & pictoria licentia, *de duobus Deis agens.*

7. nubit assidue, &c.] *Videtur (inquit Rhenanus)* Hermogenes *non solum Polygamiam defendisse, sed dimissis aut mortuis vxoribus noua superducta matrimonium sæpius repetisse. Tertullianus autem adeo fauit castitati, vt Cataphrygarum tandem secutus delirium, secundas nuptias contra Apostolum Paulum damnarit. quæ resecit, vt ipse postea abiectus sit extra consortium Ecclesiæ. Vnde & addit:* Legem Dei in libidinem defendit, *propter iteratas sæpius nuptias, quod negabat fieri Tertullianus. item:* totus adulter & prædicationis & carnis. *rursum*: nubentium contagio fœtet. *vbi* nubentes *(inquit idem) appellat iteratores nuptiarum siue polygamos, à quibus stetit, cum exemplo, tum doctrina* Hermogenes. *Tertulliano Monogamia placebat. Sed Auctor opusculi de bono viduitatis ad Iulianum quod inter lucubrationes D. Aurelij Augustini legitur, oppido quam sancte inquit: Nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, vt quoties voluerit, viris mortuis nubat fœmina, nec ex meo corde præter scripturæ sanctæ auctoritatem quantaslibet nuptias audeo condemnare. Et præcedit: Nec ipsam tot maritorum mulierem vlla sua sententia significatione damnauit. Loquitur de Christo, qui locus est apud Matth.c.*22. *Eodem pertinet quod legitur infra Tom.* 5. *l. de Monogam.* Sed Hermogenem aliquem plures solitum mulieres ducere, quam pingere. *Verum de hoc Auctoris primum errore, deinde hæresi, latius in Prolegomenis.*

8. & cauterio & stylo.] *Hæretici namque (inquit Rhenan.) multa delent eraduntque, deprauantes sacram scripturam violentis & coactis interpretationibus. Prodit Irenæus morem fuisse Gnosticis, vt discipulos suos* cauterio *signarent in aure dextra. Idque Romæ sub Aniceto Marcellinam huius impietatis alumnam factitasse. An idem obseruarit* Hermogenes, *nescio.* Cauterii *quo sacra scriptura raditur, peruertiturque, in præcedentibus libris memini.*

9. nec ipse Apostolicus Hermogenes, &c.] *Paulinum (inquit dem)* Hermogenem *intelligit, cuius sit mentio Epistol. ad Timotheum posteriore. Sic enim Græce scribit:* ὅιδας τοῦτο, ὅτι ἀπεστράφησάν με πάντες οἱ ἐν τῇ ἀσίᾳ, ὧν ἐστὶ Φύγελος καὶ Ἑρμογένης: *id est*: Nosti hoc, quod auersati fuerint me omnes qui sunt in Asia, quorum est Phygellus & Hermogenes. *De quo vide supra li. de Præscr.ca.*3. *n.*19. *& ca.*46. *n.*300. *Atqui ms. Vatic. paulopost legit*: Christum Dominum non alium videtur agnoscere; *pro*: cognoscere, *omisso* aliter: *in illo perinde est quod sequaris, at*: aliter *retinendum censeo.*

10. A Christianis enim conuersus ad Philosophos, &c.] *Huc pertinet illud Lactant. loco supracitato n.*1. *Poetis facile est respondere, potestatem Dei non intelligentibus, quem credunt nihil efficere posse nisi ex materia subiacente. In quo errore etiam Philosophi fuerunt, & inter eos Cicero de Nat. Deorum disputans.*

11. in Academiam & Porticum.] *Similiter Auctor infra l. de Anima*: Academiis & Porticibus Atticis. *Eodem adludebat etiam supra lib. de Præscript. aduers. hæret. c.* 7. *quum inquit*: Quid Academiæ & Ecclesiæ: *& mox*: Nostra institutio de Porticu Salomonis est. *vbi vide adnot. Quintini de Stoa*, Porticu Stoicorum *latius n.* 51. *Hic sufficiat quod ibidem paulopost subiicit Lactantius*: *Sed concedamus hoc more & instituto* Academicorum, *vt liceat hominib. valde liberis dicere & sentire quæ velint. Eodem pertinet quod sequitur* à Stoicis: *& quod supra citauimus n.*1. *de* porticu Stoicorum. *Addit verba & Rhenanus B. Augustini verbali.*20. *contra Faustum, de Hyle: In hoc, inquit, errant quidam Gentilium, quod eam tamquam coæternam Deo coniungunt, vt hæc ab illo non sit, quamuis ab illo formetur. Eodem pertinet illud Auctoris li sequ. aduers. Valentin. nu.*15. Age nunc discant Pythagorici, agnoscant Stoici, Plato ipse, vnde Materia, quam innatam volunt, & originem & substantiam traxerit in omnem hanc structuram mundi. *& ca.*24. Materiæ illius scilicet Philosophicæ.

CAP. II.

12. Hanc primam vmbram plane sine lumine, &c.] *Caput hoc inscripsimus*: Quod dicat Hermogenes Deum neque ex seipso cuncta facere potuisse, neque ex nihilo. *Cuius verba alijs litteris hic & vbique excudi iussimus, aut saltem cum nota "vt in margine. Porro de Prouerbiali formula* vmbram sine lumine colorare, *inter Prolegomena latius.*

13. qui non eius fuerit conditionis.] *Ita recte castigauit Latinius, pro*: fieret. *Est autem phrasis Tertullianica*, indignum sibi.

CAP. III.

14. Adiicit & aliud: Deum semper Deum etiam Dominum fuisse, &c.] *Inscriptionem huic capiti dedimus*: Quod etsi Deus semper, non tamen Dominus semper fuerit, sed postquam creaturam aliquam, cui dominaretur, condidit. *Sunt autem & hic verba Hermogenis, vsque ad illud*: Hanc coniecturam, &c.

15. Fuit autem tempus, quum & delictum & filius non fuit, &c.] *Caute locum hunc legendum adnotauit etiam Latinius, vnde fortassis Arriani occasionem sua hæresis sumpserunt. verum de hoc errore Auctoris inter Prolegomena. Hoc addidisse sufficiat, rectius & cum Catholica Ecclesia consentire librum infra de Trinitate Tom.* 5.

16. Nauiter scriptura nobis patrocinatur, &c.] Nauus, *teste Festo, celer & strenuus, à nauium velocitate dictus*; nauiter, *pro strenue. Recte autem adnotat. Rhena. quod ad illa verba*: nominat ponit, adiunxit, *subaudiatur scriptura.*

17. Et dixit Deus, & fecit Deus, & vidit Deus.] *Referuntur hæc ad diuersa membra c.*1. *Gen. vbi frequenter legitur*: & dixit Deus, *ac*: & vidit Deus: *sed aliquoties dumtaxat*: & fecit Deus; *nusquam autem* Dominus, *vti recte adnotauit Auctor.*

18. Et accepit Deus Dominus hominem, &c.] *Verum quidem est, quod adnotat Auctor*, Dominum *non vocari* Deum, *nisi vbi* viuersa perfecit, ipsumque vel maxime hominem. *Sed etiam ante scripturam hic citatam, statim initio* 2. *c.* non enim pluerat Dominus Deus, *&*: Et plantauit Dominus Deus paradisum: *tum vero demum illud*: Et accepit Dominus Deus hominem.

19. quorum Hermogenes extrema linea est, &c.] *Quum Tertullianus (inquit Rhenanus)* Hermogenem *hic vocat* non intelligentem extremam lineam, *imperitissimum accipe, quemadmodum latius id producemus Prolegomenis nostris inter Prouerbia. Simul tacite adludit ad artem Hermogenis penicillo lineas ducere soliti; erat enim pictor. Sic infra c.*38. Si in loco (*inquit*) ergo intra locum; si intra locum, ergo determinatur à loco intra quem est; si determinatur, habet lineam extremam, quam, quantum proprie pictor, agnoscis finem esse omni rei, cuius linea extrema est. *& quæ sequuntur. In libro adu. Praxean, vocat Deum*, extremam lineam vniuersitatis.

20. & quidem ex penu etiam illius.] *Sic partim ex castigatione Latinij, partim ex Vatic. cod. pro*: ex pœnitentia illius, *quod corruptissime antea lectum etiam Rhenanus adnotauit*: *qui proinde coniiciebat legendum*: exorbitantia, *aut*: repetentia, *siue* reciprocantia, *aut denique*: euenientia, *seu*: euentitia. *Verum illud rectius Latinius. Est autem quantum apparet, adhuc corruptum*: non habuit rem quod erat, nemini seruiens; *neque enim aliter habet Vatic. cod. nisi quod legit*: ideoque nemini seruiens. *Etiam sequentia obscura sunt, quibus mederi ex ms. cod. non licuit, quod in itinere Romano perierit integer huius libri ternio.*

CAP. IV.

21. Hinc denique incipiam de Materia retractare, &c.] *Titulum huic capiti fecimus*: Quod Materia Deo coæterna esse non possit. *Quod ipsum etiam peculiariter tractat Euseb. de Præp. Euang. li.*7. *c.*8 *ex Dionysio Alexand. adu. Sabell. Origene adu. Hermog. Philone Iudæo, & Maximo quodam. Similiter Lactantius loco supracitato. Lego autem*: sine fine propositam, *pro*: proposita.

22. Nam etsi sunt qui dicuntur Dei, &c.] *Legimus*: Dei, *pro*: Dij, *& hic, & mox: & cap. sequ. (iuxta quod etiam alibi adnotauimus legendum vbiq; apud Auctorem ex li.*5. *adu. Marc. vbi illud* 1.*Cor.*8. *citat. Rectius autem hic*: siue in cœlo, siue in terra, *quod legunt additiones Græca, Latina, Syriaca, quam quod ibi est*: siue in cœlis, siue in terris.

CAP. V.

23. Sed Deus, Deus est, & Materia, Materia, &c.] *Caput hoc inscripsimus*: Quod Materiæ eadem adscribat quæ Deo *Sunt autem iterum hæc verba Hermogenis, vti etiam ante me adnotauit Latinius; cum quo & hic & alibi semper legendum censeo*: auctor, auctrix, auctores & auctoritas, *pro eo quod hactenus legitur*: autor, autrix,

trix, autores & autoritas. *Sunt autem iterum illâ verba Hermogenis*: Non ſtatim materiam, &c. in plenitudinem comparationis? *vbi interrogationis nota adijcienda eſt. & iterum*: Vel qua, inquit, & ſic habente, &c. *Item*: Ergo (inquis) nec nos habemus aliquid Dei.

24. Stetit Deus in Eccleſia Deorum,] *Similiter initium hoc Pſalmi 81. citat infra lib. 1. aduerſ. Marc. & lib. aduerſ. Praxeam, pro eò quod & Græce & Latine 70.* in ſynagoga) *quomodo etiam B. Cyprian. lib. 2. Teſtimon. aduerſ. Iudæos, cap. 6. Verum voces Hebræa & Chaldaica ſimpliciter cœtum ſignificant. Pro congregatione itaque* Eccleſia *hic ab Auctore accipitur, ſicuti etiam ſupra lib. de Spectac. cap. 25. quum dicit:* in Eccleſiam diaboli tendere.

CAP. VI.

25. Dicit ſaluum Deo eſſe, & ſolus ſit, &c.] *Dedimus huic capiti titulum*: Quod ſaluo ſtatu Materiæ Deus ſolus & primus omnium auctor dici non poſſit. *Sunt autem etiam hic verba Hermogenis.*

26. Ego quidem Deus, conteſtabitur Deus, &c.] *Omninò ſic legendum, pro*: Ille quidem, *nullo ſenſu. vt correſpondeat ſcriptura loco Iſai. 45. vbi* iurauit Deus per ſemetipſum, quod alius non ſit qualis ipſe eſt. *Si enim ibi legitur*: Ego ſum Deus, & non eſt alius præter me. Per memetipſum iuro. *Latius autem de iuramento Dei infra auctor lib. 2. adu. Marc. quaſi per illud ipſum ſignifi. et* non eſſ alium, *qualis ipſe eſt*: *quod* per ſemetipſum iurauit. *Hæc etiam omnia repetit, & pulcre explicat infra lib. aduerſ. Praxean.*

27. Dicet Deus: Ego primus.] *Ter iſtud habetur apud Iſaiam cap. 41. 44. & 48. in hæc verba*: Ego primus, & nouiſſimus *Illud autem*, Extendi cœlum ſolus *ſecundum 70. reperitur Iſai. 44. vbi additio ex Hebræo habet*: Extendens, *cui præmittitur*: Ego Dominus complens aut faciens omnia. *Ad quod etiam adludit hic Auctor, quum* Deum omnium auctorem *dicit.*

CAP. VII.

28. Si minorem & inferiorem Materiam Deo, &c.] *Inſcripſimus caput hoc.* Quod minor & inferior Deo Materiam eſſe non poſſit, ſi æterna ſit *Quod ipſum iterum repetit ca. 11. Adludere autem Auctorem ad verba Hermogenis manifeſtum eſt. Atqui ſimile eſt illud Lactantij vbi ſupra, à contrario ſenſu*: *Materia vero ſemper fuiſſe non poteſt, quia mutationem non caperet, ſi ſemper fuiſſet. Ita enim lego, addita voce*: *ſemper.*

29. Neque enim proximi erimus opinionibus Nationum: &c.] *Quod* nationes, ſi quando Deum coguntur confiteri, tamen & alios infra illum volunt, *his verbis indicauit Auctor ſupra Apolog. cap. 11.* Imprimis quidem neceſſe eſt concedatis eſſe aliquem ſublimorem Deum, & mancipem quendam diuinitatis, qui ex hominibus Deos fecerit. *Item cap. 24.* Nonne concediti de æſtimatione communi aliquem eſſe ſublimiorem & potentiorem velut principem mundi, perfectæ peritiæ & maieſtatis? Nam & ſic plerique diſponunt diuinitatem, vt imperium ſummæ dominationis eſſe penes virum, officia eius penes multos velint. Vt Plato Iouem magnum in cœlo, comitatum exercitu deſcribit Deorum pariter & dæmonum. *Vbi vide Adnot. noſtras num. 373. ac 374. Eodem adludit quum dicit infra l. 2. adu. Marc.* Si enim Deus, & quidem ſublimior.

CAP. VIII.

30. Atquin etiam præponit illam Deo, &c.] *Titulum dedimus huic capiti*: Quod etiam præponat Materiam Deo.

31. de cuius vtitur.] *Defectiua (inquit Rhenan.) locutio ſubauditur, rebus, aut aliquid ſimile. Huiuſmodi formula ſermonis etiam in alijs libris vſus eſt aduerſus Marc. lib. 5.* Sin in creatoris, *inquit*, accipitur. *Eodem libro*: Et à noſtræ, *inquit*, partis poſſit opponi. *rurſum mox ſequitur*: Non minor eſt eo de cuius vtitur. *Græcorum eſt imitatio. Paulopoſt citat Latinius legendum*: ſed vbi de ſe Deo præſtitit; *verum placet vulgata lectio*: ſed eguiſſe Deo præſtitit, *eo quod paulo prius præceſſerit*: Deus ſubiectus Materiæ videtur, cuius ſubſtantiæ eguit.

32. & hæreticorum Patriarchæ Philoſophi.] *Ex profeſſo iſtud tractatum habes ſupra ab Auctore lib. de Præſcription. aduerſ. hær. toto 7. cap. vbi vide Adnot. noſtras nu. 36. Hic dumtaxat addam, quod habet Rhenan. In Epiſtola, inquit, ad Cteſiphontem hunc Tertulliani locum citat D. Hieronymus. Idem in Nahum Prophetam exponens illud*: Exiluit quaſi attelabus. *Omnia enim, inquit, dogmata eorum (loquitur de hæreticis) quum frigeant, & volare non poſſint, ſedè ſibi & requiem inter Ariſtotelis & Chryſippi ſpineta reperiunt. Atqui quod Philoſophorum fuerit hæreſis, præterquam quod ſupra docuimus nu. 10 & 11. etiam Platonis opinionem fuiſſe, quod duo rerum principia poſuerit, Materiam vnum: & alterum Deum, patet ex Laertio in vita eius, his verbis*: δύο δὲ τῶν πάντων ἀπέφηνεν ἀρχὰς, θεὸν καὶ ὕλην: *contra quem diſputat Lactantius, vbi ſupra, docens non poſſe conſtitui duo principia æterna: & refutantur etiam ab Epiph. hær. 66. adu. Manichæos.*

CAP. IX.

33. Non poteſt dicere Deum vt Dominum Materia vſum, &c.] *Huic capiti titulum fecimus* Quod ſi de Materia Deus mundum creârit, id non dominio fecerit, ſed precario aut vi.

34. Sed precario forſan vſus eſt.] *Quid ſit* precariò vti, *explicat, quum ſubdit*: & ideo precario, non dominio. *Ad cuius maiorem declarationem facit quod paulopoſt additur*: His enim tribus modis aliena ſumuntur, Iure, beneficio, impetu, *id eſt*, dominio, precario, vi. *Quibus verbis ſignificat* precarium *idem eſſe quod* beneficium, *id eſt (iuxta Vlpianum lib. 43. ff. de precario) quod precibus petenti vtendum conceditur, tamdiu quam is qui conceſſit, patitur. Recte itaque adnotauit Rhenanus*: Precario, dominio, vi, ſumere aliena, *verba eſſe Iureconſultorum, & proinde Legum ciuilium peritiam in Tertulliano permagnam fuiſſe frequenter oſtendi.*

CAP. X.

35. Nonne etiamſi Materia optima fuiſſet, &c.] *Inſcriptionem hanc huius capitis damus*: Quod proinde Deus mali aut auctor, aut adſentator dici debebit. *Cui ſimile eſt illud Euſebij lib. de Præpar. Euang. cap. 9. Oſtendam (inquit) non eſſe poſſibile, quin malorum Deus auctor ſit, ſi Materia ei aliunde ad creandum ſubijcitur. Legimus autem paulopoſt cum Latinio & Rhenano*: fatue ſatis, ſi ita gloriæ ſuæ, *addita recens particula*: ſi. *Porro ſunt iterum illa verba Hermogenis*: Ergo, *inquit*, ex nihilo, &c.

36. bona fide.] *Id dixit (inquit Rhenan.) pro ſerio, ſiue profecto. Q. D. nihil mentior. Sic aduerſus Valentinianos cap. 1.* Si, *inquit*, bona fide quæras, concreto vultu, ſuſpenſo ſupercilio, Altum eſt, aiunt.

37. ſed adſentator mali.] Adſentari, *inquit idem, etiam in libris ſuperioribus, pro* aſſentire *ſiue conſentire dixit.* Aſſentator *ita que hic dicitur, qui mox* aſſertor mali, & amicus mali; *vbi autem* qui malum Materiæ tanto ſuſtinuit, *puto aduerbialiter legendum* tanto.

38. Aut enim potuit emendare, ſed noluit, &c.] *Totidem pene verbis vbi ſupra Euſebius*: *Cur igitur mala qualitates reliquit: vtrum quia euellere noluit, aut quia non potuit? Nam ſi noluit & potuit, neceſſe tibi erit cauſſam malorum Deo adtribuere, qui mutatione mundum creans, non deſtruxit neque mutauit in melius mala cum potuerit. Nec poteris ſi ita opinaris, Deum non culpare, qui malignitatem Materiæ non abſtulit quum poſſet, ſed ad perniciem creaturarum reliquit.*

CAP. XI.

39. Et tamen vnde nobis perſuadet Hermogenes malam eſſe Materiam? &c.] *Titulum dedimus huic capiti:* Quod Materia malo eſſe non poſſit ſi æterna, aut ſi æternum eſſe malum poſſit, proinde ſit inſuperabile. *Prius autem membrum late etiam deducit vbi ſupra Euſebius, quamquam paulo alijs argumentis, ſicuti etiam partim Epiphanius aduerſus Manichæos.*

40. vt alij coæterno inferius deputetur.] Inferius *cum Datiuo adnotat Rhenan. etiam vſitatum Plinio lib. 4. cap. 13. Introrſus vero, inquit, nulli* inferius *nobilitate, Hercynium iugum prætenditur.*

41. Immo & iudicium fruſtra conſtituit Deus, &c.] *Quum frequentiſſime ſcriptura meminerit* iudicii Dei, *videtur tamen proprie adludere ad Matth. c. 25. quum ſequantur illa verba, quæ præparauit illi Deus & angelis eius. Sunt autem verba illa obſcuriſſima*: quibus contra malum finis, *quibus mederi non licuit, quod hic adhuc deeſſet ternio Variarum lectionum Vaticani codicis.*

42. prius in puteum abyſſi relegatus.] *Adludit ad illud Apocal. 20.* Et adprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & Satanas, & ligauit eum per annos mille, & miſit eum, *ſiue* relegauit (*vti hic Auctor loquitur*) in abyſſum, *ſiue ſecundum Auctorem*: in puteum abyſſi. *Niſi malit quis referre ad illud eiuſdē capitis*: & diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis.

43. quum reuelatio filiorum Dei, &c.] *Hic illum locum reſpicit Rom. 8.* Nam exſpectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei exſpectat; vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non volens. *Quam enim Interpres Latinus* creaturam *Tertullianus*, conditionem *vocat ſuo more, non aliter atque dixit ſupra Tom. 2. lib. de Cor. milit. cap. 6.* vniuerſam conditionem *inuitam vanitati ſuccediſſe. Vbi & alios ſimiles locos eius videre eſt num. 59. quo pertinet & illud quod ſequitur*: & integritate conditionis. *Hic autem paraphraſticè locum illum egregie quaſi aliud agens explicat.*

44. pecora condixerint beſtiis.] *Recte adnotauit Latinius citari hic ab Auctore illud Iſai. 11.* Lupus cum agno & pardus ſimul accubabit cum hœdo, & vitulus & leo & taurus ſimul paſcentur. *&c. Agnum etiam, hœdum, vitulum, taurum, & bouem,* pecora *vocat Auctor; Lupum vero pardum, leonem, & vrſum,* beſtias. *vt* condixerint (*nam coniectura*: conuixerint, *non placet*) *accipiatur pro, ſocietatem inierint. Nam ſimiliter. infra lib. 1. aduerſus Marc. (quamquam paulo aliter interpretetur perperam Rhenan.) dixit Auctor de Paulo & reliquis Apoſtolis*: dextras iuxerant, & ipſa officii diſtributione de Euangelii ſocietate condixerunt; *nec abſimiliter lib. adu. Praxean*, condicente etiam ſcriptura, *hoc eſt (vel ipſo Rhenano teſte) conſentiente ſcriptura. Aliter interim acceptum eſt ſupra Tom. 2. lib. de Coron. mili. vti illic ex Rhenano diximus, nu. 139.*

45. & paruuli de ſerpentibus luſerint.] *Pertinet hoc ad illud eiuſdem capitis*: Et puer paruulus in cauernam aſpidum, *&c.* manum immittet. *Vbi tamen videtur legiſſe aliquid amplius quam hodie Græce legatur, & magis conſentire cum Hebræa B. Hieron. ac Chaldaica interpretatione, qua legit*: Et delectabitur paruulus ſuper foramine aſpidum.

CAP. XII.

46. Age nunc malam ac pessimam credamus esse Materiam, &c.] *Titulo hoc caput insigniimus*: Quod si mala creditur Materia, oporteat esse demutabilem, & proinde non æternam, quum Deus omnia bona fecerit.

47. Ergo de lapidibus filii Abrahæ non suscitabuntur, &c.] *Obiectio hæc aut ipsius Hermogenis est, aut alicuius Hermogeniani. Sumptum est autem paraphrastice ex cap. 3. Matth. ordine immutato. Nam prius ibi iubentur:* Genimina viperarum facere pœnitentiæ fructum, & filii iræ *fugere ab ira ventura, ac postremo additur:* Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ.

48. Et vidit Deus quia bona, vt benedixit ea Deus.] *Adverbum sic transtulit ex additione 70. vbi de creatis animantibus agit, nam Græce legitur: ὅτι καλὰ, pro eo quod B. Hieron. ex Hebræo, & Chaldæa paraphrasi:* quia bonum. *Eodem adludit infra lib. 2. aduersus. Marc. his verbis*: Sic & benedicebat quæ bene faciebat. *Similiter vero argumentum simile, Manichæi dissoluit, & latius Epiph. vbi supra, qui interim maxime vrget postremum illud eiusdem cap.* Et vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce bona valde: *cum additamento (inquit) vocis valde, quod ipsum repetitur Eccl. 39. Legimus autem iuxta morem Tertullianicum*, qua optima, & qua mala, *pro eo quod erat vtrobique:* quasi.

CAP. XIII.

49. Et quæretur, quomodo ex ea bona facta sint, &c.] *Caput hoc hanc sortitur inscriptionem:* Quod si nulla demutatio fiat in Materia, oportuisse illam boni & mali capacem esse. *Vtitur autem etiam Prateolus argumento illius scripturæ:* Non potest arbor bona fructus malos facere, *adu. Hermiam, nescio ex quo Auctore.*

CAP. XIV.

50. Per quod probabitur manifeste Materiæ deseruisse, &c.] *Hic non solum noua peri. dus, sed & nouum caput incipiendum hoc titulo:* Quod proinde Deus Materiæ deseruierit, ex ea proferens etiam mala. *Quare recte adnotauit Rhenanus illud:* deseruisse: *dici à deseruiendo, non à deserendo.*

51. quam pusillitas competit.] *Duas voces has Tertulliano etiam alibi vsitatas recte adnotauit Latinius.* Quam *enim frequentissime propotius quam accipitur*, & pusillitas *l. 2. adu. Marc.* An hæ sint (*inquit*) pusillitates, *ac lib. 4.* ad Heliſæi pusillitatem.

CAP. XV.

52. Porro si bonum neque ex Materia factum est, &c.] *Inscripsimus hoc caput:* Quod si bonum ex nihilo factum probetur, consequenter etiam malum. *Recte autem adnotauit ad marginem Rhenanus phrasin Tertullianicam:* expugnare argumentationes.

CAP. XVI.

53. Igitur in præstructione huius articuli & alibi forsitan retractandi, &c.] *Titulum huic capiti damus:* Quod aut Deo adscribendum bonum & malum, aut Materiæ, aut alterum alteri. *Atqui de vocibus Auctori vsitatis:* præstruere, & retractare, *pro tractare, alibi latius, & de posteriori infra l. adu. Praxean.*

54. mali ac boni adfines.] Adfinis (*inquit Rhen.*) *cum Genitiuo, vt alibi compluribus locis, Similiter infra cap.* 29. adfinis eius caro nostra.

55. per substantiæ suggestum.] *Sic (inquit Rhenan.) lib. de Carne Christi cap.* 16. Et venturam (*inquit*) inde suggestu paternæ claritatis prædicemus. *Nos vero etiam alicubi supra similes locos adnotauimus. Non aliter dixit infra cap.* 31. habentes vtique suggestus suos proprios, *&c.* Suggestus autem cœli & terræ, *id est, ornatus.*

CAP. XVII.

Vinci Dei status hanc regulam vindicat, &c.] *Tractatur hoc capite:* Quod repugnet Hermogenis sententia cum vnici Dei statu, qui fecit omnia solus.

75. Quis cognouit sensum Domini, &c.] *Locus hic partim reperitur Isac. 40. partim Rom. 11. more Apostoli Pauli, qui prima, quæ hic habentur verba, ex Isaia desumpsit, posteriora autem illa:* Quis prior dedit illi (*sine vt hic habet Auctor* quis tradidit, & retribuetur ei? *aliunde. Deinde etiam in hoc illum imitatur Tertullian. quod non hic modo, sed & alibi frequenter quædam omittat, alia ponens, sicuti 1. Cor. 2 omittitur illud intermedium:* aut quis consiliarius eius fuit? *& additur quod prætermissum est & hic, & Rom.* 11. aut quis instruxit illum. *Immo infra initio lib. 2. aduers. Marc. omnia hæc Apostolo adtribuit, quia potiorem habet partem, quum tamen illud:* aut viam intellectus & scientiæ quis demonstrauit illi? *solus habeat Isaias? apud quem tamen 70. non habent illud:* scientiæ, *cuius mentio in Hebræo. Quod semel adnotasse sufficiat. Atqui* ensum, *& Auctor, tum hic, tum infra l. 2. & 5. adu. Marc. ac aduers. Praxean, & interpres noster, epistolarum Pauli accipiunt pro: mente, sicuti vulgatus 70. interpres vertit ad verbum vocem Græcam: νῦν. quæ tribus illis locis reperitur. Vertit etiam (vti adnotauit Rhenan.) noster Auctor* consulatus est. *Deponentali er, pro* consuluit, *quod alij verterunt, &:* ad quem consuluit, *sicuti ipse legit dicto libr. 2. adu. Marc.*

CAP. XVIII.

58. Si necessaria est Deo materia, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* Quod nemo Deo cooperari potuerit nisi Sophia eius & Sermo eius, id est: filius Dei, cui Hermogenes Materiam perperam præponit. *Est autem plane similis huic locus infra lib. aduersus Praxean, vbi pleraque eadem scripturas citat.*

59. Hæc denique sola cognouit sensum Domini, &c.] *Hic citat Auctor dictum locum Apostoli 1. Cor. 2. immutato tamen verborum ordine. Nam multo prius ibi legitur, quod hic sequitur:* Quis enim scit quæ sunt Dei, & quæ in ipso, nisi Spiritus qui in ipso? *aut saltem illud cuius hic paraphrasin reddidit Auctor:* Et quæ Dei sunt, nemo nouit nisi Spiritus Dei, *legens ex præcedenti commate, quod etiam subauditur:* nisi Spiritus qui in ipso; non (*inquit aduersus Praxean*) qui extra ipsum est.

60. Quum pararet cœlum (inquit) aderam illi, &c.] *Scripta sunt hæc Prouerb. 8. & citantur etiam ab Irenæo l. 4. cap. 37. sed paulo aliter ab Auctore translata, tum his, tum l. adu. Praxean infra, quam hodie & Græce & Latine apud 70. exstant. Primum videtur non legisse συμπαρήμην, quod transfertur:* simul aderam, *pro quo Irenæus:* cum illo aderam, *quum ipse solum legat conformiter B. Hieronym.* aderam, *tum hic, tum infra lib. aduersus Praxean. Deinde omittit quod illic est Græce & Latine:* quando secernebat sedem suam super ventos, *pro quo per parenthesin hic est dumtaxat:* super ventos. *Eleganter autem transfert:* & cum fortia faciebat, quæ sursum nubila, *pro eo quod Latinus 70. Interpres,* quando fortes faciebat quæ supra nubes, *nam vox: ὕψη,* nubila *æque significat atque* nubes. *Omnino etiam legimus:* & cum firmos *siue* tutos, *vt infra,* ponebat fontes eius quæ sub cœlo est *nempe aquæ, siue abyssi, vt Irenæus) ad verbum ex Græco, pro quo mendosissime irrepserat:* montes, *maxime quum etiam infra c. 32. sic legat, & illud significent voces Græcæ, Hebraeæ, & Chaldææ. Porro quod hic legitur:* ego eram compingens cum ipso, *ibi more suo legit:* modulans, *Irenæus:* aptans, *& Latinus interpres vterque:* componens. *Græce est: ἁρμόζουσα. Deinde vertit,* oblectabar in persona eius, *pro eo quod alius interpres: in facie eius, vtrumque significat Græca vox* πρόσωπα, *& rectius Tertullian. ac Iren.* quum perfecisset, *quam ille:* habitabilem postquam perfecit; *nam οἰκουμένη* orbem *terræ significat potius quam habitabilem terram.*

61. ante sæcula fundauit me, &c.] *Hic rursum in hac scriptura eiusdem cap 9. Prouerb. paulo antecedentem variat à Græco textu, quum legit:* ante secula, *& ibi sit: πρὸ τοῦ αἰῶνος, omittens etiam repetitum illud: ἐν ἀρχῇ, id est,* ab initio, *quod tamen Irenæus lib. 4. ca. 37. ac Hebræi & Chaldæi legunt. Cum quibus etiam magis, quam cum Græca voce ἐθεμελίωσεν conuenit illud:* collocarentur, *& quod habet Irenæus:* confirmarentur, *pro eo quod alij:* fierent. *item illud:* generauit me, *pro γεννᾷ με, quod alter vertit, gignit me.*

62. prior autem abyssos genita sum.] *Metaphrasis est hæc potius tum hic, tum infra cap. 32. quam ad verbum versio: & etiam magis conuenit cum Hebræo quam Græco textu, quia legitur quidem Græce* πρὸ τοῦ τὰς ἀβύσσους πηγάσαι *id est,* antequam abyssos faceret, *sed additur ex Hebræo:* Ego iam concepta eram, *pro quo vtroque hic dixit:* Prior abyssos genita sum. *Deinde alio hic ordine hoc citat quam Prouerb. 8. legatur.*

63. non capit fine initio quicquam fuisse.] Non capit, *id est, (sicuti recte interpretatur Rhenanus) fieri non potest, non datur, non conceditur, non est possibile. Verum de hac phrasi latius supra Apolog. numer. 254. & infra lib. 5. aduers. Marcion. Hic sufficiat addidisse; similes esse locutiones infra cap* 20. & principium nihil aliud capiat quam initium, *ac cap.* 32. Siquidem non capit diuersas fuisse.

CAP. XIX.

64. Sed & ad originale instrumentum Moysi prouocabo, &c.] *Caput hoc inscribimus:* De loco Geneseos: In principio creauit Deus cœlum & terram, quod in principio debeat intelligi: ante omnia, aut in principatu seu potestate. *Siue autem legas:* occasiones sibi sumpsit, *siue:* ibi, *id est,* in originali instrumento Moseos, *perinde esse adnotauit Rhenanus. Facit autem istud pro eorum sententia, qui Moysen Geneseos auctorem recte dicunt.*

65. vt hæreticis fere mos est simplicia quæque torquere.] *Istud abunde tractatum est ab Auctore supra lib. de Præscrip. adu. haret. maxime cap.* 17. 38. 39. *& 40. vbi vide etiam Adnotationes Quinti ni & nostras.*

66. Ita principium siue initium inceptionis esse verbum, &c.] *Verisimile est vt hanc significationem* principii *indicaret Auctor, propterea alibi ab eo verti solere, quum dictam scripturam citat:* In primordio fecit Deus cœlum & terram, *sicuti supra lib. de Baptismo, cap. 3. n. 17. & cap. 5. & alicubi infra. Quo pertinet etiam illud infra cap.* 34. Immo nusquam fiet (cœlum) cum terra, cum qua primordio factum est.

67. Nam & in Græco Principii vocabulum, quod est ἀρχῆ, &c.] *Consentiunt etiam Tertulliano in significatione* ἀρχῆ, *pro principatu, Xenophon lib. 1. de Imperio, Aristot. Polit. 1. & Plato de Repub.*

68. vnde & ἄρχοντες dicunt Principes & Magistratus.] *Hoc adnotatu dignum, quod vbi Græce est* ἄρχοντες, *eam vocem in translatione scripturarum retinere soleat Auctor. Sicuti supra libr. aduersus*

Iudæos cap. 9. & infra lib. aduers. Marc. Nam ἀρχοντας *(inquit, Isaiam citans cap. 1.)* Sodomorum, appellat Archontas vestros. *Item lib. de Resurrectio. carnis, cap. 20. alium locum Isai. 3. sic vertit:* Venturum in iudicium cum Presbyteris & Archontibus populi; *quomodo etiam illud Psal. 2.* Astiterunt Reges terræ, & Archontes congregati sunt in vnum.

CAP. XX.

69. Sed vt nihil aliud significet Græca vox, &c.] *Titulum huius capitis ponimus:* Quod illud in principio, etiam de Sophia seu Sermone, atque adeo Filio Dei possit intelligi. *Quam interpretationem fere sequi solet B. Augustin. & nominatim lib. 1. de Genes. ad litter. cap. 2. Lib. 1. contra aduers. Leg. & Proph. c. 2. ac de Ciuit. Dei, l. 11. c. 32. Hoc idem argumentum latissime quamplurimis scripturis deducit Theodoretus Epit. diu. dogmatum, nempe Deum cum Filio omnia condidisse. Nec dissentiunt ab his B. Hilarius in Psalm. 2. & Auctor rursum infra lib. aduersus Praxean, vbi de hoc latius.*

70. Dominus condidit me initium viarum suarum in opera sua.] *Addidi hic necessario:* initium viarum suarum, *tum quod c. 18. sup. & infra adu. Prax. id legatur, sicuti & in omnibus editionibus Bibliorum, Hebræa, Chaldaica, & Græca & Latina; tum quod paulopost idipsum his verbis:* Quoniam etsi erat initium viarum, &c. *Certe id etiam legit Athenagoras Oratione pro Christianis.*

71. vbi & opera & operæ operator.] Opus *(inquit Rhenanus) fit per* operam. *Sed Tertullianus etiam in præcedentibus libris* operam *vsurpauit pro opere. Vult ergo dicere: Vbi & opus, & operu operator aduntur.*

72. In principio erat Sermo, &c.] *Non solũ Auctori istud & B. Cypria. vsitatum fuit, vt* Sermo Dei *potius quam Verbum appellaretur Filius Dei Hinc illud huius libri 2. Testimon. aduers. Iud. cap. 3.* Quod Christus idem sit Sermo Dei; *vbi id probat ex variis scripturis Psal. 32. 44. & 106. Isai. 10. Ioan. 3. & Apoc. 6. Antiquior his interpres Irenæi, lib. 2. cap. 2. magis voce* Verbi *vtitur, easdem scripturas citans.*

CAP. XXI.

73. Ergo inquis: Si tu ideo præiudicas, &c.] *Huic capiti inscriptionem dedimus:* Quod ex nihilo omnia facta esse scriptura suo silentio indicat, dum non addit ex quo facta sint. *Sunt autem iterum hic verba Hermogenis aut alicuius Materiarij hæretici.*

74. & non periclitatur, &c.] *Hanc locutionem (inquit Rhenan.) per verbum:* Periclitor, *etiam alibi vsurpat in imitatione Græcorum, qui verbo.* κινδυνεύω *sic vtuntur:* Non periclitatur, *hoc est, abest, non est periculum. Sic mox:* Periclitabitur primo videri ex nihilo factum. *Item:* Proinde periclitabitur, ex alio longe factum videri. Periclitabitur, *id est, prope erit vt videatur. Periculum erit. Non aliter accipi debet illud lib. de Carne Christi:* Omnia periclitabuntur aliter accipi quam sunt, *& lib. de Præscrip. adu. hæret. c. 39.* Nec periclitor dicere. *rursum infra, cap. 44.* credo de venia periclitabuntur. *Hic loquendi modus admodum Platoni familiaris. Plutarchus:* κινδυνεύει θεὸν ἐχθρὸς ὁ κόλαξ εἶναι. *Hoc est: verendum est, siue timendum, ne Deorum inimicus sit adulator.*

CAP. XXII.

75. Atque adeo Spiritus sanctus hanc scripturæ suæ rationem, &c.] *Hoc caput titulo insigniuimus:* Quod scriptura, quum quid ex aliquo fit, referat vnde fiat.

76. Fruticet terra herbam virentem, &c.] *Sic iterum legimus tum hic, tum infra cap. 29. ex admonitione Latinij, pro eo quod Rhenanus substituerat:* fructificet. *Idq; eo magis, quod vox Græca* βλαστάνω, *germinare & fructicare significet, nõ* fructificare, *quomodo etiã voces Hebræa & Chaldaica. Rectius autẽ vertit Auctor* lignum fructuosum, *pro eo quod Græce est,* κάρπιμον, *quam Latinus 70. Interpres pomiferum; nam correspondent etiam ex Hebræo & Chaldaico versiones, quæ habent: Faciens fructum. Videtur etiam illius temporis additio Græca semel dumtaxat legisse in hac scriptura:* secundum genus & secundum similitudinem, *& postea sicuti Auctor, modo:* in similitudinem, *modo* secundum genus suum, *quippe quæ duo idem fere significant, quemadmodum etiam B. Hieron. primo vertit:* secundum genus suum, *& deinde:* iuxta speciem suã *Porro cum Latinio præmisimus id quo iterum superfluo repetebatur:* Factum est sic. Et produxit terra herbam fœni seminantem semen secundum genus, & lignum fructuosum faciens, fructum, cuius semen in ipso secundum genus.

77. per firmamentum cœli.] *In hac secunda dicti cap. 1. Gen. scriptura obscurius est istud, item quod & ex Græco* κ *vertitur* secũdum firmamentum, *pro quo apertius B. Hieron.* sub firmamentum cœli. *Porro quum subdit:* per Prophetam, *Moysen intelligit Geneseos Auctorem, quum supra cap. 19. appellauit* originale instrumentum Moysi.

78. Quamquam possimus vnde &c.] *Istud ad clariorem intellectum parenthesi inclusimus, vsque ad:* si tantam. *Atqui (vt recte adnotauit Rhenan.)* vnde *Tertullianus solet vsurpare pro* ide vnde, *id est, vndelibet. Sic l. 3. adu. Marc.* Difficilius Deo men i, quã carnis veritatem vnde producere, licet non natæ, *hoc est, vndelibet. Lib. 4. adu. eundem:* Non erit *(inquit)* mirum quod ex dispositione est creatoris, sed vnde magis probetur quam ex Legis & Prophetarum in Ioannem occasu, & exinde ortu, regnum Dei. *Cui addendum est & illud eiusdem l. 4.* qui neque vnde speraret, *ex adnotat eiusdem in eundem locum.*

79. Væ illud, &c.] *Recte idem adnotauit adludere Auctorem ad cap. vlt. Apocal. ita tamen vt Metaphrasticõs tantum id faciat, paucissimus verbis integram periodum comprehendens.*

CAP. XXIII.

80. Sed ex sequentibus argumentatur, &c.] *Inscripsimus hoc caput:* De loco illo Geneseos: Terra autem erat inuisibilis & incomposita. *Atqui hausisse Hermogenem, cuius hic iterũ verba sunt, ex Platone manifestum facit B. Iustinus Martyr Apol. 1. siue Orat. pro Christianis: Nec minus (inquit, de Platone loquens) & idẽ in cœlo & terra lapsum eum esse liquet. Quia enim Moses ita scripsit:* In principio fecit Deus cœlum & terram: *ac deinceps hæc adiungit, dicens:* Terra autem erat non aspectabilis & incondita; *existimauit hanc, de qua ille ait:* Terra autem erat, *præexistentem dici terram, quoniã Moyses dixerat:* Terra autem erat inaspectabilis & incondita, *De qua vero dicit:* Fecit Deus cœlum & terram, *eam illum designare putauit, quæ iuxta præexistentem Ideam, à Deo sensibilis est creata. In hoc tamen differt Hermogenes à Platone, quod duo tantum faceret principia rerum, Deum & Materiam, Plato vero Deum, Materiam, & Ideam.*

81. Terra autem erat inuisibilis & incomposita.] *Quæ hic & cap. 3. lib. de Baptismo supra,* incomposita *dicitur, mox hic appellatur:* rudis: informis, confusa, & incondita. *Omnia enim hæc significat vox Græca* ἀκαταστασία. *Videibi nu. 18. verba B. Hieronym.*

CAP. XXIV.

82. Reuertor nunc ad singulos articulos, &c.] *Huic capiti titulum fecimus:* Quod Terræ nomen Materiam non significet. *Sumpsit autem & istud ex Platonis verbis iam citatis num. 80. Hermogenes.*

CAP. XXV.

83. Vult igitur duas proponi terras in ista scriptura, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* Quod non duæ, sed vna terra recenseatur. Gen. 1. *In quo errore etiam Hermogenes dictum Platonem imitatus est.*

84. & electrum, licet ex auro & argento fœderatum, &c.] *Plinius lib. 33. hist. nat. cap. 4. Omni auro inest argentum; vbicunque quinta portio argenti est,* electrum *vocatur. Fit & cura* electrũ *argento addito; quod si quintam portionem excessit, incudibus non resistit. Et ipse quoque Auctor infra li. adu Praxean:* Vt electrum ex auro & argento, & incipit nec aurum esse neque argentum, dum alterum altero mutatur, & tertium quid efficitur. *Quos locos facere ad intellectum Vlpiani cap. 4. de Legatis 1. adnotauit Reinardus Var. lib. 1. cap. 19. vbi & aliud genus* electri *commemorat ex Ambrosii Hexameron lib. 2. cap. 15.*

CAP. XXV.

85. Nisi & Sileno illi apud Midam Regem, &c.] *Simile est illud supra cap. 2. lib. de Pallio:* Viderit siquis vsquam alius *(orbis nempe)* ad Meropas, vt Silenus penes aures Midæ blatit, aptas sane grandioribus fabulis. *Et quod habet Maximus Tyrius serm. 30 (si modo recte citatur à Gyraldo de Dis Gentium)* Silenum *ebrium laqueis & vinculis constrictus* Midæ *prædixisse varia & diuersa. Vnde etiam facile colligere est Poetam Virgilium sua Ecloga* Sileni *argumentum sumsisse, & in prouerbium quoque abiisse:* Silenis *Alcibiadeis magis ridiculum, quali, nomine ob* grandiores fabulas, *Rhenanus alicubi Valentinianorum somnia appellat.*

86. auctore Theopompo.] Theopompus *(inquit Rhenan) Historicus Græcus & vetustus. Ego vero magis puto referri oportere ad* Theopompum *antiqua Comœdia Poetam, qui 24. fabulas, teste Suida, conscripsit, è quibus vna fuisse videtur* Silenus *inscripta quã adeo etiam inimitatus videtur Virgilius in Ecloga* Sileno, *de qua iam diximus. Ibi autem:* Sed & Deos multos idem refert, *videtur adludere ad alium aliquem* Theopompi *librum.*

CAP. XXVI.

87. Nobis autem vnus Deus & vna est terra, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* Quod de terra dumtaxat vna loquatur scriptura, cuius dispositionem postea recenset iuxta ordinem etiam in aliis seruatum. *Quæ ipsa infra paucis repetit cap. 29. Atqui vox:* decurrere, *frequentissima Auctori, sicuti & alibi adnotauimus. Sic adnotante Rhenano libr. de Carne Christi, cap. 20.* Quod idem dicit Matthæus, originem Domini decurrens.

88. Et separauit inter aquam quæ erat infra firmamentum. &c. Infra *omnino hic accipit Auctor pro: subter, aut sub; neque enim aliter accipi potest quod Græce est:* ὃ ὑπὸ τὸ στερέωμα, *maxime quum illud Heb. 2. transferatur:* sub pedibus eius, *sicut hic ab aliis Interpretibus:* sub firmamento. *Quod his verbis Tertullianus supra lib. de Baptis. cap. 3.* Nam vt firmamentum cœleste suspenderet in medietate, distinctis aquis fecit. *Cui similiter B. Hieron. vtibi videre est num. 19.*

89. Et finxit Deus hominem de limo terræ, &c.] *Similiter citat hunc locum infra cap. 31.* Fecit Deus hominem: de terra. *ac supra lib. de Baptis. cap. 3.* Figurandi hominis opus absolutum est de

terra

terra *& lib. 2. adu. Marc.* Bonitas finxit hominem de limo. *Item lib. 1. adu. eundem:* Quis? vtique de limo. *Vbi tamen verba Gen. 2. citans legit:* Et fecit Deus hominem limum de terra, *quomodo etiam l. de Resurr. carnis, c. 5. n. 51. vbi de ea lectione latius. Illud magis Hebrææ, hoc vero ædit. 70. & paraphrasi Chaldaicæ respondet. Distinximus autem paulo post sequentia ad hunc modum, vt illa:* ante enarrat & ostendit, *per commata tantummodo, non per periodos distinguantur.*

90. Nam &, Autem, ipsum, velut fibula, &c.] *Pulcra interpretatio, quid particula:* Autem, *in scripturis sacris addita significet. Adnotatur autem à Rhenano similis huic locus ex lib. de Resurr. carnis infra, cap.* 40. Ita vocabulum Homo, consertarum substantiarum duarum quodammodo fibula est.

CAP. XXVII.

91. Sed tu supercilio capitis & nutu digiti accommodato, &c.] *Titulum huic capiti damus:* Quod particula Erat, de omnibus dicatur quæ habent esse. *De Prouerbialibus autem his formulis,* supercilio capitis & nutu digiti accomodato altius vocem adtollere, *inter Prolegomena. Lego autem mox:* vnde habeat, *pro:* habet, *quod sensus id necessario exigat.*

92. Hæ sunt argutiæ & subtilitates hæreticorum, &c.] *Supra etiam de* subtilitatibus, & argutiis hæreticorum *abunde dictum est, lib. de Præscript. adu. hæret. non vno in loco.*

CAP. XXVIII.

93. Atquin non tantum probabimus, &c.] *Huius capitis hæc est inscriptio:* Quod contrarientur dictæ interpretationi Hermogenis voces illæ: Inuisibilis & rudis, quia proinde imperfectam fuisse Materiam oporteret.

94. Cui articulo respondere debebimus suo ordine.] *Infra nempe cap.* 30.

95. vnde ergo compertus est, &c.] Compertus *(inquit) Rhen.) Deponentialiter, pro comperit, vt infra lib. 4. adu. Marc.* Quo die, *inquit,* ipse compertus est veniam, ieiunii dico. *Loquitur illic de Dauid. Sic Cicero dixit: Elucubratus sum, pro elucubraui. Quin etiam, inquit, eam epistolam quam eram elucubratus, ad te non dedi. ad Atticum lib. 7. Et Suetonius in August. multatus est, vsurpauit pro multauit. Item alibi Cicero, punitus es, pro puniuisti. Legendum autem censeo prorsus:* informem & confusam & inconditam illam fuisse, *pro eo quod est tertio loco:* & inquietam, *eo quod similiter supra c. 23. iisdem verbis illis sit vsus.*

96. aut si hoc a Deo reuelatum est, probare debet.] *Locus adnotandus aduersus hæreticos, quos spirituales quidam nuncupant, aut ecstaticos, qui etiam scriptura contempta solis reuelationibus nitendum docent, in quo non credendum illis docet hic Auctor, nisi* probent id à Deo reuelatum.

CAP. XXIX.

97. Siquidem omnia opera sua Deus, &c.] *Damus huic capiti titulum:* Quomodo terra primum inuisibilis & rudis, postea visibilis & composita.

89 depalans quodammodo mundū.] Depalans *(inquit Rhen.) hoc est manifestans, palam ostendens. Adu. Marc. lib. 5. Paulum Apostolum vocat* depalatorem disciplinæ diuinæ, *id est, enarratorem, promulgatoremque. Nam* depalare *est Tertulliano propalare.*

99. sed inhabitari.] *Ad verbum vertit illud Isaiæ* 45. ἀλλὰ κατοικεῖσθαι, *pro: vt inhabitaretur.*

100. orbis terræ & omnes qui habitant in illa, &c.] *Veterem Psalmorum æditionem veram esse, quam ædidit Faber in Psalterio quintuplici, vel hinc patet, eamq; ad verbū ex Græca* 70. *vbi legitur* ἐν αὐτῇ, *& mox vtrobique* αὐτλῶ, *pro eo quod B. Hieron. in vtraque ædit. ex Hæbræa & Gallica,* in eo, *& mox bis:* eum. *Siue autem legatur cum Tertulliano:* orbis terræ, *siue cum aliis:* orbis terrarum, *perinde est; nam vnica vox Græca* οἰκουμένη *ad vtrumque indifferens.*

101. Congregetur aqua in congregationem vnam, &c.] *Sic legimus cum Græcis, Hebræis, & Chaldæis ac Latinis vtriusque æditionis exemplaribus, pro:* in congregatione vna. *Mirum est autem, quod sicuti illi habent, non addiderit,* quæ sub cælo est, *ad distinctionem alterius quæ super firmamentum. Legimus autem iterum cum Latinio:* Fruticet terra, &c.

102. Hæc dicit Dominus qui fecit cœlum, &c.] *Etiam istud inuenitur iuxta 70. Isai. 45. in eadem periodo ante verba paulo ante citata. Variat interim ab hodierno textu Græco, quod legat sicut ædit. Hieron.* Hæc dicit Dominus, *quum sit Græce,* οὕτως. *Legimus autem: cum Latinio, quia Græce est:* ποιήσας.

CAP. XXX.

103. Sic & sequentia coniecturam Hermogenis, &c.] *Inscribimus caput istud:* Quod neque illud: Et tenebræ super abyssum, pro Hermogene faciat. *Recte autem (vti adnotauit Rhenan.) dixit:* instruere videbuntur, *quia reuera non instruunt. Lego necessario, vt oratio sit congrua:* abyssum, spiritum Dei, aquas; *& mox* spiritum super aquas, *pro eo quod erat* spiritus, *maxime quū postea sic legatur. Siue autem legat:* æstimare facit tam diuersa relatio, *cum Vatic. cod. ms. siue cum excusis:* æstimari facit tam diuisa relatio; *perinde est.*

104. Vanissimum denique, &c.] *Vatic. ms. cod. & 1. æditio, legunt:* vanitimum. *sed quia nusquam eam vocem reperi, placet vulgata lectio. Quas autem mox vocat:* species, *paulo post formas dicit. quare non arridet Vatic. cod. varia lectio:* formam. *Et legendum cum Latinio interrogatiue:* si non habebat, agnoscitur?

CAP. XXXI.

105. Sed & illud vtique captabitur, &c.] *Capiti huic inscriptionem fecimus:* Quod suffecerit initio in genere id quod continet nominare, postea vero etiam contenta cælo & terra. *Sunt autem etiam hæc verba Hermogenis. Atqui pro eo quod legitur:* & complectebantur, *Vatic. cod. ms.* & contemplabantur. *Neutrum placet.*

106. & statuæ super Euripum.] Euripus *(inquit Rhenan.) fretum quod est ad Chalcidem, nomen dedit ob similitudinem. Fossæ erant, quibus ludi circumdabantur septorum loco. Factum deinde est, vt pro qualibet fossa aut canali cœperit* Euripus *vsurpari. Plinius Nepos in epistola ad Caninium Rufum: Quid* Euripus *viridis & gemmeus? Vitruuius in libro 7, Pinguntur enim portus, promontoria, littora, flumina, fontes,* Euripi, *fama; luci, montes, pecora, pastores. Vide plura, quæ magis ad loci huius declarationem faciunt de* Statuis super Euripum, & obelisco in Circo *supra libr. de Spectac. cap. 8. num.* 72. 73 74. 75. 76 & 77.

107. Costam vero & ossa, &c.] *Quum* cutem *non commemoret alicubi liber Geneseos in homine, prorsus* costam *lego, & vero tam mihi licet hoc ex coniectura substituere, atque illud Rhenanus, pro eo quod in prima ædit. legebatur* Enim vero, *maxime cum alludat magis lectio, quamquam mendosa ms. Vatic. cod* cuitam. *Alludit autem ad has scripturas:* Et tulit vnam costarum eius, *&c. ac:* Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, *Gen. 2. Item:* Aperientur oculi vestri, & in sudore vultus tui, *Gen. 3. denique:* vox sanguinis fratris tui, *Gen. 4.*

108. factitatione.] Factitationis *(inquit Rhenan.) vocabulum à verbo frequentatiuo deductum neminem moueat. Nam in præcedentibus libris, non solum in hoc opere,* factitationem *pro creatione, siue conditione accipit, lib. adu. Valentinian. cap.* 21. Ergo & factum *(inquit)* intelligebat, & factitatorem facti esse quemcumque. *Similiter etiam dixit supra Tom. 1. Apolog. cap. 21. num* 311. *& cap. 46. nu.* 577. Hunc enim Zeno determinauit factitatorem *& infra l. aduers. Praxean.* ad idolorum factitatores. *Immo & hoc ipso iterum libro cap. sequ.* corporum factitationem, *ac:* verbum factitationis; *& item:* sine factitationis mentione.

CAP. XXXII.

109. Hæc responderim pro scriptura præsenti, &c.] *Titulum huic capiti imposuimus:* Quod etiam abyssus, tenebræ, spiritus & aquæ, quæ Hermogenes Materiam putat, à Deo facta sint. *Siue autem legas:* commendate *cum excus. siue* commentari *ex coniectura ad marg. 1. ædit. &:* Sciit esse *cum Rhenano, aut:* Scit esse *cum Vatic. ms. cod. & 1. æditione, perinde est.*

110. Qui solidat tonitruum, &c.] *Ad verbum hæc sunt ex ædit. 70. Amos 4. præterquam quod videatur legisse* ὅτι κύριος, ἐγὼ στερεῶν: Quia Dominus est qui solidat tonitruum *(pro quo montes vertit Hieron. & Paraphrasis ex Hebræo & Chaldæis fontibus, sicuti etiam* ventum *pro eo quod 70.* spiritum *) vbi hodie est* εἷς στερεῶν, *hoc est: qui es firmans. Variat etiam in hoc ab Hebræo hæc lectio, quod vbi hic est:* Christum suum, *legat B. Hieron.* eloquium suum, *& Interpres Paraphrasis Chaldææ: quanta sint opera eius.*

111. Non, vt quidam putant, ipsum Deum significari spiritum, &c.] *Illud:* Spiritus Dei ferebatur super aquas, *Auctor supra lib. de Baptis.* Spiritui sancto *adscribit, quod hic* spiritui, *siue* flatui, *& rectius. Cur autem id faciat, infra lib. de Anima cap. 11. (vbi partim ad hunc locum, partim ad lib. de Censu Animæ, contra hunc eundem Hermogenem adludit) significat:* Ceterum *(inquit)* aduersus Hermogenem, qui animam ex Materia, non ex Dei flatu contendit, flatum proprie tuemur. *Ac si diceret se pro occasione aliter atque aliter interpretari. Vbi interim hac de re latius, quomodo & de scriptura sequenti, Isai. 57.* Spiritus a me exiuit, & flatum omnem ego feci. *Hic adiiciam dumtaxat, vtramque etiam expositionem inueniri. & de vento siue aeris diffusione, & de Spiritu sancto, apud BB Basilium hom. 2. Hexameron; August. lib r. imperf. de Gen. ad litter. cap. 4. Diodorum Tharsensem alicubi, Chrysost. hom. 3. in Genes. & Theodoretum quæst. 8. in Genes. Origenes ... que lib. 1. Peri archōn dicit, non nisi secundum Allegoriam de Spiritu sancto intelligi; sed ego magis accedo B. Basilii sententiæ. Certe quod verius est, & à nostris maioribus comprobatum,* Spiritus Dei, *hic Spiritus sanctus appellatur.*

112. Et cum firmos ponebat fontes eius quæ sub cælo.] *Quum 1. æditio & Vatic. ms. cod. legant:* quæ sub cælo, *pro quo Rhenan. substituit:* qui, *prorsus puto legendum sicuti supra cap. 18. num. 60.* eius quæ sub cælo est.

113. Plane factas eas, sed ex Materia, &c.] *Verba hæc sunt iterum Hermogenis, aut alicuius Materiarii hæretici, vsque ad illud:* Ergo sicut terra, *in quibus prorsus legi debet:* quæ ex Materia facta sint species, *pro;* sunt. *Deinde paulo post Vat. cod. ms. legit:* quæ iisdem

nominibus æduntur, *quod magis placet, quam* iisdem, *eo quod vetus sit Prisciani lectio, quam adeo cuperem in hoc Auctore vbique vsitatam.*

CAP. XXXIII.

114. Sed dum illam Hermogenes, &c.] *Hoc caput inscripsimus:* Quod si Materia fuisset, etiam a Deo facta crederetur.

115. inter scripturas enim Dei inuenire non potuerit.] *Sic lego ex Vatic.ms. cod. pro:* potuerat. *Est autem verissimum quod nulla in scripturis Dei Materia fiat mentio.*

CAP. XXXIV.

116. Ceterum omne ex nihilo constitisse, &c.] *Probatur hoc capite:* Quod omnia ex nihilo constiterint, quia in nihilum redigenda sunt.

117. Cælum primum & terra prima abierunt.] *Transtulit hoc Latine magis quam ad verbum, quia Apoc. 21. legitur:* παρῆλθεν *id est, abiit, deinde legit:* Et locus non est inuentus illis, *pro eo quod Græce est & Latine:* Et mare iam non est. *Similiter ibi addit:* &, *quod in nulla Psalm. 101. additione legitur:* & ipsi peribunt.

118. Nam etsi mutabit illos, &c.] *Velut corrigentis esse istud Psalmistæ his verbis indicat Auctor. Quum enim dixisset:* Ipse peribunt *veluti volens indicare proprie non perituros, subiungit:* Et mutabis illos sicut opertorium, & mutabuntur. *Quod ipsum Auctor sic explicat:* (sed *omitte enim:* &, *cum Vat. ms. cod.*) mutari, perire est pristino statui, quem dum mutantur, amittunt; *sic etiam mitigans quod prius satis crude dixerat:* immo nusquam fiet cum ipsa terra. *Locus proinde contra eos adnotandus, qui hos scripturæ locos, & alios similes Isai. 52. & 2. Petri 3. sic interpretantur, quasi cœli ipsi sub finem mundi conflagrationis igne omnino exurendi sint, & deinde renouandi, quum B. Augustl. lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 24. (quem plerique hodie sequuntur) solummodo id interpretetur de cælo aereo, ex eo quod B. Petrus præmittat:* Cæli prius & terra per aquam perierant. *Quid? quod Auctor dum mutatos iri dumtaxat dicit, videtur propendere magis ad Oecumenij in 2. Petri 3. Commentarium qui cœlos nec perituros, nec abolendos, sed dumtaxat igne purificandos affirmat.*

119. Et stellæ quidem de cælo ruent, &c.] *Verba hæc (inquit Rhenanus) ex Apocalypsi desumpta sunt, vbi sic legitur:* καὶ οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔπεσαν εἰς τὴν γῆν, ὡς συκῆ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς, ὑπὸ μεγάλου ἀνέμου σειομένη. *Hoc est:* Et stellæ de cælo ceciderunt in terram, sicut ficus abiicit grossos suos, cum a magno vento mouetur. *Porro* ὄλυνθοι *Græcis sunt, quos Latini Grossos vocant, hoc est, fici nondum maturæ. Tertull. pro grossis vertit:* acerba sua; *additio vulgata habet grossos suos. Est autem propemodum interpretatio, quod vertit Tertullianus. Nam nihil aliud est* ὄλυνθος *siue grossus, quam ficus dura adhuc atque acerba. Theodorus Gaza in opere de Plantis,* ὄλυνθον *etiam caprificum reddit. Reperiuntur ea Apoc. 6. In hoc tamen variat Auctor, quod vocem Propheticam in Præterito enuntiatam, in Futuro,* ruent, *verterit, sicuti etiam illud Psal. 96.* Montes vero tanquam cera liquescent; *vbi legitur ex Græco: fluxerunt.*

120. Cum surrexerit scilicet confringere terram.] *Istud noua periodo distinxi, quia sumptum est aliunde, ex Isai. nempe cap. 2.*

121. Et quærent aquam, nec inuenient.] *Similiter etiam istud, quia non reperitur Isai. 42. vbi illud est:* Et paludes arefaciam. *Nescio ite im vnde sumptum, nisi forte ad illud adludat Isai. 41.* Quærent enim aquam, & non erit.

122. etiam mare Oceanus. *Vatic. ms.*] *legit:* nec inueniet etiam mare hactenus. *Si legeretur:* & non erit etiam mare Oceanus, *posset intelligi repetitum illud Apoc. 20.* & mare iam non erit; *certe id subaudiendum est. Alioqui magis placet legi:* nec inuenient, etiam mare hactenus, *Tertullianica phrasi, qua aliquando vtitur voce:* hactenus, *vt significet:* iam non est. *Nam ad quid adderetur ab Auctore:* Oceanus, *scripturas citante, quum nusquam ea vox ibi reperiatur? Nihil tamen volui immutare in contextu; eligat Lector quam volet lectionem. At cum Latinio lego:* Quæ omnia etsi alter, *pro:* aliter.

CAP. XXXV.

123. De cetero vero statu Materiæ, &c.] *Titulum damus huic capiti:* Quod Materia neque corporalis sit, neque incorporalis. *Sunt autem iterum illa verba Hermogenis:* Prima facie videtur, &c. *vsque:* Quæ est ista ratio.

124. (vt concedam interim esse aliquid incorporale) &c.] *Parenthesi ista includimus, vsque ad illud:* certe. *Quæ interim ad errorem Auctoris pertinent, quo & animæ & angelis, immo etiam Deo corpus videtur adtribuere, quemadmodum latius in Prolegomenis nostris. Atqui Latinius censet legendum:* Tamen hoc ratio, *pro:* Tantum *& non debere esse interrogationem in fine eius periodi.*

CAP. XXXVI.

125. Sed ecce contrarium subiicit, &c.] *Istud caput inscribimus;* Quod male Hermogenes motum Materiæ incorporale eius esse dicat. *Retinuimus autem cum Rhenano & edit. Basilienſi:* Iam ergo ne neutrum sit, vtrumque Materia censenda est. *pro quo* 1. *edit. & Vatic. ms. cod.* nonne vtrum sit, vtrumque. *& Latinius censebat legendum:* Iam ergo nonne vtrumque; *sed illud significantius est. Quemadmodum etiam non placet quod ms. Vatic. cod. cum* 2. *edit. legit:* aduersus renuntiationem reciprocationis illius; *pro:* rectæ rationis illius; *quia adhuc ironicæs adludit ad* rectam rationem, *quam vrgebat cap. præced. Hermogenes, & rursum sequitur.*

126. Quanto hæc rectior ratio, nisi quod tam rectas lineas ducis, &c.] *Vbi est adnotanda Prouerbialis formula à Pictorum arte, qualis erat Hermogenis, mutuata,* rectas lineas ducere, *qualis est etiam illa:* vltra lineam, *de qua vtraque latius in Prolegomenis nostris.*

127. vt inanimalia.] *Vatic. ms. cod.* inanimata, *sed illud nolui immutare, quod eadem reperiantur infra cap 44. & eiusmodi obsoletis vocibus vti soleat Auctor, qualis est etiam illa:* corporalitatis, & incorpora. *quæ sicuti legitur in* 1. *edit. & Vat. Manuscripto cod. pro eo quod retinuimus ibi:* si qua incorporalia eis adsunt.

128. aut libidines eorum.] Libidines (*inquit Rhenan.*) *vocat appetitus & inclinationes. Sic & in lib. de Patientia, cap.* 1. vt quum (*inquit*) inter se variis sectarum, libidinibus & sententiarum æmulationibus discordent Libidinibus, *id est, studijs.*

129. Sed de motu & alibi licebit.] *Infra scilicet cap. 42. 43. & 44. Subaudiatur (inquit Rhenanus) disputare. Nisi est:* licebit, *pro: liquebit, vt in præcedentibus libris* licuit, *pro* liquuit, *id est, liquidum euasit. Quod posterius magis placet. Nam Tom. 2. supra lib. de Pœnit. cap. 6. legitur:* Tunc opinor emendatos licebit, *pro liquebit, de quo ibi latius nu. 34.*

CAP. XXXVII.

130. Nunc enim video te ad illam rursus rationem reuerti, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* Quod nec bona, nec etiam mala Materia dici possit. *Adludit autem hic rursus ad verba illa Hermogenis supra cap. 36. de* ratione recta, *quum tamen Auctor* certi nihil renuntiare *dixit. Et proinde placet quod à Rhenan. ibi,* nec corporalem nec incorporalem infert Materiam, *subaudiatur* ratio, *& rursum paulopost:* ne quid his contrarium inferret, *nempe* ratio; *quæ adeo lectio magis placet, quam quæ postea substituta est:* inferres, *maxime quum accedat quamproxime ms. Vatic. cod. Atqui adnotanda etiam vox:* superargumentaſſet, *pro: superargumentatus fuisset more Auctori vsitato. Verba autem hic esse Hermogenis quædam ipse Auctor nominatim significat.*

Sed quoniam de boni & mali, &c.] *intelligit quæ supra tractauit cap. 12. 13. 14. ac 15. vbi inter cetera etiam citatur, sicuti paulopost:* conuersio lapidum in filios Abrahæ Deo possibilis. *Ibi autem:* nec hic, &c. custodisse, *Rhenan. recte subintelligit:* dicam, *quum prius præcesserit:* nec dicam.

CAP. XXXVIII.

De situ materiæ id tracto, quod & de motu, &c.] *Capiti huic titulum damus:* Quod si situm habeat Materia, infinita esse non possit. *Atqui omnino hic lego:* de motu, *& similiter paulopost:* quasi infinitam æuo, non motu corporis, *pro eo quod vtrobique legebatur:* modo; *quia etsi verum est quod adnotauit ad marginem Rhenan.* Modum *etiam molem, seu potius magnitudinem nonnunquam significare, tamen nulla aut antea aut postea molis Materiæ mentio, sed de* motu *habes cap. 36. supra & mox cap. 41. vbi etiam nominatim de* motu corporis *fit mentio. Est autem facile colligere, quæ hic verba sint Hermogenis, quæ Auctoris.*

133. quam, quantum proprie pictor, agnoscis.] *Sic omnino hic locus distinguendus, nam:* quantum, *capitur pro: inquantum, vt nihil sit opus eam vocem præterm ittere.*

134. Et obduceris.] *Monuimus (inquit Rhenan.) non semel* obducere, *& obduci, Tertulliano esse refellere & refelli, siue contraria ac inter se pugnantia adferentem captum tenere vel teneri. Loci similes adnotati sunt supra Tom. 1. Apolog. cap. 46. nu. 572. & cap. 50. nu. 618. Quibus adiice etiam illud infra lib. 1. aduers. Marc.* Exhibe aliquam Apostolici census, & obduceris, *& lib. adu. Praxean.* vndique enim obducti.

135. exemplarium.] *Intelligit (inquit Rhenan.) exemplar. Sic paulopost:* Et vis meliora deteriorum exemplarium ferre. *Non aliter aduers. Valent. vsurpat:* Sigillarium, *pro sigillari.*

CAP. XXXIX.

136. Sit nunc definitiua, &c.] *Econtrario hoc capite tractat:* Quod nec definitiua esse possit Materia. *Est autem & hic facile verba Hermogenis & Auctoris discernere.*

137. Et hic à lineis tuis excidisti.] *De hoc quoque prouerbio inter Prolegomena nostra latius. Siue autem mox legas:* dispertitionem *cum excusis, siue:* dispersionem *cum ms. Vat. cod. perinde est.*

CAP. XL.

138. Dicis in melius reformatam Materiam, &c.] *Titulum huic capiti imponimus:* Quod nec in melius reformata Materia dici possit. *Facile est vero etiam hic verba Hermogenis agnoscere. Legimus autem cum Rhenan & Latin.* vtique de deteriorib[illegible], *a vocula:* de, *sicuti etiam ex Vatic. ms. cod.* rei, *vbi legitur:* nulla [illegible] speculum alterius rei, id est, non coæqualis.

139. Nemo se apud tonsorem pro homine mulum inspexit.

&c.]

&c.] *Ad morem reſpicit, quo* ſpeculo *vti* tonſores *ſolent nam & addit*: vt ſpeculum ſit mundus materiæ; *à quo etiam nouam vocem* ſpeciatum, *deriuauit Auctor, pro eo quod in ſpeculo ſpecioſum appareret*: *Nam &* ſpeculum *(inquit Varro de ling. Lat. l. 4.) ſpeciendo, quod ibi ſpectent. Legimus autem cum Latinio*: in hac exſtructione mundi, diſpoſitæ iam & comptæ, informem & incultam Materiam reſpondere, *pro*: diſpoſita iam & compta. *Item paulopoſt ex Vatic. ms. cod.* non totam eam fabricatam, *pro*: fabricatum. *Siue autem inter hæc vtraque verba legas*: imaginem refert *cum excuſis ſiue*: præfert *eum Vatic. ms. cod. perinde eſt.*

CAP. XLI.

140. Reuertor ad motum, &c.] *Hoc caput denuo inſcribitur*: De motu materiæ. *Hermogenis eſt autem illa periodus*: Inconditus, &c. *nam & infra cap.* 42. incorporali Materiæ inconditum motum eius *dicit.*

141. nec cacabaceus.] *Ironicῶς ita* motum Materiæ *appellat, iuxta illud quod Hermogenem compellans dixit*: Sic enim & ollæ vndique ebullientis ſimilitudinem opponis. *quod ipſum repetit cap.* 43. *Lego autem* cacabeceus *cum Latinio, pro*: cacabatius. *Atqui pro*: temperatus *legit Vatic. ms. cod.* temporatus; *ſed quod inuſitata vox ſit, nolui immutare, maxime quum etiam ms. 3. cod. Vatic. legant ſupra Tom. 1. lib. de Pallio, cap.* 2. & vicibus temporatus, *vbi potius alioqui conueniet* temperatus.

142. mediæ (quod aiunt) aginæ æquilibrato impetu ferebatur.] *In prima (inquit Rhenan.) editione ſcripſimus, Oedipo opus eſſe, qui nobis indicaret, qu alenam Prouerbium ſit, quo hic vſus eſt Tertullianus. Et varias tum appoſuimus coniecturas quibus circumacti ſumus, dum ſcrupuloſe germanum prouerbium inquirimus. Verum non ſemper fauet Apollo. Non deſtitimus tamen poſtea nihilo ſegniori ſtudio indagare, donec ſucceſſiſſet quod agebamus. Itaque deprehendimus ſcriptum fuiſſe*: mediæ (quod aiunt) aginæ æquilibrato impetu ferebatur. *Eſt autem* Agina, *foramen illud, in quo inſeritur ſcapus trutinæ, hoc eſt, in quo agitur, id eſt, vertitur trutina, quemadmodum adnotat Feſtus Pompeius. Porro quoties accidit æquipondium vt neutra pars propendeat, in media* agina *conſiſtit trutina. Sed & in* media agina *ſcapus trutinæ inſeritur, alioqui libere moueri non poſſet. Vti poterimus hoc prouerbio, motum rei ſignificantes, qui præciſe fiat per medium, non attactu extremitatibus. Illius autem coniectura confirmatur ex illo quod infra Tom 5. lib. de Pudicit. legitur, (iuxta quod me Latinius admonuit.)* Non enim admittetur exemplorum adæquatio, licet in agina congruentiſſima *Plura ſi quis deſideret de hoc Prouerbio, videat noſtra Prolegomena.*

143. & paſſiuitas.] *Quid*: paſſiuum *vocet Tertullian. infra latius lib de Carne Chriſti, ſub finem. Hic (inquit Rhenan.)* paſſiuitatem *vocat diſſolutionem, ſiue inordinationem atque confuſionem. Sic lib. adu. Valentin. cap.* 30. Illi vero, *inquit*, & de paſſiuitate vitæ & diligentia delictorum, generoſitatem ſuam vindicent, *& l. adu. Mar.* 4. Paſſiuitatem, *inquit*, ſententiæ meæ permiſit, *id eſt, libertatem paulo clarius idipſum dixit idem Rhenan. loco iam citato.* Paſſiuitatem *(inquit) vſurpat Tertullia pro libertate in malam partem, qua homo ſit inconſtans, & nunc ad hoc, nunc ad illud verſatilis. Cui ad verbum fere eadem, ad illud l. 4. adu. Marc. vbi & addit lib. adu. Valent. cap. 5. leg*: paſſiuorum diſcipulorum.

144. nec malo nec bono pronus.] *Hoc eſt (inquit Rhenanus, vti paulo prius etiam ſcriptum eſt)* neque ad malum neque ad bonum, *vt conſtruatur* Pronus *cum Dativo. Quemadmodum autem prius*: in alterum, *ſic mox*: in neutrum, & intra vtrumque, *ſic accipit, ſicuti prius dixit*: neutram in partem. *quia corruptus adhuc eſt ille locus*: vt aut corporalia aut localia non deuergebat.

CAP. XLII.

145. Diſperſiſti omnia, &c.] *Titulum huic capiti damus*: De contrarietatibus Hermogenis, *quas quamquam facile ex contextu ſit deprehendere, tamen etiam notam ſolitam verbis eius adiecimus.*

CAP. XLIII.

146. De motu & illud notauerim, &c. *Eiuſdem argumenti eſt hoc caput cum præcedenti, cui adeo idem titulus conuenit.*

147. Supra certamen motui adſcribis, &c.] *Nempe quum* ollæ vndique ebullienti comparas motum, *ſupra cap.* 41. *item quum* inconditum motum vocas, *atque adeo (ſicuti in fine huius libri loquitur)* confuſum turbulentum, ancipitem, & præcipitem.

CAP. XLIV.

148. Sed & qualiter operatum facias Deum, &c.] *Caput hoc inſcripſimus*: Quod quando operationem mundi Deo adſcribit, & à Philoſophis & à Prophetis diſſentiat.

149. Stoici enim volunt, &c.] Stoicorum *hanc opinionem abſurdam, qua* volunt Deum ſic per Materiam decucurriſſe quemadmodum mel per fauos, *reperire poterit, ni fallor, Lector curioſus apud Diogenem Laertium in vitis Philoſophorum.*

150. qui decor ſolummodo apparens, &c.] *Huic caſtigationi Rhenani conſentit ms. cod. Vatic. vſurpat autem (inquit Rhenanus) frequenter* qui, *pro*: quis, *vt in hoc ipſo lib. ſupra*, Niſiſi qui putat. *Item*: Si qui diſcipulorum tuorum.

151. aut Magnes adtrahens ferrum.] *Quid* ferri *(inquit Plinius nat. hiſt. l. 36. cap. 16.) natura pugnacius? ſed redit & patitur moras*; trahitur namque à Magnete *lapide, vbi de eo plura. Legimus autem paulopoſt ex Vatic. ms. cod.* quem credimus vbique eſſe, & vbique apparere.

152. cur etiam animalia & incorporalia laudes canunt apud Danielem.] *Adludit ad hymnum trium puerorum Dan. 3. iuxta additionem Theodotionis, nam in Hebræo non haberi recte adnotauit B. Hieron. Eundem etiam citat Exomologeſis titulo, B. Cyprian. libris de Lapſis, & de Oratione Dominica. Qui loci adnotatai pro dicti hymni canonica auctoritate, quam etiam illo Eccleſia tribuit, in qua non nunc modo in Sabbatis quatuor temporum, ſed ab initio natalitiis Eccleſia ſemper in omni ſollemnitate in ſacris fidelium decantatum fuiſſe trium puerorum hymnum, teſtantur Auguſt. ſerm. 47. de tempore (qui eundem etiam nominatim citat epiſt. 186. de Iemunio Sabbati) & Ruſin. lib 2. adu. Hieron. Cui idem Hieron. reſpondet, quicquid de eo ſcripſerat ſua in Danielem Præfatione, ex ſententia Hebræorum dixiſſe. Quidquod idem Hieron. epiſt. ad Demetriadem de Virgin. ſeruanda, citet ex ipſius huius hymni præmiſſis quæ ſimiliter in Hebræo non habentur, illud: quod ſuccenſus ſit ignis 49. cubitorum. Quomodo etiam B. Auguſt. illud ex eiuſdem Proœmio: Quoniam iuſtus es in omnibus quæ feciſti nobis, epiſt. 122.*

CAP. XLV.

153. At enim Prophetæ & Apoſtoli, &c.] *Poſtremum hoc caput titulo hoc inſignuimus*: Qualiter Propheta & Apoſtoli mundum à Deo factum ſcribant. *Vbi iterum repetuntur eadem fere ſcripturæ quæ ſupra cap. 17. & 18. additis aliis quibuſdam. Lego autem omnino*: Sophiam conditam initium viarum in opera eius. *quia ſic vbique legit Auctor, pro*: initia.

154. & Spiritu ipſius vniuerſæ virtutes eorum.] *Infra haud abſimiliter lib. adu. Praxean.* & Spiritu eius omnes vires eorum, *& poſtea*: & Spiritu eius omnes virtutes eorum, *ſaltem ſecundum ms. 3. Vatic. eius libri cod. Quare etſi hodie in Græcis & Latinis exemplaribus legatur*: virtus, *illud Auctoris eſſe conſtat. Differt autem non in eo ſolo, ſed etiam quod omittat*: oris eius. *& tamen B. Cyprian. Teſt. lib. 1. aduerſ. Iud. cap. 3. aliis conſentit.*

155. Hic eſt dextera Dei, & manus ambæ, per quas operatus eſt.] *Adludit ad illud Iſai.* 48. Manus mea fundauit terram, & dextera mea firmauit cœlum *Legendum autem putat Latinius*: ea quæ molitus eſt, *pro*: atque molitus eſt.

156. Per quas & menſus eſt terram, & palmo cœlum.] *Omnino ſic lego, nam Iſai.* 40. *legitur iuxta omnes editiones*: & cœlum palmo, *quomodo etiam Tertullianus alibi, & Nouatianus lib. de Trinit. infra Tom. 5. ac Auctor libri de Montibus Sina & Syon, To. 3. Oper. D. Cypriani. Ex quo interim poſſit & alia lectio hic colligi*: Per quas & menſus eſt cœlum palmo, & terram pugno, *ſeu* pugillo.

157. In valentia ſua, &c.] *Hieremi. 51. voces Græca ſunt τῇ ἰσχύι, τῇ σοφίᾳ τῇ συνέσει pro quibus tranſtulit & hic, & paulopoſt Auctor*: valentiam *(id eſt, ſicuti alibi adnotauimus, fortitudinem) intelligentiam, ſenſum.*

158. Hæ ſunt vires eius, quibus enixus, totum hoc condidit.] *Videtur adludere ad illud Pſalm. 64.* Præparans montes in virtute tua, *aut ſimilem aliquam ſcripturam. Nam paulopoſt inter animi ſui ſus, quos Deus adhibuit ad mundi compoſitionem, etiam* virtutem *enumerat, de qua alioqui hic nulla mentio.*

159. Hæc autem ſunt inuiſibilia, &c.] *Clarius iſtud tranſtulit Apoſt. Rom. 1. quam vulgatus Latinus Interpres*: ab inſtitutione mundi, *pro*: *à creatura mundi, & ad verbum ex Græco*: factis eius, *pro eo quod alter apertius*: per ea quæ facta ſunt, *omittens* intellecta, *pro quo tamen Græce eſt νοούμενα.*

160. vt ininuentibilia iudicia eius, & ininueſtigabiles viæ eius.] *Imprimis hic* vt, *ſicuti ὡς Græcum, pro*: quam, *accipit Auctor, tum hic, tum infra initio lib. 2. adu. Marc. Vbi quum legatur*: ininueſtigabilia iudicia eius, & ininueſtigabiles viæ eius, *neceſſario viſum fuit & hic legere*: ininuentibilia, ac: ininueſtigabiles; *& hoc poſtremum ita etiam lego l. 5. aduerſ. Marc. Nam quod Rhenan. putauit*, inueſtigabiles *accipi, pro*: *non veſtigabiles, ſiue quæ inueſtigari non poſſint, non videtur poſſe conſtare cum his ſequentibus verbis Auctoris*: quæ nec inueniri nec inueſtigari, *quum debuiſſet omittere negatiuam particulam* nec, *ſi negatiue accepiſſet*; inueſtigabiles; *maxime quum pro* inueſtigabilib. *vſurpet iii*: alioqui inueſtigabilia, *& in propria etiã ſignificatione adijciat* inueſtigata *& inuenta. Quare etiam apud B. Cyprian. Teſt. lib. 3. ad Quir. ca. 53. cenſeo legi debere*: & quam inueſtigabiles viæ eius, *item apud Auguſt. epi. 105.*

Eadem porro ratione ininuentibilia *legendum. Nam ſimiliter etiam dixit lib. ſequ. aduerſ. Valent. in cap.*

14. ininterpretabili nomine.

ARGVMENTVM LIBRI ADVERSVS VALENTINIANOS, PER IACOBVM Pamelium.

ADVERSVS *Valentinianos hæreticos scripturus Tertullianus, differens congressionem, solam profitetur errorum, seu potius fabularum, cum risu narrationem, expugnatione transfunctoria contentus, sicubi indignitas meruerit suggillari; vtpote quum multa sint sic digna reuinci, ne grauitate adorentur.*

I. *Imprimis autem narrat, quod Valentiniani, frequentissimum sane inter hæreticos collegium, nihil magis curent, quam occultare quod prædicant.*

II. *Deinde quum illi simplices nuncuparent Catholicos, scripturis simplicitatem probari docet.*

III. *Quantumuis interim se abscondant (quum Veritas econtrario non erubescat) scire tamen simplices Christianos omnes eorum fabulas & genealogias, quas damnat Apostolus, indeterminatas, quas proinde solummodo demonstrare, destruere sit.*

B IV. *Notam etiam esse Valentinianorum originem à Valentino, licet ab eo abscesserint Ptolomæus, Heracleon, Secundus, Magus Marcus, ac Theotimus, ita vt nusquam iam Valentinus, & tamen Valentiniani ab illo; quum solas integras eius regulas custodiret Antiochiæ Axionicus quidam.*

V. *Sibi interim cum Archetypis esse disceptationem, idque non confictis materiis, vtpote quas ipsius hæresiarchæ contemporales, instructissimis voluminibus prodiderint & retulerint Iustinus Martyr, Miltiades, Irenæus, & quidam Proculus.*

VI. *Deinde verbis partim initio huius Argumenti adductis, partim illi infra subiectis, demonstrationem solam arcani ipsorum promittens, methodum indicat qua vti statuit.*

VII. *Porro à prima Ogdoade Æonum Valentinianorum siue Tetrade duplici, auspicatur, in qua ex Bytho ac Sige orti Nus & Veritas, Sermonem, & Vitam procrearint, è quibus Homo & Ecclesia.*

VIII. *Inde ex secunda illa Tetrade, Sermonem & Vitam decuriam*

C *Æonum simul fudisse, Hominem & Ecclesiam duodenarium numerum, quo sic impleretur tricenariæ diuinitatis Pleroma seu plenitudo.*

IX. *Iam vero fœcunditate tota deficiente, à nouissimo Æone Sophia confirmata ab Horo ne dissolueretur, ex vi Passionis, nulla opera coniugii, abortiuum fœtum Enthymesin expositam esse.*

X. *Tota interim propinquitate supplicante Sophiam coniugi suo Teleto restitutam, Enthymesin vero extra Pleroma relegatam.*

XI. *Nequa igitur eiusmodi rursus concussio contingeret, Nun illum nouam edidisse copulationem, Christum & Spiritum sanctũ.*

XII. *Deinde ex omnibus simul Æonibus compactum esse perfectum Pleromatis fructum Iesum, quem & Soterem, & Christum, & Sermonem nuncupant? & satellites eius Angelos.*

XIII. *Atque hactenus (inquit ludens Auctor) prima Tragœdiæ scena; alia iam extra Pleroma cothurnatio.*

XIV. *Nam Enthymesin, siue iam nouo & interpretabili nomine Achamoth, in inane illud Epicuri explosam, quamquam à Christo non sine Spiritu sancto è superioribus; misso iam formatam; quia tamen ad lumen illud Pleromatis non potuit attingere, ab Horo custodiente extremam eius lineam exclusa; adflictam mœrore metu, consternatione, ignorantia.*

D XV. *Atque ex his originem traxisse Materiam, quam Pythagorici, Stoici & Plato ipse innatam volunt, & elementa ipsa.*

XVI. *Conuersam inde ad preces, quum ad se missus esset Paracletus Soter Iesus, eam denuo confirmatam, & ab omnibus iniuriis, Passionis expumicatam, ex conuersione illa animales corpulentias produxisse.*

XVII. *Præ gaudio abhinc ex contemplatione illa Soteris & angelicorum quæ vna venerant, luminum spiritales produxisse, & sic factam Trinitatem generum.*

XVIII. *Ex animali autem substantia productum deinde Demiurgum (quod cum horrore blasphemia pronuntiandum) Deum hunc nostrum, Regem vniuersorum.*

XIX. *Quamquam hac de re inter eos non conueniat.*

XX. *Porro à Demiurgo extra Pleromatis limites constituto, hunc mundum conditum, ex animalibus & materialibus substantiis, ex incorporalibus vero septemplicem cœlorum scenam.*

E XXI. *Quibus iterum interserit varia Achamoth siue Sophiæ secundæ nomina.*

XXII. *Quid? quod & Diabolum opus Demiurgi faciant, Munditenentem appellantes.*

XXIII. *Inde singularum potestatum situm interserens (qui infra post nominum Græcorum & Latinorum varietatem subiicietur etiã ignem his omnibus corporibus & elementis inflabellatum addit.*

XXIV. *Demiurgum post hæc ad hominem manus contulisse, & carnem ei creasse, non ex limo terræ; sed Materia illa Philosophica.*

XXV. *Cui quum animam Demiurgus mox de adflatu suo communicaret, etiam ab Achamoth pariter in illum deriuatum semen spiritale, quod nuncupabant Ecclesiam.*

XXVI. *Hinc tria hominum genera describit, siue Trinitatem hominis, & quem exitum sortiantur.*

XXVII. *Emisisse etiam Demiurgum Christum filium suum naturalem per virginem (vide blasphemiam) non ex virgine æditum; & super hunc deuolasse Soterem in specie columbæ, eumque mansisse in Christo impassibilem, passum vero animalem Christum.*

XXVIII. F *Animas quoque meliores (vti ex Irenæo magis manifestum est) adlegi in Prophetas, Sacerdotes, ac Reges.*

XXIX. *Hominum vero tria genera ab eis constitui, choicum, animale, spiritale.*

XXX. *Spiritalibus autem (quos se esse iactitant) operationes non necessarias, sed nobis vtpote Psychicis, id est animalibus hominibus, martyrii quoque necessitatem sic eludentes.*

XXXI. *Et vero in consummatione ita dispensari mercedem, vt Achamoth de medio tabulato in Pleroma transferatur, excepta à Sotere compactitio illo sponso; & Demiurgum de hebdomade sua cœlesti in vacuum matris locum.*

XXXII. *Humanam vero gentem in exitus tales ituram, choicæ quidem & materialis notæ totum interitum (nam & anima mortalis apud illos, nisi quæ fide salutem inuenerit) Psychicorum vero iustorum animas (id est, nostras) in medietatis illius receptacula transmitti, spiritualium denique ipsorum nempe, ad Pleromatis palatium traductas, in sponsas angelorum adsumi.*

XXXIII. *Verum enimuero ab Valentino in hoc dissentire emendatores Ptolomæi, quod Bytho duas adfingant coniuges, Cogitationem & Voluntatem, atque ex Cogitatione ortam Veritatem, ex Voluntate Monogenem.*

XXXIV. G *Alios etiam qui aut nullum sexum Bytho deputant, aut Hermaphroditum faciunt.*

XXXV. *Esse item, qui Bytho non principatum, sed posthumatum defendat, post Ogdoadem primam ex Tetrade quidem & ipsam, sed aliis nominibus deriuatam.*

XXXVI. *Quosdam qui ex patre Bytho, & Ennœa matre, integram Ogdoadem illam vno partu exclusam.*

XXXVII. *Item alium quendam, qui Monoteta & Henoteta parentes primos faciat, ex quibus Monas & Vnio, & ex illis reliquos Æones.*

XXXVIII. *Humaniorem denique Secundum, qui Tetradas duas diuidens in dexteram & sinistram, lumẽ & tenebras, tantum defectricem illam virtutem (Achamoth nempe) vult non ab aliquo Aeonum deduci.*

XXXIX. *Postremo maiorem esse de ipso Iesu diuersitatem, quum Valentinus ex omnium Aeonum flosculis; alii ex solis decem, aut solis duodecim, alii à Christo & Spiritu sancto tantum, alii aliunde eum confictum contendant. Atque ita doctrinas Valentinianorum in syluas iam exoleuisse Gnosticorum.*

H *Ceterum Tertulliani esse vel inde constat, quod cap. 16. nominatim libri aduersus Hermogenem meminerit, quem eius esse constat. Et vero scripsisse illum aduersus Valentinianos luculenti sunt testes B. Optatus Mileuitanus lib. 1. aduersus Parmenian. Donatistam, & Vincentius Lirinensis lib. sæpe citato de Prophan. hæres. nouitate. Visus fuit etiam iam olim MS. à Trithemio & Politiano, & inter primos à Rhenano æditus, primum Scholiis, deinde & Adnotationibus ita illustratus, vt nusquam diligentior fuerit. Non contemnendam tamen esse nostram postremam hanc recognitionem, idque ex B. Irenæi lib. 1. cap. 1. & aliquot sequentibus, eoque tam Græco apud Epiphanium, quam Latino iuxta versiones varias, & tribus Vatic. MS. exemplaribus, colliget facile Lector, ex iis, quas maioris adhuc lucis gratia adiecimus, Adnotationibus, Argumento, immo & Catalogo Aeonum, ac situs ipsorum delineatione aperlioribus.*

NOMINA ÆONVM ET DEORVM VALENTINI, immo criminum potius quam numinum, aliorumque eodem pertinentium.

DE his nominibus infra c. 6. sic Tertullianus: *Quorundam* (inquit) *de Græco interpretatio non occurrit, quorundam nec de sexu genera conueniunt, quorundam vsitatior in Græco notitia est. Itaque plurimum Græco ponemus, significantiæ per paginarum limites aderunt; nec Latinis quidem deerunt Græca, sed in lineis desuper notabuntur.* Hactenus ille. Quod tamen quum MS. codicibus neque Rhenanus, neque ego factum inuenerimus, expediebat ad intellectum maiorem, hunc Nominum Catalogum præfigere. Quem nunc & locupletaui, & in ordinem congruum redegi, adiecto maioris explicationis gratia capitum numero, vbi de singulis ipsorum agitur. Adnotaui etiam quæ hic aut alibi Tertulliano vsitata, quæ Irenæo Latino lib. 1. adu. hæres. c. 1. quæ deniq; Epiphanio Græco hær. 31. aut eius Interpreti Latino; è quibus etiam nomina aliquot castigata sunt.

Generalia nomina, ad productionem, coniugia, & numerum Aeonum pertinentia, ex c. 7. 8. 12. 23. 30. & 31.

Æon, *Tertull. Iren.*	αἰὼν, *Epiph.*	Sæculum, *Int. Epiph.*
Æones.	αἰῶνες.	Sæcula.
Syzygia.	συζυγία.	Coniugatio, *Tertull.* / Copulatio, *Tertull.*
Nymphon.	νυμφών.	Nuptiarum domus. / Thalamus.
Probole.	προβολή.	Emissio, *Tertull.*
Ogdoas.	ὀγδόας.	Octonarius. *Tertull.* / Octonatio, *Iren.*
Tetras. *Tert. Iren.*	τετρὰς, *Epiph.*	Quaternarius. *Int. Epiph.* / Quadriga, *Tertull.* / Quaternatio, *Iren.*
Decas.	δεκάς.	Denarius.
Dodecas.	δωδεκάς.	Duodenarius.
Triacontas.	τριακοντάς.	Tricenarius.
Ectroma.	ἔκτρωμα.	Partus abortiuus.

XXX. Æonum nomina.

Ogdoas, seu Quadriga duplex AEonum. c. 7.

1.	Bythos, *Tert. Iren.*	βῖθος, *Epiph.*	Profundum, *Inter. Epiph.*
	Æon telios.	αἰὼν τέλειος.	Sæculum perfectum. / Æon perfectus, *Iren.*
	Arche.	ἡ ἀρχή.	Initium, *Iren.* / Principium.
	Proarche.	προαρχή. *Iren.*	Prior principio.
	Propator.	προπάτωρ. *Epiph.*	Primus / Immensus } Pater. *Tert.*
	Pater.	πατὴρ.	Pater.
	Pater panton.	πατὴρ πάντων.	Pater omnium.
	Proon.	προὼν.	Præexistens. / Qui ante fuit, *Iren.*
	Autopator, *Epiph.*	αὐτοπάτωρ.	Ipse per se pater.
	Anarchos, *Iren.*	ἄναρχος.	Carens principio.
	Riza, *Epiph.*	ῥίζα.	Radix.
2.	Sige, *Tert. Iren.*	σιγὴ, *Epiph.*	Silentium, *Interp. Epiph.*
	Ennœa.	ἔννοια.	Intelligentia. / Cogitatio.
	Charis.	χάρις.	Gratia.
	Mater.	μήτηρ.	Mater.
3.	Nus.	νοῦς.	Mens.
	Monogenes.	μονογενὴς.	Vnigenitus.
	Protogenes. *Tert.*	πρωτογενὴς.	Prior genitus, *Tertull.*
	Pater, *Tert. Iren.*	πατὴρ.	Pater,
	Arche ton panton.	ἀρχὴ τῶν πάντων.	Initium omnium.
4.	Alethia.	ἀλήθεια.	Veritas.
5.	Logos, *Iren.*	λόγος.	Sermo *Tert.* / Verbum.
6.	Zoe, *Tertull. Iren.*	ζωὴ.	Vita, *Tert.*
7.	Antropos, *Iren.*	ἄνθρωπος.	Homo, *Tert.*
8.	Ecclesia, *Tert. Iren.*	ἐκκλησία.	Ecclesia, *Tertull. Iren.*

Decas AEon. c. 8.

9.	Bythios, *Tertull. Iren.*	βύθιος. *Epiph.*	Profundus, *Int. Epiph.*
10.	Mixis.	μίξις.	Mixtio.
11.	Ageratos.	ἀγήρατος.	Non senescens.

12.	Henosis.	ἕνωσις.	Vnio.
13.	Autophyes.	αὐτοφυής.	Per se naturalis.
14.	Hedone.	ἡδονή.	Voluptas.
15.	Akinetos.	ἀκίνητος.	Immobilis.
16.	Syncrasis, *Tertull.* / Homosyncrasis, *Iren.*	σύγκρασις. / ὁμοιοσύγκρασις.	Commixtio. / Similis commixtio.
17.	Monogenes.	μονογενής.	Vnigenitus.
18.	Macaria.	μακαρία.	Fortunata, *Tert.* / Fœlicitas, *Int. Iren.*

Dodecas AEonum, eodem cap. 8.

19.	Paracletus, *Tert. Iren.*	παράκλητος, *Epiph.*	Paracletus, *Inter. Epiph.*
20.	Pistis.	πίστις.	Fides.
21.	Patricos.	πατρικὸς.	Paternus.
22.	Elpis.	ἐλπίς.	Spes.
23.	Metricos.	μητρικός.	Maternus.
24.	Agape.	ἀγάπη.	Caritas.
25.	Ainos. / Ainus, *Epiph.*	αἶνος. / ἀεινῶς.	Laus. / Semper mens.
26	Synesis. / Phronesis, *Billio.*	σωίεσις. / Φρόνησις, *Billio.*	Intelligentia. / Prudentia. *Bill.*
27	Ecclesiasticus.	ἐκκλησιαστικός.	Ecclesiasticus.
28.	Macariotes.	μακαριότης.	Beatitudo.
29.	Teletus, Philetus, Theletus, *Tert.* / *Iren.*	τελετός. / φιλητός. / θελητός, *Iren.*	Perfectus, Amabilis, *Tertull.* / Voluntas, *Inter. Epiph.* / Voluntarius, *Inter. Theod.*
30.	Sophia.	σοφία.	Sapientia.

Custodis Pleromatis Hori ex Bytho solo producti nomina. cap. 9. & 10.

Horor. *Tertull. Iren.*	ὅρος, *Epiph.*	Terminus, *Interp. Epiph.*
Stauros, *Iren.*	σταυρός.	Crux, *Tertull.*
Lytrotes.	λυτρωτής.	Redemptor.
Carpistes.	καρπιστής.	Traductor.
Metagogeus.	μεταγωγεύς.	Circumductor, *Tertull.*
Horothetes.	ὁροθέτης.	Finitor, *seu* Finium designator.

Ectromatis, sive abortivi fœtus nomina, c. 9. 14. & 21.

Enthymesis, *Tertull. Iren.*	ἐνθύμησις, *Epiph.*	Animatio, *Tertull.* / Cogitatio, *Int. Epiph.*
Achamoth, *Tert. Iren.*	ἀχαμὼθ, *Epiph.*	Achamoth, *Int. Epiph.*
Sophia.	σοφία.	Sapientia.
Ogdoas.	ὀγδοάς.	Octonarius.
Ge.	γῆ.	Terra.
Mater.	μητήρ.	Mater.
Pneuma hagion.	πνεῦμα ἅγιον.	Spiritus sanctus.
Hierusalem, *Iren.*	ἱερουσαλήμ.	Hierusalem.
Kyrios.	κύριος.	Dominus.

Nouorum ex primo Monogene duorum AEonum nomina, c. 11.

Christus, *Tert. Iren.*	χριστὸς. *Epiph.*	Christus, *Inter. Epiph.*
Pneuma hagion.	πνεῦμα ἅγιον.	Spiritus sanctus.

AEonis ex omnibus AEonibus concinnatis nomina, c. 12.

Iesus, *Tert. Iren.*	ἰησοῦς.	Iesus, *Inter. Epiph.*
Soter.	σωτήρ.	Saluator.
Christus.	χριστός.	Christus.
Logos.	λόγος.	Verbum.
Paracletus.	παράκλητος.	Paracletus.
Problema, *Iren.*	πρόβλημα.	Problema.

Angelorum ex ijsdem productorum nomina, eodem c. 12.

Angeli, *Tert. Iren.*	ἄγγελοι, *Epiph.*	Angeli, *Inter. Epiph.*
Doryphori, *Epiph.*	δορυφόροι.	Satellites.

Trinitatis generum ex Achamoth nomina, c. 17. ac 18.

Hylicum, *Iren.*	ὑλικόν, *Epiph.*	Materiale, *Tertull.*
Psychicum.	ψυχικόν.	Animale.
Pneumaticum.	πνευματικόν.	Spiritale.

Demiurgi ex Achamoth & animali substantia nomina, c. 18. 19. & 20.

Demiurgus, *Tertull. Iren.*	δημιουργὸς, *Epiph.*	Opifex, *Int. Epiph.*
Metropator.	μητροπάτωρ.	Mater & pater.
Apator.	ἀπάτωρ.	Sine patre.
Pater.	πατήρ.	Pater.
Basileus.	βασιλεύς.	Rex.
Hebdomas.	ἑβδομάς.	Septenarius.
Archangelus, *Tert.*	ἀρχάγγελος, *Tertull.*	Archangelus, *Tertull.*
Angelus. *Iren.*	ἄγγελος.	Angelus, *Inter. Epiph.*
Pantocrator, *Epiph.*	παντοκράτωρ.	Omnipotens.
Ctistes.	κτιστής.	Creator.

Christi filij Demiurgi nomina, c. 26. & 27.

Christus, *Tertull. Iren.*	χριστὸς. *Epiph.*	Christus, *Inter. Epiph.*
Iesus. *Epiph.*	ἰησοῦς.	Iesus.
Soter.	σωτήρ.	Saluator.
Phos.	φῶς.	Lux.
Logos.	λόγος.	Verbum.
Nus.	νοῦς.	Mens.

ARTIVM, QVIBVS SINGVLI ÆONES COLLOCATI sunt, nomina, c. 23. 24. & 25.

Tricenarij aliorumque aliquot Aeonum sedis nomina.

Pleroma, *Tertull. Iren.*	πλήρωμα. *Epiph.*	Vniuersitas, *Tertull.* Plenitudo, *Tert. Iren.* Complementum, *Int. Epiph.*

Achamoth locus.

Cenoma, *Iren.*	κένωμα, *Epiph.*	Vacuum, *Iren. Tert.*
Mesotetos topos, *Epiph.*	μεσότητος τόπος.	Locus Regio medietatis.
Tabulatum medium secundum		*Tertull.*

Demiurgi locus super Septemplici cælo.

Sabbatum, *Tert. Iren.*	σάββατον, *Epiph.*	Sabbatum, *Int. Epiph.*
Solium Demiurgi, *Tert.*		
Topos ouranios, *Epiph.*	ἐξώνιος τόπος, *Epiph.*	Subcælestis locus *Tert.* *Iren.*

Diaboli & hominis locus.

κόσμος. *Tert.*	κόσμος. *Epiph.*	Mundus, *Tert. Iren.*

CREATVRARVM à Demiurgo & Achamoth conditarum nomina, c. 20. 22. & 25.

Spiritualium.

Hebdomas ouranôn *Epiph.*	ἑβδομὰς ἐξωνῶν.	Cælorum septemplex scena, *Tert.* septenarius, *Iren.*
Ourani, *Epiph.* Angeli, *Tert. tren.*	ἐξωνοὶ, *Epiph.* ἄγγελοι.	Cœli, *Tert. Iren.* Angeli, *Int. Epiph.*
Paradisus. Angelus. Archangelus quartus, *Tert.*	παράδεισος. ἄγγελος.	Paradisus. Angelus.
Diabolus, *Tert. Iren.* Cosmocrator.	διάβολος, *Epiph.* κοσμοκράτωρ.	Diabolus, *Inter. Epiph.* Mundi dominus. Munditenens, *Tert.*
Dæmonia.	δαιμόνια.	Dæmonia.
Pneumatica ponerias.	πνευματικὰ πονηρίας.	Spiritalia nequitiæ, *Tert. Iren.*

Materialium.

Hyle. *Epiph.*	ὕλη, *Epiph.*	Materia, *Tert. Iren.*
Cosmos. *Tertull.*	κόσμος.	Mundus.
Stoichia, *Epiph.*	στοιχεῖα.	Elementa.
Pyr.	πῦρ.	Ignis.

Aer.	ἀήρ.	Aer.
Hydor.	ὕδωρ.	Aqua.
Ge.	γῆ.	Terra.

Animalium.

Anthropos, *Epiph.*	ἄνθρωπος *Epiph.*	Homo, *Tertull. Iren.*
Zoa.	ζῶα.	Animantia.

Trinitatis, siue trium generum hominis nomina. c. 26. & 29.

Choicus, *Tertull. Iren.*	χοϊκὸς, *Epiph.*	Terreus, *Inter. Epiph.*
Psychicus.	ψυχικός.	Animalis.
Pneumaticus.	πνευματικός.	Spiritalis, *Tertull. Iren.*

Alterius Bythi coniugis secundum quosdam nomen, c. 33.

Thelesis, *Iren.*	Θέλησις. *Epiph.*	Voluntas, *Tert.*

Ogdoadis alterius secundum quosdam Bytho anterioris nomina, c. 35.

Proarche. *Tert. Iren.*	προαρχὴ, *Epiph.*	Prior principio, *Int. Epiph.*
Anennoetos.	ἀνεννόητος.	Incogitabilis.
Arrhetos.	ἄῤῥητος.	Inenarrabilis. / Arcanus.
Aoratos.	ἀόρατος.	Inuisibilis.
Arche.	ἀρχή.	Principium.
Acataleptos.	ἀκατάληπτος.	Incomprehensibilis.
Anonomastos.	ἀνονόμαστος.	Innominatus.
Agennetos.	ἀγέννητος.	Ingenitus.

Tetradis AEonum, quos alij omnium AEonum parentes faciunt, nomina, c. 37.

Monotes, *Tert. Iren.*	μονότης. *Epiph.*	Singularitas, *Tert.*
Henotes.	ἑνότης.	Vnitas.
Monas.	μονάς.	Solitas.
Hen.	ἕν.	Vnio.

ARTIVM, SCHEMA, QVIBVS SINGVLÆ ÆONVM POTESTATES COLLOCABANTVR A VALENTINO, cum vniuersa Æonum Genealogia.

SCHEMA à Rhenano vna cum libro aduersus Valentinianos in lucem æditum, etsi quidam non admodum probent, præstare existimantes istiusmodi curiositates ignotas nobis esse, quam in tabella descriptas exhiberi, ego tamen retinendum censui, quod ad intellectum magnopere faciat, tum huius libri, tum Irenæi l. 1. & 2. aduersus hæres. tum denique Epiphanii hæres. 31. 32. 33. ac 35. Si quis Antidotum aduersus hasce fabulas (fateor & ego) impiissimas desideret, longe lateque refutantur ab Irenæo, integro dicto lib. secundo quod ipsum, singulis quibusque capitibus huius libri, vbi reperiri possit, adnotabimus. Certe ipse Tertullianus post Irenæum maxima ex parte huius Schematis Auctor est. Ita enim loquitur c. 23. *Singularum autem potestatum arces his finibus collocat. In summis summitatibus tricenarium Pleroma, Horo signante lineam extremam. Inferius illum, metatur medietatem Achamoth, filium calcans. Subest enim Demiurgus in* (id est super) *hebdomade sua. Magis Diabolus, in isto communi nobiscum mundo.* Porro quod hic commode exprimi non potuit, hic adiiciendum ex c. 30. ac 31. *In consummatione* (inquit, iuxta eundem Valentinum) *ipsa Achamoth, de regione medietatis, de tabulato secundo in summum transfertur, restituta Pleromati, & statim excipit compactitius ille Soter sponsus, scilicet ambo nouum coniugium. Et Demiurgus tunc de hebdomade subcœlesti in superiora mutabit, in vacuum iam cœnaculum matris. Humana vero gens in hos exitus ibit, choicæ & materialis notæ in totum interitum, Iustorum animæ*, id est, nostræ, *ad Demiurgum in medietatis receptacula transmittentur. In Pleromatis vero palatium, spiritale examen Valentini. Quid deinde? Angelis distribuentur satellitibus Soteris in sponsas. Hæc erit spiritalium merces, hoc præmium credendi.* hactenus ille. Absurda quidem hæc omnia, sed tamen ad intellectum huius libri necessaria. Et vero (vt Auctoris verbis vti pergam) has Genealogias indeterminatas ab Apostolo damnatas demonstrasse, destruere est. Quare & nos in ordinem meliorem redegimus, iuxta ipsam Tertulliani dispositionem, trium Tabulatorum situm, & vniuersam Genealogiam Æonum ita concinnauimus, vt ex quibus quæque producantur, manifestum sit.


DIVINITATIS SIVE XXX ÆONVM TABVLATVM SVPERIANS.
OGDOAS ÆONVM.
BYTHOS
SYGE
TETRAS PRIMA
NVS
VERITAS
TETRAS SECVNDA
DVO ÆONES POSTERIORES
CHRISTVS SPIRITVS SANCTVS
DECAS.
SERMO VITA
HOMO ECCLESIA
THELETVS SOPHIA
ECCLESIASTICVS MACARIOTES
ATNOS SYNESIS
METRICOS AGAPE
PATRICOS ELPIS
PARACLETVS PISTIS
MONOGENES MACARIA
ACINETOS SYNCRASIS
AVTOPHYES HEDONE
AGERATOS HENOSIS
BYTHOS MIXIS
DVODECAS
ANGELI
IESVS QVI ET SOTER
SATELLITES
ANGELI SATELLITES
ÆONES EX OMNIEVS CONFLATI.
VALENTINI PLEROMA TRICENARIÆ DIVINITATIS
HOROS CVSTOS PLEROMAT IS EX SOLO BYTHO PRODVCTVS
EX SOPHIA XXX LOCVS MEDIETATIS SIVE VACVVM EPICVR.
ÆONES
ACHAMOTH
MATERIALIS SVBSTANTIA EX EIVS PASSIONE
ANIMALIS SVBSTANTIA EX EIVS CONVERSIONE
SPIRITALIS SVBSTANTIA EX EIVS IMAGINATIONE
MEDIVM TABVLATVM SIVE
EX ACHAMOTH ET ANIMALI SVBSTANTIA
DEMIVRGVS CVM CHRISTO FILIO SVO
CÆLVM PRIMVM.
CÆLVM II.
CÆLVM III.
CÆLVM IIII. SEV PARADISVS.
CÆLVM V.
CÆLVM VI.
CÆLVM VII.
AER
AQVA
IGNIS
DIABOLVS CVM HOMINE SVO
TERRA
SABBATHVM SIVE SOLVM DEMIVRGI.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI ADVERSVS VALENTINIANOS LIBER.

Cap.I.

VALENTINIANI frequentissimum plane collegium inter hæreticos, quia plurimum ex apostatis veritatis, & ad fabulas facile est, & disciplina non terretur. Nihil magis curant quam occultare quod prædicant si tamen prædicant qui occultant. Custodiæ officium, conscientiæ officium est. Confusio prædicatur, dum religio adseueratur. Nam & illa Eleusinia, hæresis & ipsa Atticæ superstitionis, quod tacent pudor est. Idcirco & aditum prius cruciant: diutius initiant, quam consignāt: cum & portas ante quinquennium instituunt, vt opinionem suspendio cognitioni ædificent: atque ita tantam maiestatem exhibere videantur, quantam præstruxerunt cupiditatem: Sequitur iam silentii officium. adtente custoditur quod tarde inuenitur. Ceterum tota in adytis diuinitas, tot siparia portarum, totum signaculum linguæ, simulacrū membri virilis reuelatur. Sed naturæ venerandum nomen allegorica dispositio prætendens, patrocinio coactæ figuræ sacrilegium obscurat, & conuicium falsis simulacris excusat. Proinde quos nunc destinamus hæreticos, sanctis nominibus & titulis & argumentis veræ religionis, vanissima atque turpissima figmenta cōfigurantes, facili claritati, ex diuiuæ copiæ occasione, quia de multis multa succedere est, Eleusiniana Valentiniana fecerunt lenocinia, sancta silentio magno, sola taciturnitate cœlestia. Si bona fide quæras, concreto vultu, suspenso supercilio Altum est, aiunt. Si subtiliter tentes, per ambiguitates bilingues communem fidem adfirmant. Si scire te subostendas, negant quidquid agnoscunt. Si cominus certes, tuam simplicitatem sua cæde dispergunt. Ne discipulis quidem propriis ante committunt, quam suos fecerint. Habent artificium quo prius persuadeant, quam edoceant. Veritas autem docendo persuadet, non suadendo docet. [Ideoque simplices notamur apud illos, vt hoc tantum, non etiam sapientes: quasi statim deficere cogatur à simplicitate sapientia, Domino vtranque iungente: *Estote prudentes vt serpentes, & simplices vt columbæ.* Aut si nos propterea insipientes, quia simplices, num ergo & illi propterea non simplices, quia sapientes? Nocentissimi autem qui non simplices, sicut stultissimi qui non sapientes. Et tamen malim in eam partem, meliori sumi vitio. Si forte præstat minus sapere quam peius, errare quam fallere. Porro *facies Dei expectat in simplicitate quærentes*, vt docet ipsa Sophia, non quidem Valentini, sed Salomonis. Deinde infantes testimonium Christi, sanguine litauerunt. Pueros vocem qui crucem clamant? nec pueri erant, nec infantes, id est, simplices non erant. Repuerascere nos & Apostolus iubet secundum Deum, vt malitia infantes per simplicitatem, ita demum sapientes sensibus simus, diuinæ sapientiæ ordinem de simplicitate amando. In summa Christum columba demonstrare solita est, serpens vero tentare. Illa & à primordio diuinæ pacis præco. Ille à primordio diuinæ imaginis prædo. Ita facilius simplicitas sola Deum & agnoscere poterit & ostendere, prudentia sola concutere potius & prodere. [Abscondat itaq; se serpens quantum potest, totamq; prudentiam in latebrarū ambagibus torqueat, alte habitet, in cæca detrudatur, per anfractus seriem suam euoluat, tortuose procedat, nec semel totus, lucifuga bestia. Nostræ columbæ domus simplex, etiam in æditis semper & apertis & ad lucem: amat figuram Spiritus sancti, Orientem Christi figuram. Nihil veritas erubescit, nisi solum modo abscondi: quia nec pudebit vllum aures ei dedere, eū Deū recognoscere, quem iam illi natura commisit, quē quotidie in operibus omnibus sentit, hoc solo minus notū, quod vnicum non putauit, quod in numero nominauit, quod in aliis adorauit. Alioquin à turba eorum & aliam frequentiam suadere, à domestico principatu ad incognitum transmouere, à manifesto ad occultum retorquere, de limine fidem offendere est. Iam si & in totam fabulā initietur, nonne tale aliquid dabitur te in infantia inter somni difficultates à nutricula audisse, Lamiæ turres, & pectines Solis? Sed qui ex alia conscientia venerit fidei, si statim inueniat tot nomina Æonū, tot cōiugia, tot genimina, tot exitus, tot euētus, fœlicitates, infœlicitates, dispersæ atq; concisæ diuinitatis, dubitabitne ibidem pronuntiare has esse fabulas & genealogias indeterminatas, quas Apostoli spiritus, his iam tunc pullulantibus seminibus hæreticis, damnare præuenit? Merito itaq; non simplices, merito tantummodo prudentes, qui talia neq; facile producunt, neq; exerte defendunt, sed nec omnes quos edocent, perdocent: vtique astute, vt pudenda: ceterum inhumane, si honesta. Et tamen simplices nos, omnia scimus. Deniq; hūc primum cuneum congressionis armauimus, detectorē & designatorem totius conscientiæ illorum, primamq; hanc victoriam auspicamur: quia quod tanto impēdio absconditur, etiam solum modo demonstrare, destruere est. [Nouimus, inquam, optime originem quoq; ipsorum, & scimus cur Valentinianos appellemus, licet non esse videantur. Abscesserunt enim à conditore, sed minime origo deletur: & si forte mutatur, testatio est ipsa mutatio. Sperauerat Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio. Sed aliū ex martyrii prærogatiua loci potitū indignatus, de Ecclesiā authenticæ regulæ abrupit (vt solent animi pro prioratu exciti, præsumptione vltionis accendi) ad expugnandā cōuersus veritatē, & cuiusdā veteris opinionis semini actu colubroso viā deliniauit. Eā postmodum Ptolomæus intrauit, nominibus & numeris Æonū distinctis in personales subsistantias, sed extra Deū determinatas, quas Valentinus in ipsa summa diuinitatis, vt sensus & adfectus motus incluserat. Deduxit & Heracleon inde tramites quosdā, & Secundus, & Magus Marcus. Multū circa imagines legis Theotimus operat⁹ est. Ita nusquā iā Valentinus, & tamen Valentiniani, qui per Valentinū. Solus ad hodiernū Antiochiæ Axionicus memoriā Valentini integra custodia regularum eius cōsolatur. Alioquin tantū se huic hæresi suadere permisū est, quantū lupæ fœminæ formā quotidie supparare solenne est. Quidni? quū spiritale illud semē suū sicin vno quoq; recēseāt. Si aliquid noui adstruxerint, reuelationē statim appellāt præsumptionē, & charisma ingeniū, nec vnitatē, sed diuersitatē. Ideoq; prospicimus sepositā illa solenni dissimulatione sua, plerosq; diuidi, quibusdā articulis, etiā bona fide dicturus, Hoc ita non est, &, Hoc aliter accipio, & Hoc non agnosco. Varietate enim innouatur regularum facies, habet et, iam colores ignorantiarum. [Mihi autem cum Archetypis erit limes principalium magistrorum, non cum adfectatis ducibus passiuorum discipulorū. Nec vndiq; dicemur ipsi nobis finxisse materias, quas tot iā viri sanctitate, & præstantia insignes, nec solū nostri antecessores, sed ipsorū hęresiarcharū contēporales, instructissimis voluminibus & prodiderūt & retuderūt, vt Iustinus Philosophus & Martyr, vt Miltiades Ecclesiarū sophista, vt Irenæus omniū doctrinarū curiosissimus explorator, vt Proculus nostræ virginis senectę, & Christianę eloquētię dignitas: quos in omni opere fidei, quēadmodū in isto, optauerim assequi. Aut si in totū hæreses nō sunt, vt qui eas pellunt, finxisse credantur, mentiatur Apostolus prædicator illarū. Porro si sunt, non aliæ erunt quā quæ retractantur. Nemo tā otiosus fertur stylo, vt materias habens, fingār. [Igitur hoc libello, quo demōstrationē solū promittimus illius arcani, ne quem ex nominibus tam peregrinis, & coactis, & compactis, & ambiguis, caligo suffudant, quo-

modo

modo eis vsuri simus, prius demandabo. Quorundam enim de Græco interpretatio non occurrit ad expeditam proinde nominis formam, quorundam nec de sexu genera conueniunt, quorundam vsitatior in Græco notitia est. 46 Itaque plurimum Græco ponemus, significantiæ per paginarum limites aderunt; nec Latinis quidem deerunt Græca, sed in lineis desuper notabuntur, vt signum hoc sit personalium nominum propter ambiguitates eorum quæ cum alia significatione communicant. 74 Quanquam autem distulerim congressionẽ, solam interim professus narrationem, sicubi tamen indignitas meruerit suggillari, non erit 48 deliberatione transfunctoria expugnatio. Congressionis lusionẽ deputa Lector ante pugnam: ostendam, sed non imprimam vulnera. Si & ridebitur alicubi, materiis ipsis satisfiet. Multa sunt sic digna reuinci, ne grauitate adorentur. 49 Vanitati proprie festiuitas cedit. Congruit & veritati ridere, quia lætans: de æmulis suis ludere, quia secura est. Curandũ plane, ne risus eius rideatur, si fuerit indignus. Ceterum vbicunque dignus risus, officium est. Denique hoc modo incipiam. [50 Primus omnium Ennius poeta Romanus,

B Cap. VII.

-- Cœnacula maxima cœli

simpliciter pronuntiauit, elati situs nomine, 51 vel quia Iouem illic epulantem legerat apud Homerum. Sed hæretici quantas supernitates supernitatum, & quantas sublimitates sublimitatum in habitaculũ Dei sui cuiusque suspenderint, extulerint expanderint, mirum est. Etiam creatori nostro Enniana 52 cœnacula in æduculorum dispositura sunt forma, 53 aliis atque aliis pergulis superstructis, & vnicuiq; Deo per totidem scalas distributis, quod hæreses fuerint. 54 Meritorium factus est mundus: 55 insulam Feliculam credas 56 tanta tabulata cœlorum, nescio vbi. Illic enim Valentinianorum Deus ad summas tegulas habitat. Hunc substantialiter quidem 57 ἀϊδῖνα τέλειον appellant, personaliter vero πεσαρχὴν τλὼ ἀρχὴν, 58 etiam Bython, 59 quod in sublimibus habitanti minime congruebat, 60 Innatum, immensum, infinitum, inuisibilem, æternumque definiunt: quasi statim probent esse, si talem definiant quale scimus esse debere, vt sic & ante omnia fuisse dicatur. Sed vt sit expostulo, nec aliud magis in huiusmodi denoto, quam quod post omnia inueniuntur, qui ante omnia fuisse dicuntur, & quidem non sua. Sit itaque Bythos iste infinitis retro æuis, in maxima & altissima quiete, in otio plurimo, placidæ 61 & (vt ita dixerim) stupendis diuinitatis, qualem iussit Epicurus. Et tamen quem solum volunt, dant ei secundam in ipso & cum ipso personam, 62 Ennœan, 63 quam & Charin 64 & Sigen insuper nominant. 65 Et forte accedunt in illa commendatissima quiete mouere eum de proferendo tandem initio rerum à semetipso. Hoc vice seminis in Sigę suæ velut in genitalibus vuluæ locis collocat. Suscipit illa statim & prægnans efficitur. 66 & parit vtique silentio Sige, & quem parit, Nus est, similimum patri & parem per omnia. deniq; solus hic capere sufficit immensam illam & incomprehensibilem magnitudinẽ patris. Ita & ipse pater dicitur, & initium omnium, & proprie Monogenes. Atquin non proprie, siquidem non solus agnascitur. Nam cum illo processit & fœmina, 67 cui Veritas. Monogenes, quia prior genitus, quanto congruentius Prologenes vocaretur? Ergo Bythos & Sige, Nus & Veritas, prima quadriga defenditur Valentinianæ factionis, matrix & origo cunctorum. Namque ibidem Nus simul accepit 68 prolationis suæ officium, 69 emittit & ipse ex semetipso Sermonem & vitam, quæ si retro non erat, vtique nec in Bytho. Et quale est vt in Deo vita non fuerit? Sed & hæc soboles, ad initium 70 vniuersitatis, & formati Pleromatis totius emissa, facit fructum, 71 Hominem & Ecclesiã procreat: habes Ogdoadem, Tetradem duplicem, 72 ex coniugationibus masculorũ & fœminarum, cellas, vt ita dixerim, primordialium Æonũ: 73 fraterna connubia Valentinianorum deorum: census omnes sanctitatis & maiestatis hæreticæ: nescio criminũ ad numinũ turbam, certe fontẽ reliquæ fœcunditatis. [74 Ecce enim secunda Tetras Sermo & Vita, Homo & Ecclesia, quod in patris gloriam fruticasset. 75 Hinc numero gestientes & ipsi tale quid patri de suo offerre, alios ebulliunt fœtus, proinde coniugaleis, per copulam vtriusque naturæ: 76 Hac Sermo & Vita decuriã Æonũ simul fundunt: 77 illac Homo & Ecclesia duos amplius, æquiparando parentibus, quia & ipsi duo cum illis decem tot efficiunt, quot ipsi procreauerunt. Reddo nunc nomina quos decuriam dixi. 78 Bythios & Mixis: 79 Ageratos & Henosis: 80 Autophyes & Hedone: 81 Acinetos & Syncrasis: 82 Monogenes & Macaria. Contra duodenarius numerus hi erunt: 83 Paracletus & Pistis: Patricos & Elpis: 84 Metricos & Agape: 85 Ainus & Synesis: 86 Ecclesiasticus & Macariotes: 87 Teletus & Sophia. Cogor hic quid ista nomina desiderent, proferre de pari exemplo. 88 In scholis Carthaginiensibus fuit quidam rigidissimus Rhetor Latinus, Phosphorus nomine: 89 quum virũ forte peroraret, Venio, inquit, ad vos optimi ciues de prælio cum victoria mea, cum fœlicitate vestra, ampliatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis. Et scholastici statim, familiæ Phosphori 90 φεῦ, acclamant.

E Cap. VIII.

F

Audisti Fortunatam, & Hedonem, & Acinetum, & Teletum. acclama, 91 familiæ Ptolomæi φεῦ, Hoc erit Pleroma illud arcanũ, diuinitatis tricenariæ plenitudo, Videamus 92 quæ sint istorum priuilegia numerorum, quaternarii, & octonarii, & duodenarii. Interim in tricenario fœcunditas tota deficit, castrata est vis & potestas & libido genitalis Æonum, quasi non & numerorum tanta adhuc coagula superessent, 93 & nulla alia de pædagogio nomina. Quare enim non & quinquaginta & centum procreantur? quare non & 94 sterceiæ & Syntrophi nominantur? [95 Sed & hoc exceptio personarũ est, quod solus ille Nus ex omnibus immensi patris fruitur notione, gaudens & exultans, illis vtique mœrentibus. Plane Nus quantũ in ipso fuit, & voluerat & tentauerat, ceteris quoque communicare quæ norat, quantus & quam incomprehensibilis pater: 96 sed interceſit mater Sige, illa scilicet, que & ipsis hæreticis suis tacere præscribit: etsi de patris nutu aiunt factũ volentis omnes in desiderium sui accendi. Itaque dum macerantur intra semetipsos, dum tacita cupidine cognoscendi patrem vruntur, pene scelus factum est. Nãque ex illis duodecim Æonibus, quos Homo & Ecclesia ediderant, nouissima natu Æon, viderit Solœcismus, Sophia enim nomen est, 97 incontinentia sui sine coniugis 98 Phileti societate prorumpit in patrem inquirere, 99 & genus contrahit vitii, quod exorsum quidem fuerat in illis aliis qui circa Nun, in hunc autem, id est, in Sophiam 100 deriuarat, vt solent vitia in corpore alibi connata, in aliud membrum perniciem suam efflare. Sed enim sub prætexto dilectionis in patrem, æmulatio superabat in Nun solum de patre gaudentem.

Cap. IX.

G

Vt vero impossibilia contendens Sophia frustrarat, & vincitur difficultate, & extenditur affectione, 101 modico abfuit præ vi dulcedinis & laboris deuorari, & in reliquã substantiam dissolui: nec alias quam pereundo cessasset, 102 nisi bono fato in Horon incursasset, (quędam & huic vis est, fundamentum, vniuersitatis illius extrinsecus custos) 103 quem & Crucem appellant, & Lytrotem, & 104 Carpisten. Ita Sophia periculo exępta & tarde persuasa, declinata inuestigatione patris cõquieuit, & 105 totam Enthymesin, id est, animationem cum Passione quæ insuper acciderat, exposuit. [106 Sed quidam exitum Sophiæ, & restitutionem, aliter somniauerunt. Post irritos conatus & spei deiectionem, deformatam eã pallore credo, & macie & incuria formæ, vtquę patrem nõ minus denegatum dolebat quam amissum. Dehinc in illo mœrore ex semetipsa sola, nulla opera coniugii concepit, & procreat fœminam. Miraris hæc; Et gallina sortita est de suo parere. 107 Sed & vultures fœminas tantum parere aiunt, 108 & tamen sine masculo mater primo quidem contristari propter incon-

H Cap. X.

A

summationem generationis, metuere postremone finis quoque insisteret, hærere de ratione casus, curare de occultatione. Remedia nusquam. 109 Vbi enim iam tragœdiæ & comœdiæ, à quibus forma mutuaretur exponendi, quod citra pudorem erat natum? Dum in malis res est, suspicit, 110 conuertit ad patrem: sed incassũ enisa, & vires deserebant, in preces succidit. Tota etiã propinquitas pro ea supplicat, vel maxime Nus. 111 quid ni? causa mali tanti. Nullus tamen Sophiæ exitus 112 vacuit: omnes ærumnæ eius operantur. Siquidẽ & illa tunc conflictatio in Materiæ originẽ peruenit. 113 Ignorantia, pauor, mœror, substantiæ fiunt. Ibi demũ pater aliquando motus, per Monogenen Nun, quã supra diximus Horon, 114 in hæc promit in imagine sua 115 fœminamare, 116 quia de patris sexu ita variant. Adiiciunt autem, Horon etiam 117 Metagogea (id est, circumductorem) vocari, & Horotheten. Huius prædicant opera, & repressam ab illicitis, & purgatam à malis, & deinceps confirmatam Sophiam & coniugio restitutã, & ipsam quidem in Pleromatis censu remansisse: 118 Enthymesin vero eius & illam appendicem Passionem ab Horo relegatam & crucifixam, 119 & extra æuum factã Malum, quod aiunt, foras: spiritalem tamen substantiam illam, vt naturalem quendam impetum Æonis, sed informem & 120 inspeciatam, quatenus nihil apprehendisset: ideoque fructum infirmum, & fœminam pronuntiatam. [121 Igitur post Enthymesin extorrem, & matrem eius Sophiam coniugi reducem, ille iterum Monogenes, ille Nus, otiosus plane de patris cura atque prospectu, solidandis rebus, & Pleromati muniendo iamque figendo, 122 ne qua eiusmodi rursus concussio incurreret, 123 nouam excludit copulationem, Christum & Spiritum sanctum: turpissimum putem, duorum masculorum: aut fœmina erit Spiritus sanctus: & vulneratur à fœmina masculus. Numen his datur vnum, procurare 124 concinnationem Æonũ. Et ab eius officii societate, duæ scholæ protinus, duæ cathedræ, inauguratio quædã diuidendæ doctrinæ Valentini. Christi erat, 125 inducere Æonas naturã coniugiorum (vides quam rem piam) 126 & innati coniectationem, & idoneos efficere generandi in se agnitionem patris, quod capere eum non sit neque cõprehendere, non visu denique, non auditu compotiri eius, nisi per Monogenen. Et tamẽ tolerabo quod ita discunt patrem nosse ne nossent. Illam magis doctrinę denotabo peruersitatẽ, quod docebantur 127 incomprehensibile quidem patris, causam esse perpetuitatis ipsorum: Comprehensibile vero eius, generationis illorum & formationis esse rationẽ. Hac enim dispositione illud (opinor) insinuatur, expedire Deũ non apprehendi: siquidem inapprehensibile eius, perpetuitatis est causa: apprehensibile autem non perpetuitatis, sed natiuitatis & formationis egentium perpetuitatis Filium autem constituunt apprehensibilẽ patris. Quomodo tamen apprehendatur, tum prolatus Christus edocuit, Spiritus vero sancti propria vt de doctrinæ studio omnes peræquari, gratiarum actionem prosequi nossent, & verã inducerentur quietem. [128 Itaque omnes forma & sapientia peræquantur, facti omnes quod vnusquisque: nemo aliud, quia alter. 129 Omnes refunduntur in Nvs, in Sermones, omnes in Homines, in Christos: 130 & quæ fœminæ, in Alethias, in Zoas, in Ecclesias, in Spiritus: vt 131 Ouidius Metamorphoseis suas deleuisset, si hodie maiorem cognouisset. Exinde refecti sunt, & constabiliti sunt, & in requiem ex veritate compositi, magno cum gaudii fructu hymnis patrem concinunt. Diffundebatur & ipse lætitia, vtique bene cantantibus filiis & nepotibus. Quidni diffunderetur omni iocunditate, 132 Pleromate liberato? Quis nauclerus non etiam cum dedecore lætatur? 133 Videmus quotidie nauticorum lasciuias gaudiorum. Itaque vt nautæ 134 ad symbolam semper exultant, tale aliquid & Æones vnum iam omnes etiam forma, nedum sententia, conuenientibus ipsis quoque 135 nouis fratribus & magistris Christo & Spiritu sancto, quod optimum atque pulcherrimum vnusquisque florebat conferunt in medium. Vane, opinor. Si enim vnum erant omnes ex supradicta perequatione, vocabat symbolæ ratio, quæ ferme ex varietatis gratia constat. Vnum omnes bonum cõferebant, quod omnes erant. De modo forsitan fuerit ratio, aut de forma ipsius iam perequationis. Igitur 136 ex ere collatitio, quod aiunt, in honorem & gloriam patris, pulcherrimum Pleromatis sidus fructumque perfectum compingunt, Iesum: Eum cognominant, Soterem, & Christum, & Sermonem, 137 de patruitis: 138 & omnia iam, vt ex omnium defloratione constructum, 139 graculum Æsopi, 140 Pandoram Hesiodi, 141 Acci Patinam, 142 Nestoris cocetrmæi. 143 Miscellaneam Ptolemæi. 144 Quam propius fuit 145 de Atticis historiis Pancarpiam vocari, à tam otiosis, auctoribus nominum. Vt autem tantum 146 sigillarium extrinsecus quoque inornassent, 147 satellites ei angelos proferunt: par genus, si inter se potest fieri. Si vero Soteri consubstantiuos (ambigue enim positum inueni) quæ erit eminentia eius inter satellites coæquales. [148 Continet hic igitur ordo 149 primam processionem pariter & nascentium, & nubentium, & generantium Æonum: Sophiæ ex desiderio patris, periculosissimum casum, Hori opportunissimum auxilium, 150 Enthymeseos & coniunctæ Passionis expiatum, 151 Christi & Spiritus sancti pædagogatũ, 152 Æonum tutelarem reformatum, 153 Soteris pauoninum ornatum, 154 Angelorum comparatitium antistatum. Quod superest, inquis, 155 Vos valete & plaudite. Imo quod superest, inquam, vos audite & proiicite. Ceterũ hæc intra cœtum Pleromatis decucurrisse dicuntur, prima tragœdiæ scena. 156 Alia autem trans siparium cothurnatio est, extra Pleroma dico, & tamen si talis sub sinu patris intra ambitum Hori custodis, qualis extra iam in libero vbi Deus non erat. [157 Namque Enihymesis, 158 siue iam Achamoth (quod abhinc scriptum, hoc solo ininterpretabili nomine) vt cum vitio indiuiduæ Passionis exposa est 159 in loca luminis aliena, 160 quod Pleromatis res est, 161 in vacuum atque inane illud Epicuri, miserabilis etiam de loco est. Certe nec forma nec facies vlla, 162 defectiua scilicet & abortiua genitura. 163 Dum ita rerum habet, 164 flectitur à superioribus Christus, 165 deducitur per Horon, 166 aborsum vt illud informet de suis viribus, 167 solius substantiæ non etiam scientiæ forma. 168 Et tamen cum aliquo peculio relinquitur. Iteratur odor incorruptibilitatis, 169 quo compos casus sui potiorum desiderio suppararetur. Hac misericordia functus nõ sine Spiritus sancti societate, recurrit Christus in Pleroma. 170 Vsus est, rerum ex liberalitatibus quoque nomina accedere. 171 Enthymesis de actu fuit. Achamoth vnde, adhuc quæritur: 172 Sophia de matre manat. 173 Spiritus sanctus ex angelo accipit Christi, à quo derelicta statim sensérat desiderium. Itaque prosiluit & ipsa lumen eius inquirere: quẽ si omnino non nouerat, vt inuisibiliter operatum, quomodo lumen eius ignotum cũ ipso requirebat? Tamen tentauit, & fortasse apprehendisset, 174 si non idem Horos qui matri eius tã prospere venerat, nunc tam importune filię occurrisset, 175 vt etiam inclamarit in eam Iao, quasi 176 Porro Quirites, aut 177 Fidẽ Cæsari, 178 inde inuenitur Iao in scripturis. Ita depulsa quo minus pergeret, 179 nec habens superuolare Crucem, id est, Horon, 180 quia nullũ Catulli Laureolum fuerit exercitata, 181 vt destituta Passioni illi suæ in trigã multiplici perplexa, omni genere eius cœpit adnigi: mœrore, quod non perpetrasset inceptũ: metu, ne sicut luce, ita & vita orbaretur: consternatione, tum ignorantia. 182 Nec vt mater eius. Illa enim scilicet Æon: at hæc pro conditione deterius: insurgente adhuc & alio fluctu conuersionis in Christum, à quo viuificata fuerat, & in hanc ipsam conuersionem temperata. [183 Age nunc discant Pythagorici, agnoscant Stoici, Plato ipse, vnde Materia, quam innatam volunt, & originem, & substantiam traxerit 184 in omnem hanc struem mundi, quod nec 185 Mercurius ille Trismegistus 186 magister omnium Physicorum recogitauit. 187. Audisti Conuersionem, genus aliud Passionis. Ex hac omnis a-

B

Cap. XI.

C

Cap. XII.

D

E

Cap. XIII. F

Cap. XIV.

G

H

Cap. XV.

A

nima huius mundi dicitur constitisse, 188 etiam ipsius Demiurgi, id est, Dei nostri. 189 Audisti mœrorem & timorem. Ex his initiata sunt cetera. Nã ex lacrymis eius vniuersa aquarũ natura manauit. Hic æstimandũ quem exitum duxerit, quantis lacrymarum generibus inundarit. 190 Habuit & salsas, habuit & amaras, & dulces, & calidas & frigidas guttas, & bituminosas, & ferruginantes, & sulphurantes, vtique & venenatas, vt & Nonacris inde sudauerit quæ Alexandrũ occidit, & Lyncestarũ inde defluxerit quę ebrios efficit, 191 & Salmacis inde se soluerit quę masculos molles facit. Cælestes imbres 192 pipiauit 193 Achamoth. Et nos in cisternis etiam alienos luctus & lacrymas seruare curamus. Proinde 194 ex consternatione & pauore corporalia eleme nta ducta sunt. Et tamen in tanta circũstantia solitudinis, 195 in tãto circumspecto destitutionis, ridebat interdũ, qua conspecti Christi recordãs: eodẽ gaudio, risũ lumen effulsit. Cuius hoc prouidentiæ beneficium quale illam ridere cogebat, idcirco ne semper nos in

B

tenebris moraremur? Nec obstupescas, qui lætitia eius tam splendidum elementũ radiauerit mundo, cũ mœstitiæ quoque eius tam necessarium instrumentum defluxerit seculo. O risum illuminatorem, ô fletũ rigatorem! Et tamen poterat remedio iam agere cum illius

Ca. XVI.

loci horrore. Omnem enim obscuritatẽ eius discussit. [196 Sed quoties ridere voluisset, vel ne cogeretur 197 desertores suos supplicare? Conuertitur enim ad preces & ipsa 198 more materno 199 Sed Christus quem iã pigebat rursus extra Pleroma proficisci, 200 vicariũ præfecit Paracletum Soterem (hic erit Iesus, 201 largito ei patre vniuersorum Æonum summam potestatẽ subiiciendis eis omnibus, 202 vti in ipso secundum Apostolum omnia conderentur) ad eam emittit 203 cũ officio atque comitatu 204 coætaneorũ angelorum, 205 credas, & cum duodecim fascibus. Ibi demũ aduentu põpatico eius cõcussa Achamoth, protinus 206 velamẽtũ sibi obduxit, ex officio primo venerationis & verecundiæ; dehinc contemplatur eum, fructiferum q; suggestu m. 207 Quibus inde conceperat viribus occurrit illi. χὐεις χαῖρε. Hic (opinor) susceptum ille confirmat,

C

208 atq; confirmat agnitione iam, 209 & ab omnibus iniuriis Passionis expumicat, 210 non eadem negligẽtia in exterminiũ discretis, quæ acciderat in casibus matris. Sed enim exercitata vitia, & vsu viriosa cõfudit. Atque ita 211 massaliter solidata, 212 defixit seorsũ in materiæ corporalẽ paraturã, 213 commutans ex incorporali passione indita habilitatem atque naturã, qua peruenire mox posset in æmulas æquiparantias corpulentiarum, 214 vt duplex substantiarũ conditio ordinaretur: de vitiis, pessima: de cõuersione, passionalis. 215 HAEC ERIT MATERIA, QVAE NOS COMMISIT CVM HERMOGENE, ceterisque qui Deum ex materia, nõ ex nihilo operatum cuncta, præsumunt. [216 Abhinc

Cap. XVII.

Achamoth expedita tandem de malis omnibus, ecce iam proficit, & in opera maiora frugescit. Præ gaudio enim tãti ex infœlicitate successus cõcalefacta, simulq; contemplatione ipsa angelicorum luminum, vt ita dixerim, subfermentata, pudet, sed aliter exprimere non

D

est, quodammodo subauit intra & ipsa in illos. Et cõceptu statim intumuit spiritali ad imaginem ipsam, quam vis lętantis & lætitia prurientis intentionis, imbiberat, 217 & sibi intimarat. Peperit denique, & facta exinde

Ca. XVIII.

trinitas generum est, ex trinitate causarum. Vnũ materiale, quod ex passione. Aliud animale, quod ex conuersione. Tertium spiritale, quod ex imaginatione. [218 Hac auctoritate 219 triũ scilicet liberorũ agendis rebus exercitior facta, formare singula genera constituit, Sed spiritale quidem non ita potuit attingere, vt & ipsa spiritalis. Fere enim paria & consubstantiua, in alterutrũ valere societas naturæ negauit. Eo animo, vnum ad animale, conuertit; 220 prolatis Soteris disciplinis. Et primum (quod cum magno horrore blalphemiæ & pronunciandum & legendum est & audiendum) 221 Deũ fingit hunc nostrum & omniũm 222 præter hereticorũ patrem, 223 & Demiurgum, & regẽ vniuersorũ quæ post illum. 224 Ab illo enim omnia, si tamẽ ab illo, & nõ ab ipsa potius Achamoth, à qua occulto nihil sẽtiens eius, & velut 225 fingillario extrinsecus ductũ, in omnem operationem mouebatur. deniq; ex hac personarum in operibus ambiguitate, 226 nomen illi Metropatoris miscuerunt, distinctis appellationibus ceteris secundum status & situs operum: vt animalium quidẽ substantiarũ quas ad dextram commendant, patrem nuncupent: materialiũ vero quas ad læuam delegant Demiurgum nominent: Regẽ autem cõmuniter

Cap. XIX.

in vniuersitatem. [227 Sed nec nominum proprietas competit proprietati operũ, de quibus nomina omnia, cum deberet illa hæc omnia vocitari, à qua res agebantur, nisi quod iam nec ab illa. Cum enim dicant Achamoth 228 in honorem Æonum imagines commentatam, 229 rursus hoc in Soterem auctorem detorquent, qui per illam sit operatus: 230 vt ipsam quidem, imaginem patris 231 inuisibilis & incogniti daret; 232 incognitam scilicet & inuisibilem Demiurgo, 233 eumdem autem Demiurgum Nãn filiũ effingeret, 234 Archangeli vero Demiurgi opus, reliquos Æonas exprimeret.

F

Cum imagines audio tantas trium, quæro, non vis nũc vt imagines rideam peruersissimi pictoris illorum: fœminam Achamoth, imaginem patris & ignarũ matris Demiurgum, multo magis patris, 235 imaginem Nãn ignorantis patrem, 236 & angelos famulos simulacra dominorum? Hoc est 237 mulum de asino pingere, 238

Cap. XX.

& Ptolomęũ describere de Valentino. [239 Igitur Demiurgus extra Pleromatis limites constitutus, in ignominiosa æterni exilii vastitate 240 nouam prouinciam condidit, hunc mundum: repurgata confusione & distincta diuersitate 241 duplicis substantiæ illius destrusæ, animalium & materiarũ. Ex incorporalibus corpora ædificat, grauia, leuia, 242 sublimantia atque vergẽtia: cœlestia atque terrena: 243 quum ipsam cœlorũ septemplicẽ scenam solio desuper suo finit: vnde sabbatum dictum, ab hebdomade sedis suæ, 244 & Ogdoas mater Achemoth, ab argumento Ogdoadis primogẽitalis: 245 Cœlos autem noeros deputant, & interdum angelos eos faciunt, sicut & ipsum Demiurgum, sicut

G

246 & Paradisum, archangelum quartum, quoniam & hunc supra cœlum tertium pangunt, ex cuius virtute sumpserit Adam deuersatus illic inter nubeculas & arbusculas. 247 Satis meminerat Ptolomæus puerilium dicibulorũ, in mari poma nasci, & in arbore pisces: sic & in cœlestibus nuceta præsumpsit. Operatur Demiurgus ignorans, 248 & ideo fortasse non scit arbores in sola terra instituí oportere. Plane mater sciebat. Quidni suggerebat? 249 quæ & effectum suum ministrabat. Sed tantum fastigium filio exstruens per ea opera quæ illum & patrem, & Deum, & regem, ante Valentinianorum ingenia testantur, 250 cur sibi quoque ista noluit esse nota, postea quæram. [251 Interim tenendum,

Cap. XXI.

Sophiam cognominari & Terram & Matrem; quãsi Matrem terram, & quod magis rideas, etiam Spiritum sanctum. Ita omnem illi honorem contulerunt fœminæ, 252 puto & barbam, ne dixerim cetera. 253 Alioquin Demiurgus adeo rerum nõ erat compos, de animalibus scilicet censu inualitudinis spiritalia accedere, vt se solum, ratus, concionaretur, *Ego Deus, & absque me non est*: certe tamen non fuisse se retro sciebat.

H

254 Ergo & factum intelligebat, & factitatorem facti esse quencunque. Quomodo ergo solus sibi videbatur, etsi non certus, saltem suspectus de aliquo factitatore? [255 Tolerabilior infamia est apud illos in diabolum, vel quia origo sordidior capit. Ex nequitia enim mœroris illius deputatur, ex qua angelorum & dæmonum, & omnium 256 spiritalium malitiæ genituras notant. Et tamen diabolum quoque opus Demiurgi affirmant, & Munditenentem appellant, 257 & superiorũ magis gnarum defenount, vt spiritalem natura, quam Demiurgum, vt animalem. Meretur ab illis prælationem, 258 cui omnes hæreses procurantur. [259 Singularium autem potestatum arces his finibus collocãt. In sũmis summitatib⁹ prędet tricenarius Pleroma, Horo

Ca. XXII.

Ca. XXIII.

A

ſignante lineam extremam. Inferius illum 260 metatur medietatem Achamoth, filium calcans. ſubeſt enim Demiurgus in Hebdomade ſua, 261 magis diabolus, in iſto nobiſcum communi mundo coelementato & concorporificato (vt ſupra æditum eſt) 262 ex Sophiæ vtiſſimis caſibus, qua nec aerem haberet reciprocandi ſpiritus ſpatium, teneram omnium corporum veſtem, colorum omnium indicem, organum temporum, ſi nõ & iſtũ Sophiæ mœſtitia colaſſet: ſicut animalia metus, ſicut conuerſio eius, ipſum Demiurgum. 263 His omnibus elementis atque corporibus ignis inflabellatus eſt. cuius originalem Sophiæ paſſionem, quia nondũ æditum, quia nondũ ædiderunt, ego interim argumẽtabor motiũculis eius excuſſum. Credas enim illam in tantis vexationibus etiã febricitaſſe. [264 Quum talia de Deo vel de Deis, qualia de homine figmenta? 265 Molitus enim mundum Demiurgus, ad hominem manus confert, & ſubſtantiam ei capit non exiſta, inquiunt, arida 266 quam nos vnicam nouimus terram (quaſi non etſi arida poſtmodum, adhuc tamen tunc aquis ante ſegregatis ſuperſtite limo 267 ſiccauerit) ſed ex inuiſibili corpore materiæ illius ſcilicet philoſophicæ, de fluxili & fuſili eius: quod vnde fuerit, haud queo æſtimare, quia nuſquam eſt. Si enim fuſile & fluxile liquoris eſt qualitas, liquor autem omnis de Sophiæ fletibus fluxit, ſequitur vt limum 268 ex pituitis & gramis Sophiæ conſtitiſſe credamus, quæ lacrymarum proinde ſunt faces, ſicut aquarum quod deſidet limus eſt. 269 Figulat ita hominem Demiurgus, 270 & de adflatu ſuo animat: ſic erit & choicus, & animalis, 271 ad imaginem & ſimilitudinem factus: quadruplex res: 272 vt imago quidem, choicus deputetur, materialis ſcilicet: & ſi non ex materia, Demiurgus. 273 Similitudõ autem, animalis: hoc enim & Demiurgus. Habes duos: interim Carnalem ſuperficiem poſtea aiunt choico ſupertextam, 274 & hanc eſſe pelliceam tunicam obnoxiam ſenſui. [275 Inerat autem in Achamoth ex ſubſtantia Sophiæ matris, 276 peculium quoddam ſeminis ſpiritalis: ſicut & ipſa Achamot in filio Demiurgo ſequeſtrauerat, ne hoc quidem gnaro. Accipe induſtriam clandeſtinæ prouidentiæ huius. Ad hoc enim & depoſuerat & occultrauetat, vt quum Demiurgus animam mox de ſuo adflatu in Adam communicaret, pariter & ſemen illud ſpiritale quaſi per canalem animam deriuaretur in choicum: atque ita fœturatum in corpore materiali, velut in vtero, & adultum illic, idoneum inueniretur ſuſcipiendo quandoq; ſermoni perfecto. Itaq cum Demiurgus 277 traducem animæ ſuæ cõmittit in Adam, 278 latuit homo ſpiritalis flatu inſertus, & pariter corpori inductus, quia non magis ſemen nouerat matris Demiurgus, quam ipſam. Hoc ſemen Eccleſiam dicunt, Eccleſiæ ſupernæ ſpeculum, & hominis cenſum: 279 proinde eum ab Achamoth deputantes quemadmodum animalem à Demiurgo: choicum, ſubſtantia ἀφῆς Carnem, materia. 280 Habes nouum; id eſt, quadruplum Geryonem. [281 Sic & exitum ſingulis diuidunt. Materiali quidem, id eſt, carnali, quem & ſiniſtrum vocant, indubitatum interitum. Animali vero, quam & dextrum appellant, dubitatum euentum: vtpote inter materialem ſpiritalemque nutanti, & illac debito qua plurimum adnuerit. Ceterum ſpiritalem emitti in animalis comparationem, 282 vt erudiri cum eo, & exerceri in conuerſationibus poſſit. 283 Indiguiſſe enim animalem etiam ſenſibilium diſciplinarum: 284 in hoc & paraturam mundi proſpectam: 285 in hoc & Soterem animalem in mundo repræſentatum, in ſalutem ſcilicet animalis. Alia adhuc compoſitione monſtroſum, volunt illum proſpicientias earum ſubſtantiarum induiſſe, 286 quarum ſummam ſaluti eſſet redacturus: vt ſpiritalem quidem ſuſceperit ab Achamoth, 287 animalẽ vero, quem mox à Demiurgo induit Chriſtum: ceterum corporalem, ex animali ſubſtantia. Sed miro & inenarabili rationis ingenio conſtructam, 288 adminiſtrationis vi contuliſſe, quo 289 congreſſui, & conſpectui, & contactui, & defunctui, 290 ingratis ſubiaceret. 291 Materiale autẽ nihil in illo fuiſſe, vtpote ſalutis alienũ: quaſi aliis fuerit neceſſarius quam egentibus ſalute. Et totũ hoc, vt carnis noſtrę habitum alienando à Chriſto, à ſpe etiam ſalutis expellant. [292 Nunc reddo de Chriſto: 293 In quem tanta licentia Ieſum inſerunt quidam, quanta ſpiritale ſemen animali cũ inflatu infulciunt, fartilia neſcio quæ cõmenti, & hominum & deorũ ſuorum. 294 Eſſe enim Demiurgo ſuum Chriſtum filium naturalẽ: deniq; animalem prolatum ab ipſo, promulgatum Prophetis: 295 in Præpoſitionũ quęſtionibus poſitum, 296 id eſt, per virginem, non ex virgine ęditum: quia delatus in virginem tranſmeatorio potius quã generatorio more proceſſerit; per ipſam, non ex ipſa; non matrem eã, ſed viã paſſus. 297 Super hunc itaque Chriſtum deuolaſſe tunc in baptiſmatis ſacramento Soterẽ per effigiẽ columbæ. 298 Fuiſſe autem & in Chriſto etiam ex Achamoth ſpiritalis ſeminis cõdimentum, ne marceſceret ſcilicet reliqua farſura. 299 Nam in figuram principalis Tetradis, quatuor eum ſubſtantiis ſtipant, Spiritali, Achamothiana: Animali, Demiurgina: Corporali, Ieſuaciana: & illa Sotericiana, id eſt, colũbina. 300 Et Soter quidẽ permanſit in Chriſto, impaſſibilis, inlæſibilis, inapprehenſibilis. 301 Deniq; cum ad apprehenſiones venitur, diſceſſit ab illo in cognitione Pilati. 302 Proinde nec matris ſemen admiſit iniurias, æque inſubditiuum, & ne ipſi quidem Demiurgo compertũ, 303 Paritur vero animalis & carneus Chriſtus, in deliniationẽ ſupperioris Chriſti qui ad Achamoth formandam ſubſtantiuali non forma, Cruci, id eſt, Horo fuerat innixus. 304 Ita omnia in imagines vrgent, plane & ipſi imaginarii Chriſtiani. [305 Interea Demiurgus omnium adhuc neſcius, etſi aliquid & ipſe per Prophetas concionabitur, ne huius quidem operis ſui intelligens: (306 diuidunt enim & prophetiale patrocinium in Achamoth, in ſemen, in Demiurgum) 307 vbi aduentũ Soteris accepit, propere & ouanter accurrit, cũ omnibus viribus ſuis, Cẽturio de Euangelio. Et de omnibus inluminatus, ab illo etiam ſpẽ ſuam diſcit, 308 quod ſucceſſurus ſit in locum matris. Ita exinde ſecurus, diſpenſationem mundi huius, vel maxime Eccleſię protegendæ nomine, quanto tempore oportuerit, inſequitur. [309 Colligam nunc ex diſperſo, ad concludendũ, quę de totius generis humani diſpoſitione differam, Triformem naturã primordio profeſſi, & tamen inunitam in Adam, 310 inde iam diuidunt per ſingulares generũ proprietates, nacti occaſionẽ diſtinctionis huiuſmodi ex poſteritate ipſius Adæ, moralibus quoq; differenti s tripartitæ. Cain, Abel, & Seth, fontes quodammodo generis humani, in totidem deriuant argumenta, naturæ atque eſſentiæ. 311 Choicum ſaluti degeneratum, ad Cain redigunt: 312 Animale mediæ ſpei deliberatũ ad Abel componunt: Spiritale certæ ſaluti præiudicatũ, in Seth recondunr. 313 Sic & animas ipſas duplici proprietate diſcernũt, bonas & malas: ſecundũ choicũ ſtatum ex Cain, & animalem ex Abel, ſpiritalẽ ex Seth. 314 De obuenientia ſuperducuntiam non natutam, ſed indulgentiam, vt quos Achamoth in ſuperioribus in animas bonas depluat, id eſt, animali cenſui inſcriptas. Choicum enim genus, id eſt, malas animas, nunquam capere ſalutaria. Immutabilem enim & irreformabilẽ naturam pronunciauerunt. 315 Id ergo granum ſeminis ſpiritalis modicum & paruulum iactu, 316 ſed eruditu huius fides augetur atque prouehitur, 317 ceu ſupra diximus: 318 animæque hoc ipſo ita ceteris præuertunt, vt Demiurgus tunc ignorans magni eas fecerit. 319 Ex earum ergo Laterculo, & in reges, & in ſacerdotes allegere conſueuerat: Quæ nunc quoque ſi plenam atque perfectam notitiam apprehenderint iſtarum næniarum, naturificatæ iam ſpiritalis conditionis germinatæ, certam obtinebunt ſalutem, imo omnimodo debitam. [320 Ideoque nec operationes neceſſarias ſibi exiſtimant, nec vlla diſciplinæ munia obſeruant: 321 martyrii quoque eludentes neceſſitatem qua volunt interpretione. Hanc enim regulam Animali

Cap. XXIV.

B

Cap. XXV.

C

Cap. XXVI.

D

E

Cap. XXVII

F

Cap. XXVIII.

Matth. 8.

Cap. XXIX.

G

H

Ca. XXX.

A

semini præstitutam, 322 vt salutem quam non de priuilegio status possidemus, de suffragio actus elaboremus. Nobis enim 323 in scriptura huius seminis, qui imperfectæ essentiæ sumus, 324 quia amoribus Phileti, & vtique abortui deputamur. quod mater illorum. Sed nobis quidem væ, si excesserimus in aliquo disciplinæ iugum: si obtorpuerimus in operibus sanctitatis atque iustitiæ: si confitendũ alibi, nescio vbi, & non sub potestatibus istius seculi, apud tribunalia præsidum optauerimus. Illi vero & 325 de passiuitate vitæ, 326 & diligentia delictorum, genorositatẽ suã vindicent, blandiente suis Achamoth, 327 quoniã & ipsa delinquendo profecit. 328 Nam & honorandorum coniugiorũ supernorum gratia dicitur apud illos meditandum atque celebrandum semper sacramentum, comiti, id est, fœminę adhærendo. Alioquin degenerẽ 329 nec legitimum veritatis, qui 330 deuersatus in mundo nõ amauerit fœminã, nec se ei iunxerit, 331 Et quid facient spadones, quos videmus apud illos? [332 Supereſt de consummatione, & dispensatione mercedis. 333 Vbi totam messem Achamoth seminis sui presserit, dein colligere in horreũ cœperit, vel cum ad molas delatum, 334 & defarinatum, in conspersionis aluearia absconderit, donec totum confermentetur, 335 tunc consummatio vrgebit: 336 Igitur in primis ipsa Achamoth, 337 de regioui medietatis, 338 de tabulato secundo in summum transfertur, restituta Pleromati. 339 & statim excipit compactitius ille Soter, sponsus: scilicet ambo coniugium nouum fiet. 340 Hic erit in scripturis sponsus: & sponsalis Pleroma. 341 Credas enim vbi de loco in locum transmigratur, leges quoque Iulias interuenire, 342 sicut & Cainã. 343 Et Demiurgus tunc de Hebdomade subcœlesti 344 in superiora mutabit, in vacuum iam cœnaculum matris, 345 sciens iã nec videns illam: 346 Nam si ita erat semper ignorare maluisset.

Ephes. 5. Cap. xxxi.

B

Ca. xxxii. *Isai. 40.*

C

[347 Humana vero gens in hos exitus ibit, 348 choicæ & materialis notæ in totum interitum: quia *omnis caro fœnum*. 349 Et anima mortalis apud illos, nisi quæ salutem fide inuenerit. 350 Iustorum animæ, id est, nostrę ad Demiurgum in medietatis receptacula transmittentur. Agimus gratias, contenti erimus cum Deo nostro deputari, qua census, nihil animale in Pleromatis palatium admittitur, nisi spiritale examen Valentini. 351 Illicitaq; primo despoliantur homines ipsi, id est, interiores. Despoliari est autem deponere animas, quibus induti videbantur, easque Demiurgo suo reddent, quas ab eo auertant. Ipsi autem spiritus in totum fient intellectuales, neque detentui, neque conspectui obnoxij: atque ita inuisibiliter in Pleroma recipientur furtim. Si ita est, quid deinde? Angelis distribuentur satellitibus Soteris. In filios putas? Non. Sed in apparitores? Ne istud quidem. Sed in imagines? Vtinam vel hoc. In quid ergo, si non puder dicere? In sponsas 352 Tunc illi Sabinas raptas iure matrimonii plaudent. 353 Hæc erit Spiritalium merces, hoc præmium credendi. Fabulæ tales vtiles, 354 vt Marcus, aut Caius in hanc carnẽ barbatus, 355 & hæc omnia seuerus maritus, pater, auus, proauus, certe quod sufficit masculus, 356 in Nymphone Pleromatis ab angelo, 357 tacendo iã dixi & forsitan parias 358 aliquem Onesimum Æonem. His nuptiis recte deducendis, 359 pro face & flameo 360 tunc (credo) ille ignis arcanus erumpet, & vniuersam substantiam depopulatus, ipse quoque decineratis omnibus in nihilum finietur: & nulla iam fabula. 361 Sed næ ego temerarius, qui tantum sacramentum etiam inludendo prodiderim. Verendum mihi est, ne Acchamoth. quæ se nec filio agnitam voluit, insaniat: 362 ne Philetus irascatur, ne Fortuna acerbetur. Et tamen homo sum Demiurgi, illuc habeo deuertere, 363 vbi post excessum omnino non nubitur: 364 vbi superindui potius quam despoliari: vbi etsi despolior, 365 sexui meo deputor: angelis non angelus, non angela: nemo mihi quicquam faciet, quem & tunc masculum inuenient. [366 Producam denique 367 veluti epicitharissima post fabulam tantam etiam illa quæ ne ordini obstreperent, & Lectoris intentionem interiectione dispargerent, hunc malui in locum distulisse, aliter atque aliter commendata 368 ab emendatoribus Ptolomæi. Exiterunt enim de schola ipsius discipuli super magistrum, 369 qui duplex coniugium Bytho suo adfingerent, Cogitationem & Voluntatem. Vna enim satis non erat Cogitatio, qua nihil producere potuisset, ex duabus facillimo prolatu. Primum coniugium, Monogenem & Veritatem: ad imaginem quidem Cogitationis, fœminam Veritatem: ad imaginem Voluntatis, marem Monogenem. Voluntatis enim vis, vti quæ effectum præstat Cogitationi, maris obtinet censum. [370 Pudiciores alii, honorem diuinitatis recordati, vt etiam vnius coniugii dedecus ab eo auellerent, maluerunt nullum Bytho sexum deputate: & fortasse Hoc Deum, non Hic Deus, neutro genere pronuntiant. 371 Alii contra magis & masculum & fœminam dicunt, ne apud solos 372 Lunenses 373 Hermaphroditum existimet 374 Annalium commentator Fenestella. [375 Sunt qui nec principatum Bytho defendant, sed 376 postumatum, 377 Ogdoaden ante omnia præmittentes ex Tetrade quidem & ipsam, sed aliis nominibus deriuatam. Primo enim constituunt Proarchen, secundo Anennoeton, tertio Arrheton, quarto Aoraton. Ex Proarche itaque processisse primo & quinto loco Archen: ex Anennoeto, secundo & sexto loco Acatalepton: ex Arrheto, tertio & septimo loco Anonomaston: ex Inuisibili, quarto & octauo loco Agenneton. Hoc quæ ratio disponat vt singula binis locis, & quidem tam interciſis nascantur, malo ignorare quam discere. Quid enim recti habent, quæ tam peruerse proferuntur?

D

[378 Quanto meliores qui totum hoc tædium de medio amoliti, nullum Æonum voluerunt alium ex alio 379 per gradus reuera Gemonios 380 structum, sed 381 mappa (quod aiunt) missa, 382 semel octoiugem istam ex patre & Ennœa eius excluſam: Ex ipso denique eius motu nomina gerunt. Quum, inquiunt, 383 cogitauit proferre, hoc Pater dictus est. Quum protulit, quia vere protulit; hic Veritas appellata est. Quum semetipsum voluit 384 probari, hoc Homo pronuntiatus est. Quos autem præcogitauit cum protulit, nunc Ecclesia nuncupata est. Sonuit Homo Sermonem, & hic est primogenitus filius: & Sermoni accessit Vita: & Ogdoas prima concluſa est. Sed hoc tædium pusillum. [385 Accipe alia ingenia 386 Cicuria Enniana insignioris apud eos magistri, qui ex Pontificali sua auctoritate in hunc modum censuit: 387 Est, inquit, ante omnia Proarche, in excogitabile, & inenarrabile, & innominabile, quod ego nomino Monoteta. Cum hac erat alia virtus, quam & ipsam appello Henoteta. Monotes & Henotes, id est, Solitas & Vnitas cum vnum essent, protulerunt non proferentes initium omnium intellectuale, innascibile, inuisibile, quod sermo Monada vocauit. Huic adest consubstantiua virtus, quam appellat Vnio. Hæ igitur virtutes, Solitas, Singularitas, Vnitas, Vnio, ceteras prolationes Æonũ propagarunt. O differentia. 388 Mutetur Vnio & Vnitas: Singularitas & suum Solitas, quamq; designaueris, vnum est. [389 Humanior iam Secundus, vt breuior, 390 Ogdoaden in duas Tetradas diuidens, in dexterã & sinistram, in lumẽ & tenebras, 391 tantũ quod desultricem & defectricem illã virtutẽ non vult ab aliquo deducere triginta Æonum, sed à fructibus de substantia eorum venientibus.

E

Enc. 6.

Ca. xxxiv.

Cap. xxxv.

F

Ca. xxxvi.

G

Cap. xxxvii.

H

Cap. xxxviii.

Ca. xxxix.

[392 De ipso iam Domino Iesu quanta diuersitas scinditur? 393 Hi ex omnium Æonum flosculis eum construunt: 394 illi ex solis decem constitisse contendunt, quos Sermo & Vita protulerunt. Inde & in ipsum Sermonis & Vitæ concurrerunt flosculi. 395 Ille ex duodecim potius, ex Hominis & Ecclesiæ fœtu: ideoque filium hominis auite pronuntiatum: 396 alii à Christo & Spiritu sancto constabilendæ vniuersitati prouisis, confictum: & iure, paternæ appellationis hæredem. 397 Sunt qui filium hominis aliunde conceperint di-

Matth. 22. 1. Cor. 5. Ca. xxxiii.

cendum;

cendum: quanquam ipsum Patrem pro magno nominis Sacramento hominem appellasse præsumpserint, vt quid amplius speres de eius Dei fide cui nunc adæquaris? 398 Talia ingenia superfluticant apud illos ex materni seminis redundantia. Atque ita insolescentes doctrinæ Valentinianorum, 399 in syluas iam exoleuerunt Gnosticorum.

ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM ADuersus Valentinianos.

1. ADVERSVS VALENTINIANOS.] *De* Valentino, *à quo dicti* Valentiniani, *quædam supra videre est Adnotat. nostris in lib. de Præscript. aduers. hæretic. cap.* 7. 30. 33. 34. 38. *ac* 49. *Quibus adiicienda putauimus, quæ ad patriam, primam institutionem, ætatem qua vixit, occasionem hæresis & errores pertinent.*

Imprimis vero de patria eius Epiphan. hæres. 31. *Dicunt, inquit,* Valentinum *fuisse Phrebonitem Ægypti maritimum, in Alexandria vero institutum esse Græcorum litteris. Vnde & imitatio Theologiæ Hesiodi Deorum* XXX. *apud ipsum Hesiodum relatorum. Deinde de prima eius prædicatione Catholicæ fidei: Fecit autem hic prædicationem in Ægypto, vnde sane velut reliquiæ viperæ ossium, adhuc in Ægypto sementis ipsius restat, in Atrabite, & Prosopite, & Arsenoite, & Thebaide, & inferioribus partibus regionis maritimæ & Alexandriopolitæ præfectura. Sed & Romæ reuersus prædicauit. Verum ad Cyprum progressus (quod ipsum ex Philastrio sumpsit, lib. de hæres.) velut naufragium naturæ corporaliter passus, à fide defecit, & mente motus est. Antea enim pietatis ac rectæ fidei partem in prædictis locis habere putabatur. Verum in Cypro deinceps ad extremam impietatem deuenit, & seipsum in ea quam prædicabat improbitate, penitus immersit. Hactenus ille. Vnde confirmatur illud Tertulliani supra libr. de Præscript. adu. hæret. capit.* 30. *vbi dicit:* Valentinum in Catholicam primo doctrinam credidisse apud Romanensem Ecclesiam. *Atqui erroris occasionem significat Auctor infra his verbis cap.* 4. Sperauerat Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio. Sed alium ex Martyrii prærogatiua loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit (vt solent animi pro prioratu exciti, præsumptione vltionis accendi) ad expugnandam conuersus veritatem. *Exemplo certe non nouo, quippe quum plerique hodie hæresiarchæ simili pene ex causa hæreses suas disseminare cœperint. Iam ad ætatem qua vixit quod adtinet, describit eam diserte verbis (quemadmodum etiam adnotauimus supra ad lib. de Præscript. aduers. hær. num.* 166.) *B. Irenæus lib.* 3. *cap.* 4. Valentinus, *inquit, Romam venit sub Hygino, increuit vero sub Pio, & prorogauit tempus vsque ad Anicetum, quæ ipsa verba transcripta sunt ab Euseb. Eccles. hist. lib.* 4. *cap.* 11. *& Niceph. libr.* 4. *cap.* 3. *Quæ tempora incidunt in tempora Antonini Cæsaris primi, sicuti etiam adnotauit Theodor. hær. fabul. lib.* 1. *cuius anno secundo iuxta Euseb. in Chronicis Romam venit. Eodem pertinet quod habet loco citato Tertullianus:* Nam constat illos (*de* Valentino *& Marcione loquitur*) neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu. *Qui præterea superuixisse illum significat vsque ad Eleutherium dictorum Romanorum Pontificum & Soteris successorem, nam subiicit:* Donec sub Episcopatu Eleutherii benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel & iterum eiecti, nouissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminauerunt. *Nisi forte malit quis illud prius membrum dumtaxat pertinere ad* Valentinum, *posterius vero ad Marcionem. Porro eiusdem lib. cap* 49. *hær.* 12. (*vt id paucis repetam*) *tres potissimum hæreseis Valentini recensetur: primam de Æonum* XXX. Genealogiis & fabulis, *quam toto hoc libro latissime pertractat, alteram de* Christi corpore per virginem, *non ex virgine edito, cuius etiam meminit infra capit.* 27. *& latius lib. de Carne Christi, tertiam, quod* resurrectionem huius carnis non agnoscat, *sed alterius, quem ad lib. de resurr. carnis differimus. Hic sufficiat tum ipsius Tertulliani, tum aliorum Patrum testimonia de primo illo errore subiungere. Auctoris pleraque suis quibusque locis infra adducentur: hic tantum quæ ingenere de Æonibus scripsit, adferimus. Tale est illud infra lib de Anima cap.* 18. *vbi de Ideis Platonis loquens:* Relucentne, *inquit,* iam hæretica semina Gnosticorum & Valentinianorum? *Et mox:* Contingentium veritatem illam arcanam & supernam, & apud Pleroma constitutam, hæreticarum Idearum sacramenta. Hoc enim sunt & αἰῶνες, & Genealogiæ illorum. *Item cap.* 21. Iam nec triformis, vt adhuc Trinitas Valentiniana cædatur, *vbi haud dubie ad lib. hunc adludit, quemadmodum ibi latius, numer.* 269. *sic etiam libr. de Carne Christi, capit.* 24. Et cum alias idipsum eodem modo dicit: Ante me Deus non fuit, nescio quas illas Valentinianorum Æonum Genealogias pulsat. *Et quod est tit.* 1. *adu. Marcion.* Honestior & liberalior Valentinus, qui simul ausus est duos concipere, Bythum & Sigen, quum vsque ad XXX Æonum fœtus, tamquam Æoniæ scrophæ examen diuinitatis effudit. *Meminerunt etiam* Æonum Valentinianorum, *Philastrius, Augustinus, Theodoretus, Damascenus, Honorius, lib. de hæres. Hieronym. locis infra citatis, Isidorus Etymol. lib.* 8. *cap.* 5.) *Hrabanus noster de Instit. cleric. libr.* 2. *capit.* 28. *& Gratian. Catal hæres. ex eisdem Cap. Quidam.* 24 *qu.* 3. *Polycarpus denique omnibus his antiquior. epist. ad Philipp. Augustini verba sunt ista postmodum ab Isidoro, Hrabano, & Gratiano repetita:* Valentiniani *à* Valentino *quodam Platonico vocati, qui αἰῶνας, id est, sæcula quædam in originem Dei creatoris induxit. quare etiam apud Isidor. sic legi debet, pro eo quod est corruptissime. Cones. Damascenus etiam sic castigandus: Alia quædam anilium ineptiarum nomina, vt* XXX. sæculorum *inducunt. Scripserunt denique ex professo contra hanc hæresin, vt refert Auctor infra c.* 5. Iustinus *Martyr.* Miltiades, Irenæus, & Proculus, *& præterea Epiphanio teste hær.* 31. *Clemens & Hippolytus.*

Ceterum libri Valentini *citantur ab Auctore:* Euangelium, Psalmi, & Sophiæ. *De illo sic dicit cap.* 49. *lib. de Præscript. aduers. hæret.* Euangelium habet etiam suum præter hæc nostra, *fortassis adludens ad lib. de Infantia Saluatoris, quo contineri scribit Sixtus Senensis Biblioth. sanctæ lib.* 2. Valentinorum *& Gnosticorum figmenta. De Psalmis vero lib. de Carne Christi, cap.* 20. Nobis quoque, *inquit,* ad hanc speciem Psalmi patrocinabuntur, non quidem apostatæ & hæretici, & Platonici Valentiniani. *Item de* Sophia *hoc ipso libro, cap.* 2. vt docet ipsa Sophia, non quidem Valentini. *Denique à Clemente Alexandr. Strom. lib.* 2. *& Epiphan. vbi supra,* Epistolæ Valentini *adlegantur, & ex iisdem verba non pauca, quo Lectorem remittimus Fuerunt & à discipulis* Valentini, *scripti Commentarij, quos adlegat, & refutare se dicit B. Irenæus Præfat. libr.* 1. *& ex parte etiam citat Auctor infra lib. de Carne Christi, capit.* 15. 16. *&* 17. *vbi etiam recenseri videtur:* Alexander Valentini *discipulus.*

CAP. I.

2. Valentiniani frequentissimum plane Collegium, &c.] *Caput hoc primum inscribimus:* Quod Valentiniani hæresin suam occultare cupiunt. *In quo imitatur B. Irenæum, qui sic scribit libr.* 1. *cap.* 1. *verbis etiam à Rhenano infra citatis ad illud:* Altum est, &c. aiunt, &c. *Quo pertinet etiam illud in Præfat. eiusdem lib. Error enim secundum semetipsum non ostenditur, ne denudatus fiat comprehensibilis, suasorio autem cooperimento subdole adornatus.*

3. Frequentissimum plane Collegium inter hæreticos.] Valentinianorum, id est: Valentini discipulorum, *plura nomina habes supra lib de Præscript. adu. hær. cap.* 49. *& infra cap.* 4. *eorumdem etiam & aliorum varios errores, quibus à* Valentino *dissentiunt, ca.* 11. 20. 33. 34. *& deinceps ad finem vsque, vbi Epiphonematis loco subiungit:* Atque ita insolescentes doctrinæ Valentinianorum, in syluas iam exsoleuerunt Gnosticorum. *De quibus omnibus suis quibusque locis latius.*

4. & disciplina non terretur.] Disciplina, *inquit Rhen.*) *iam olim vsurpari cœpit pro ordinatione & seueritate castigatrice. Vt quum apud Ammin. Marcellinũ Vadomarius Germanorum rex ad Constantium Augustum scribit de Iuliano: Cæsar tuus* disciplinam *non habet. & quum Diuus Cyprianus de Habitu virginum Commentarium auspicans:* Disciplina, *inquit, custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis facit in Christo manere semper. Dicit ergo hic* Valentinianos disciplina non terreri, *quo minus fabulis fidem habeant, aut iam inuentis credendo, aut comminiscendo nouas. Nam, vt paulo post dicet, si aliquid nouiad struxerint, reuelationem statim appellant præsumptionem. Et quia deerat disciplina, cuius nulla munia obseruabant, vt infra leges, non mirum est, si inter seipsos fuerint diuisi. Quemadmodum istis annis proximis sublata* disciplina *quid non vidimus ab audaculis quibusdam tentatum, quæ non schismata inter eos nata, dum vnusquisque somnium suum pro oraculo amplectitur? Vix enim ipsi* Valentiniani *ita inter se fuerunt diuisi, vt hodie sunt Anabaptistæ, exors hominum genus & inquietum. Sunt autem Christianæ* disciplinæ officia *siue* munia, *ceu Tertullianus appellat, Reuerentia sacrarum litterarum, reuerentia sacerdotum, Gratiarum actio, Exomologesis, Pœnitentia, Eleemosyna, Ieiunia, & hoc genus alia. Alicubi etiam superius adnotauimus* disciplinam *ab Auctore vbique pro* disciplina Christiana *accipi.*

5. Nam & illa Eleusinia.] *Istud iisdem pene verbis legitur supra Apolog. cap.* 7. Samothracia, *inquit, &* Eleusinia reticentur, *vt de* Eleusiniis *sacris latius num.* 98. *hic sufficiat illud Rhenan. Hæc sacra in honorem* Eleusinæ *Cereris Eumolpus primus instituit, prohibuitque ne aduenam quemquam initiarent. Vnde propter Herculem admittipetentem, cui sane denegare non licebat,* Eleusinii *nouum mysteriorum genus instituere, quæ parua vocant, quibus ille est initiatus, putans vetera esse & legitima, quorum Eumolpus auctor. Ab iisdem deriuato nomine paulo post dixit:* Eleusiniana Valentiniani. *Cur addatur autem:* Atticæ superstitionis, *recte idem rationem reddit, quia* Eleusis *vrbs est* Atticæ. *Recte autem addit Auctor:* quod tacent pudor est, *quia paulo post subiungitur:* Simulacrum membri virilis reuelatur, *vbi addit Rhen. quosdam addere etiam naturam muliebrem ostensam.*

6. diutius initiant, quam consignant.] *Ad hæc enim sacra (inquit idem Rhenan.) nullus admittebatur nisi initiatus, præcone scelerato atque prophano publice submouente. Vnde Virgilium illud mutuatum:*

Procul ô procul este prophani,

Seruius Grammaticus auctor est. Obscurius est autem & illud: quum & portas ante quinquennium instituant. *Saltem hoc videtur indicare, quod ante quinquennium ad sacra Eleusinia non admitterentur.*

7. Sequitur iam silentii officium, &c.] Silentium (*inquit idem Rhenan.*) *initiandis indicebatur, cuius illi perpetuam fidem promittebant. Eam tamen non præstitit Numerius Philosophus, nec Alcibiades, qui prophanus irrepserat, insimulatus postea Athenis* (*vt Iustini verbis vtar*) *mysteria Cereris initiorum, sacra nullo magis quam silentio sollemnia enunciauisse. Qui notat etiam sententiam esse quod sequitur:* Adtente custoditur quod tarde inuenitur; *& infra addit illud:* signaculum linguæ, *esse silentii periphrasin.*

8. Tot siparia portarum.] *Quamquam, inquit ille*) *consentiunt exemplaria quæ vidimus omnia, tamen ausi sumus pro* suspiria, *scribere:* siparia. *Sunt autem* siparia, *vela quibus vtebantur in scenis fabularum actores, auctore Festo. De hac voce plura dicam infra ca.*13. *num.*156. *locum illum explicaturus:* alia autem trans siparium cothurnatio est. *Ceterum sacerdotes* Eleusianæ *Cereris portas adyti multiplicibus velis obtegebant, eas ante quinquennium instituere soliti. De hac* siparium *oppansione hic loquitur.*

9. falsis simulacris.] *Adludit haudubie ad Harpocratis Dei silentii simulacra. De quibus vide supra Tom.* 1. *Apologeti. cap.* 6. *num* 87.

10. quos nunc destinamus.] *Hoc est* (*vti interpretatur Rhenan.*) *velut ad illum propositos petimus. Qui etiam recte illud:* facili claritati *explicat, quoniam orthodoxa religionis fides tum facilis, tum clara est.*

11. ex diuinæ copiæ occasione.] *Adludit* (*inquit Rhenanus*) *ad trinitatem personarum in vna substantia, quam Christiani adoramus. Adludit item ad angelos, cœlos, paradisum, creaturas diuinas. Atque hoc est quod mox dixit:* sanctis nominibus & titulis, & argumentis veræ religionis figmenta configurantes.

12. Altum est, aiunt.] *Auctor est* (*inquit idem*) *Irenæus non fuisse Valentinianis eum candorem, vt portentosas nugas omnibus facile communicarent. Eos enim docebant, qui habebant quod numerarent. Sic enim scribit: Quæ etiam, inquit, conuenienter videntur mihi non omnes velle manifesto docere, sed solos illos, qui etiam grandes mercedes pro talibus mysteriis præstare possunt. Non enim tam dicunt similia illis, de quibus Dominus dixit:* Gratis accepistis, gratis date. *Sed separata & portentuosa & alta mysteria, cum magno labore exquisita fallacibus.*

13. tuam simplicitatem sua cæde dispergunt.] *Vocabulum* (*eodem adnotante*) cædis, *& cædendi verbum, in eundem sensum vsurpat, vt quum in libro quem pro Martyribus scripsit, cap.*2. Non clamoribus, *inquit,* spectaculorum, atrocitate, vel furore, vel impudicitia celebrantium cæderis. *Imitatus Tertullianum D. Hieronymus in vita Hilarionis eremitæ, dixit:* cæde *manus. Iratus itaque sibi* (*inquit*) *& pectus pugnis verberans, quasi cogitationes* cæde *manus* posset excludere.

CAP. II.

14. Ideoque simplices notamur apud illos, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* Quod simplices ab iis vocentur Catholici. *Atqui paulopost* (*vti etiam adnotauit Rhenanus*) *dixit:* meliori sumi vitio, *pro minori peccato, &:* si forte, *pro forte.*

15. Potro facies Dei exspectat in simplicitate quærentes, &c.] *Sic omnino legendum sensus requirit. Adludit autem ad illud Sap.*1. Quærite Deum in simplicitate, *librum illum disertis verbis* Salomoni *adscribens, quemadmodum etiam supra lib. de Præscript. aduers. hær. cap.*7. *vbi de eo, & proinde etiam de auctoritate libri* Sapientiæ *latius n.*52. *Siue autem legas cum exc.* vt docet ipsa Sophia, *siue cum ms.*2. *Vatic.* Sapientiæ, *perinde est. Porro supra nu.*1. *de* Valentini Sophia *aliquid adtigimus.*

16. infantes testimonium Christi sanguine litauerunt.] *Adludit ad martyrium pro* Christo, *quod hic* testimonium Christi *dicit, Innocentum puerorum qui ab Herode occisi sunt. Atqui* litare (*inquit Rhenan.*) *cum Accusatiuo. Sic in libro de Patientia, cap.*10. Quem autem, *inquit,* honorem litabimus Domino Deo, si nobis arbitrium defensionis arrogauerimus?

17. Pueros vocem, qui crucem clamant, &c.] *Videtur ad eos respicere, qui clamabant;* Crucifige, *in passione Domini, quos* simplices non fuisse *dicit. Sicuti & mox ad illud* 1. *Cor.* 4. malitia paruuli estote. *Ibi vero:* Serpens tentare, *partim ad Gen. cap.*3. *vbi* serpens tentauit *Euam, partim ad Matth. cap.*4. *vbi diabolus* serpens *ille antiquus* Christum tentauit.

18. Illeà primordio diuinæ imaginis prædo.] *Caute locus hic intelligendus, ne forte quis putet* imaginem diuinam *prorsus depraedatam fuisse à diabolo; nam obscuratam illam dumtaxat agnoscunt B. August. & alii Patres, non deperditam. Verum de hoc latius inter errores seu næuos Tertulliani. Schema autem verborum adnotauit Rhenan. inter* præco & prædo.

CAP. III.

19. Abscondat se itaque serpens quantum potest, &c.] *Titulum dedimus huic capiti:* Quod licet abscondere sua serpentis in morem nitantur, omnia tamen æque simplices norint Christiani. *Atqui pulcra est hic descriptio* serpentis, *qui solet* se in latebrarum ambagibus torquere, alte, *id est, profunde,* habitare, ac in cæca detrudi, per anfractus seriem suam euoluere, & tortuose procedere, lucifuga bestia.

20. Nostræ columbæ domus simplex, &c.] *Hic e contrario* columbæ *vsitata describit domicilia, vtpote quarum* domus simplex, in æditis semper & apertis & ad lucem: quæ amat, *id est, frequenter gerit,* Spiritus sancti figuram. *Et metaphoricè as adludit, ad Ecclesias Christianorum, etiam iuxta Rhenani sententiam, de quibus iam tum etiam vsitatis diximus supra lib. de Idololatr. cap.*7. *num.*29.

21. Orientem Christi figuram.] *Subaudi* (*inquit Rhen.*) *amat.* Orientis *enim vocabulo Christus sæpe intelligitur in sacris litteris, vt apud Zachariam:* Ecce ego adducam seruum meum Orientem. *Et paulopost apud eundem:* Ecce vir, Oriens, nomen eius. Oriens *autem appellatur, quia in diebus eius orta est iustitia. Et hinc habes, Christianos veteres ad* Orientem *versos precari solitos, quod etiam num obseruamus. Atqui de oratione Christianorum ad* Orientem, *vide Adnotat. nostras in Apol. cap.*16. *num.*247. *in illud:* ad Orientis regionem precari.

22. à turba eorum & aliam frequentiam sua dere.] *Hoc est, vti adnotauit Rhenan. à turba Deorum Gentilium. Aliam turbam Æonum siue sæculorum animalium hominibus persuadere, id quod faciunt Valentiniani. Atqui prouerbium:* de limine offendere, *explicatum inuenietur in Prolegomenis. Addimus interim cum, ms. Rhenan. & Vatic.*3. *cod.* fidem.

23. Lamiæ turres, & pectines solis.] *Fabellæ, inquit idem, pueriles apud Carthaginem tempore Tertulliani. Erant enim* Lamiæ *puerorum terriculamenta, striges nempe ipsæ, quæ credebantur sanguinem infantium fugere, de quibus latius Gyraldus de Diis Gentium.* Pectines *vero* Solis *dici videbantur, ob solarium radiorum lineas & interualla quæ in arboribus etiam* pectines *vocat Plinius alicubi.*

24. has esse fabulas & Genealogias indeterminatas.] *Similis prorsus est locus supra lib. de Præscript. aduersus hær. c.*7. Hinc, *inquit,* illæ fabulæ & Genealogiæ indeterminabiles, *vbi vide Adnotat. nu.*47. *&* 48. *Item alter apertior c.*33. Sed & quum Genealogias indeterminatas nominat, Valentinus agnoscitur. *Imitatur autem sicuti in toto pene hoc libro, sic etiam hic B. Irenæum, qui primum suum librum auspicatur:* Quatenus (*seu potius,* Quoniam) *veritatem refutantes quidam inducunt verba falsa, &* Genealogias infinitas.

25. designatorem.] *Resignatorem, inquit Rhenan. intelligit, manifestatoremque. Qui etiam illud:* Et tamen simplices nos, *recte de orthodoxis interpretatur. nam similiter infra:* Dei nostri, *cap.*15. *&* Iustorum animæ, *id est, nostræ, cap.*32.

CAP. IV.

26. Nouimus, inquam, optime, &c.] *Inscriptionem huius capitis ipse Tertullianus hic indicat:* De origine Valentinianorum, *nempe* Valentino. *De quo latius supra num.*1. *& li. de Præscript. aduers. hæret. cap.*49. *hær.*12. *num.*314. *&* 315.

27. quia & ingenio poterat & eloquio.] *Poterat, inquit Rhen. absolute cum Ablatiuo: & mox:* potitum loci, *cum Genitiuo: item:* abrupit, *absolute.*

28. & cuiusdam veteris opinionis semini, &c.] *Nempe Basilidis, qui, vti patet supra lib. de Præscript. aduersus hær. c.*46. *hær.*4. *nume.* 304. summum Deum nomine Abraxas cum CCCLXV. æonibus commentatus est. *Quo pertinet etiam illud B. Iren. cap.*5. *ab ea quæ dicitur Gnostica hæresis, antiquus in suum characterem doctrinas transferens Valentinus. Item illud Theodoreti vbi supra: Valentinus ex omnibus his hæresibus infinitas fabulas composuit.*

29. Eam postmodum Ptolomæus intrauit, &c.] *De* Ptolomæo *ibidem latius c.*49. *hær.*13. *nu.*314. *&* 316. *vbi interim* Ptolomæum *&* Secundum *simul iungens, vtrique adtribuit quod infra c.*38. Secundo *soli. Mirum est itaque quid sibi velit hic, dum dicit à* Ptolomæo personales substantias extra Deum determinari, quas Valentinus in ipsa summa diuinitatis intulerat; *quum B. Iren. Præfat. sua lib.*1. *sententiam eorum qui sunt circa* Ptolomæum, *etiam Epiphan. Græce & Latine consentiente, ostendere se dicat, & rursum postea sub finem* 2. *cap.* (*saltem secundum Latinam editionem, nam Græce non est apud Epiph.*) *Et* Ptolomæus *quidem ita* (*quo etiam adludit l.*2. *c.*40.) *quæ tamen sententia per omnia consentit cum iis quæ toto hoc libro Valentino verbis pene ipsis Irenæi adscribit Auctor. Nisi forte, quod quum* Valentinus *suos Æones Deos faceret,* Ptolomæus *non nisi personales substantias. Exstat eiusdem epist. ad Florum contra legem Moysi, apud Epiphan. hær.*33. *vbi eandem, eiusque Genealogias numquam finiendas late confutat.*

30. Deduxit inde & tramites quosdam Heracleon.] *De* Heracleone *videat Lector Adnot. nostras in dictum lib. eodem cap. hær.* 14. *nume.*314. *&* 317. *Hoc solummodo hic repetimus, quod Irenæo magus correspondeat Auctor, qui* Valentini, *quam Epiphan. hæres.*36. *qui Colorbasi discipulum facit.*

31. & Secundus.] *De hoc ibidem hær.*13. *num.*314. *&* 316. *ex Tertull. Iren. Epiph. August. & aliis qui de hæresibus scripserunt, infra item aliquid cap.*38. *num.*389.

32. & Magus Marcus.] *De isto fide ibidem Adnot. nostras cap.*50. *hær.*15. *num.*318. *&* 319. *Quibus adiicio quæ hic habet Rhenanus:* Marcum Valentini *magistri sui emendatorem tradit Irenæus, magica impostura peritissimum fuisse, per quam quum viros multos, tum fœminas non paucas seduxerit, ad se conuersos velut scientissimum & perfectissimum, virtutemque maximam ab inuisibilibus Logis habentem. Ille vero totum hoc Anaxilai præstigiis & magica vanitate conficiebat, verus Antichristi præcursor. Nos*

A

vnum & alterum hominis perditissime præstigiarum exeodem Auctore prodemus exemplum. Mixto vino pro calice simulans se gratias agere, siue εὐχαριστεῖν, quod hodie consecrare *dicimus, post longam inuocationem, purpureum & rubeum apparere faciebat, vt putarent simpliciores diuinitus in illius calicem destillasse sanguinem, & idcirco cuperent omnes ex eo poculo gustare, gratia cælestis sic futuri participes. Alterum impostura genus. Exhibebat mulieri calicem mixtum, ipsam gratias agere iubens. Mox capacius poculum proferens, in id transfundebat minorem illum calicem, qui erat Eucharistia factus, magno videntium miraculo, quum maior non solum impleretur, sed etiam superfluere t. Præterea dæmonem paredrum habebat, vulgus spiritum familiarem hodie vocat. Mulieres honesto loco natas & opulentas maxime, circumueniebat, reddens eas Prophetidas, his verbis: Sume a me sponsum, & cape eum, & capere in eo. Ecce gratia descendit in te, aperi os tuum, & propheta. Multarum pudori etiam illusit. Certe, quod constat, Diaconi cuiusdam in Asia vxorem formæ haud quotidianæ clanculum abduxit. Quæ post multum temporis reuersa, non mente modo, verum etiam corpore se à* Marco *isto corruptam adseruit, reliquumque vitæ in exomologesi perpetuæ consumpsit. Vnde quidam sanctus vir, quem citat* Irenæus *: huiusmodi verbis præstigiatorem istum redarguit; Idolorum fabricator* Marce, *& portentorum inspector, Astrologiæ cognitor & Magicæ artis, per quæ confirmas errores doctrinas, signa ostendens his qui à te seducuntur, Apostaticæ virtutis operationes, quæ tibi præstat tuus pater: Satanas per angelicam virtutem Azazel, habens te præcursorem contrariæ aduersus Deum nequitiæ. Hic* Marcus *somnius* Valentini *numerorum mysteria accommodasse se gloriabatur. Porro de* Theotimo *nulla apud aliquem Auctorem quem hactenus vidi mentio; fortassis legendum:* Tacianus; *nam de illo scripsit supra lib. de Præscript. adu. hær. c. 52. hær. 20.* quod totus secundum Valentinum sapit.

B

33. Ita nusquam iam Valentinus; & tamen Valentiniani.] *Haud absimiliter Irenæus lib. 1. cap. 5. Videamus (inquit) nunc inconstantem eorum sententiam, quum sint duo vel tres, quemadmodum de ijsdem non eadem dicunt, sed & nominibus & rebus contraria respondent.*

34. Solus ad hodiernum Antiochiæ Axionicus.] *Sic sæpe solere loqui Tertullianum adnotauit Rhenan. vti adu. Hermogenem cap. 1.* denique ad hodiernum homo in sæculo. *Pro* Axionicus *vero legunt ms. cod. 3.* Arionicus. *verum illud retinuimus, quantumuis nulla alterius eorum alibi fiat mentio.*

35. integra custodia regularum eius.] *Similiter etiam paulopost:* Varietate enim innouatur regularum facies: *& supra lib. de Præscript. adu. hær. cap. 42.* Mentior si non etiam à regulis suis inter se varient, &c. Idem licuit Valentinianis quod Valentino.

C

36. Alioquin tantum se huic hæresi suadere permissum est, &c.] *Sensus est (vti adnotauit Rhen.) Alioqui tantum licet huic Valentinianorum hæresi sese insinuare (hoc enim vult quod dicit: suadere se) quantum meretrici solitum est quotidie formam fucare. Nã Valentiniani non aliter figmentis, quæ indies comminiscuntur, homines incautos inescant, quam scorta publica solent illito quotidie sibi fuco amatores ad se trahere. Proinde vt vt consentiant exemplaria ms. pro:* superare, *malo legere* supparare. *Est autem Tertulliano* supparare, *reficere & instaurare, à sub, & paro, compositum verbum. Hoc subinde vti solet, vt lib. 4. aduers. Marc.* Hoc permittente, *inquit,* immo & præcipiente lege, quo si frater illiberis decesserit, vt à fratre ipsius & ex costa ipsius suppararetur semen illi. *Et in hoc libro paulopost:* Iteratur, *inquit,* odor incorruptibilitatis, quo compos casus sui potiorum desiderio suppararetur. *Plures alios locos videre est supra Tom. 2. lib. de Cultu fœmin. cap. 7. num. 37 porro* lupas *(inquit idem) dici meretrices notissimum est. D. Hieronym. adu. Iouinian. lib. 1. Vereris, inquit, ne si virginitatem plures appetierint, cessent* lupæ. *Hæ veluti publicarum, vt ait Cyprianus, libidinum victimæ, ceruſſa ac alijs pigmentis se fucantes, formam suam quotidie* supparant *ac instaurant.*

37. nec vnitatem, sed diuersitatem.] *Expone (inquit Rhen.)* Nec vnitatem, sed diuersitatem appellant charisma. *Sensus est: Valentinianis vnitas non est charisma, sed diuersitas est charisma. Studio ergo inter se variant. Cui similia reperire est apud Tertullian. loco paulo ante citato, nu. 35. & in Adnot. nostris lib. de Præscrip. adu. hær. nu. 274. Sunt autem adnotandi isti loci pro fidei Catholicæ vnitate, & hæresum inter se contrarietate maxima; quam haud difficile est cognoscere ex tabulis vigentium hodie hæreseon Reuerendiss. Dn. Guilielmi Lindani Ruremundensis Episcopi.*

D

CAP. V.

38. Mihi autem cum Archetypis erit limes principalium magistrorum.] *Huic capiti titulum damus:* Quod disceptet cum principalibus magistris, ex Iustino, Irenæo, Miltiade, & Proculo. *Intelligit enim (inquit Rhenan.)* limitem *disputationis, hoc est, mihi erit terminus disputationis cum* Archetypis, *id est, primario dogmate principalium magistrorum.*

39. adfectatis ducibus.] Adfectatos *(inquit idem) vocat, qui student vt sint à prioribus diuersi, nouantes in dies doctrinam. Atqui de significatione* passiuorum discipulorum, *id est, dissolutorum, infra ex Rhenano latius sub finem lib. de Carn. Christi.*

40. nec vndique.] Vndique *(eodem adnotante) pro vndecumque, siue vndelibet. Solet etiam ponere* vnde *pro:* vnde vnde, *vti infra li. 4. adu. Marc.* qui neque vnde speraret.

41. vt Iustinus Philosophus & Martyr.] Adludit, *quantum opinor, ad librum* Iustini *contra omnes hæreseis, cuius facit mentionem (inquit Hieron. Catal. Script Eccles.) in Apologetico, quem dedit Antonino Pio. His nempe verbis: Est autem nobis liber contra sectas & hæreses compositus.*

42. vt Miltiades Ecclesiarum sophista.] *Hic scripsit (inquit Rhenan.) aduersus Montanum, Priscillam, Maximillamque, aduersus Gentes, aduersus Iudæos, & pro Christianis Apologeticum Commodo & Seuero Cæsaribus obtulit. Auctor Hieronymus. Vocat autem* Sophistam Ecclesiarum, *non probroso nomine, sed quod disputando de quibuslibet rebus & sacra scriptura locu, multum posset. Nam hoc veteribus* sophista *fuit. Hieronym. in Epist. ad Antonium, de modestia: Contra* Sophistas *quoque sæculi, inquit, & sapientes mundi Petrus & Iacobus piscator mittuntur. Huiusmodi* Ecclesiarum sophista *fuit olim Beda Presbyter ille anglosaxo, cuius tot exstant in omni disciplinarum genere monumenta Commentariorum, qua sacra, qua profana, tametsi sacris magis deditus fuit. Peculiare est etiam hoc Auctori, quod* aduersus Valentinianos *librum scripserit, & quod* Miltiadem *præponat Irenæo, contra quem facit B. Hieronym. dicto Cat. Script. Eccles. qui interim scribit vixisse vtrumque sub Commodo Cæsare.*

43. vt Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator.] *Huius tantum (inquit Rhenan.) exstant aduers. hæreses libri quinque, recogniti superioribus annis diligentia Erasmi nostri Roterodami, & Basileæ typis excusi. Magna vero laus* Irenæi, *quod vocat eum* omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem, *Attende hic, Theologi officium esse, omnia explorare, & quod bonum est tenere. Nos præterea adijcimus dicti operis lib. 1. & 2. immo & subinde etiam posterioribus tribus diligentissime confutari* omnes Valentini doctrinas, *quarum fuit* curiosissimus explorator. *Quid? quod vti iam antea in Argumento adnotauerat Rhenan. apparet, hanc totam huius libri narrationem ex illo desumptam, admixtis tantum iocis & morsibus, quibus arguti isti nugatores dignissimi sunt. Conducet itaq; ad huius opusculi intelligentiam præcipue duos priores Irenæi libros legisse. Nam ibi prolixe de Valentini dogmatibus disputat, aliquanto clarius, ni fallor, vt vt Latine balbutiat, vtpote, ceu puto, versionis de verbo ad verbum è Græco factæ, quam Tertullianus noster, qui velut adfectator est obscuritatis, etiam in rebus apertis & notis. Sed id temporis hæreticorum istorum omnia vulgus etiam tenebat. Etenim, proh dolor, Galliam quoque, qua Rhodano amni imminet, hoc virus adflauerat. Nos itaque iuxta illius admonitionem, exemplum etiam secuti Dominorum Billij & Feu-ardentij nostri suis in Irenæum postremo æditum Scholijs & Adnotationibus, non paucos locos ex illo Tertulliani castigauimus, & præterea Irenæi aliquot ex Tertulliano, & Epiphanio, tam Græco quam Latino.*

44. Vt Proculus nostræ virginis senectæ, &c.] *An perpetuo (inquit Rhenan.) Tertullianus ex consensu vxoris abstinuerit ab opere coniugali, quod hæc verba videntur innuere, nescio. Forte* noster *&, versum est in* nostræ, *vt scripserit Tertullianus:* vt Proculus noster, & virginis senectæ, & Christianæ eloquentiæ dignitas. *Nostrum vocat ob communem patriam. Ego vero imprimis continentiam cum sua coniuge, saltem post sacerdotium, seruasse supra adnotaui Tom. 2. lib. 1. ad Vxorem, num. 1. Deinde cum MS. & exc. omnibus retinui:* nostræ virginis senectæ. *Loqui autem cum de* Proculo *seu Proclo Montanista apparet, de quo supra Auctor lib. de Præscript. aduers. hæret. cap. 52. hæres. 21.* qui & Proclum dicuntur, *vbi paulo latius noster Adnotat. num. 327. quantum apparet antequã in hæresin incideret. Potest itaque intelligi aut quod* Proculus *ad senectam vsque virgo permanserit, aut virgo senecta accipi pro Ecclesia orthodoxa virgine, vtpote quam dicto lib. aduers. hæret. virginem vocet, quamquam constuprat am adulterio hæretico. Tres itaq; aut quatuor* Proculi *aut Procli mihi videntur commemorari à Tertulliano, Primus catholicus, quantũ apparet, Presbyter, qui oleo Seuerum Imperatorem curauerat, de quo supra Tom. 1. lib. ad Scapulam, cap. 5. num. 33. Alter, de quo dicto loco libri de Præscript. aduers. hæret. Tertius, si non idem sit, cuius hic fit mentio. Denique alius Valentini sectator, de quo infra Auctor. lib. aduers. Praxean:* secundum Valentinos & Proclos, *quemadmodum ibi latius.*

CAP. VI.

45. Igitur hoc libello, quo demonstrationem, &c.] *Inscriptionem huic capiti imponimus:* De methodo, qua hoc libro vtitur. *Quum autem quædam hinc verba initio Argumenti descripserimus, & rursum alia eidem subiecerimus, ante Catalogum Nominum variorum Æonum, hic breuiores erimus.*

46. Itaque plurimum Græco ponemus, &c.] Plurimum *(inquit Rhenanus) Aduerbium est.* Græco, *id est, in* Græco *sermone. Quare non est opus substituere:* in Græca, *quod habet 1. aditio in margine, maxime quum illud constanter legant MS. Vatic. 3. cod. Perinde est autem legere* ambiguitates *cum exc. cod. aut:* ambiguitatem *cum 1. Vatic. ms. cod.*

47. Quamquam autem distulerim congressionem.] *MS. quidem omnes etiam quos vidit Rhen. legunt:* congestionem: *sed retinuimus ex illius castigatione:* congressionem, *præmonito Lectore, quod characterum dissimilitudo non videtur permittere vulgata ex coniectura eius:* confertionem, *maxime quum mox sequatur:* Congressionem *etiam in ms.*

48. deliberatione transfunctoria.] *Sic constanter ms. 3. Vatic. pro eo quod Rhenan. in Adnotat.* delibatione, *etiam non male; qui*

ibidem subiungit: Adu. Marc. scribens appellauit transfunctoria præcepta. *Quare hoc loco pro:* transpunctoria, *suppositimus:* transfunctoria. Transfunctorium *est Tertulliani, quod Iureconsulti defunctorium atque perfunctorium etiam vocant, quoties aliquid facimus tantum, non autem acurate facimus, nec bona fide, aut ex animo. Sic aduers. Marc. li.* 1 Hoc erit, *inquit,* bonitas imaginaria, disciplina, phantasma, & ipsa transfunctoria præcepta, secura delicta. *Non item placet quod substituit:* haud pugnam, *sed lego cum ms. 1. Vat.* an pugnam, *aut potius:* ante pugnam; *ac si intentionis fuerit aliquando etiam fabulas expugnare Valentinianas. Qui etiam sic interpretatur illud:* Materiis ipsis satisfiet, *nam ridicula sunt & risu digna.*

49. Vanitati proprie festiuitas cedit.] *Hoc est (inquit idem)* festiuitas *(quam à* festiuo, *id est, iocoso deducit Auctor) pertinet ad* vanitatem *irridendam,* cedit, *id est, debetur vanitati. Verbum Iureconsultorum. Atqui subinde etiam ridet Irenæus, maxime sub finem cap.* 5. *l.* 1. *vbi cucumeres vocat Valentinianos Æonas, pepones, & cucurbitas, verbis etiam ab Epiph. citatis hæres.* 32.

CAP. VII.

50. Primus omnium Ennius Poeta Romanus, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* De prima Æonum Valentinianorum Ogdoade, seu Tetrade duplici. *Quam Æonum productionem in Deo fieri non posse late deducit Irenæus l.* 2. *c.* 47. 48. *&* 49.

51. vel quia Iouem illic epulantem legerat apud Homerum.] *Reperitur istud apud Homerum Iliad. l.* 1. *sub finem, & alibi sæpe.*

52. cœnacula.] Cœnacula, *iam hic secundo repetita, sunt (inquit Rhen.) superiora domus. Vitruuius Architectur. lib.* 2. *Quum enim, inquit, aucto mi um in modũ Rom ino populo necesse in fuisset* cœnaculis *habitari (nam ante quum per vrbis laxitatem licebat, vnius tantum contignationis erant ædificia) ad ædificiorum altitudines deuentum & adium frequentiam: Vnde & in Prouerbium abiit: In superiori habitare cœnaculi parte. Est autem eo significatu hæc vox vsurpata ab Vlpiano Iureconsul. l. Æquissimum. §. Item si domus. ff. De vsufructu, & alibi frequenter.*

53. aliis atque aliis pergulis superstructis.] Pergula *(inquit Rhenan.) domus partem exporrectam significat.*

54. Meritorium.] *Id accipit, inquit idem, pro taberna* meritoria *Solent autem huiusmodi publica diuersoria ad capiendam multitudinem variis structuris ampliari. Est autem etiam hæc Iureconsul. vox, l.* 5. *dicti ituli Vlpiano vsitata.*

55. Insulam Feliculam credas.] *Dicuntur Rhenano per translationem* Insulæ, *etiam domus magnæ, circumquaque via publica cinctæ, hæreſe solent tabernas institorias per omne latus habere. Hoc genus aiquam suspicor fuisse Romæ celebrem, aut certe Carthagini,* Feliculæ *apparet dictam à Felice insula domino, nisi mauis à copia rerum venalium. Verum ego potius crediderim illum adludere ad insulam illam Platonicam, quam Aeonem vocat tamquam fabulosam, supra li. de Pallio, To,* 1. *c.* 2. *scribens* etiam nunc quæri in mari Atlantico, quæ Libyam & Africam adæquat. *Quamquam interim non fabulosum esse ibidem ostendimus nu.* 25, *& latius Apolog. c.* 40. *nu* 128.

56. tanta tabulata cœlorum.] *Hinc factum vt* Pleroma *in eius Schemate etiam appellauerim* superius tabulatum. *Addens enim* nescio vbi, *haud dubie ad* Pleroma, *cuius infra non semel meminit, adludit.* Illinc enim *(quod ex* 3. *Vat. ms. cod. legimus, pro:* etiam) Valentinianorum Deus ad summas tegulas habitat. *Quæ adeo verba effecerunt, vt in summo Pleromatis loco à me collocatus sit.*

57. οὐδὲν τέλειον, πρὸ αρχῆς, & τῶν ἀρχῶν.] *Etiam li.* 1. *c.* 1. *Irenæus Græcus, seu potius Epiphanius Græcus Irenæi verbis, his nominibus appellat* Deum illum Valentinianorum, *præterea &* Propatora *nuncupans, vti & Tertull. verbis mox citatis, quarum, & aliarum quarumcumque vocum Græcarum, quæ teto hoc libro continentur, Latinam interpretationem habes supra Catalogo Nominum, quod semel, ne prolixiores simus, adnotasse sufficiat.*

58. etiam Bython, &c.] *Similiter Auctor supra libr. de Præscript. adu. hæret. ca.* 33. Valentinus agnoscitur. Apud quem Æon ille nescio qui, noui & non vnius nominis. *&c.* 49. Nam dicit imprimis esse Bython, *& mox:* tricesimum autem Æonem Bython. *Item:* ab illo Propatore, qui est Bythos. *Vbiquum* Bython *legatur, &* Bythos *in* 3. *ms. cod. sicuti etiam lib.* 1. *adu. Marcion. item Græce & Latine apud Irenæum & Epiphanium vbique, immo & apud Theodor. hæret fabul. l.* 1. *prorsus etiam hic id substitui, pro eo quod erat:* Bythion. *maxime quum Interpres Latinus & Irenæi & Epiphanij profundum vertat neutro genere, quod vel ipso Rhenano teste βῦθος significat. Quare etiam sic castigandus Auctor paulopost, & infra c.* 33. 34. *&* 35. *vbi legitur* Bythos, & Bytho, *pro,* Bythios, & Bythio,

59. quod in sublimibus habitanti minime congruebat.] βῦθον, *seu potius βῦθος (inquit Rhen.) dicunt Græci profundum. Qui autem à profundo conuenit nomin habere summum Valentinianorum Deum, habitantem non in profundo, sed in sublimibus, & ad summas cœlestium cœnaculorum tegulas, vt iocans scribit Tertullianus: Responsio in promptu est, quod profundum nonnumquam pro alto accipiatur. iuxta illud Virgilij* 1. *Aeneid.*

---Cœlumque profundum.

60. Innatum, immensum, infinitum, inuisibilem, æternumq;.] *Had absimiliter Irenæus: Esse autem illum* inuisibilem, *& quem nulla res capere possit (atque adeo* immensum. *) Quum autem à nullo caperetur, & esset* inuisibilius, sempiternus, & ingenitus. *Apud quem etiam legitur:* in immensis Æonibus, *pro eo quod:* in infinitis retro ævis, *& Interpr. Epiphanij per* infinita temporum sæcula. *Huc pertinet etiam illud Philastrij: Nihil, inquit Valentinus, aliud erat ante aliud in mundo, nisi profundum (omitto maris) & silentium.*

61. &(vt ita dixerim) stupentis diuinitatis, qualem iussit Epicurus.] Epicurus *enim (inquit Rhen.) hebetem Deum facit. Nam & id his verbis expressit Auctor infra li.* 5. *adu. Marcion.* Sed Marcion principalem suæ fidei terminum de Epicuri Schola agnoscat, Deum inferens hebetem, ne timeri dicat eum.

64. Ennœan.] *Ego* Ennœan *castigaui ex Irenæo, pro eo quod erat:* & notam, *quippe qui sic legat: Cum ipso autem fuisse &* Ennœan *(Græce ἔννοιαν, quomodo & legit Theodoretus.*

63. quam & Charin.] *Similiter eam nuncupat supra li. de Præscr. adu. hær. c.* 3. *n.* 94. generat *(inquit)* è sua charite. *Nec aliter Irenæus & Theodoretus. Græce χάριν.*

64. & Sigen.] *Sic etiam li.* 1. *adu. Marc.* qui simul ausus est duos concipere, Bython, & Sigen. *Nec aliter Irenæus Græce σιγὴν, quare etiam sic legendum apud Theodoretum, pro eo quod est σιγὴν, maxime quum & auctor li. de Præscript. adu. hær. ca.* 49. *Philastrius, & Interpres tam Irenæi quam Epiphanij,* silentium *transferant, alia autem vox venerandum significat. Certe non nisi ad* Sigen *referri potest illud auctoris infra c.* 9. Sige illa scilicet, quæ & ipsis hæreticis suis tacere præscribit. *vbi Græce est σιγὴ apud Theodoretum.*

65. Et forte, &c.] *Ridiculum (inquit Rhen.) quasi Valentiniani accesserint, & mouerint Bythum de proferendo tandem initio rerum à semetipso: & præcessit,* dant & nominant. *Alioqui legi poterat* Accidit moueri eum.

66. & patit vtique silentio.] *locus est (inquit idem) quod dicit eam silentio periisse. Puella enim vim passa, nolentes hanc suam fortunam omnibus innotescere, latenter nonnunquam pariunt. Et quis strepitus fuisset in altissima quiete versante Bytho cum sua Charite siue Sige? Legimus autem cum Latinio:* si quidem non solus agnascitur. *pro:* agnoscitur.

67. cui Veritas.] *Subaudi (inquit idem) nomen est. Idipsum habes supra li. de Præscript. aduers. hæret. cap.* 33. generat è sua charite Sensum & Veritatem, *&* 49. ex his processisse *semen* Mentem & Veritatem. *vbi vides νῦν transferri modo* Sensum, *modo* Mentem. *In posteriori consentiunt Interpretes Epiphanij & Theodoreti, & in priori Interp. Iren. li.* 2. *ca.* 16. *&* 17. *ac magis conuenit,* sensum, *quod masculum faciat* Nun, *Philastrius* intellectum & veritatem *nuncupat. Absurdam autem ostendit hanc emissionem Iren. libro* 2. *capite* 6. *quod* Ennœa *potius debuerit adsignari filia* Nus *quam mater, & capite* 17. *quod* sensus *non potuerit* emittere, *qui* emittebat *cetera.*

68. probationis suæ officium,] *Eodem pertinet quod pauloante dixerat:* de proferendo tandem rerum initio, *& quod subdit:* emittit & ipse. *Nam videntes Valentiniani* partus *in diis suis Æonibus minus conuenire, vtebantur* prolationis *seu* emissionis *nomine, quam* Probolam *appellabant, Basilidem Gnosticorum principem imitati, id enim ea voce significari ipse Auctor testis est infra lib. adu. Praxean.* Si qui, *inquit,* putauerit me προβολὴν aliquam introducere, id est, productionem, quod facit Valentinus, alium atque alium Æonem de Æone producens, dicam tibi, non ideo non vtatur & veritas vocabulo isto, & re accensu eius, quia & hæresis vtitur, immo hæresis potius ex veritate accepit, quod ad mendacium suum seruaret. *Porro* emissionem *magis hominibus conuenire quam Deo, adnotat Iren. libro* 2. *capite* 18. *se ostendisse aduersus Basilidem.*

69. emitit & ipse ex semetipso Sermonem & Vitam.] *Similiter Auctor li. de Præscript. aduers. hær. ca.* 33. & hi æque procreant duos, Sermonem & Vitam. *&c.* 49. *(sicut & Philastrius)* ex quibus erupisse Verbum & Vitam. *Atqui deducit Iren. li.* 2. *ca.* 15. *in eodem* Pleromate *non potuisse esse* Silentium & Verbum, *item absurditatem emissionis* verbi & vitæ, *ca.* 18 *ex quo loco illud desumpsit Tertull.* Et quale est vt in Deo vita non fuerit. *Etsi autem etiam* Logos *rationem significet, non tamen rectè pro* sermone *transtulit interpres Theodoreti.*

70. vniuersitatis, & formati pleromatis.] *Poior vox:* vniuersitatis, *explicat posteriorem* pleromatis, *nam* vniuersitatem *vertere solet paraphrastes ab* vniuersitate Æonum omnium, *quæ in* Pleromate *collocatur, quam Interp. Iren. & ipse aliquando Tertullian.* plenitudinem, *& Epiph.* complementum. *Simile est autem illud li. de Præscript. adu. hæret. cap.* 49. Introducit enim Pleroma & Æonas triginta. *Porro instabile esse Pleroma Valentinianorum, prosequitur Iren. li.* 2. *c.* 4. *Et vero vocem hanc* Pleromatis *videntur mutuati ex Apostolo Coloss.* 1. *vbi pro eo quod Latine legitur:* plenitudinem *Græce est:* πλήρωμα.

71. Hominem & Ecclesiam procreat.] *Similiter libr. de Præscr. aduers. hæret. cap.* 33. Dehinc & isti generant hominem & Ecclesiam, *ac. ca.* 49. de quibus rursum creatum hominem & Ecclesiam. *Cui consentiunt Iren. Epiph. Theodor. ac Philastrius, Hanc autem emissionem etiam à patribus Valentinianorum Gnosticis impugnari dicentibus ex homine verbum, non ex verbo hominem prolatum.*

72. ex coniugationibus masculorum & fœminarum.] *Rectè sic Rhenan. pro:* coniunctionibus, *nam Græcam vocem id significare ipse Auctor indicat libr. de Præscript. aduers. hæretic. capite* 49. Exponit hoc *(inquit de* 30. *Æonibus) per* syzygias, id est, coniugationes. *Et vero eum in hoc imitantur Irenæi, Epiphan. Theodoreti In-*

terpretes, quorum Epiphan. xv. dualitates ex his coniugationibus facit. Porro impossibile esse, separatas ab inuicem, quæ infra plenitudinum dicuntur, coniugationes, ostendit Iren. lib. 2. cap. 14.

73. Fraterna connubia.] *locus est (inquit Rhenan.) nam huiusmodi* connubia *nullis legibus permittuntur. Atque hinc est quod subiungit:* criminum an numinum turbam.

CAP. VIII.

74. Ecce enim secunda Tetras, &c.] *Titulum huic capiti damus:* De Decade & Duodecade ex prima Ogdoade, atque adeo tricenario Aeonum. *De quibus sic Auctor lib. de Præscript. aduers. hæret. cap. 33.* De qua prima Ogdoade Aeonum, exinde decem alii, & duodecim reliqui Aeones, miris nominibus oriuntur, in meram fabulam xxx. Aeonum *& ca. 49.* hanc esse Aeonum Triacontada, quæ fit in Pleromate, ex Ogdoade & Decade & Duodecade. *Item Philastrius:* De Ogdoade ergo & Decade & Duodecade consistere xxx. Aeonas, *Quibus consentiunt præter Irenæum etiam Epiphanius & Theodoretus. Porro Iren lib. 2. cap. 19. scribit horum Æonum* x. & xii. *eos nec ostensionem, nec testimonium, nec verisimilitudinem habere, & proinde frustra credi velle. Immo ipsos detrahere Æonibus suis huiusmodi appellationibus multis, quum ethnici suis Diis multa decentiora & magis potentia nomina imponant, de quibus eodem cap. latissime sicuti etiam prius cap. 13. ac 14. de Triacontade, quod concidat, tam secundum id quod plus est, quam secundum id quod minus. Nominatim quod quum Bythos pater sit omnium, non nisi* xxix. *Æones reperiantur, & præter* xxx. *adhuc alij* iv. *ab illis numerentur in Pleromate, quia etiam angeli satellites Soteris sine numero.*

75. Hinc numero gestientes, &c.] Numero *(inquit Rhenan.) Aduerbium est temporis, quo veteres Auctores sunt usi, teste Festo Pompeio, pro cito ac celeriter. A numerata pecunia sumpta translatio. Plautus in Amphitryone:* numero *mihi in mentem fuit. Distingue ergo sic:* Hinc numero gestientes & ipsi tale quid patri de suo offerre, alios, &c.

76. Hac Sermo & Vita Decuriam Aeonum simul fundit.] *Haud absimiliter lib. de Præscript. adu. hæret. cap. 49.* De Sermone autem & Vita Aeonas alios decem, *quæ ipsa verba Philastrius repetit, nominatim vero etiam recensentur eorum nomina Græce & Latine ab Iren. Epiph. & Theodoreto.*

77. illac homo & Ecclesia duos amplius.] *Nempe* xii. *Id est enim quod loco sæpe citato scripsit:* Sed enim ex his quoque processisse xii. æones id est, sæcula. *Quorum nomina omnium habent conformiter Tertulliano Iren. Epiph. Theodoretus.*

78. Bythios & Mixis. [*Hic lectionem hanc tam excussorum quam ms. 2. Vatic. cod. retinui, quod Græce etiam legatur:* βύθιος, *non* βύθος; *& ab interprete Epiph. Latine* profundus, *nam actiueid* βύθιος *significat, quantum adparet ad differentiam primi Patris* Bythi, *vnde & Iren. sic castigandus tam lib. 1. cap. 1. quam lib. 2. cap. 19. maxime cum etiam R. D. eruditissimusque Michael Billius sua libri primi eiusdem noua versione legat:* Bythius, *atque adeo etiam apud Theodoretum Græcum legi debere* βύθιον *censeo.*

79. Ageratos & Henosis.] *Ita, nunc primum ex Irenæo, Epiphanio & Theodoreto, tam Græcis quam Latinis, pro eo quod (an Typographi qui primum ita Irenæum excudit, an Rhenani negligentia dubito) legebatur corruptissime* Henonis, *cum addita etiam deductione nominis ab habenamentis. nam Græce vbique legitur* ἕνωσις *& Iren. lib. 1. cap. 1.* Henosis, *ac lib. 2. cap. 19.* vnitionem, *seu potius, uti legendum censeo,* vnionem, *quemadmodum etiam ibidem prorsus legendum:* insenescibilem, *pro eo quod est:* innascibilem, *maxime cum eodem accedat quam proxime varia lectio à Feu-ardentio nostro ad marginem adposita:* insensibilem, *neque aliter possit transferri vox* ἀγήρατος.

80. Autophyes & Hedone.] *Sic malo (inquit Rhenan.) scribere quam* αὐτοφυῆ, *nam semper mas cum fœmina copulatur. Et recte: Græce enim apud Epiphan. legitur:* αὐτοφυὴς; *quare etiam sic legi debere censeo apud Theodoretum. Qua vox quum* per se naturalem *significet iuxta alios Interpretes, censeo Iren lib. 1. cap. 19. sic legendum esse.* Hedone *autem, siue (vt plerisque)* voluptas, *siue vt ab Interp. Iren. delectamentum vertatur, perinde est.*

81. Acinetos & Syncrasis.] *Recte etiam sic Rhenan. pro eo quod erat corruptissime* Agne & Hosiosyncrasis. *Atqui* σύγκρασις *legitur apud Epiphan. ac legi debere apud Theodor.* σύγκρασιν *pro* σύγκλεισιν *ipse Interpres indicat, qui &* conceptionem *vertit Solus Irenæi Interpres antiquus* Homosyncrasis: *lib. 1. cap. 2. cui tamen non correspondet, sed potius* syncrasi. *quod idem vertit posteriori loco:* contemperamentum.

82. Monogenes & Macaria.] *Similiter* μονογενὴς *& μακαρία recitantur Græce ab Epiphanio & Theodoreto, pro quibus recte interpres transtulerunt* vnigenitum, & fortunatam, *vti mox Tertullianus, seu:* beatum, *vti Theodoreti Interpres, pro quo non recte Epiphanij Interpres,* fœlicitatem.

83. Paracletus & Pistis, Patricos & Elpis.] *Primi hi quatuor ex* i. *Æones, apud Iren. Epiph. ac Theodoretum Græce:* παράκλητος *&* πίστις πατρικὸς *&* ἐλπὶς, *notissimæ significationis.*

84. Metricos & Agape.] *Græce apud Epiph. & Theodor.* μητρικὸς *id est:* maternus, *quomodo recte transtulerunt Interpretes, non vero:* μετρικὸς, *id est, moderatus, quod in Catalogo perperam collocarat Rhenanus, vti ante me quoque adnotauit Paulus Leopardus Emend. lib. 6. ca. 4. quomodo etiam in eo quod sequitur, mecum consentit* ἀγάπη *vero, omnibus, quid significet notum est.*

85. Ainus & Synesis.] *Sic prorsus lego, pro:* Ainos, *ex Epiphan. vbi Græce legitur, tum ex propria sua sententia, tum vbi Irenæum citat,* αἰῶνα, *& vertitur Latine Semper mens, maxime quum etiam posteriori toties citato Irenæi loco quam proxime accedant, quæ hodie exstant, Latinæ Irenæi editiones, legentes Æon, pro quo proinde legendum* Ainum, *Græce* ἀεινόν, *similiter & apud Theodoretum Græce* ἀεὶς *legatur, pro quo Interpres* mentem *vertit. vbi etiam castigandus & legendus* ἀεινῆς. *Videtur eodem respexisse Billius, dum sua versione substituit:* Ainus, *pro* Ainos, *In quo tamen videtur irrepsisse* Phronesis *vna Æonum Basilidis, pro eo quod apud alios Græce* Synesis, *& Latine* intelligentia. *In catalogo interim nominum has 4. voces posuimus, vti relinquatur Lectori liberum eligendi iudicium.*

86. Ecclesiasticus & Macariotes.] *Similiter apud Iren. Epipha. & Theodoretum, Græce* ἐκκλησιαστικὸς *&* μακαριώτης, *& Latine* Ecclesiasticus & Beatitudo.

87. Teletus & Sophia.] *Prima facie censebam legendum* Theletus, *eo quod ita legeretur Latine apud Iren. libr. 1. cap. 1. non semel iuxta vtrumque Interpretem, & Græce vbique* θελητὸς, *quod adeo Epiphanij Interpres vertit:* voluntatem, *& rectius Theodoreti:* voluntarium. *Verum preterquam quod ms. 3 Vat. cod.* Teletus *legant, quum etiam sit hæc vltima coniugatio Æonum, magis hoc nomen, quod* perfectum *sonat, huic loco conuenit. Quemadmodum etiam magis iudicibus conuenit nomen* immobilis & perfecti, *quam:* voluntarii. *De quibus illud Scorpiaci:* tunc confitendum apud veras potestates & veros homines, Teletos scilicet *(nam & sic ibi legitur, non* Theletos) & Acinetos Valentini. *Correspondet etiam magis, quæ mox sequitur,* Theleti *cum milite glorioso comparatio, quam* Theleti. *Et vero etiam apud Iren. legitur:* Teleton, *siue* Teletum, *lib. 2. cap. 14. ac 24. Interim eligat Lector quod volet. In Catalogo Nominum vtrumque posuimus, addentes etiam* Phileti, *de quo latius sequ. cap. nu. 98.*

88. In Scholis Carthaginiensibus.] *Ita prorsus cum Rhenan. pro* In Isolis, *nam proxime accedit ms. Vat 3. lectio:* In solis, *& (vti ille) sequitur:* Rhetor Latinus, *Docuit itaque Rhetoricam publice. Et fit mox scholasticorum mentio. Ergo fictum argumentum fuit declamationum propter adolescentes quos instituebat. Addit autem* Latinus *nam Græcum quoque Rhetorem non arbitror defuisse, siquidem in vtraque lingua iuuentus erudiebatur. An vero fuerit talis* Phosphorus *aliquis, an sicuti in reliquis Auctor ludat in nomine, nescio; fortassis quod veluti* Phosphorus, *id est, Lucifer, Rhetor ille, quisquis fit, Scholis Carthaginensibus affulserit.*

89. quum virum fortem peroraret.] *Argumentum (inquit idem) audis declamationis.* Perorat *cum Accusatiuo, vt in superioribus sæpe. D. Hieronym. pro Cornelio seditioso tribuno defensionem à Cicerone* peroratam *scribit in Epist. ad Theophilum.*

90. φεῦ adclamant.] *Gratulantium (vti idem adnotat) atque laudantium, & ad tantam præceptoris sui eloquentiam obstupescentium scholasticorum hic vox φεῦ. Apud Græcos φεῦ non solum dolentis est, sed & admirantis. Atqui etiam hic adludit ad verba Iren libr. 1. cap. 5. Iu Iu, Pheu Pheu. Tragicum enim dicere oportet super hanc nominum fictionem. Quod illustrat Epiphan. addita hac Paraphrasi. Sed & sacer (inquit) Irenæus deridens ipsos ob pradicta, Tragicum illud in medium adduxit Iu Iu, & Pheu Pheu. Tragicum enim hoc reuera ob talem calamitatem licet proferre eorum, qui ridicula hæc nominum figmenta descripserunt, & eius qui tanta audacia citra omnem ruborem mendacio suo nomen imposuit. Ita autem legi debere apud Iren. (immo etiam meo iudicio apud Epiphan. Græce & Latine) comprobat Feu-ardentius ex Aristophane in Auibus, & Atace Sophoclis.*

91. Familiæ Ptolomæi.] *Loquitur (inquit Rhen.) de* Ptolomæo *Valentini discipulo. Et recte: nam vti supradictum est nu. 29. præcipue iis qui sunt circa* Ptolomæum, *hæc nominum figmenta adtribuit Irenæus, & infra quoque cap. 20. Auctor:* Satis, *inquit,* meminerat Ptolomæus.

92. quæ sint istorum priuilegia numerorum, &c.] *Quæ Valentiniani* priuilegia numerorum tricenarii, quaternarii, octonarii, & duodenarii *ex elementorum scripturis allegauerint, habes apud Iren. lib. 1. c. 1. 14. ac 15 & eorundem confutationem lib. 2. c. 36. 37. 39. 40. 42. ac 45. Vbi totam materiam ludens ita concludit. Pergat adhuc vt arenam numeret, & calculos terræ, & fluctus maris, & stellas cœli, & causas excogitet numerosi qui inuentus putatur. Atqui imitatos Valentinianos numeros Platonis supra adnotauimus libr. de Præscript aduers. hær. cap. 7. nu. 39. & Irenæus* quaternarionem *eorum Pythagoricam nominat, cuius causam explicat Billius suis Scholiis in lib. 1. Iren. cap. 1.*

93. & nulla alia de pædagogio nomina.] *Repetendum (inquit Rhenan.) iuxta morem Tertulliani verbum:* supereſſent: & nulla alia supereſſent de pædagogio nomina. *Adludit autem ad pædagogia Cæsarum. Nam sub Castrensi sacri Palatij legimus in libro, cui titulus: Notitia dignitatum militarium Orientis & Occidentis, fuisse* pædagogia, *Ministeriales dominicos, & Curas palatiorum. Vnde* pædagogianorum *mentio apud Am. Marcellinum. Per Metaphoram itaque aulici* pædagogii. *Æonum* pædagogium *illud cœleste hic significat Infra rursum c. 13.* Christi, *inquit,* & Spiritus sancti pædagogatum, *Innuens eos Æonum* pædagogos *fuisse.*

94. Stercoræ & Syntrophi.] *Quid (inquit idē)* Stercoræ *sibi velit, ingenue fateor me nescire. Arbitror aliquid esse à Græco verbo* στέργειν, *quod amare significat, cum Accusatiuo construction. Vnde* φιλοστοργία. *Aut ergo* στέρξεις, *aut* σωτῆρες; *nam sequitur* σωτῆρος, *hoc est, coalumni. Nos nihil definimus. At quidam Vat. cod. 2.* Stercoiæ, *alter:* Stercoæ, *sed nec hoc satisfacit.*

CAP. IX.

95. Sed & hoc exceptio perſonarum eſt,&c.] *Inſcripſimus hoc caput*: De Enthymeſi abortiuo partu, procreata à Sophia trigeſimo Æone, *ad verbum fere ex Iren. lib.*1.*cap.*1. *quem etiam ſequuntur Epiphan. & Theodoretus. Porro errorem hunc peculiariter refellit Iren. lib.* 2. *cap.* 4. 5. 14. 24. 25. 26. 27. 28. *&* 29. *Eſt autem*(*vti adnotat Rhenan.*) exceptio perſonarum, *Iureconſultorum ſermo.*

96. ſed interceſſit mater Sige.] Intercedere *iterum accipit pro obſtare, quemadmodum lib.*2.*adu. Marc.* per quas interceſſiſſe potuiſſet, *quam alibi. adnotauimus vocem Iureconſultorum eſſe, qua tribuni dicebantur Senatuſconſultis* intercedere, *id eſt, obſtare, ne fierent. Græce eſt apud Epiphan. & Theodor.* κατέσχε, *quod verterunt Interpretes: Continuit, detinuit, retinuit, inhibuit, Atqui, quodquidem inuiſibilis ſit pater Deus, ſed non incognitus, contra quam hic ſentiebant Valentiniani, docet Iren.l.*2.*cap.*9.*Legimus autem mox*: quos Homo & Eccleſia ediderant,*ex* 3. *Vat. ms.cod.pro*: ediderunt.

97. in continentia ſui ſine coniugis Phileti ſocietate.] *Hunc locum ſi rectitui ex Vatic.* 3. *ms.codic. pro eo quod Rhenanus*: incontinentia ſuive coniugis ſatietate. *Nam præterquam quod ms. Rhenan.codices præter Gorzienſem legebant*: ſocietate, *& ipſe Auctor cap.ſeq.*nulla opera cõiugii,*Græce eſt apud Epiph.* ἄνευ τῆς ἐπιπλοκῆς τοῦ συζύγου. *& Latine apud Iren. lib.* 1. *cap.*1. *ac* 15. ſine complexu coniugis, *& lib.*2. *cap.*14, ſine permixtione aut perplexione. *Quos etiam locos ſomnium hoc refutat, eo quod quum coniugationes ponant Aeonum, atque adeo vnionem quandam Valentiniani, impoſſibile eos ſeparationem à ſemetipſis corripere.*

98. Phileti.] *Mirum eſt* (*inquit Rhenan.*) *cum quo etiam ego idem ſentio, in ms. Tertulliani codicibus, pro* Teleto *hic legi* Philetum. *Sed amatorium huic nomen fortaſſis manuult tribuere, vtpote quum* φιλητὸς *amabilem ſignificet. Relinquo interim Lectoris iudicio, an id legat, an vero* Teleti. *Videtur mihi eſſe genuinum ex illis verbis infra cap.* 30. amoribus Phileti, *quo nomine rurſus vtitur cap.*32.ne Philetus iraſcatur.

99. & genus adtrahit vitii, quod exorſum quidem fuerat, &c.] *Vtrum hoc ignorantia patris potuiſſet contrahi à Sophia, neque exoriri in Logo, aut* illis aliis qui circa Nun & Veritatem (*vbi Helleniſmus eſt, Rhenano teſte*) *niſi dicamus etiam* Nun, *immo & Propatorem Bythum feciſſe eam labem & ignorantiam, late deducit Iren. lib.*2.*cap.*24. *& cap.* 28. *quod hæc patris magnitudinis inueſtigatio non labem aut paſſionem, ſed potius perfectionem feciſſet in Sophia. & cap.* 29. *quod non conueniat Æonem intra Pleroma paſſione adfectum. Eſt autem hinc caſtigandus Iren.lib* 1.*cap* 1.*vt legatur*: quæ exorſa quidem fuerat, *pro*: exors. *nam ita & Græce eſt, & viciſſim ex illo Latino Epiph.Græco addimus*: & veritatem.

100. deriuarat,] *iſtud pro: deriuatum eſt, paſſiue accipitur, ſicut & apud Irenæum, & explicatur verbis ſequentibus, Græce* ἀπηχεῖτο. *Siue autem legas*: connata, *ſicuti excuſi, ſiue* enata *cum Billio, ſeu* conata *cum ms.* 3. *Vatic perinde eſt, immo vero poſtremum magis placet, eo quod ſimiliter dixit Tom.* 1. *Apolog. cap.*40. *num* 534.*iuxta ms. codic.* ſi qua illic arborum poma conantur, *pro*: oriuntur, *& cap.*47. dum noſtra conantur, *ac l. de Anima, cap.*19. video & hederas ad ſuperiora conari. *Ex iiſdem ms. iterum reſtituimus*: ſub prætexto dilectionis, *pro eo quod tanquam Latinius ſubſtitutum erat*: prætextu. *Nam ſupra Tom.*2. *lib. de Pœnit. cap.* 5. *num.* 23. *vbi* prætextum *legitur, ipſe Rhenan. ſic hunc locum citat. Qui hic etiam recte*: ſuperabat *interpretatur*: abundabat, *&* fruſtrarat, *pro*: *fruſtrata fuerat.*

101. modico abfuit,&c. deuorari.] *Ex his verbis caſtigo apud Iren.lib.*1.*cap* 1.*fere abſorptum fuiſſe, pro*:forte,*aut*:vere. *Atqui*:diſſolui, *aut*, deuorari *non potuiſſe Æonem, niſi & integrum Pleroma diſſolueretur & interiret, docet idem Iren lib.*2.*ca.*26.*&* 27.

102. niſi bono fato in Horon incurſaſſet.] *Iſtud eſt quod legitur apertius ſupra lib. de Præſcript. aduerſ. hæret. cap.* 49. Triceſimum autem Æonem, Bythum illum videre voluiſſe, & ad videndum illum auſum eſſe in ſuperiora Pleromatis conſcendere. Et quoniam ad magnitudinem eius videndam capax non fuit, in defectione fuiſſe, & pene diſſolutum eſt, niſi quia miſſus ad conſtabiliendum illum, ille quem appellant Horon, confirmaſſet illum. *De huius productione latius cap.ſequ. Quod vero hic dicit*: vniuerſitatis illius, *Græce* πληρώματος, extrinſecus cuſtos, *infra explicat cap.* 23. *his verbis*: Horo ſignante extremam lineam, *& ex Schemate Pleromatis ſupraſit manifeſtius. Atque adeo inde &* Horos, *id eſt, terminus, dictus eſt, &* Horothetes, *id eſt, finium deſignator.*

103. quem & Crucem appellant.] *Similiter infra cap.*24. Crucem id eſt, Horon. *Cauſam huius appellationis habes cap.ſequ. vbi dicit* Paſſionem ab Horo crucifixam, & extra æuum factam. *item*: *& aliam cap.*27. *quod* ſuperior ille Chriſtus ab Achamoth cruci, id eſt, Horo, fuerat innixus, *ſicuti etiam cur* Lytrotes, *id eſt, redemptor dictus ſit, quod* purgatam à malis, & deinceps confirmatam Sophiam coniugi reſtituerit. *Proinde & Græce legi debet* σταυρὸν λυτρωτὴν, *pro eo quod eſt* συλλυτρωτὴν, *aut* στήλην λυτρωτὴν, *quod legit Interpres Epiph.*

104. Carpiſten.] *Græce* καρπιστήν. *Quam vocem rectius meo iudicio interpretatur Leopardus loco ſupracitato cap.*84. *vindicem, aſſertorem, ſeu manumiſſorem, quam Rhenanus*: fructificatorem, *& Epiphanij Interpres* fructuarium. *Nam fructum nullum conſtat æditum ab Horo, at vindicem fuiſſe Sophiæ ex eiuſdem reſtitutione manifeſtum eſt. Adlegat ille pro noſtra hac ſententia illud Chariſii veteris Gramatici, vindiciæ* καρπιστεία. *Lego autem cum* 3. *ms.cod.* declinata inueſtigatione patris, *pro*: de inclinata, *eo quod legatur apud Iren. credentem iam quoniam incomprehenſibilis eſt pater.*

105. totam Enthymeſin, id eſt, animationem cum paſſione, &c.] Enthymeſin cum paſſione *ſeparatim non poſſe fieri, ſiue abiici, ſiue* exponi, *vt habet Auctor, deducit Iren. lib.* 2.*cap.*25. *&* 26. *Neque enim, inquit, aliud erat* Enthymeſis. eius, *niſi* paſſio *incomprehenſibilem comprehendere cogitantis, &* paſſio Enthymeſis, *impoſſibilia enim ſentiebat. Atque adeo recte ſecundum ſententiam Irenæi* Enthymeſis *ab eius Interpretibus transfertur*: intentio *ſiue* cogitatio. *Sed explicatior eſt Tertulliani vox* (*quæ ex limitibus paginarum in contextum irrepſit*) animatio, *quippe quam accipit pro animi conceptu vehementi, ſecundum propriam ſignificationem Græcæ vocis, vtpote quæ à* θυμὸς *deriuetur, quam non aliud quam animum vehementem ſignificare adnotauimus ad B.Cyprian, de Lap. num.*79. *occaſione illius Iſai.*42. *Et ſuperduxit ſuper eos iram* animationis *ſuæ Adluſiſſe autem videtur ad illud Iren. lib.* 2. *cap* 16. *Prima motio eius de aliquo Ennœæ appellatur, perſeuerans autem & aucta*, vniuerſam adprehendens animam, Enthymeſis.

CAP. X.

106. Sed quidam exitum Sophiæ & reſtitutionem,&c.] *Quum eiuſdem ſit cum c. præced. argumenti, iſtud inſcripſimus*: De Hori productione, & (*vt loquitur Auctor lib de Præſcript. aduerſ. hær. c.*7.) de Enthymeſi & Ectromate, ſecundum alios, *Pro eo quod habet Auctor* exitum, *apertius Iren.* paſſionem. *Accipi interim videtur etiam hic* exitus(*ſicuti ſupra To.*1.*lib.ad Scapul. num.*20.*adnotauimus*) *pro*: *exitio, cui Sophia, niſi reſtituta fuiſſet, erat quamproxima.*

107. Sed & vultures fœminis tantum parere aiunt.] *In* vulturum *enim* (*inquit Rhenan.*) *genere mas non naſcitur, ſed fœminæ omnes Auſtrum ventum aut Eurum ore hiante excipiunt, & ſic vento vice ſeminis implentur.*) *Auctor Ælianus.*

108. & tamen ſine maſculo mater metuere poſtremo.] *Sic lego, omiſſo*: &, *ſuperfluo. Supplendum autem videtur* (*quod videtur deſiderari ob illud* poſtremo) *ex Irenæo*: primo quidem contriſtari propter inconſummationem generationis, metuere poſtremo, ne finis quoque inſiſteret, *hoc eſt, vti ille apertius, ne hoc ipſum finem habeat.*

109. Vbi enim iam Tragœdiæ & Comœdiæ, &c.] *His verbis explicat quomodo ſub finem cap. præced, acceperit* expoſuit, *vtpote non ſimpliciter, pro*: *abiecit, ſed pro*: *fœtum abiecit. Cuius rei plenæ ſunt tum* Comœdiæ, *tum* Tragœdiæ. *Hinc illud Terentij ibidem à Rhenano citatum*: Erat hinc Corinthia *anus haud impura, ei dedi* exponendam. *Liuius lib* 1. *dec.*1.*paulopoſt initium*: *Ita velut defuncti, inquit, Regis imperio, in proxima alluuie. vbi nunc ficus Ruminalis eſt, Romularem vocatam ferunt, pueros* exponunt. *Vnde expoſititij dicti. Lego autem cum* 1. *ms.Vatic.cod.* citra pudorem, *pro eo quod alij*, circa.

110. conuertit ad patrem,&c in preces ſuccidit.] Conuertit, *inquit idem, abſolute. Ita enim Iræneus latius explicans, ſic habet*: *In iis autem paſſionibus factam accepiſſe regreſſionem, & in patrem regredi conatam, & aliquandiu auſam tamen defeciſſe, & ſupplicem patri factam. Proinde* in preces ſuccedit, *pro ſuccubuit, dixit phraſi ſua, de qua ſupra Tom* 2.*l.de Patient.cap.* 5.*num.*37.

111. Quidni? cauſa tanti mali.] *Nam* (*inquit Rhenan.*) Nus *tentauerat ceteris Æonibus aliquid de magnitudine & incomprehenſibilitate patris communicare. Vnde Sophiæ eius rei cognoſcendæ cupiditas.*

112. vacuit.] *Sicut* (*inquit idem*) *dicimus*: *decuit, decuiſſet, decuerat, ſic Tertullianus vſurpare ſolet*, vacuit, vacuiſſet, vacuerat. *Sic lib. de vera Carne Chriſti, cap.* 7. Niſi quod etſi vacuiſſet, *inquit*, tentatoris ingenium, &c. *Eodem lib. rurſus*: Auſim, *inquit*, dicere, ſi hæc carni non accidiſſent, benignitas, gratia, miſericordia, omnis vis Dei benefica vacuiſſet. *Item lib. d. Pallio, c.* 4. Quandoquidem, *inquit*, labiis vacuerat ab vberum guſtu, *pro cauerat. loquitur de Achille. Arbitror vulgaris fuiſſe conſuetudinis, huiuſmodi verbi enunciationem.*

113. Ignorantia, pauor, mœror.] *Quarto loco additur ab Irenæo ſtupor, ſiue admiratio, quam infra Auctor cap.* 15. conſternationẽ *vocat, eam in Achamoth agnoſcens, ſed in Sophia non videtur eam agnouiſſe Auctor. Atqui quod hic dicitur* ſubſtantiæ fiunt, *ſupra lib. de Præſcript. adu. hær. dixit* ex paſſionibus materias ediſſe, *ſic etiam Iren & Epiph. quod quum infra Achamoth adſcribat Sophiæ partui abortiuo, contra dicere ſibi ipſi Valentinianos manifeſtum eſt. Lego autem paulopoſt, ordine verborum nonnihil immutato*: Ibi demum pater aliquando motus per Monogenen Nun, quem ſupra diximus Horon. *Neque enim vnius Hori duo patres eſſe poſſunt*: *quod ſignificare videbatur prior lectio.*

114. In hæc promit.] In hæc, *pro ſuper hæc, quemadmodum legit Irenæus Latinus. Atqui*: promit, *iterum lego cum ms* 2. *Vatic. codic. pro eo quod Rhenan. ſubſtituerat*: præmittit, *niſi malit quis legere eodem ſignificatu*: emittit *quomodo hauddubie legendum apud Irenæum li.* 1.*c.*1. *Nam quod Græcæ eſt apud Epiphan. & Theodoret. Vertunt interpretes, producit, maxime quum ſic loquatur Irenæus l.* 1.*c.*15. Emiſſum, *ſicut & reliquos Æonas, Horon. Qui interim duas quum ſententias recenſeat, ſuſpicor illud ſupradictum*, per Monogenen Nun, *ad marginem ab aliquo fuiſſe adſcriptum, & inde in contextum irrepſiſſe. Ait enim ille Hunc autem* Horon, *quidam quidem à* Monogene emiſſum *dicunt, alij vero ab ipſo* Propatore, (*quem* patrem *vocat Auctor*) in ſimilitudine ſua. *Confutat autem*

hinc Ibidem Irenæus triacontadem Æonum, quod Horos excedat illum numerum.

115. fœminamare.] *Quod* fœminamare *(inquit Rhen.) compositâ dictione Tertullianus dixit, est apud Iren.* masculo fœmina, *atque adeo omnino apud illum legi debet, quod ad marginem adnotat Feu-ardentius:* sine coniuge, *cui consentit illud Abbatis Billii:* coniugii experte.

116. quia de patris sexu ita variant.] *Explicat idipsum Rhenan.* Patrem *enim, inquit, aliquando eum coniuge Sige, modo vero pro masculo & fœmina esse volunt. Huc enim pertinet quod habet infra ca. 34. de* Hermaphrodito.

117 Metagogea, id est: circumductorem.] *Expositio hæc Græci vocabuli ex paginarum limitibus in contextum irrepsit, proprie interim (inquit Rhenan.)* μεθαγωγὰς *eum significat, qui in ulteriora ducit, hinc ab Interprete Epiph.* traductor *vertitur.*

118. Enthymesin vero, &c.] *Interpres (inquit Rhenan.) Irenæi quam solet intentionem reddere* Enthymesin, *hic concupiscentiam vertit. Concupiscentiam vero eius, inquit, cum passione ab Horo separatam & crucifixam. Erasmus Roterodamus in Irenæi recognitione* ἀνθυμήσιν *pro inuentione siue commentatione interpretatus est. Apud eundem quum legatur sicuti hic:* crucifixam, *recte adnotauit Billius restituendum Græce* ἀποσταυρωθῆναι.

119. & extra æuum factam.] *Hoc est, inquit idem,* extra *Pleroma Æonum. Castigalocum Irenæi, vbi legitur: Extra eum factam. Tu scribe: Et extra æuum factam. De Prouerbio autem:* Malum foras, *in Prolegomenis nostris latius.*

120. Inspeciatam.] *Id est (ait Rhenan.) sine specie, & recte. nam supra lib. præced.* speciatim *similiter dixit.*

Cap. XI.

121. Igitur post Enthymesin extorrem, &c.] *Caput hoc inscriptissimus;* De noua generatione duorum Æonum, Christi & Spiritussanctι. *Atqui:* extorrem *dixit (vti etiam ante me adnotauit Rhenanus) quod prius dixerat:* relegatam, *& Irenæus* separatam. *item:* patris cura & prospectu, *quod ille: secundum prouidentiam patris.*

122. ne qua eiusmodi rursus concussio incurreret.] *ms. Vatic.* incuteret, *sed illud placet. Apertius Epiph. Interpres ex Græco: ne quod Æon similiter vt ille afficeretur.*

123. nouam excludit copulationem.] Excludunt *(inquit Rhenan.) aues, dum incubando pullum emittunt. Plinius: Columbæ* excludunt *vigesimo die. Supra autem dixit:* Et gallina sortita est de suo parere. *Monogenes quoque ex seipso Christum & Spiritum sanctum peperit. Itaque apte hoc verbo vsus est. Porro præterquam quod hic faciat* Monogenen *masculo fœminam, &* Spiritum sanctum fœminam, *aut nouum masculorum coniugium,* nouam copulationem Christi & Spiritussancti, *quam etiam absurdum id esse dicit Irenæus lib. 2. cap. 15. quod sic aut excedatur numerus tricenarius Æonum, aut Æones isti dici non possunt.*

124. concinnationem Æonum.] *Apud Irenæum, inquit Rhen. legitur: A Christo & Spiritu sancto consummatos esse Æonas. Quare fieri potest, vt Tertullianus scripserit,* consummationem, *quod versum sit ofcitantia librarij in* concinnationem. *Nam infra:* Exinde refecti sunt, *inquit,* & constabiliti sunt, & in requiem ex veritate compositi. *Et tamen quia sequitur:* Christi erat inducere Æonas in naturam coniugiorum, *non male quadrat hic:* concinnatio. *Nisi fallor enim, quod Irenæus compaginem vocat, Tertullianus* concinnationem *dicit. Hactenus ille. Ergo vero quum Græce sit* κατηρτισθῆναι *quod consummare seu omnibus numeris absoluere Interpretes transferunt, omnino lego:* consummationem, *maxime quum plura officia Christo & Spiritui sancto hic proponantur.*

125. inducere Aonas naturam coniugiorum.] *Irenæus: Docuisse eos naturam coniugationis. quare mihi videtur etiam hic legendum:* docere, *pro:* inducere.

126. & innati coniectationem.] *Irenæus:* comprehensionem. *Accipitur itaque* coniectatio *pro comprehensione: nam sequitur,* quod carpere eum non sit, nec comprehendere. *Siue autem legas cum exc.* illam magis doctrinæ denotabo peruersitatem, *siue cum ms. Vatic. 3.* illud magis denotabo, doctrinæ peruersitatem, *perinde est.*

127. incomprehensibile.] *Recte Rhenan. adnotauit similiter accipiendum apud Irenæum* incomprehensibile, *pro:* incomprehensibilem. *nam ex Græco vertit Abbas Billius:* in eo quod de patre Patris comprehendi nequit.

Cap. XII.

128. Itaque omnes forma & sententia peræquantur, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* De nouo fructu ex omnibus Æonibus compacto, quem Iesum vocabant, & angelis satellitibus. *Esse autem eandem absurditatem, quæ de præcedentibus, docet Iren. dicti lib. 2. cap. 15. quod sic quatuor plures quam xxx. constituantur Æones, quibus si addantur &* angeli satellites, *erunt sine numero. Lego autem ex Irenæo tam Græco quam Latino:* sententia, *pro* scientia, *nam mox iterum sequitur:* vnum iam omnes, etiam forma, nedum sententia.

129. Omnes refunduntur in Nus, in sermones, omnes in homines, in Christos.] *Sic prorsus castigandus est hic locus ex Irenæo tam Græco quam Latino, tum vt correspondeant suis masculi coniugibus, tum quod videatur eas dumtaxat Æonum coniugationes recensere, qui nouas productiones ediderint. Antea desiderabatur* in sermones, *quod correspondet illi:* in Zoas, *& quarto loco legebatur:* in Philetos.

130. & quæ fœminæ, in Alethias, in Zoas, in Ecclesias, in spiritus.] *Similiter & iste, nam* Sigas *nullo pacto conuenit cum* Nus, *cuius vxor* Alethia, *deinde Christis correspondet* spiritus, *qui duo quum postremo producti sint loco, etiam in Græco & Latino Iren. & Epiph. censeo hoc modo voces:* in Ecclesias, in spiritus, *contrario ordine transponendas, neque vero* Christi, *immo nec* Phileti *coniugatio fuit* fortunata. *quare:* in fortunatas *mutauimus:* in spiritus. *Mutat autem (inquit Rhen.) non hic tantum, sed alibi frequenter, numerum, elegantiæ risusque causa.*

131. Ouidius Metamorphoseis suas deleuisset si hodie maiorem cognouisset.] *Puta (inquit idem) Æonum istorum apud Valentinianos. Clarius autem dicit Auctor:* in requiem ex veritate compositi, *quod in calce c. præced. dixerat:* & veram inducerentur quietem, *pro:* in quietem. Patrem *vero iterum nuncupat, quem Irenæus:* Propatora, *ac:* filiorum & nepotum *nomine, Nun intelligit, & cæteros Æonas ex illo eiusve progenie productos.*

132. Pleromate liberato.] *Nam (inquit Rhen.) Æones* Pleroma *concusserant, Bytho negotium facessituri. Nunc vero ordinatis & compositis, ac per Christum & Spiritum sanctum institutis Æonib. nullum amplius periculum erat* Pleromati. *Effectum enim constabat propter quod venerat. Nempe solidatæ res, &* Pleroma *munitum atque confirmatum, ne qua similis concussio rursus incurreret.*

133. Videamus quotidie, &c.] *Ex hoc loco (inquit idem) vides Tertullianum maru fuisse accolam, vt in Carthaginiensi agro versantem.*

134. ad symbolam.] *Collationem (adnotat idem)* symbolam *(pro quo corrupte Lugdunensis additio:* cymbalam, *& mox:* cymbalæ*) vocat, quoties scilicet à singulis aliquid in commune confertur. Hinc* A symbolus, *qui nihil in medium confert. Recte itaque Turnebus lib. Adu. 28. c. 4. etiam apud Terentium in Andria legendum:* symbolam *dedit, non:* symbolum, *quod quidem cod. hic etiam perperam legunt.*

135. nouis fratribus & magistris.] Nouos fratres *(iuxta eundem) appellat propter nouam & postremam copulationem à Monogene exclusam.* Magistros, *quia missi erant ad consummandos Æonas & instituendos. Lego vero ex 3. ms. Vat. cod.* spiritu sancto, *pro:* spiritu.

136. ex ære collatitio quod aiunt.] *Quamquam hic (inquit idem)* collationis & symbolæ *fit mentio (nam Tertullianus:* conferunt, *inquit,* in medium. *Et mox:* vnum, *inquit,* omnes bonum conferebant. *Item Irenæus: Vnumquemque, inquit, eo quod habebat in se optimum florentissimum* conferentes, collationem *fecisse. Rursum mox: Et secundi Christi, quem Soterem dicunt (ex* collatione *composita fabricatio:) Nihilominus quando vetusta exemplaria constanter habent* ære collocatitio, *video non tam* collatitio *legi posse, quod omnibus obuium est, quam* collocatitio, *pro:* ære *mutuatitio & alieno, quod* in vnum conferentes *boni viri, & apud amicum negotiationi intentum collocantes, sic illum cum ornant, tum adiuuant, prius ab eo sibi cauentes. Sane apud Irenæum alio loco de hoc ipso Sotere legitur: In eum deponentibus velut florem suum,* vt collocatitium *sit hic depositiuum. Idem sensus erit, si* ære collotitio *legas, aut certe non magnopere diuersus. Etquidem apud veteres multa fiebant* ære collato. *Quibus operibus inscribebantur hæ notulæ,* AER. COL. *Ad quem morem fortasse hic adludit Tertullianus. Hactenus ille. Ego vero quamquam Vat. 2. cod legant:* collocatitio, *tamen retinui:* collatitio, *quod ad id quam proxime accedat, quod habet alter Vat.* collatio, *maxime quum prater citatos à Rhenano locos, etiam li. 2. cap. 37. verbis paulo post citatis Irenæus consentiat. Ridet autem hic Valentinianorum amentiam Tertullianus, qui Æonas Iesum velut ex ære collatitio produxisse statuunt, quum tamen eos vnum omnes effectos fuisse asserant. Sic Abbas Billius in Irenæum, apud quem in Græco contextu censeo legi debere* προβολῶ, *& apud Interpretem Latinum* probolam, *pro eo quod Græce est* προβλήματα, *& Latine problema, quo respexisse videtur Interpres Epiphanii, dum vertit:* problemata, *&* emissiones, *quippe quum hoc postremum significet* προβολὴ, *vti supra adnotauimus nu. 68.*

173. de patruitis.] *Irenæus:* patronymice, *Græce apud Epiphan.* πατρωνυμικῶς, *quod eleganter vertit Abbas Billius:* patrito nomine.

138. & omnia.] *Sic etiam Interpres Latinus Iren. quare & Græce censet legendum Billius,* τὸ πάντα, *quod ipsum confirmatur ex illo dicti ca. 37. quem &* omnia *nuncupant, quomodo proinde etiam transferendum videtur eiusdem li. ca. 15. vbi legitur: quem etiam totum esse dicunt.*

139. graculum Æsopi.] *De loc prouerbio inter Prolegomena.*

140. Pandoram Hesiodi.] *Irenæus (inquit Rhen.) lib. 2. cap. 19. impia Valentinianorum somnia à Philosophis & Poetis ostendens esse desumpta: Quod autem, inquit,* saluatorem ex omnibus factum esse Æonibus *dicant, omnibus in eum deponentibus, velut florem suum, non extra* Hesiodi Pandoram *nouum aliquid afferunt. Quæ enim ait ille de illa, hæc hi de Saluatore insinuant,* Pandoram *introducentes eum, quasi vnusquisque Æonum, quod haberet optimum, donauerit ei. Idem c. 37. eiusdem libr. Sed neque de Paulo quidem, inquit, tacendum est, sed exigendum ab his, in cuius Æonis typum Apostolus nobis traditus est, nisi forte in Saluatoris compositi eorum, qui ex omnium collatione subsistit, quem & omnia nuncupant, eo quod sit ex omnibus. De quo &* Hesiodus *poeta splendide significauit:* Pandoram, *id est, omnium munus, nominans eum, ob hoc quod ex*

omni-

omnibus optimum munus in eo sit collatum. Et paulopost: Et non solum, inquit, per Hesiodum hoc operata est mater eorum mysterium dici, sed & Pindari lyrici sapienter valde, vt celet Demiurgo in Pelope, cuius caro in partes à patre diuisa est, & ab omnibus Deis collecta, & allata, & compacta, Pandoram hoc modo significauit, ex qua & isti compuncti eadem secundum eos dicentes, eiusdem generis & spiritus sunt cum illis. Rursum lib. 4. cap. 2. Valentinianos vocat peruersissimos Pandoræ Sophistas: Quem patrem, inquit, volunt vos audire hi qui sunt Pandoræ peruersissimi Sophistæ? vtrumne Bythum, quem à semetipsis fixerunt, an matrem Aeonum? (sic enim lego, pro: eorum) an Vnigenitum? Porro fabulam Pandoræ habes apud Hesiodum. Et meminit eius Tertullian. lib. de Cor. milit. Si fuerit, inquit, aliqua Pandora, quam primam fœminarum memorat Hesiodus, hoc primum caput coronatum est à Charitibus, quum ab omnibus muneraretur. Vide de eadem adnot. nostras in c. 7. dicti l. de Cor. milit. num. 64.

141. Acci patinam.] Arbitror (inquit idem) Accium istum Aptiio non fuisse dissimilem. Huiusmodi patinæ mentionem fecit Annæus Seneca lib. 15. epist. Memini, inquit, fuisse quondam in sermone nobilem patinam, in quam quicquid apud lautos solet diem deducere, properans in damnum suum, popina congesserat. Veneri & spondylique, & ostrea catenus circumcisa qua eduntur, interuenientibus distinguebantur echinis, torti distracti sine vllis ossibus nulli construerunt. Piget esse singula, coguntur in vnum saporem. In cœna fit, quod fieri debet saturo in ventre. Et paulopost subdit: Graue est, inquit, luxuriari per singula, omnia semel & in eundem saporem versa ponantur. In eadem epist. pauloante meminit Sosiorum gari: Quid illud, inquis, Sosiorum garum, pretiosam malorum piscium saniem, non credis vrere salsa tabe præcordia? hactenus ille Talem. Acci quoque patinam fuisse reor.

142. Nestoris cocetum.] Videtur (inquit idem) hic Nestor scriptor aliquis fuisse, vel insignis gulæ magister. Proinde vel Coccetum fortassis legi poterit, quasi à Cocco, quod granum Græci dicunt, & deducatur, vel Coccentum, quod esse edulij genus aiunt, ex melle & papauere commixtum. Potest etiam Cocetum vox esse deriuatiua à coco, vt intelligat varia cibariorum genera in vnum congesta.

143. Miscellaneam Ptolomæi.] Apparet (inquit idem) opus fuisse ex diuersis contextum, Verisimile est Angelum Politianum Adnotationibus suis hinc titulum mutuatum, nam constat eum lucubrationes Tertulliani legisse, tametsi hoc vocabulo Apuleius quoque vtitur. Vatic. vero ms. 3. cod. legunt, sed obscure satis, Ptolomæi phlonici forte Platonici. sed in contextu nihil immutandum duxi.

144. Quam propius fuit,] Sic Cicero (inquit Rhenan.) loqui solet: Nihil propius factum est quam vt ille occideretur, id est, paulum abfuit.

145. de Atticis historiis Pancarpiam. Vatic. ms. 3. cod. de aliquibus historiis. Qui quamquam videantur legisse: pancarpi pannitapiam, ego cum Rhenano retinui Pancarpiam. Nam, auctore Festo: Pancarpiæ dicuntur coronæ ex vario genere florum factæ. Secundinus Manichæus D. Augustinum irridens, qui veteri Instrumento ad litterram fidem haberet: Sed forte, inquit, post Daretis & Entelli certamen, Iacob & ipsius pammachiam exspectare volucres? An numerum Amorreorum, an Pancarpum in Arca Noe conspicere dispositeras? Significat, Secundinus illud quod Genes. 6. c. legimus: Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt, & comportabis apud te, & erunt tam tibi quam illis in cibum. Hoc vocat ille Pancarpo. Porro Pancarpiæ coronæ nomenclatura non male competit Soteri Valentin. cum ex omnium defloratione conflet.

146. sigillarium.] Festine (inquit Rhenan.) ludit in factitium istum Deum, imagunculam eum appellans, nam sigillaria eo significatu ab Auctore accipi adnotauimus supra T. 2. l. de Orat. c. 12. n. 49.

147. satellites ei angelos.] In hoc autem sibi contrariantur Valentiani, quod hic angelos productos faciant ex omnibus Æonibus, infra vero c. 20. ex Demiurgo productos.

CAP. XIII.

148. Continet hic igitur ordo primam processionem, &c.] Non aliud hoc est caput quam Epilogus præcedentium, & transitus ad nouas fabulas.

149. primam processionem, &c.] Hanc tractauit Auctor supra c. 7. & 8. Sophiæ vero casum & Horo opportunissimum auxilium. cap. 9.

150. Enthymeseos & coniunctæ passionis expiatum. [Id est (inquit Rhenanus) expiationem, liberationem, & purgationem, de qua c. 10.

151. Christi & Spiritussancti pædagogatum.] Huc pertinet illud de iisdem, c. 11. Et ab eius officii societate, duæ scholæ, duæ cathedræ.

152. Æonum tutelarem reformatum.] Reformatum dixit pro reformatione. Hoc supra vocat consummationem. Metaphora est à tutoribus puerorum sumpta. Fuere autem Christus & Spiritussanctus, perinde ac tutores, Æonibus præfecti. Habes ante: Exinde refecti & constabiliti sunt. Tractatur vero istud eodem cap. 11. Atqui prorsus lego, Æonum, pro: Æonem, ex ms. 3 Vatic.

153. Soteris pauoninum ornatum.] Hoc cap. 12. Sicuti autem (inquit Rhenan.) pauo coloribus gemmantibus (vti alibi Tertull.) insignis est, ita Soter Valentinianorum ex omnium Æonum defloratione confectus.

154. Angelorum comparatitium antistatum.] De hoc item c. præced. Vsurpat autem (inquit idem) antistatum, iuxta quartam inflexionem, pro prælatione siue præeminentia. Quum autem dicit: comparatitium antistatum, coniungit contraria. Siquidem comparatio peræquationem secum adfert. Quid enim est aliud comparare, quam æquare velle eum, qui comparatur ei, ad quem fit comparatio? Et antistatus eminentiam significat, eeu diximus ad uersantem comparationi. Stulti itaque Valentiniani, qui angelos satellites paris generis Christo adstruebant, quem summa fingebant excellentia præditum.

155. Vos valete & plaudite.] Hoc fine (vti idem adnotat) Comœdia apud veteres claudebatur in publico recitata.

156. Alia autem trans siparium cothurnatio est.] Est siparium (inquit idem) auctore Festo, genus veli mimicum, quamuis in quibusdam codicibus legitur inimicum, sed perperam. Itaque siparia scenæ velabantur, ne spectatoribus omnia paterent. Et inde prodibant actores, Hoc vocabulo vsus est Iuuenalis Satyra octaua.

Consumptis opibus vocem Damasippe locasti
Sipario, clamosum ageres vt Phasma Catulli.

Sipario, id est scenæ, figurate, vt pars pro toto accipiatur. Annæus Seneca lib. de Tranquillitate vitæ, c. 11. loquens de Publio Mimographo: Publius, inquit, Tragicus Comicisque vehementior ingenio, quoties mimicas ineptias, & verba ad summam caueam spectantia reliquit, inter multa alia cothurno non tantum siparia fortiora, & hoc ait: Cuius potest accidere quod cuiquam. Vbi videre est siparia ad scenas Comœdiarum & Mimorum proprie pertinere, sicut cothurnus Tragœdiarum est, Apuleius lib. 1. de Asino aureo: Oro te, inquam, aulæum tragicum dimoueto, & siparium scenicum complicato, & cedo verbis communibus. Idem alibi: Aulæo subducto, & complicitis siparii scena disponitur. Tertullianus in principio huius libri: Ceterum, inquit, tota in adytis diuinitas, tot siparia portarum, totum signaculum linguæ, simulacrum membri virilis reuelatur. Sic enim castigauimus, quum ante legeretur: tot suspiria portarū. Siparii meminere Donatus & Probus Gramnatici. Legimus aūt suparum, & syparum. Porro Pleroma ipsum, quod Horos custodit, siparii loco est. Velut exponens enim quod dixit trans siparium, subiicit, extra pleroma dico. Est ergo sensus horum verborum. Alia trans siparium cothurnatio est. hoc est: Alia longe atrocior Tragœdia est eorum, quæ extra septum ac circulum pleromata accidernnt. Tragœdiarum actores vtebantur cothurno, calciamenti genus est. Comœdiarum, socco. Vide aliquid etiam supra nu. 8.

CAP. XIV.

157. Namque Enthymesis, &c.] Caput hoc inscriptissimus: De Enthymesi siue Achamoth, quod ob releuationē affecta sit mœrore, metu consternatione, & ignorantia. Quod ipsum habes etiam supra l. de Præscript. aduers. hær. c. 49. & apud Irenæum, Epiphanium, ac Theodoretum.

158. siue iam Achamoth.] Similiter appellabatur ab Irenæo, & Græce ab Epiphanio & Theodoreto ἀχαμώθ, quod hic nomen interpretabile vocat Auctor, & mox in eandem sententiam inquit: Achamoth vnde, adhuc quæritur. Feu-ardentius interim vocis huius Etymol. ex Hebræa voce Hachamoth deducit, ac si Sapientiam dicas.

159. in loca luminis aliena.] Alienus (inquit Rhenan.) cum Genitiuo. vt in lib. de Resurr. carnis: In re, inquit, aliena salutis. Similiter infra cap. 26. salutis alienum.

160. quod Pleromatis res est.] Ergo (inquit idem) lux est intra Pleroma, & extra illud tenebræ, immo vacuum. Irenæus umbratæ vanitatis loca vocat. quod ipsum in schemate Pleromatis obseruauimus, vt illud lucidum, medium vero tabulatum obscurum iusserimus excudi.

161. in vacuum atque inane illud Epicuri.] Epicurus (eodem adnotante) vna cum Leucippo, Democrito, & Metrodoro, adserit indiuidua quidem multitudine infinita, inane autem magnitudine infinitum. Inane autem vacuitatem esse corporis, auctor Plutarchus. Atqui istud latissime refutat Iren. l. 2. c. 3. 4. 7. ac 8. Cenoma vacuum illud appellans, quomodo etiam Græce apud Theodor. tum κένωμα. quare recte Abbas Billius etiam apud Iren. l. 1. c. 1. c'est legendum κενώματος, pro: σκηνώματος, maxime, quum loca luminis aliena, Græci σκιὰς nuncupent. Et proinde etiam legendum Latine apud Irenæum: in vmbris, ac vacuitatis locis, pro eo quod est: in vmbrosa vacuitatis locus, &: deferbuisse, magis ibidem placet quam: deferuisse. Idem Irenæus l. 2. c. 19. diserte verbis scribit, Valentinianos vmbram & vacuum à Democrito & Epicuro sumpsisse.

162. defectiua scilicet & abortiua genitura.] ms. 3. Vat. cod. & ceteri: deuestiua. sed lego cum Rhenano defectiua, quia (inquit) subauditur, existente. Siquidem Helleniſmum refert oratio, & verba quæ præcedunt: Nec forma, nec facies, referuntur ad genituram, non Enthymesin. Significat autem hic genitura, partum qui informis erat, nec vlla præditus specie. Quo vocabulo in superioribus libris non semel vsus est. Vt in lib. de Patientia: Totius, inquit, genituræ tributa dignis simul & indignis patiatur occurrere, & l. de Resurr. carn. infra: Nam & exinde, inquit, à benedictione genituræ. Alioqui Latini Horoscopum genituram vocant, vt apud Iul. Firmicum est videre, & genesim. Sueton. in Caligula. Consulenti, inquit, quoque de genitura, Sulla Mathematicus certissimam necem appropinquare affirmauit.

163. Dum ita rerum habet.] Hellenismus est iterum (vti idem adnotauit.) Nam Græci dicunt καλῶς ἔχω τοῦ σώματος, id est, bene habeo corporis. μετρίως ἔχω τῶν χρημάτων, id est, mediocriter habeo pecuniarum. Sic hic Tertullian. Dum ita rerum habet. ὅτε τῶν πραγμά-

A

τῶν οὕτως ἔχῃ. *AEtiologica siue Elliptica constructio est. Equidem quando Genitiuum regit verbũ* ἔχω, *dispositionem significat,* ἀπτικῶς. *Philostratus in Iconib.* μᾶλλα ἔχων τ᾽ ἐ τρίβων ⊕. *Ceterum nemo mirari debet Græcam loquendi consuetudinem Tertullianum imitari subinde. Nam id temporis nihil exstabat apud Latinos in sacris præter vtrumq; Testamentum, tantum Victor* 13. *Romanæ vrbis Episcopus opuscula quædam scripserat, & Apollonius, auctore Hieronymo. Legebat ergo Tertullian. feruens in studio sacrarum litterarum, Ignatium Antiochenum, Polycarpum, Papiam, Quadratum, Aristidem, Agrippam, Egesippum, Iustinum Philosophum & Martyrem, Melitonem Asianum, Theophilum Antiochenum, Apollinarium, Dionysium Corinthium, Pinythium Cretensem, Tatianum, Philippum Cretensem, Musanum, Modestum, Bardesanem, Irenæum, Pantænum, Rhodonem, Clementem Pantæni discipulum, Miltiadem, Apollonium, Serapionem, Theophilum Cæsariensem, Bacchylum Corinthium, Polycratem Ephesinum, Heraclitum, Maximum, Candidum, Apionem, Sextum Brabianum, & similes scriptores alios Græcos.*

164. flectitur à superioribus Christus] Flectitur (*inquit idem*) *subaudi ex commiseratione. Et sequitur mox*: hac misericordia functus, non sine spiritusſancti societate, recurrit Christus in Pleroma. *Irenæus: Misertum autem, inquit, eius* superiorem Christum, &c.

165. deducitur per Horon.] *Hic fungitur (inquit idem) officio suo* Horos, *dictus etiam* μεθοριστὴς, *vt supra relatum est. Verum alia est Irenæi sententia, qui loco istius habet Christum per crucem (qui etiam* Horos *) extensum. Cui consentit etiam Theodoretus. Atque adeo hinc vides aliam rationem cur* Horos *crux dicatur.*

B

166. aborsum vt illud.] *Græce apud Iren.* ἔκτρωμα, *Latine* abortus. *Hinc illud Auctoris supra li. de Præscrip. adu. hær. c.* 7. de Enthymesi & Ectromate, *vbi de eo latius nu.* 45. *ac locum Hieron. similem adduximus.*

167. solius substantiæ, non etiam scientiæ forma.] *Ireneus (Rhenano etiam citante) paulo clarius, hac virtute formasse formam, quæ esset secundum* substantiam *tantum, non etiam secundum agnitionem. Clarius fit autem istud ex eo, quod paulopost sequitur*: quem si omnino non nouerat, vt inuisibiliter operatum, quomodo lumen eius ignotum cum ipso, *id est, æque atque ipse Christus illi ignotus erat*, requirebat?

168. Et tamen cum aliquo peculio relinquitur.] *Vtitur quidem infr. c.* 25. *simili phrasi, quum inquit*, peculium quoddam seminis spiritualis. *verum non ad illud hic relatio est, vtpote quod à matre Sophia illa habebat, at istud à Christo, nempe id quod sequitur*: odorem incorreptibilitatis.

169. quo compos casus sui, &c.] *Clarius (vt etiam adnotauit Rhen.) Irenæus*: vti sentiens passionem, *quæ erga illam esset, per separationem Pleromatis, concupiscat eorum quæ meliora essent, habens aliquam odorationem immortalitatis relictam in semetipsa à Christo & Spiritusancto. Ergo quod Tertullianus* casum, *id Irenæus passionem vocat, vt sit* compos casus, *id est, passionis.*

C

170. Vsus est.] *Sensus est, inquit, idem vsuuenit vt rebus nomina tribuantur oppido quam liberaliter. Hic venit mihi in mentem Prouerbij illius veteris. Expedit habere multa cognomina. Quare etiam retinui vocem*: liberalitatibus, *pro eo quod Vat.* 1 *ms.* libertatibus.

171. Enthymesis de actu fuit.] *Est enim, inquit idem*, Enthymesis *verbale nomen apud Græcos, nempe deriuatum ab* ἐνθυμέομαι.

172. Sophia de matre manat.] *Irenæus*: *Quapropter ipsam vocari duobus nominibus*: Sophiam *paternaliter. Pater enim eius* Sophia *Vtraque lectio bona est, nam fuit* Sophia, *pater & mater Achamoth.*

173. Spiritus sanctus ex angelo accipit Christi.] *Sic lego pro*: Christum, *quod nullo sensu habebatur. Ac si dicat*: Spiritusſanctus *nomen* accipit *Achamoth* ex angelo Christi, *id est*, Spiritusancto, *quem, vel Rhenano etiam adnotante, Valentiniani* Christo *adiungebant, tamquam angelum quendam. Debet enim istud correspondere ei quod habet Irenæus*: & spiritum sanctum, *nempe vocari, ab eo, qui est erga* Christum, *spiritu. sic enim ibi prorsus legendum, pro*: spiritus *Omitto item cum* 3. *Vat. ms. vocem* se. *vbi legebatur* A quo derelicta se statim senserat desiderium.

174. si non idem Horos qui matri eius tam prospere venerat.] *Vtpote quia* mater Sophia *(vti supra est ca.* 9. *&* 10 *) nisi bono fato in eum incursasset, in reliquam substantiam fuisset dissoluta. Atqui restituendus hoc loco Irenæus, & non potuisse apprendere illud, quoniam coercebatur ab Horo, pro: non potuisset, nam similiter ex Græco transtulit Abbas Billius.*

175. vt etiam inclamarit in eam Iao.] *Apud Iren. legitur (inquit Rhen.)* Iaioth. *Et sic Horon, inquit, coercentem eam ne aduersarius irrueret, dixisse* Iaioth. *Verum ego cum Iren. Epiph. & Theodoreti Græcis exemplarib. puto ibi etiam legi debere*: Iao, *& omitti vocem aduersarius, quæ Græce non est, vti etiam vertit ex Græco Abbas Billius, nec dissentit Feu-ardentius, qui istud etiam adnotauit: Tertullian. inquit, non aliter explicat, quam si quis exclamaret*: Porro Quirites, aut Fidem Cæsaris. *Epiphan. contra hæres.* 26. Iao *principem in primo cœlo ab illis collocatum scribit. Macrobius li.* 1. *Saturnal. ca.* 18. *inter plura alia & hoc nomen à Paganis adtributum fuisse Soli, probat hoc oraculo Apollinis: Intellige* Iao *esse omnium summum Deum. Diodorus Siculus li.* 5. *Bibl. c.* 5. *ignorantia vocis Iehouæ deceptus, somniat, Moysen apud Iudæos, à Deo qui vocetur* Iao, *leges acceptas tulisse. Euseb. denique li.* 4. *demonstr. Euang. ca.* 29. Iaho *(inquit) est salus, hoc est, Dei salutare. Porro cur* Iaioth *lego non debeat, etiam aliam rationem reddidi supra li. de Præscript. adu. hæret. c.* 49

D

n. 315. *quod* Iaioth *fuerit filius Ialdabaioth apud Basilidem, atq; adeo illis potius quam Valentinianis cognitus.*

E

176. Porro Quirites.] *Sic (inquit Rhen.) baiuli inclamabant populum, vt quisque sibi caueret, ne cui imprudentes sarcinam impingerent. Macereus interim in dictum* 49. *c. li. de Præscr. adu. hær. legit*: Pro Quirites, *eligat Lector quod volet.*

177. Fidem Cæsaris] *Fortassis (inquit Rhen.) hic significat hoc ignotum vocabulum. Quasi Horos ille custos Pleromatis, videns Enthymesin tanta temeritate irruere, dum lumen illud amissum exquirit, quum in summo periculo non superesset aliud remedium, inclamauerit* Fidem Cæsaris, *quæ non solet implorari, nisi in atroci casu.*

178. inde inuenitur Iao in scripturis.] *Non existimo Auctorem de scripturis sacris loqui, sed non aliud velle quam quod habet Irenæus Vnde & nomen* Iao *factum dicunt.*

179. nec habens superuolare Crucem, id est, Horon.] *Iterum Hellenismus est (inquit Rhen.) Græci enim* habere, *pro posse vsurpant. Philostratus in Iconibus*: οὐκ ἔχων ἐπιλαβέσθαι, *id est, non habens apprehendere, id est, quum non possit apprehendere. Vide similes phrases supra Apol. ca.* 37. *n.* 484. *Irenæus nihil habet aliud quam*: *quum non posset pertransire Horon. sed addidit*: crucem *Tertull. vt conueniret iocus quem subiungit.*

180. quia nullum Catulli laureolum fuerit exercitata.] *Phrasis Tertullianica*: exercitata laureolum. *Atqui (inquit Rhen.) Nænius poeta* Laureolum *fabulam, & Leontem in carcere scripsisse fertur. Post hunc* Catullus *Mimographus, qualis Laberius quoque fuit, duos Mimos composuit, quorum vni Phasmati nomen fuit, alteri* Laureolo. *Vtriusque meminit Iuuenalis Satyra* 8. *his versibus*:

F

Consumptis opibus vocem Damasippe locasti
Sipario, clamosum ageres vt Phasma *Catulli.*
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Iudice me dignus vera cruce.--

Sic Laberius Mimum quendam, vt auctor est Gell. Cophinum inscripsit, alium Alexandriam, alium Fullonem. Ergo in Laureolo *Mimo iudex agebatur in crucem: idque apud populum ficte repræsentabatur. Ad Domitianus sontem quendam capitalis noxæ conuictum ac damnatum serio iussit in crucem suffigi, atque ab vrsa postea discerpi, spectaculum rei veræ populo exhibens. De quo facto perquam elegans Epigramma apud* Martial. *exstat l.* 1. *Id est huiusmodi*:

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
  Assiduam viuo pectore pauit auem,
Nuda Calydonio sic pectora præbuit vrso,
  Non falsa pendens in cruce, *Laureolus.*
Viuebant laceri membris stillantibus artus,
  Inque omni nusquam corpore corpus erat.
Denique supplicium dederat necis ille paternæ,
  Vel domini iugulum foderat ense nocens:
Templa vel arcano demens spoliauerat auro,
  Subdiderat sæuas vel tibi Roma faces:
Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ,
  In quo, quæ fuerat fabula, pœna fuit.

G

Laureoli *Mimi Romæ repræsentati Suetonius mentionem facit in C. Caligula, Laureatum Mimum vocans*: *sic enim in quibusdam codicibus legitur. Et quum in Laureato Mimo, inquit, in quo actor proripiens se ruina, siu potius prorepens è ruina, sanguinem vomuit, vt plures secundarum certatim experimentum artis darent, cruore scena abundauit. Iosephus antiquitatum libr.* 19. *C. Caligulæ mortem describens, velut explicat argumentum* Laureoli *Mimi, dum inquit*: *In illo siquidem spectaculo, duo ei auguria prouenerunt. Mimus namque est introductus, quo actum est, vt iudex deprehensus crucifigeretur. Et Pantomimus fabulam saltauit Cyniræ, in qua & ipse occisus, & eius filia Myrrha videbatur, atque sanguis Mimica arte diffusus, & circa iudicem crucifixum, & circa Cyniram atque Myrrham. Porro Tertulliani, qui omnis antiquitatis peritissimus fuit, sensus hic est*: Enthymesin *non* fuisse exercitatam *in scena, in agenda fabula illa quam* Catullus *Mimographus* Laureolum *inscripsit, in qua iudex in crucem agebatur. Alioqui si illam scenicorum histrionum in repræsentanda in crucem acti præsidis fabula dexteritatem habuisset, fortassis crucem superuolasset, id est, Horon.*

181. vt destituta passioni illi suæ in tricha multiplici perplexa.] *Sic prorsus legendum vt sensus constet, omissa coniunctione* atque. *Nam idem vult quod dixit Rhen. quoniam complexa fuisset passionem, siue, vt vertit Billius, passioni multifariæ, & quæ multis partibus constabat, implexa fuisset, omni genere eius, nempe passionis, cœpit adfligi. Illud autem* mœrore, quod non perpetrasset in cœptum, *intelligi debet ex Irenæo, quoniam non adprehendit lumen.*

H

182. Nec vt mater eius, &c.] *Sensus est (inquit Rhen) Aliter autem, & longe infœlicius actum fuit cum Enthymesi filia, quam cum matre eius Sophia, scrutatura maiestatem Bythi patris. Nam mater per Horon purgata à malis fuit, & deinceps confirmata. Atque hoc est quod Irenæus: Et non, inquit, quemadmodum mater eius, prima Sophia, Æon, demutationem in passionibus habuit, sed contrarietatem. Q. D. Passiones eius non sunt imminutæ, sed auctæ potius. Addimus autem mox ex* 3. *ms. Vat. cod. vocem* scilicet.

CAP. XV.

183. Age nunc, discant Pythagorici, agnoscant Stoici, &c.] *Titulum huic capiti dedimus*: Quod ex his passionibus Materia mũdi originem traxerit. *Atqui quod* Stoicorum *& Platonis opinio*

fuerit

A *opinio fuerit, esse Materiam innatam omnium rerum principium, sa-tus supra dictum est li. præced. adu. Hermogenem, (cuius & infra c. seq. mentionem facit) maxime cap.1. nu. 10. ac 11. & cap. 8. nu. 32.* De Pythagoricorum *simili opinione consentit Epiphan. hær. 7. scribens Pythagoram & Peripateticos æqualia dixisse cum Stoicis, & Platonicis. Quod aute Valetiniani imitati sunt Pythagoricos, vide Iren. l. 2. c. 19.*

184. in omnem hanc struem mundi.] Struem *(inquit Rhenan.) dixit pro structura, siue constructione, vt sæpe* structus, *pro constructus.*

185. Mercurius ille Trismegistus.] *De hoc, quem* Mercurium Ægyptium *ibi nuncupat, latius infra lib. de Anima.*

186. magister omnium Physicorum.] Physicorum *(inquit Rhenan.) nomine Philosophos intelligit. Sic l. 1. adu. Marc.* vt plerique Physicorum formidauerint initium ac finem mundo constare. *Ego vero non quosuis Philosophos* Physicorum *nomine intelligi puto à Tertull. sed solum eos, qui de Naturis scripserunt. Sic enim loquitur lib. 5. adu. Marc.* Physicæ, id est, naturalis superstitionis elementum.

187. Audistis conuersionem genus aliud passionis.] *Adludit ad id quid prædixit:* Insurgente adhuc & alio fluctu conuersionis in Christum, à quo viuificata fuerat. *Verum hoc* genus passionis *latius tractat ca. sequ.* Ex qua, *vt hic subiungit:* omnis anima mundi, *id est, vt alibi loquitur:* animale, *seu* animalis substantia, dicitur constitisse.

188. etiam ipsius Demiurgi, id est, Dei nostri.] *De hoc latius cap. 18.*

B 189. Audisti mœrorem & timorem, &c.] *Simile est illud Iren.* De timore autem & tristitia reliqua initium habuisse. *Qui recte addit: Et quidem enim Tragœdia hic multa est, & phantasia vnicuiusque illorum aliter atque aliter grauiter exponentis, ex quali passione cuiuslibet elementi, sic enim lego, substantia generationem acceperit. Nam & Auctor sæpe variat. Supra enim ca. 49. lib. de Præscript. adu. hær.* pauore, *inquit,* tenebræ factæ sunt, *quarum hic nusquam mentio,* ex timore & ignorantia, *quod infra cap. 22. appellat* nequitiam mœroris, spiritus nequitiæ & malignitatis, ex tristitia & lacrymis, *quod ipsum hic late prosequitur,* humida fontium, fluminum maria, marisque, *addens ibidem* & sudores, *è quibus quasdam dulces aquas ortas ex Irenæo mox dicemus. Quibus hic paulopost additur:* ex consternatione & pauore corporalia elementa ducta sunt, *aer nempe, vti arbitror, & aqua & terra, vt sit quædam ex parte repetitio. Addens &* risum illuminatorem, ex quo lumen effulsit. *Denique infra c. 23. ridens Auctor* ignem, *dicit:* ex motiunculis eius excussum, quasi & febricitauerit Achamoth.

190. Habuit & salsas, habuit & amaras & dulces, &c.] *Hic Auctor varia aquarum genera recenset: de quibus paulo latius Irenæus, distinguens vnde singula quæque orta dicerentur, Nempe, vt in summum contrahamus,* aquas *quæ in mari sunt,* salsas a lacrymis, *quoniam lacrymæ salsæ sunt qualitate, fontes vero & flumina, &* siquæ sunt aliæ *aquæ dulces, ex sudoribus. Addens: Quoniam autem &* calidæ *sunt* aquæ *austeræ, siue acres (quas Auctor vocat* amaras & bituminosas & ferruginantes*) intelligere debes (sic enim lego, pro: debemus, ex Græco, nam & Billius vertit, intelligendas tibi relinquo) quid faciens, & ex quo membro emisit. Addit his Auctor:* Cœlestes imbres pipiauit Achamoth, *de quo mox latius. Porro de* aqua venenata Nonacris & Lyncestarum, quæ ebrios efficit, *infra latius lib. de Anima. cap. 50. nu. 557.*

C 191. & Salmacis inde se soluerit, quæ masculos molles facit.] *Sic ex 3 ms. Vatic. cod. pro:* mollefacit. *Atqui ob hunc (inquit Rhenan.) effectum Ouidius obscœnam vocat his carminibus, lib. 15. Metamorph.*

> Quodque magis mirum, sunt qui non corpora tantum,
> Verum animos etiam valeant mutare liquores.
> Cui non audita est obscœnæ *Salmacis* vnda?
> Æthiopesque lacus, quos siquis faucibus hausit,
> Aut furit, aut patitur mirum grauitate soporem.

Huius rei causam reddens Seneca: Similem (inquit) habes vim mero, sed vehementiorem. Nam quemadmodum ebrietas, donec exsiccetur, dementia est, & nimia grauitate defertur in somnum, sic aquæ huius sulphureæ vis habet quoddam acrius ex aere noxio virus, quod mentem aut furore mouet, aut sopore opprimit. Ceterum vnde Salmacis *dicta sit molles & impudicos reddere, qui ex ea biberint, quod hic Tertullian. vocat,* masculos molles facere, *docet M. Vitruuius Architecturæ libro 2. Is, inquit, (de* Salmacidis *fonte loquitur) falsa opinione putatur venereo morbo implicare eos, qui ex eo biberint. Sed* D *hæc opinio quare per orbem terrarum falso rumore sit propagata, non pigebit exponere. Non enim quod dicitur molles & impudicos ex ea aqua fieri, id potest esse, sed est eius fontis potestas perlucida, saporque egregius. Quum autem Melas & Areuanias ab Argis & Trœzene coloniam communem eo loci deduxerunt, Barbaros Caras & Lelegas eiecerunt. Hi autem ad montes fugati se congregantes discurrebant, & ibi latrocinia facientes crudeliter eos vastabant. Postea de colonis vnus ad eum fontem propter bonitatem aquæ, quæstus causa, tabernam omnibus copiis instruxit, eamque exercendo eos Barbaros allectabat. Ita singillatim discurrentes, & ad cœtus conuenientes, è duro feroque more commutati in Græcorum consuetudinem & suauitatẽ sua voluptate reducebantur. Ergo ea aqua non impudico morbi vitio, sed humanitatis dulcedine mollitis animis Barbarorũ, eam famã est adepta, hæc Vitruuius. Vbi interim id quod adiicitur ex Ouidio & Seneca, de aquis Sulphureis, quæ furore aut sopore opprimunt, non* ad Salmacin *pertinet, sed ad quosdam Æthiopiæ lacus. Quod ipsum Colophoni adtributum, supra adnotauimus l. de Baptism. nu. 38. & de eodem latius lib. de Anima.* E

192. pipiauit.] *Scribit Festus (inquit Rhenan.)* pipiationem *esse clamorem plorantis, lingua Oscorum.* Pipiauit ergo cœlestes imbres Achamoth, *id est:* pipiando *& plorando emisit. Factitium verbum est à sono plorantium* pi, pi. *Similiter dixit Auctor infra Tom. 5. lib. de Monop.* infantes pipiantes.

193. Achamoth.] *Ex ms. 3 Vatic. cod. lego* Achamoth, *pro.* Achamothe, *nam correspondent vbique & Græce & Latine Iren. Epiph. & Theodor. In quo nobiscum sentit Rhenan. nam eo quod sic habebat Paterniacensis cod. censet legi debere* Achamoth. Et nos, *sicuti etiam lego.*

194. Ex consternatione.] *Irenæi vetus Interpres, qui similiter cap præced. & postea vertit* consternationem, *hic:* inconstabilitatem, *Abbas Billius: animi anxietatem, & stuporem, Epiph. Interpres: desperationem, Theodoreti vero: dubitationem, omnia enim hæc vox* ἀπορία *significat. denique Auctor supra cap. 49. lib. de Præscript. adu. hæret.* aporiationem *vocat.*

195. in tanto circumspecto, &c. ridebat, &c.] *Sic ex ms. 3. Vatic. pro:* circumspectu, *more Tertullianico, qui:* prætexto *supra & alibi est vsus, vti etiam paulopost:* quale, *pro:* quæ. *Atqui istud apertius expressit Irenæus iuxta Rhenanum: Aliquando autem, inquit, in cogitationem veniens eius quod dereliquerat eam lumen, diffundebatur & ridebat. Idem interpretatur:* nec obstupescas qui, *id est, quomodo.*

CAP. XVI. F

196. Sed quoties ridere voluisset, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* Quod ex conuersione ad Paracletum a Christo missum animale genus propagauit Achamoth. *Recte autem hunc locum explicat Rhenanus:* Enthymesis, siue iam Achamoth, *tenebatur magno desiderio luminis amissi. Et quoties ridebat, non habebat quidem verum lumen, sed luminis recordationem. Et tamen hoc aliquid erat. vt quamlibet pusillum suffecturum fuerit, ne desertoribus suis Christo & Spiritui sancto supplex fieri cogeretur, valde superba & arrogans existens, quod commune mulierum vitium est.*

197. desertores suos.] Christum *scilicet (inquit Rhenan.)* & spiritum sanctum. *Nam supra habes de* Christo *se subducente* Hac, *inquit,* misericordia functus, non sine spiritus sancti societate, recurrit Christus ad Pleroma.

198. more materno.] *Adludit ad illud cap. 10. de matre Sophia:* conuertit ad patrem, in preces succidit. *quare etiam hic maluissem legere:* conuertit, *sed ms. 3. Vatic. habent:* conuertitur.

199. Sed Christus, quem iam pigebat rursus extra Pleroma proficisci.] *Legit Irenæus (vel teste Rhenano) qui pigritatus est secundo descendere. Supra enim legitur cap. 14.* Flectitur à superioribus Christus *Interim Abbas Billius conformiter Tertull. ex Græco vertit: quum rursus descendere* pigeret. *Ex Irenæo proinde adieci:* rursus.

G 200. vicarium præfecit Paracletum Soterem.] *Sic ex ms. 3. Vat. cod. pro:* præficit. *Nam & Iren (Rhenano etiam citante) Paracletum, inquit, misit ad eam, hoc est, saluatorem.*

201. largito ei patre, &c.] Largito, *pro:* largiente: *Græce enim est apud Iren. præstante ei virtutem omnem patre. Atque adeo sic castigandus illius vetus interpres.*

202. vti in ipso secundum Apostolum omnia conderentur.] *Omnino legendum ex 3. ms. Vatic. cod.* conderentur, *pro:* confœderentur. *Nam illud apud Iren. Epiph. & Theodor. legitur, iuxta illud Apostoli Coloss primo,* Quoniam in ipso condita sunt vniuersa, *ad quem locum alludi inde patet, quod citentur etiam ab illis verba sequentia: visibilia, &c.*

203. cum officio.] *Iureconsultis (inquit Rhenanus)* officium *cœtus ipse est eorum qui magistratui inseruiunt. Vnde apud* officium *deponere, &* officio *tradere. In quem sensum & hic vsurpat Tertullianus.*

204. coætaneorum angelorum.] *Irenæus: (eodem adnotante) Mittitur autem, inquit, ad eam cum* coætaneis *suis* angelis. *Atque hoc est quod supra dixit Tertullianus, de Sotere loquens, ex omnium Aeonum desloratione conflato:* Vt autem, *inquit,* tantum sigillarium extrinsecus quoque inornassent, satellites ei angelos proferunt, par genus, si inter se potest fieri. *Igitur si Soteri additi sunt, de nouo creati, non sunt eo antiquiores, sed* coætanei.

H 205. credas & cum xij. fascibus.] *Huiusmodi pompa (inquit Rhenan.) Consules Romani incedebant.* Duodecim fasces *& totidem secures cum lictoribus L. Iun. Bruto, & L. Tarquinio Collatino primus Coss. post exactos Reges sunt additi: Ita tamen vt penes vnum tantum essent, qui propterea Maior Consul vocabatur. De qua re etiam aliquid adtigimus Adnot. nostris in B. Cypr. Epistol. 16. num. 103*

206. velamentum sibi obduxit.] *Castiga (inquit idem) locum hunc apud Irenæum, & pro: eam, lege: eum, & pro: cooperationem, coopertionem, hoc modo: Hanc autem Achamoth reueritam eum dicunt, primo quidem coopertionem imposuisse ei, propter reuerentiam. Interpres Irenæi* ἑαυτῇ, *id est,* sibi, *vertit,* ei.

207. Quibus inde conceperat, &c.] *Iren. (eodem adlegante: Deinde autem, inquit, quum vidisset eum cum vniuersa fructificatione sua accurrisse (siue occurrisse) ei, virtute accepta de visu eius. Qui etiam recte interpretatur illud,* κύριε, χαῖρε, *id est: Domine, salue.*

208. atque confirmat agnitione iam.] *Supra enim Christus (vti est c.14.)* eam confirmarat, *seu vti apertius ibi* informarat, solius substantiæ, non etiam scientiæ, *seu* agnitionis forma.

209. & ab omnibus iniuriis passionis expumicat, &c.] *Irenæus (inquit Rhen.) Et curationem passionum fecisse eius, separantem eas ab ea.* Expumicare *est expurgare, expolireque. Nam hic* pumicis *usus & in chartis læuigandis, & sordibus pedum abradendis, in balneis.*

210. non eadem negligentia, &c.] *Irenæus (eodem teste:) Et non neglexisse eum (inquit:) nec enim erat possibile eas exterminari, quemadmodum priores, eo quod iam habilia & possibilia essent.* Possibilia *dixit interpres Irenæi, pro potentia & valida, quod Tertullianus:* exercitata & vsu viriosa. *Pergimus enim legere cum Basil. edit. & ms. 3. ac Rhenano,* viriosa, *atque adeo etiam supra l. de Pallio cap. 4. nu. 77.* vestigia cestuum viriosa *legendum adnotauimus.*

211. masſaliter ſolidata.] *Sic exponit, inquit idem, quod Irenæo est: coagulatum.*

212. defixit ſeorſum in materiæ corporalem paraturam.] *Hoc est, inquit idem, iuxta Irenæum: Segregauit separatim.* Paraturam *iterum vsurpat substantiue, vt supra sæpenumero. Sic lib. de Carne Christi:* Debeo illos, *inquit,* de ſua paratura repercutere. *Adu. Mar. lib. 1.* Nulla ſibi proſpexit agnoſcendo paraturam. *& l. 2.* ſic ædificat qui propria paratura caret. *l. 3.* in tantum paraturam deſiderabat, vt credi poſſet. *In hoc ipso libro infra:* In hoc, *inquit,* & paraturam mundi proſpectam. *Vide etiam de* paratura *Adnot. noſtras Apol. c. 22. nu. 353.*

213. commutans ex, &c. paſſione.] *Potest, inquit idem, esse figura Græca, vt sit ſenſus:* Commutans *ea vitia ſiue* paſſiones *ex incorporali* paſſione *indita ſecundum habilitatem atque naturam. Sed præſtat totam ſententiam, Irenæi verbus referre. Neque enim melior expoſitio inueniri poteſt: Sed ſegregantem, inquit ſeparatim (ſic lego, pro: ſeparauit) commiſcuiſſe eas, & ſic aptabilitatem & naturam feciſſe in eas, vt in congregationes & corpora venirent. Atqui pro:* habilitatem, *reperitur noua vox in 3. ms. Vat.* habitabilitatem, *ſed non placet.*

214. vt duplex ſubſtantiarum, &c.] *Irenæus (teſte eodem) Vti, inquit, fierent duæ* ſubſtantiæ, *vna quidem mala ex paſſionibus, altera autem conuerſione, paſſionalis.*

215. HÆC ERIT MATERIA, QVÆ NOS COMMISIT CVM HERMOGENE.] Commiſit, *inquit idem, hoc eſt, in certamen deſcendere fecit. Gladiatores proprie* committuntur: *quum ad digladiandum componuntur, vt ſupra adnotauimus, vbi dixit:* Abſit vt Apoſtolos committam, *li. de Præſcript. adu. hær. Atqui hinc colligere eſt eſſe ſcriptum hoc libro prius, librum* aduerſus Hermogenem, *quare & nos eum præpoſuimus.*

CAP. XVII.

216. Abhinc Achamoth expedita, &c.] *Titulum huic capiti dedimus:* Quod ex imaginatione ſpiritale genus Achamoth produxerit. *Similiter autem Irenæus (vti etiam citat Rhenan.) ſatis obſcure iuxta additionem veterem, ſed clarius, ſi ex mea coniectura ſic legatur: Hanc autem* Achamoth *extra paſſionem factam concepiſſe præ, pro: de, gratulatione, eorum quæcumque ſunt luminum viſione, antea erat: viſionem, id eſt, angelorum qui erant cum eo, & delectatã in conſpectu (ſiue in conceptu, vti in margine eſt, & magis voci Græca correſpondet, itemque Tertull. verbis obſcœnis, quibus præfatur verba pudoris) eorum, peperiſſe fructus ſecundum imaginem dicunt partum ſpiritalem, ſecundum ſimilitudinem factum ſatellitum Saluatoris. Quæ omnia paucioribus & clarius expreſſit Theodoretus: Ipſam autem ſeparatam ab affectionibus angelorum cepit deſiderium, & ſpiritalem fructum produxit angelis ſimilem. Quare videtur mihi emendari debere textus Græcus, ex quo vertunt quidam: congreſſam cum illis, neque enim id aut Auctor, aut Theodoretus habent, ſed potius, intra ſeipſam concepiſſe ex ſola contemplatione.*

217. & ſibi intimarat. Intimare *(inquit Rhenan.) pro intimum reddere. Sic in lib. de Habitu muliebri:* Nullus, *inquit,* clauus argentum intimat tabulis. *Vbi vide & Adnotat. noſtras c. 5. nu. 44. Siue autem legas:* Trinitas generum *cum excuſis, ſiue:* generis *cum 3. ms. Vat. perinde eſt, ex quibus interim:* eſt, *addidi. Legendum autem etiam cum Irenæo Græce, ὑλικὸν & Latine:* materiale, *pro eo quod eſt: ἴλην, & materia.*

CAP. XVIII.

218. Hac Auctoritate, &c.] *Inſcriptionem damus huic capiti:* De Demiurgo per Achamoth ex animali ſubſtantia producto. *Atqui recte addit Auctor:* quod cum magno horrore blaſphemiæ & pronuntiandum & legendum eſt & audiendum. *Eſt enim blaſphemia in* Deum noſtrum, *ex Achamot partu informis & animali ſubſtantia producti dicere,* qui *(vti ait Auctor initio li. 5. adu. Marc.)* ſine origine eſt, æternus, innatus, infectus, *ſicut non ſemel repetit lib. adu. Hermog. Certe etiam huic errori* blaſphemiam *adſcribit Irenæus l. 2. c. 3. ac 9. & etiam impugnat c. 44. 54. ac 55.*

219. trium, &c. liberorum.] *De Iure (inquit Rhen.)* trium liberorum *multa ſunt paſſim in conſtitutionibus veterum Imperatorum. Vetus Interpres, hoc eſt, expoſitor Codicis Theodoſiani, qui mutilus exſtat, in cap. de Legitimis hæredibus, l. 5. docet matrem habere eius* trium liberorum, *ſi ingenua tres partus viuos, & libertina quatuor ediderit. Hoc priuilegium etiam illis, qui nullos ſuſtulerant liberos, interdum principum fauore concedebatur. Ius* trium liberorum, *Suetonio Tranquillo, parum fœlix matrimonium experto, tribuit Traianus Cæſar, id rariſſime facere ſolitus, nec numerum excedens, quem apud ampliſſimum ſenatum ſibi ſuffectarum dixerat. Porro multum valebat ius* trium liberorum *ad hæreditates adeundas. Diſtinguo autem:* Eo animo, vnum ad animale, conuertit, *vt* vnum *ad* animale *referatur, &* conuertit, *abſolute accipiatur.*

220. prolatis Soteris diſciplinis.] *Interpres, inquit idem, Irenæi doctrinas vocat: Conuerſam, inquit, informationem eius, quæ facta erat de conuerſione eius animalis ſubſtantiæ, emiſiſſe quoque à Saluatore doctrinas. Senſus eſt: Soter docuit Enthymeſin, & adiuuit. Nam paulo ante dixit Irenæus: Virtutem Saluatorem fabricaſſe.*

221. Deum fingit hunc noſtrum.] Fingit *accipi pro: formauit, ex eodem Irenæo patet. Qui addit, ſicuti etiam Theodoret. & Epiphanius:* ex animali ſubſtantia. *Quam blaſphemiã idẽ refutat li. 2. c. 53.*

222. præter hæreticorum.] *Iterum, vti etiam Rhenan. adnotat,* præter *iungit tum Genitiuo, vt infra cum Ablatiuo adu. Marc. li. 4.* Præter oneribus conſparſionum offarcinatum eduxit ex Ægypto, *quemadmodum illic adnotauimus. Sumit enim* præter, *pro* præterquam *Cicero ad Q. Fratrem: Atque etiam è Græcis ipſis cauendæ ſunt quædam familiaritates,* præter *hominum perpaucorum, ſi qui ſunt vetere Græcia digni. Sic Græci τὸ πλὴν vſurpant, cum Nominatiuo coniungentes, pro præterquam ſiue: niſi. Similes etiam ſunt loci eiuſdem li. 4. adu. Marc.* præter ex cauſa adulterii, *& ſupra Tom. 1. Apolog. c. 6. n. 79.* præter vnico digito.

223. & Demiurgum, & regem vniuerſorum.] *Sic ex ms. 3. Vat. cod. Nam non ſolum* Regem, *ſed &* Demiurgum, *id eſt,* opificem vniuerſorum *dicebant. Quod nomen mutuarunt Valentiniani à* Demiurgo Platonico.

224. Ab illo enim omnia, ſi tamen ab illo, & non ab ipſa potius Achamoth, à qua &c.] *Sic iterum ex ms. vatic. & edit. 1. pro eo quod irrepſerat,* in ipſa, & à quo. *addens ex Iren. Epiph. & Theodor.* omnia. *Quia ſicuti partim Rhen. adnotauit, Irenæus ſcribit:* Omnia *(nam ſic ex Græco legendum, pro:* Ea) *quæ poſt ipſum ſunt, eum formaſſe latenter (quod hic dicit:* occulto) *motum à matre ſua. Atqui ignorantiam iſtam Demiurgi impugnat Irenæus l. 2. c. 5.*

225. fingillario extrinſecus ductu.] *Ita hauddubie legendum cum 2. Vat. ms. cod. aut:* fingulario, *cum tertio Vat. ms. cod. pro eo quod erat:* figillario. *Ac ſi dicat, nouo* extrinſecus *per ſingula* ductu. *Si legimus* fingillario, *id deriuatum cenſebitur à ſigillatim de quo vide adnot. noſtras ad l. B. Cypriani de Oratione Dominica, nu. 18. Si alterum, eodem ſignificatu dixit Plautus in Captiuis: Hu indito cathenas* fingularias.

226. nomen illi Metropatoris miſcuerunt.] *Irenæus (vti etiam Rhen. adnotauit:) Vnde inquit,* Metropatorem *& Apatorem, & Demiurgum eum & Patrem (ſi enim caſtigandus eſt ex Græco, pro Fratrem) vocant Dextrorum quidem patrem dicentes eum, id eſt, Pſychicorum, Siniſtrorum vero, id eſt, Hylicorum, Demiurgum, omnium autem Regem. Atqui quum ὑλικῶν legatur apud Iren. & Epip. lego:* materialium, *pro eo quod corruptiſſime erat:* maternarum. *nam & ms. Vatic. quam proxime accedunt, & id etiam cenſet Abb. Billius Schol. in Irenæum.*

CAP. XIX.

227. Sed nec nominum proprietas, &c.] *Caput hoc inſcripſimus:* De imaginibus ſeu ſimilitudinibus, quas ignorante Demiurgo latenter Soter operatus ſit in Achamoth. *Pertinet autem etiam iſtud ad fabulas de Ideis Platonicis, quas pulcre refutat Iren. l. 2. c. 6. vbi etiam paulo apertius totum hunc locum repetit quam l. 1. c. 1. dicens inter cetera: Quonam modo ea quæ ſunt creaturæ, ſic varia & nulla & innumerabilia Æonum* xxx. *imagines eſſe poſſunt? &c. ne prolixiores ſimus.*

228. in honorem Æonum imagines commentatam.] *Quum & Græce apud Epiph. & hic apud Tert. & apud Iren. l. 2. ſic legatur, omnino etiam Iren. l. 1. c. 1. legendum:* imagines *pro* imaginem. *Facit autem ad intellectum, quod poſteriori loco Iren. ſimilitudines vocet eorum, qui intra Pleroma ſunt,* Æonum.

229. rurſus hoc in Soterem, &c. detorquent.] *Clarius etiam Rhe. adnotante, Irenæus Magis autem Saluatorem, per ipſam nempe, dicunt imagines feciſſe, quod alio loco dicit: in conditione per matrem.*

230. vt ipſum quidem, nempe Achamoth, imaginem patris.] *Apertius eſt iſtud dicere* Achamoth imaginem patris, *& mox Nẽ filium ſeu potius imaginem Nẽ filij, quam ſicuti apud Iren. lib. 1. c. 1. legitur:* in imagine, *vbi adeo etiam ſic caſtigandum & Græcum & Latinum textum apparet, ex eiuſdem loco poſteriori, vbi diſertis verbis Demiurgum ſeu mundi fabricatorem* imaginem vnigeniti *vocat, non:* in imagine.

231. inuiſibilis & incogniti.] *Quod* pater *ille ſeu* Propator inuiſibilis *quidem ſed non* incognitus, *pulcre deducit Iren. lib. 2. cap. 3.*

232. incognitam ſcilicet & inuiſibilem Demiurgo.] *Iſtud idem pulcre ac tanquam blaſphemiam impugnat ibidem c. 5.*

233. eundem autem Demiurgum Nẽ filium effingeret.] *Nempe* Soter. *Atqui recte Rhenan. Senſus eſt, inquit,* Demiurgum *imaginem Nẽ filij Propatoris vnigeniti ſeu Monogenis effingeret, quod ipſum ibidem impugnat Iren.*

234. Archangeli vero, Demiurgi opus, reliquos Æonas exprimerent.] *Id eſt, eodem Rhenano interpretante, reliquorum Æonum eſſent imagines. At contra recte Ire. loco mox citato: Quum multi ſint, inquit, & enumerabiles circa factorem angeli, quomodo Ple-*

romatis angeli, angelos factoris imagines habebunt, iam non consequentibus xxx. Æonibus (sic lego pro Æonis) in multiformem conditionis varietatem, &c. quæ compendij gratia omittimus. Hoc interim inde patet, quod Valentiniani præter angelos satellites Soteris in Pleromate, etiam angelos seu archangelos (vti vocat solus Tertullian. quantum apparet ad distinctionem cælorum) opus Demiurgi somniauerint, atque adeo etiam in Schemate nostro archangelos, Demiurgo comites adieci. Atqui recte Rhenan. ibi: multo magis patris subaudit ignarum.

235. imaginem Nē ignoranris patrem.] Etiam hanc blasphemiam impugnat Iren vbi supra.

236. & angelos famulos simulacra dominorum.] Famulos appellat quos supra c. 12. satellites & simulacra, id est, imagines Dominorum, nempe, vti paulo ante: ceterorum Æonum.

237. mulum de asino pingere.] Vice (inquit Rhenan.) prouerbij vsurpat: mulum de asino pingere, id est, ad exemplar ineptiarum, similium ineptiarum exemplum repræsentare, aut ad mendacia, noua mendacia confingere. Nam subijcit.

238, & Ptolomæum describere de Valentino.] Portentosas istas nugas prior Valentinus commentus est, Ptolomæus aliquid de suo adiecit, ab Auctore nonnihil varians. Ergo Valentino hæreseos istius auctori, nomen asini competit, vt muli Ptolomæo discipulo. Ex asino & equa mulus gignitur mense 12. ait Plinius l. 8. & mox addit: Obseruatum è duobus diuersis generibus nata tertij generis fieri, & neutri parentum esse similia, eaque ipsa quæ nata sunt, non gignere in omni animalium genere. Vt non non sine causa muli vocabulum Ptolomæo sit tribuendum.

CAP. XX.

239. Igitur Demiurgus extra Pleromatis limites constitutus, &c.] Hoc caput inscripsimus: Quod Demiurgus mundum hunc & cælos condiderit. Atqui istud etiam impugnat Iren. l. 2. cap. 5 maximequum dicat à Demiurgo extra Pleroma constituto mundum conditum.

240. nouam prouinciam] Adludit, inquit Rhenanus, ad morem Imperatorum, qui prouincias subiugabant, & est Appositio. Hoc Irenæus his verbis refert: Patrem itaque & Deum dicunt factum eorum quæ sunt extra Pleroma, fabricatorem esse omnium Psychicorum & Hylicorum. Separantem enim duas substantias confusas, & de incorporalibus corporalia facientem, fabricasse quæ sunt cælestia & terrena, & factum Hylicorum & Psychicorum, dextrorum & sinistrorum fabricatorem, leuium & grauium, sursum aduolantium, & deorsum deuergentium, sic enim legendum pro: demergentium.

241. duplicis substantiæ illius destruſæ.] Hanc habent iterum vocem Tertullianicam 2. Vatic. ms. cod. & Rhen. pro detruſæ. Respicit autem, inquit idem, ad id quod supra dixit c. 16. dehinc seorsum in materiæ corporalem paraturam.

242. sublimantia.] Id absolute dictum, eodem adnotante, pro in sublime tendentia.

243. quum ipsam cælorum septemplicem scenam solio desuper suo finit, &c.] Lego ex 3. Vat. cod. quum. Hæc vero mox: hebdomadem sedis suæ vocat. Similiter Irenæus l. 1. c. 1. & Epiph. (etiam Rhenano citante) Septem quoque cælos fecisse, super quos Demiurgum esse dicunt, & propter hoc Hebdomadam vocant eum. Solium vero seu sedem vocat Demiurgi septemplicem scenam cælorum, quod illis desuper insideat, non aliter atque Deum in cælo Empyreo super omnes cælos orthodoxi collocant. Pro eo autem quod Sabbathum dictum Demiurgum hic habet Auctor, Iren. Hebdomada.

244. & Ogdoas mater Achamoth.] Omnino aut sic legendum, aut: Ogdoada matrem, alioqui enim non erit oratio Latina, quamquam etiam, si postremum hoc legamus, oportebit adijcere, dicunt, quod habent Iren. & Epiphan. quare prius magis placet. Lego etiam iterum cum ms. 3. Vatic. primogenitalis, pro eo quod tamquam elegantius substitutum erat: primigenialis.

245. Cælos autem noeros.] Νοερὸς id est, (inquit Rhenan) intellectuales. Maluit enim vti Græca voce. Atque adeo omnino sic legendum, pro eo quod additio Lugdunensis noetos. Proinde etiam Græcum exemplar, Epiphan sic castigandum, maxime quum illius Interpres verterit: intellectualis, nec absimiliter Irenæi Interpres vterque.

246. sicut & paradisum archangelum quartum.] Paulo aliter Iren. τέτακται ἄγγελον δυνάμει ὑπερέχειν λέγοντα, quod recte transtulit Epiph. Interpres, quartum angelum potentia esse dicunt quare & apud Iren. Latinum legi debet virtute angelum quartum esse dicunt, pro eo quod est: virtutem. Atqui videntur Valentiniani in ea fuisse sententia, vt paradisum visibilem negauerint, quod (vti recte adnotauit Feu-ardentius) hæresi adscribit Seleucianorum & Hermianorum August. l. de hæres. verum de hoc latius infra To. 4. ad fragmenta lib. de Paradiso. Porro impugnat etiam istud de Paradiso Iren. l. 2. c. 55.

247. Satis meminerat Ptolomæus puerilium discipulorum, &c.] Videtur, inquit Rhenanus, Ptolomæus Valentini sectator id commentus esse de Paradiso archangelo quarto supra cælum tertium extenso. Vocat autem puerilia discipula, fabulas pueriles, quæ solent pueris recitari à nutricibus aut aniculis. Nucetum autem, eodem interprete, locus est nucibus arboribus consitus à nuce, vt Lauretum à lauro, Quercetum à quercu.

248. & ideo fortasse non scit.] Iocus est, inquit idem, in Demiurgum, quem Valentiniani fabulabantur putasse omnia, à semetipso fecisse, quum ea fecisset Achamoth. Cœlum enim fecisse nescientem cælum, & hominem plasmasse ignorantem hominem, terram autem ostendisse non scientem terram. Et in omnibus sic dicunt ignorasse eum figuras eorum quæ faciebat, & ipsam etiam ignorasse matrem, at semetipsum putasse omnia esse. Irenæi verba sunt, quæ retuli idcirco, vt intelligatur hic Tertull.

249. quæ & effectum suum ministrabat.] Irenæus (vti idem eitiam adnotauit:) Causam inquit, ei fuisse matrem eius talis opinionis suæ (sic enim lego cum Billio ex Græco, pro: operationis) dicunt, quæ sic voluerit inducere eum, caput quidem & initium suæ substantiæ, dominum autem vniuersæ operationis.

250. cur sibi quoque ista noluit nota esse, &c.] Sibi inquit idem, id est Demiurgo. sibi, pro ei. Cicero pro Lege Manilia: Ex eodem, inquit, Ponto illa Medea quondam profugisse dicitur, quam prædicant in fuga fratris sui membra in iis locis, qua se parens prosequeretur, dissipauisse, sc. dixit, pro eam. Lucanus in quinto Pharsalia.

- Quæ nox sibi proxima venit,
Insomnis viduo tum primum frigida lecto.

sibi, posuit, pro ei.

CAP. XXI.

251. Interim tenendum Sophiam cognominari, &c.] Caput hoc inscripsimus: De variis nominibus Achamoth. Nam similiter, vti etiam adnotauit Rhenanus, Irenæus: Hanc autem, inquit, matrem & Ogdoadem vocant, & Sophiam & Terram, & Ierusalem, & Spiritum sanctum, & Dominum masculiniter.

252 Puto & barbam.] Hoc ideo dicit, eodem adnotante, quia vocant eam Spiritum sanctum & Dominum masculine, vt modo citauimus ex Irenæo, quum tamen illa fœmina sit, domina appellanda, non Dominus. Qui addit per cetera, intelligi eā partē qua viri sumus.

253. Alioquin Demiurgus adeo rerum non erat compos, &c.] Sensus est, inquit idem, Demiurgus non erat compos accedere spiritalia, id est, intelligere, ipse de animalibus, id est, animalis existens, censu inualitudinis, id est, propter inualitudinem. Irenæus (saltem iuxta castigationem Rhenani, cui consentit Iren. noua versio per Billum & Epip.) clarius paulo sic habet: Et propter hoc infirmiorem, antea male: superiorem, illum existentem, nescire prius pessime: præscire, quæ sunt spiritalia, & se putasse solum Deum, & per Prophetas edixisse, pro se dixisse, Ego Deus & absque me non est, adludens ad istud Isai. cap. 45 pro quo Iren. & præter me nemo.

254. Ergo & factum intelligebat.] Nam & seipsum, vti recte Rhenanus, & factitatorem facti, vtpote sui ipsius, esse quemcunque, id est, aliquem qui quis ille est, quomodo ergo solus sibi videbatur, saltem suspectus, id est, suspicans, de aliquo factitatore? Sunt enim verba Auctoris impugnantis iactantiam illam Demiurgi.

CAP. XXII.

255. Tolerabilior infamia est apud illos, &c.] Titulum huic capiti dedimus: De diaboli origine, partim ex Achamor, partim ex Demiurgo.

256. & spiritalium malitiæ.] Sic omnino lego, pro malitiarum, tum quod dicat supra l. de Præscript. aduh. cap. 49. ex timore, inquit, & ignorantia spiritus nequitiæ & malignitatis, tum quod adludit ad illud Ephes. 6. spiritalia nequitiæ. Maxime cum sic Irenæus: De tristitia autem, inquit, spiritalia malitiæ dicent facta. Vnde & Diabolum genesin habuisse, quem Cosmocratorem vocant, & dæmonia & omnem spiritalem malitiæ substantiam. Atqui hanc varietatem, qua modo ex lacrymis quæ ex tristitia oriuntur, factas aquas dicunt Iren. ex Tertull. modo ex tristitia spiritales ortas substantias, difficile est in concordiam redigere, nisi forte ex his Auctoris verbis: ex mœroris nequitia, qua quid intelligatur, videtur supra significare, quum dicit: ex timore & ignorantia. Certe c. sequ. rursum de ea re loquitur: si non & illum mœstitia.

257. & superiorum magis gnarum.] Apertius Irenæus: Et Cosmocratorem quidem, inquit intelligere dicunt ea quæ sunt super eum, quoniam sit spiritalis malitia: Demiurgum vero ignorare, cum sit animalis. Atqui videntur propterea Cosmocratora diabolum appellasse, quod Ioan. 12. princeps huius mundi appelletur, seu potius ex Apostolo id desumpserunt, qui Eph. 6. κοσμοκράτορας vocat tenebrarum rectores.

258. cui omnes hæreses procurantur.] Procurare, & procurari, inquit Rhenanus, semper eum Datiuo construit. Vide autem similes locos aliquot supra T. 1. ad Scapulam, c. n. 33.

CAP. XXIII.

259. Singulorum autem potestatum arces his finibus collocant, &c.] Caput hoc inscripsimus: De arcibus quibus singuli quinque Æones collocati sunt, & aeris ac ignis origine. Nam Æonas hic potestates appellat quomodo etiam infra c. 30. & rursum li. adu. Gnosticos: tunc confitendum, inquit Ironicè loquens, apud veras potestates. Hoc autem ordine Auctor Æonas collocat, secundum quod etiam Schema Æonum castigauimus.

In summis summitatibus præsidet Pleroma Tricenariut.] Id est, vt illi, tricenaria Æonum diuinitatis plenitudo.

Inferius.] Id est, infra Pleroma, Achamoth.

Infra Achamoth Demiurgus.

Infra Demiurgum Diabolus.

Hanc rem, inquit Rhenanus, narrat Irenæus his verbis: Habere autem, inquit, medietatis locum eam, scilicet Achamoth, & esse quidem super Demiurgum, subtus autem, siue extra pleroma, vsque ad finem. Et infra: Habitare inquit, matrem quidem ipsorum in eo qui

sit cœlestis locus, hoc est, in medietate, Demiurgum vero in eo qui sit sub cœlo locus (nam & Billius vertit ex Græco; in subcœlesti loco) hoc est, in Hebdomade: Cosmocratorem vero in eo, qui sit secundum nos, mundo.

260. metatur medietatem] *Proprie, inquit idem Rhenan.* Metari *est locum destinare demetiri ve figendis militum tentoriis: vnde dictum, Castra* metari. *De hoc supra diximus.*

261. magis Diabolus.] *Subaudi, inquit idem, subest. Nam hunc dicunt Valentiniani in nostro mundo habitare qui cœlis subest.*

262. ex Sophiæ vtilissimi casibus.] *Intelligit hic, inquit Rhenanus,* Sophiam *filiam, siue Secundam, nam hoc illi maternum nomen, quæ & Enthymesis & Achamoth dicitur. Posset etiam dici inferior* Sophia, *sicut mater eius Tele.i coniunx* Sophia *superior. De qua etiam hæc sequentia intelligenda sunt:* Sophiæ mœstitia, *&:* Sophiæ passionem, *cap. sequen.* de Sophiæ fletibus, *item,* & gramis Sophiæ. *Qui etiam recte adnotat:* reciprocandi spiritus spatium, *& quæ sequuntur, per Appositionem interpretanda, vtpote quibus* aer *circumscribatur.*

263. His omnibus elementis atque corporibus ignis inflabellatus est.] *Iren.* Ignem *vero omnibus his inesse, mortem & corruptelam & ignorantiam omnibus tribus passionibus inabsconsam docent. Sic enim distinguendum puto, vt mors & corruptela & ignorantia tribus passionibus inabscondæ doceantur, non vero ignis sit mors aut corruptela, aut mortifer & exitiosus. Addit autem per iocum* febricitasse, *tamquam ex calore febrium* ignis inflabellatus sit.

CAP. XXIV.

264. Quum talia de Deo vel de Deis, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* De hominis fabricatione per Demiurgum. *Legimus autem iterum* Deis, *pro:* Diis.

265. Molitus enim mundum Demiurgus, &c. *Legimus:* enim *ex ms. 3. Vatic. pro:* ergo. *Irenæus autem sic habet: Quum fabricasset igitur mundum, inquit, fecit & hominem Choicum, non autem ab hac arida terra, sed ab inuisibili substantia, & ab effusibili & fluida materia accipientem.*

266. quam nos vnicam nouimus terram, &c.] *Istud addit contra errorem Hermogenis, (vti patet lib. præced. c. 5.)* de duabus terris, *quarum Gen. 1. fiat mentio, quo pertinet etiam illud:* Materiæ illius scilicet Philosophicæ.

267. siccauerit.] *Absolute, inquit Rhen. pro, siccata fuerit.*

268. ex pituitis & gramis.] *Sunt* gramæ, *inquit Rhenanus, oculorum vitia, auctore Festo. Nonius Marcellus* gramarum *vocabulo,* pituitas *oculorum accipiendas docet, Cæcilium adlegans, qui alicubi dixerit:* Gramosis *oculis ipsas, atratis dentibus. Græci γλάμας vocant, &* gramosos γλαμυρούς.

269. Figulat ita hominem.] Figulationis, *inquit idem, vocabulo in aliis libris vsus est etiam Tertullianus, vt in libro de Resurr. carn.* Bene autem, *inquit,* quod & plures & duriores quoque doctrinæ, totam hominis figulationem Deo nostro cedunt.

270. & de adflatu suo animat.] *Clarius hoc dixit Auctor quam Irenæus:* in hunc insufflasse psychicum.

271. ad imaginem & similitudinem factus, &c.] *Similiter Iren. Et hunc esse secundum* imaginem & similitudinem factum. *Quomodo autem homo* quadruplex res, *latius seq. capite.*

272. vt imago quidem, Choicus deputetur, materialis scilicet.] *Apertius Iren. Secundum imaginem quidem hylicum esse, proximum quidem, sed non eiusdem substantiæ Deo. Vbi Hylicum dixit, quod Auctor* Materialem, *tum ibi, tum postea sæpe, nam Auctori frequentior est vox* Choicus, *Irenæo rarior, frequentior Hylicus. Hinc est quod Paraphrasticus adiungit Auctor, non ad verbum,* materialis scilicet. *Correspondet enim hæc vox* hylico, *ac* choicus *terrenum significat.*

273. similitudo autem, animalis.] *Irenæus iterum clarius: Secundum similitudinem autem* psychycum. *Verum de* psychico, *seu* animali homine, *latius infr. T. 5. lib. de Ieiunio adu.* Psychicos, *n. 2.*

274. & hanc esse pelliceam tunicam.] *Sic vertit Auctor, quod Græce est δερματίνην, & proinde etiam in veteri Interprete legi debet proculdubio:* dermatinam, *non* Adamantinam, *aut* Adamiticam, *aut quod legit Rhen.* adamanticam. *Vide Adnotat. Feu-ardentij numer. 77. Et quidem, inquit Rhenanus, li. de Resurr. carn. c. 7. sic scribit Tertull. noster:* Neque enim, *inquit,* vt quidam volunt, illæ pelliceæ tunicæ, quas Adam & Eua paradisum exuti, induerunt, ipsæ erunt carnis ex limo reformatio, &c. *vbi indubie notat Valentinianos. D. Hieronymus adu. errores Ioannis Hierosolymitani disputans, inter cetera arguit eum, quod* tunicas pelliceas, *humana corpora interpretetur, quibus post offensam & eiectionem de paradiso Adam & Eua induti sunt, quasi ante in paradiso sine carne, neruis & ossibus fuerint. De quo plura infra l. iam citato c. 7. nu. 62.*

CAP. XXV.

275. Inerat autem in Achamoth, &c.] *Capiti huic hunc titulum damus:* De spiritali semine homini infuso, & proinde de hominis quadruplici substantia. *Nominatim autem istam opinionem recenset his verbis Auctor infra lib. sequen. de Anima, cap. 11.* Nec diutius, *inquit,* de isto nisi propter hæreticos, qui nescio quod semen spiritale insulciunt animæ, de Sophiæ matris occulta liberalitate collatum, ignorante factore, quum scriptura factoris magis Dei sui conscia, nihil amplius promulgauerit, quam Deum flantem in faciem hominis flatum vitæ (*ac si dicat Deum, non Sophiam*) & hominem factum in animam viuam, per quem exinde spiret & viuat. *Quo pertinet etiam illud eiusdem lib. cap. 21.* quid enim spiritale in Adam?

276. peculium quoddam seminis spiritalis.] *Hoc est, inquit Rhenanus, quod supra dixit:* Et tamen cum aliquo peculio relinquitur. *Quale autem sit* semen spiritale, *latius indicat Irenæus his verbis: Partum vero matris ipsorum, quem ex angelorum qui sunt circa Saluatorem contemplatione concepit, existentem eiusdem substantiæ matru sua spiritalis, & ipsum enim ignorasse Demiurgum dicunt, & latenter depositum esse in eum nesciente eo. vti per eum in eam quæ ab eo esset animam seminatum, & immateriale hoc corpus, gestatum quoque velut in vtero in his & amplificatum, paratum fiat ad susceptionem perfectæ rationis. Quamquam interim Græcam vocem λόγος rectius interpretatur Tertullian. & Billius* sermonem, *quam vetus Irenæi Interpres, rationem.*

277. traducem animæ suæ.] *De* anima, an per traducem *nobis infundatur, latius sequ. libro de Anima, & in Prolegomenis inter Paradoxa Tertulliani.*

278. Latuit homo spiritalis flatu insertus, &c.] *Irenæus (citante etiam Rhenano:)* Latuit igitur, *inquit, quemadmodum dicunt, Demiurgum, conseminatus insufflatione eius à Sophia, spiritalis homo mena narrabili virtute & prouidentia. Atque hoc vltimum est quod Tertull. mox dixit:* Accipe industriam, *inquit,* clandestinæ prouidentiæ huius. *Quemadmodum enim, inquit, matrem suam ignorauit, sic & semen eius. Quod etiam ipsam Ecclesiam esse dicunt exemplum (siue* speculum, *vti Tertull.) superioris Ecclesiæ.*

279. Proinde eum ab Achamot deputantes, &c.] *Totius, inquit Rhenanus, sententiæ hic est sensus:* Eum, *censum nempe spiritalem,* ab Achamoth deputant *Valentiniani,* animalem à Demiurgo, Choicum à substantia ἀρχῆς, *hoc est, ab illa materia Philosophica, in quam hæretici quidam (Hermogeniani nempe, vti patet lib. præced.) principium illud, in quo fecerit Deus cælum & terram, interpretantur,* carnem à materia. *Quod ipsum sic expressit Irenæus. Et hunc esse ex semetipsis (sic enim lego, pro: in eo quod Græce sit, ex figmento suo) hominem volunt, vt habeat, sic etiam pro habeant, animam quidem à Demiurgo, corpus à limo, & carnem à Materia, spiritalem vero hominem à matre Achamoth.*

280. Habes nouum, id est, quadruplum Geryonem.] *Ex hoc, inquit Rhenanus,* quadruplici *hominis censu, Spiritali, Animali, Choico, & Carnali* nouum Geryonem *constituunt Valentiniani, non triformem, vt ille fuit, sed quadriformem. Porro* Geryonem *ipsum non triplicis naturæ, vt fabulis proditur, fuisse ferunt, sed tres fratres tantæ concordiæ exstitisse, vt vno animo omnes regi viderentur. Ex Iustino. Vide & Adnotat. nostras supra T. 1. l. de Pallio c. 4. n. 69.*

CAP. XXVI.

281. Sic & exitum singulis diuidunt, &c.] *Inscripsimus hoc caput:* De tribus hominum generibus quem exitum sortiantur, *siue* De Trinitate hominis, *quemadmodum loquitur Auctor supra lib. de Præscript. adu. hæretic. 7. vbi vide Adnot. nostram nu. 39. Facit autem Auctor transitum à quadruplici censu ad tres hominum species, eo quod vti etiam adnotauit Abbas Billius, corpus & caro eadem sint. Eodem pertinet illud lib. sequen. de Anima c. 21.* Iam nec triformis, vt adhuc Trinitas Valentiniana cædatur, quæ nec ipsa in Adam recognoscitur, *& paulopost.* Iidem enim conuertibilem negant naturam, vt Trinitatem suam in singulis proprietatibus figant. *Quibus locis & maxime illis verbis:* vt adhuc cædatur, *ad hunc lib. adludit, sicut etiam ibi adnotauimus num. 269. Irenæus idipsum sic explicat: Quum sint igitur tria, sic enim lego cum Abb. Billio, pro* tres: *Materiale, quod etiam siniſtram vocant, ex necessitate perire dicunt, quippe quum nullam inspirationem, id est, spem, incorruptelæ recipere possit. Spiritale vero (ita etiam pro spiritalem) emissum esse, vt hic animali coniunctum formetur, coeruditum ei in conuersationibus. Expone vt erudiri & exerceri, scilicet animalis census possit cum eo, scilicet spiritali, in conuersationibus. Quibus addit quod Tertul. non habet: Et hoc esse dicunt salem (vt rursum lego cum Abb. Billio, pro solem) & lumen mundi. Hactenus ille. Vnde patet* dubitatum euentum *hic accipi pro dubio, &* comparationem, *pro præparationem ac formationem.*

282. vt eruditi cum eo, & exerceri in conuersationibus possit.] *Ex prædictis verbis patet legi debere:* possit *pro* potuit, *quemadmodum legendum etiam Rhenanus censuit. Porro inquit idem,* conuersationis *vocabulum, haud inelegans est. Iustinus li. 44. Inde denique inquit,* conuersatione *nutricis, eximia puero pernicitas fuit. Loquitur de exposititio puero, quem cerua aluerat. Dixit autem etiam supra Auctor T. 2. li. ad Martyras, c. 2.* conuersationem sæculi & carceris comparemus.

283. Indiguisse enim.] *Irenæus, inquit Rhenanus, Opus erat enim animali sensilibus disciplinis.*

284. in hoc & paraturam mundi prospectam.] *Et hic inquit idem,* paraturam *habes, pro creatione siue conditione mundi. Iren. Ob quam causam, inquit, & mundum fabricatum esse dicunt.*

285. In hoc & Soterem animalem in mundo repræsentatum, &c.] *Sic prorsus lego ex Iren. addens:* animalem. *Et saluatorem, inquit, ad hoc venisse* animalem, *sua potestatis est vt id saluet. Hinc appellat* alia adhuc compositione monstrosum, *vtpote quem Valentiniani non solum ex omnibus Æonibus concinnatum supra dixerint, cap. 12. sed &* tres induisse substantiarum conspicientias (*seu*

potius, quod malim legere cum Irenæo, primitias, quia Græce est: ἀπαρχάς) spiritalem, animalem, & corporalem.

286. quarum summam saluti esset redacturus.] *Sic etiam alibi, adnotat Rhenanus, loqui solet Tertullian. vtens* redigendi *verbo.*

287. animalem vero, quem mox, &c.] *Aut Appositio est, inquit idem, aut figura Græca, hoc est: Soter susceptt animalem substantiam, secundum Christum, quem mox induit à Demiurgo. Nam Valentiniani Demiurgo quoque suum Christum filium naturalem adsignabant. Irenæus clarius: A Demiurgo vero indutum psychicum, id est, animalem Christum. Addit autem* mox *Auctor, eo quod* mox (*cap. nempe seq.*) *de* Christo Demiurgi animali *sit tractaturus.*

288. administrationis vi, &c.] *Græce* οἰκονομίας *tam apud Theodoretum quam Epiph quam rectius vertit Abb. Billius:* dispensationem *quare & apud vet. Iren. Interp. sic legendum censeo:* à dispensatione (*antea corrupte:* dispositione) *circumdatum corpus animalem habens substantiam. paratum vero inenarrabili arte, pro quo auctor:* inenarrabili rationis ingenio, *pro quo Theodor. arcano quodam modo & ineffabili.*

289. quo congressui, & conspectui, & contactui, & defunctui, &c. subiaceret.] *Hoc sic Irenæus: vt & visibile & palpabile & passibile fieret. Igitur* defunctui, *inquit Rhenanus, hoc est, functioni cuilibet quam exercet homo.* Defunctus *enim iuxta quartam inflexionem, pro defunctione siue functione.*

290. ingratis.] *Hoc est, inquit idem, non sua sponte, & inuitus. Terentius in Eunucho: Opus faciam, vt defatiger vsque,* ingratis *vt dormiam.* Ingratis, *inquit Donatus, id est, non vltro, quia nobis vltronea grata sunt:* ingrata, *quæ ab inuitis fiunt ac recusantib. Hinc* ingratis *Aduerbium quibusdam vsurpatum. Atqui similiter Auctor supra l. præced. adu. Hermog. ca.* 19. diuersa pars suspiciones suas ingratis fulcire conatur, ne scilicet non inde instrui videretur, *& li. de Anima c.* 11. & hic spiritum ingratis pronuntiamus.

291. Materiale autem, &c.] *Irenæus: Hylicon autem nihil omnino suscepit. Non enim Hylicon capax salutis.*

CAP. XXVII.

292. Nunc reddo de Christo, &c.] *Verba hæc capitis titulum indicant:* De Christo Demiurgi filio animali. *Verum contra hanc blasphemiam late auctor scripsit infra li. de Carne Christi, agens contra tertiam hæresin.*

293. In quem tanta licentia Iesum inserunt, &c.] *Hunc reddit sensum Rhen. Valentiniani* inserunt Iesum *illum ex omnium Æonum defloratione constantem Soterem, in animalem Demiurgi Christum, sartilem Christum constituentes. Et semen spiritale eodem modo in animale insulciunt, quemadmodum patebit in sequentibus.*

294. Esse enim Demiurgo Christum filium suum naturalem, &c.] *Lego:* enim, *pro:* etiam. *Atqui totidem pene verbis Iren. Sunt autem, inquit, qui dicant emisisse eum, scilicet* Demiurgum, *Christum* filium suum, *sed Animalem. Et de hoc per Prophetas locutum esse.*

295. in Præpositionum quæstionibus positum.] *Hoc dicit, inquit Rhenan. propter Præpositiones:* ex, *&* per. *Exponunt enim Christum ex virgine natum, id est, per virginem, hoc est enim quod subdit:*

296. id est, per virginem, non ex virgine æditum, &c.] *Huc pertinet illud supra li. de Præscr. adu. hær. cap.* 49. Hunc autem, Christum *nempe,* in substantia corporis nostri non fuisse, sed spiritale nescio quod corpus de cœlo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. *Hoc est enim quod hic dicit:* transmeatorio potius quam generatorio more. *& quod Iren. Esse autem hunc qui per Mariam transierit quasi aquæ per tubum. De eadem hæresi sic etiam infra auctor l. de Car. Christi c.* 1. aut poterat, *inquit,* & carnem & natiuitatem confessus, aliter illas interpretari, vt condiscipulus & condefensor eius (*nempe Marcionis.*) *& rursum alibi:* Licuit, *inquit,* & Valentino ex priuilegio hæretico carnem Christi spiritalem comminisci, &c. *vbi late eandem confutat pene ad finem libri vsque, quo proinde Lectorem remittimus.*

297. Super hunc itaque Christum deuolasse, &c. Soterem per effigiem columbæ.] *Necessario sic legere oportet, pro:* deuolasse Iesum, *quia præterquam quod prius dixit:* in quem tanta licentia inserunt Iesum, *etiam mox distincte loquitur de substantijs:* Corporali Iesuaciana, & illa Sotericiana columbina. *Consentiunt etiam Iren. & Epiph. Et in hunc, inquiunt, hoc est, in animalem Demiurgi Christum, in baptismate descendisse illum qui esset in Pleromate ex omnibus, Saluatorem in figura columbæ.*

298. Fuisse autem & in Christo etiam ex Achamoth, &c.] *Irenæus: Fuisse autem, inquit, in eo & illud quod est ab Achamoth, semen spiritale.*

299. Nam in figuram principalis Tetradis, &c.] *Irenæus, Dominum igitur nostrum, inquit, ex quatuor his compositum fuisse dicunt, seruantem typum primogenitæ & primæ quaternionis: de spirituali, quod erat ab Achamoth, & de animali, quod erat de Demiurgo, & de dispensatione, quod erat factum inenarrabili arte, & de saluatore, quod erat illa quæ descendit in eum columba. Qui vna cum Epiphanio in hoc differt, quod corporalem substantiam de* dispensatione (*sic iterum lego: pro:* dispositione (*dicat compositam, de qua supra cap. præcedent nu.* 288. *pro eo quod Auctor* corporalem (*vti modo dictum est*) Iesuacianam *vocat. Certe vel hinc constat, quod Valentiniani* (*quorum hi opiniones referunt*) *sibi non constarent, vtpote quum prius* dispensationem *hanc tam Irenæus quam Auctor Soteri adscribat, hic vero à* Sotericiana substantia *distinguat.*

300. Et Soter quidem, &c.] *Irenæus: Et hunc quidem, inquit,* impassibilem *perseuerasse, non enim possibile erat pati eum, quum sit incomprehensibilis & inuisibilis.*

301. Denique quum ad adprehensiones venitur, &c.] *Irenæus. Et propter hoc, inquit, ablatum esse, quum traderetur ad Pilatum, illum qui depositus erat in eum spiritus Christi.*

302. Proinde nec matris semen, &c.] *Irenæus: Sed ne id quidem, inquit, quod à matre erat semen, passum esse dicunt. Impassibile enim & illud, quippe spirituale & inuisibile, etiam ipsi Demiurgo. Quod autem ille & Auctor* impassibile *hic,* insubditiuum *dicit, quod etiam putat vsitatum Rhen. li. præced. adu. Hermogenem, mihi certe nunc non occurrit.*

303. Patitur vero animalis & carneus Christus, &c.] *Hanc sententiam, inquit Rhenanus, clare exponit Irenæus, sic scribens: Passus est autem, inquit, secundum hos, animalis Christus, & ille qui ex dispensatione fabricatus in mysterio, vt ostendat per eum mater typum superioris Christi, illius qui extensus est cruci, & formauit Achamoth, formationem secundum substantiam. Omnia enim hæc exempla illorum esse dicunt; hactenus ille. Atqui hinc etiam alia causa significatur, cur* Horum crucem *nunc cuparint, quod nempe non solum ab* Horo *Achamoth crucifixa sit, vti supra est cap.* 10. *sed etiam quod* superior Christus, qui ad Achamoth formandam venerat, cruci, id est, Horo fuerit innixus, *immo (vti iactant Iren. & Epiph.)* in crucem extensus, *sic illi suas blasphemias nitebantur ex historia vera crucifixi Christi colorare.*

304. Ita omnia in imagines vrgent.] *Vide hæc de re supra latius cap.* 19.

CAP. XXVIII.

305. Interea Demiurgus omnium adhuc nescius, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* De animabus melioribus in Prophetas, & (*vti cap. sequ.*) in Reges & Sacerdotes adlectis *Clarius autem istud lineis aliquot interiectis, quas non habet Auctor, sic explicat Irenæus: Eas vero quæ habuerunt semen id quod est ab Achamoth, animas meliores dicunt fuisse quam reliquas. Quapropter & plus eas esse dilectas à Demiurgo, non sciente caussam, sed à semetipso putante esse tales. Quapropter & in Prophetas, ait, distribuebat & Sacerdotes & Reges, & multa de hoc semine dicta per Prophetas. Demiurgum autem, ea quæ hic adtingit Auctor, quippe ignorantem quæ essent super eum, moueri quidem ijs quæ dicuntur, contempsisse vero ea, aliam atque aliam caussam putantem, in spiritu qui prophetat (sic enim lego cum Billio & interprete Epiphanij ex Græco) habentem & ipsum iuxta aliquam motionem, siue hominem, siue perplexionem peiorum, & sic ignorantem perseuerasse (ita lego, pro:* conseruasse, *cum Billio, quia Græce est:* διαπαλεύειν *vsque ad aduentum saluatoris.*

306. (diuidunt enim & Prophetiale patrocinium in Achamoth, in semen, in Demiurgum).] *Istud, quod Parenthesi ad maiorem loci intellectum includimus, idem Iren. verbis iam citatis interseruit: Deinceps, inquit, diuidunt Prophetias, aliquid quidem à matre dictum docentes, aliquid à semine, aliquid autem ab ipso Demiurgo.*

307. vbi aduentum Soteris accepit, &c.] *Quum venisset autem (inquit Iren.) Saluator, didicisse eum, scilicet Demiurgum, ab eo omnia dicunt, & in gaudium ei cessisse cum omni virtute sua, & eum esse illum in Euangelio Centurionem, dicentem Saluatori:* Et ego enim sub potestate mea habeo milites, & seruos, & quod iussero, faciunt. *Siue autem legas:* occurrit *cum* 1. *Var. cod. ms. siue cum reliquis,* accurrit. *perinde est.*

308. quod successurus sit in locum matris, &c.] *Nempe secundum tabulatum cœnaculi matris, sicuti infra latius cap.* 3. *Idipsum habet etiam Irenæus, sed verborum ordine nonnihil immutato: Perfectum autem eum, inquit, eam quæ secundum ipsum est, mundi curationem (sic cum Billio lego, pro creationem, nam Græce est* οἰκονομίας, *quod Auctor dispensationem vertit) vsque ad id tempus quod oportet, maxime autem propter Ecclesiæ diligentiam & curam, & propter agnitionem præparati præmij,* quoniam in locum matris transibit.

CAP. XXIX.

309. Colligam nunc ex dispersо, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* De hominum & animarum tribus generibus adinstar tripartitæ Adæ posteritatis, Cain, Abel, & Seth. *Recte autem dicit:* Colligam nunc ex dispersо, *quia alio ordine narrat, & sub finem huius capitis multa omittit, quæ habet Iren. nempe ea quæ habet de deprauata scripturarum citatione, fortassis quod lib. de Præscript. aduers. hæret. id argumentum late tractasset, quo Lectorem remittimus, & ad Adn. Feu-ardentii in Iren. li. 1. c. 1. n. 55. 56. & 57. Deinde etiam prætermittit Auctor scripturas, quas pro se citabant Valentiniani, quæ latissime citantur ab Iren. li. 1. cap. 1. & Epiph. hær. 31. Legi autem malim:* & tamen vnitam in Adam, *pro:* inunitam, *quia supra ca.* 25. *& 26. diserтis verbis indicauit auctor,* Triformem naturam *illam in vno homine primo vnitam fuisse, maxime ob id quod sequitur:* inde iam diuidunt. *Nihil tamen volui immutare, quod Rhenanus sic explicet:* inunita, *inquit, ab inuniendo, quod Græci dicunt* ἑνίζειν.

310. inde iam diuidunt, &c.] *Similiter Iren. Hominum autem, inquit, tria genera dicunt: Spiritalem, Psychicum, Choicum, quemadmodum fuit Cain, Abel, Seth, vt ostendant & ex his tres naturas iam non secundum vnumquemque, sed secundum genus.*

311. Choicum saluti degeneratum.] *Sicut, inquit Rhenanus, degenerem appellamus eum qui generosus non est, ita*: degeneratum saluti *vocat, quod ad salutem non est generatum Irenæus enim sic istud reddit: Et* choicum *quidem in corruptelam abire.*

312. Animale mediæ spei deliberatum.] Deliberatum, *inquit Rhenanus, hoc est, adiudicatum. Festus Pompeius auctor est*, deliberare, *à libella qua quid perdenditur, dictum. Et supra dixit, vtens Metaphora aliquid in libra adpendentis, cum de animali sensu loqueretur, cap. 26.* Animali vero, *inquit*, quem & dextrum adpellant, dubitatum euentum, vtpote inter materialem, spiritalemque nutanti, & illac debito, qua plurimum adnuerit. *Hinc videri potest non inepte hoc vocabulum præsenti loco accommodasse. Iren. clarius sic expressit: Animale vero (sic enim lego, pro animalem) si meliora elegerit, in loco medietatis refrigeraturum. Hinc est, quia hic salus adhuc dubia, quod* spiritale *dicat Auctor* certæ saluti præiudicatum.

313. Sic & animas ipsas duplici proprietate discernunt.] *Similiter Irenæus verbis aliquot interiectis: Et ipsas quidem animas rursus subdiuidentes, dicunt quasdam quidem natura bonas, quasdam autem natura malas: Et bonas quidem has esse, quæ capaces seminis sunt, alias vero natura nequam, numquam capere illud semen.*

314. De obuenientia.] *Vsurpat, inquit Rhenanus,* obuenientiam *substantiue, ceu supra delinquentiam, peccantiam, nocentiam, & proxime prospicientiam.* Obueniendi *verbo solent vti Iureconsulti Nam proprie* obueniunt *nobis bona, quæ aliunde ad nos deferuntur. Vade hæreditas* obuenire *dicitur. Eleganter Seneca: Philosophia homini inquit, non* obuenit, *sed eam sibi quærere debet. Hinc* obuentiones *apud Vlp. pro reditibus annuis.*

315. Id ergo granum seminis spiritalis, &c.] *Spiritalia vero inquit Irenæus, in seminat Achamoth, ex illo tempore vsque nunc, & iustorum animæ erudiuntur quidem hic, & semina nutrita, quia pusilla emittuntur, post deinde perfectione digna habita, &c. Vbi & iustorum animæ legimus, pro propter quod & animæ, conformiter Billio & Epiph. Interpreti, quia Græce est: διὰ ὃν, pro quo videtur legisse vetus Interpres διὸ ὃ. Atque istud est, quod addit Auctor.*

316. Sed eruditu huius, &c.] Eruditu *dixit pro eruditione. Nam gaudet inquit, Rhenanus, nominibus quartæ inflexionis. Sic infra pro prolatione, prolatum vsurpat. Id quod etiam Tacito sollemne est, apud quē legis, accitu, cōcessu, obiectu, distinctu, subuectu, transpositu, prouisu, missu, lectu, aduectu, & indutui gerere. Vt apud Liuium: armatu & ad tui sui esse, & receptum habere. Porro quod hic dicit Tertull.* eruditu huius fides augetur atque prouehitur, *consonat cum illo quod præcedit:* Spiritalem emitti in animalis comparationem, vt erudiri cum eo, & exerceri in conuersationibus possit. *Verbum* erudiri *in lib de Carne Christi, eleganter vsurpat:* Quia per florem, *inquit*, & ex flore omnis arbor eruditur in fructum.

317. ceu supra diximus.] *Sic ex ms. 3. Vat. cod. pro eo quod Rhen.* ceu prædiximus. *Indicat autem, inquit idem, eum locum vbi supra dixit, de semine loquens*: Ad hoc enim & deposuerat & occultauerat, vt quum Demiurgus animam mox de suo adflatu in Adam communicaret, pariter & semen illud spiritale quasi per canalem animam deriuaretur in Choicum, atque ita fœturatum in corpore materiali, velut in vtero, & adultum illic, idoneum inueniretur suscipiendo quandoque sermoni perfecto. *Locus est supra cap. 25.*

318. animæque hoc ipso ita ceteris præuertunt.] *Hoc est quod ab Iren. Pauloante num 305 citatum est Eas quæ habuerunt semen id quod est ab Achamoth, animas meliores esse dicunt quam reliquas.* Præuertunt *autem, id est, anteuertunt, superant & excellunt ceteras. Tacitus l. 7. Rhodij, inquit, impigre præuerterunt Quapropter & plus eas dilectas à Demiurgo non sciente causam, sed à semetipso putante esse tales.*

319. Ex eatum ergo latereulo.] *Est, inquit Rhenanus,* Laterculum, *libri nomen, in quo dignitatum omnium tam militarium quam ciuilium cognitio continebatur. Hic erat penes Primicerium notariorum. Sane in volumine, quod descriptionem Imperialium officiorum quum Orientis tum Occidentis cum imaginibus complectitur.* Laterculi *picturam cernere est, sed maiorus. Vt etiam minus fuisse scias, cuius sit mentio in Codice l. 1. de Officio quæst. li. Totius minoris* laterculi, *curam. Sacrum* laterculum *Iustinianus adpellat in libris Authenticorum, in tractatu: Vt iudices sine quoquo suffragio fiant. Item in tractatu: De Mandatis principum, in principio:* & Laterculenses, laterculis *præfectos, in l. Comperimus, & in l fin. C. de proximis sacrorum scriniorum, ceteriſque qui in sacris scriniis militant, lib. 12. Porro suspicor maius* Laterculum *dignitates ciuiles continuisse, minus dignitates militares: Id quod colligo ex l. Totius, C. de Offic. quæst. li. 1.*

CAP. XXX.

320. Ideoque nec operationes sibi necessarias, &c.] *Titulum huic capiti dedimus*: Quod sibi operationes necessarias non existiment, sed nobis. *Hoc est, inquit Rhenanus, quod & Irenæus, sed multo ante, tradit: Quapropter & nobis quidem necessariam esse bonam conuersationem respondent, aliter enim impossibile esse saluari. Semetipsos autem non per operationem, sed eo quod sunt naturaliter spiritales, saluari omnino dicunt. Quemadmodum enim Choicum impossibile est salutem percipere (non enim esse illud capax salutis dicunt): sic iterum quod spirituale, quod semetipsos esse volunt, impossibile esse corruptelam percipere, licet in quibuscumq; fuerint facti. Quemadmodum enim aurum in cœno depositum non amittit decorem suum, sed suam naturam custodit, cum cœnum nihil nocere auro possit, sic & semetipsos dicunt, licet in quibuscumque materialibus operibus sint, nihil semetipsos noceri, neque amittere spiritalem substantiam. Quapropter & intimorate omnia quæ vetantur, hi qui sunt ipsorum perfecti, operantur, de quibus scriptura confirmant, quoniam* qui faciunt ea, regnum Dei non hæreditabunt. *Etenim idolothyta indifferenter manducant, nihil inquinari ab eis putantes, & in omnem diem Festum ethnicorum pro voluntate in honore eorum factum, primi conuenunt, vt ne hoc quidem abstineant, quod est apud Deum & apud homines odiosum, muneris homicidiale spectaculum. Quidam autem & carnis voluptatibus insatiabiliter inseruientes, carnalia carnalibus, spiritalia spiritalibus reddi dicunt. Et quidam quidem ex ipsis clam eas mulieres, quæ discunt ab eis doctrinam hanc, corrumpunt, quemadmodum multa sæpe ab his suasæ, post conuersæ mulieres ad Ecclesiam Dei, cum reliquo errore & hoc confessæ sunt. Alij vero, ne manifeste quidem erubescentes, quascunq; adamauerint mulieres has à viris suis abstrahentes, suas nuptas fecerunt. Alij vero valde modeste initio, quasi cum sororibus fingentes habitare, procedente tempore manifestati sunt, grauida sorore à fratre facta. Et alia multa odiosa & irreligiosa facientes. Hæc Irenæus. Cuius loci initium facit contra eos, qui bona opera non necessaria audent adserere, vti recte adnotauit Feu-ardentius num. 48. Pertinet autem huc illud Clementis Alexandrini li 2. Stromat.* Valentiniani, *inquit, quum nobis quidem simplicibus fidem (addunt Iren. & Tertull. etiam opera) tribuerint, sibi qui natura salui fiunt, volunt esse cognitionē, ex excellentia abundantia seminis, dicentes esse eam longe magis à fide separatam, quam spiritale ab animali Quem ipsum errorem, quod natura ipsi salui fierent, iterum commemorat Clemens lib. 4. & 5. Stromatum.*

321. Martyrii quoque eludentes necessitatem.] *Tam amans (inquit Rhenanus)* Martyrii *fuit Tertullianus, quod omnibus vbique persuadere nititur, non fugiendum, sed animose & constanter Christiano sustinendum, vt à pius hic etiam atro calculo notari meruerit, propter necessitatem quam feruentius quam cautius adstruebat. Hinc illæ* Martyrii *non vno loco cōmendationes, & fugæ in persecutione detestatio, cui rei proprium librum dicauit, qui inter alios, qui in hoc volumine sequitur. Certe contra hos scripsit Auctor ex professo:* Scorpiacon aduersus Gnosticos.

322. vt salutem quam non de priuilegio status possidemus.] *Subaudi (inquit Rhenan.) nos orthodoxi. Igitur* Valentiniani de priuilegio status salutem possidebant, *ac seipsos appellabant spiritaleis nos vero orthodoxos, animaleis. Quapropter (inquit Irenæus) nobis quidem, quos Psychicos vocant, & de seculo, esse dicunt necessariam continentiam, & bonam operationem, vti per eam veniamus in medietatis locum: Sibi autem Spiritalibus & Perfectis vocatis, nullo modo. Non enim operatio in Pleroma inducit, sed semen quod est inde pusillum emissum, hic autem perfectum factum. Item, vt est apud eundem, nos in vsu gratiam accipere dicunt, quapropter & auferri à nobis. Semetipsos autem proprie possidere desursum ab inenarrabili & innominabili Syzygia descendentem habere gratiam, & propterea adijcit eis.*

323. in scriptura huius seminis.] *Subaudi (inquit idem) competit secundum Valentinianos, aut, tribuitur nobis orthodoxis à Valentinianis. Supra dixit:* vt quos Achamoth in superioribus in animas bonas depluat, *id est: Animali sensui inscriptas, sic hic vtitur inscriptura vocabulo, pro nota siue censu seminis Animalis.*

324. qui amoribus Phileti, & vtique abortui.] *Adludit ad ea quæ supra dixit cap. 9 de abortu Sophiæ coniugis* Phileti, *seu Teleti, ex quo proinde & Demiurgus, & Animales homines, ac anima (quales orthodoxos existimabant) ortum habuerint, vti patet supra cap. 18.*

325. de passiuitate vitæ.] *Vide Adnot. in lib præced. aduers. Hermog. ca. 41. num. 143. Quibis adde, quod magis placeat sententia Abb. Billij, qui adnotat* passiuitatem *transferri à Tertulliano, quod Græce est ἐμπάθεια, quam quod alicubi Rhenan. putet hanc vocem deduci à passim. Atqui latissime eorum* vitæ passiuitatem *seu licentiam prosequitur Irenæus, & adtingit de reliquis quoque hæreticis Feu-ardentius nu. 52.*

326. & diligentia delictorum.] Diligentiam *(inquit Rhenan.)* delictorum, *vocat affectum & studium ad delinquendum siue peccandum. Nam Valentiniani dicebant, vt est apud Irenæum, se non amittere spiritalem substantiam in quamlibet vitiosis criminibus versantes, quod impossibile esset id quod Spiritale est, corruptionem sentire, auri instar, quod etiam in cœno suam naturam obtinet.*

327. quoniam & ipsa delinquendo profecit.] *Prorsus sic lego cum Rhenano, pro:* blandiendo. *Nam deliquit ille, Achamoth inquirendo lumen Christi superioris ab Horo depulsa quo minus pergeret. Tentabat enim rem illicitam.*

328. Nam & honorandorum coniugiorum supernorum gratia dicitur, &c. sacramentum.] *Etiam sic lego, pro* gratiæ, *quod nullo sensu legebatur. Irenæus: Quapropter, inquit, & omni modo oportere eos semper Syzygiæ, id est, coniugij meditari mysterium. Atqui facit etiam hic locus pro* Matrimonio, *quod* Sacramentum *sit: nam eodem recidit vox, quam habent Irenæus & Epiph.* mysterium, *sicuti supra adnotauimus lib. de Præscript. adu. hær. c. 40. nu. 248. maxime quum vterque adludat ad locum Apostoli Ephes. 5.*

329. nec legitimum veritatis.] Legitimus veritatis, *inquit Rhenanus, vt infra adu. Marc. lib. 4. obnoxius confusionis.*

330. deuersatus.] Deuersatus, *inquit idem, pro versatus. Sic & supra cap. 20.* deuersatus illic inter arbusculas & nubeculas, &

A *infra cap.32.*illuc habeo deuertere.*Et aduerſus Marc.lib.2.*Quatenus & ipſi Deum in figura & in reliquo ordine humanę conditionis deuerſatum iam credidiſtis.

331. & quid facient ſpadones, quos videmus apud illos?] *Videtur quidem prima facie iſtud non conuenire cum Iren ſed ille non negat etiam apud Valentinianos inueniri ſpadones, ſed dumtaxat non neceſſariam illis continentiam. Sic enim habet Iren. Nobis quidem, quos Pſychicos vocant, neceſſariam eſſe continentiam, ſibi autem ſpiritalibus & perfectis vocatis nullo modo.*

CAP. XXXI.

332. Supereſt de conſummatione & diſpenſatione mercedis.] *Quum verba hæc titulum capitis indicent, alio non eſt opus. Latiſſime autem impugnat Iren.quæcunque hoc & ſequenti capite commemorantur ex Valentinianorum ſententia,lib.2.c.*50.51.52.53.*&* 54.

333. Vbi totam meſſem Achamoth ſui ſeminis preſſerit.] *Vtitur, inquit Rhenanus, Metaphora fruges maturas demetentis, & quod demeſſum eſt, in horreum conuehentis, molentis deinde, & poſtremo in conſperſionem temperantis, donec totum fermentetur. Iren. Quum autem vniuerſum ſemen, inquit, perfectum fuerit. Hæc verba Tertull.per copiam extendit, ſic dicens*: Meſſem preſſerit, *vt Virgilius:*

--& ruris opaci
B Falce *premes* vmbram.- *& alibi:*
Quod ſupereſt, quæcumque *premes* virgulta per agros.

334. & defarinatum in conſperſionis aluearia abſconderit.] *Accipitur, inquit idem:* alueare *pro vaſe piſtorio cauo, in quo fit conſperſio, hoc eſt, farina aqua conſpergitur & temperatur. Porro:* defarinatum, *eleganter dixit de ſemine per molarem comminuto.*

335. tunc conſummatio vrgebit.] *Iren. paulo ſuperius*: Conſummationem *vero dicunt futuram, quum formatum & perfectum fuerit ſcientia omne ſpiritale, hoc eſt, homines qui perfectam agnitionem habent de Deo, & hi qui ab Achamoth initiati ſunt myſteriis. Eſſe autem hos ſemetipſos dicunt Valentiniani. Similiter etiam dicti lib.1.cap.5.In* conſummatione*(ſic lego,pro:*conſummationem*) dicentes ipſorum matrem in Pleroma regredi, & recipere ſponſum ſuum Saluatorem. Hoc eſt enim quod ſequitur.*

335. Igitur imprimis ipſa Achamoth, &c.] *Dixit, inquit Rhenanus, de* conſummatione, *nunc incipit agere de* diſpenſatione mercedis.

337. de regione medietatis.] *Nam, inquit idem, ſupra (capite nempe 23. & in Schemate initio huius libri) habes de arcibus ſingularium poteſtatum, vbi diſputat quibus finibus collocentur:* Inferius illum, *inquit, hoc eſt, Tricenarium Pleromatis inhabitatorem*, metatur medietatem Achamoth.

C 338. de tabulato ſecundo in ſummum transfertur, &c.] Tabulati ſecundi, *inquit idem, nomenclatura, medietatis regionem intelligit, vt ſummi vocabulo ipſum Pleroma.*

339. & ſtatim excipit compactitius ille Soter ſponſus, &c.] *Scio, inquit idem (quale quid & ego de me velim Lector æquus iudicet) religioſe verſandum eſſe in monumentis veterum Auctorum, nec temere aut ſtatim mutandum quod non intelligas, & hic meus eſt mos. Tamen non potui mihi temperare, quin hic pro:* comparcinus *ſcriberem*: compactitius ille Soter, *cum quod Compingendi verbo ſupra de Sotere loquens Tertull. vtitur cap.12.* Pulcherrimum, *inquit,* Pleromatis ſidus, fructumque perfectum compingunt; *tum quod Iren. Saluatorem, inquit, qui eſt ex omnibus factus. Quod ſi cui magis adridet* comparcinus, *reponat id in libro ſuo. Nec ſine cauſſa admoneo Lectorem. Ceterum quod hic Tertull. narrat, exponit his verbis Iren. Quum autem, inquit, vniuerſum ſemen perfectum fuerit, Achamoth quidem matrem ipſorum tranſire de medietatis loco dicunt, & intra Pleroma introire, & recipere ſponſum ſuum ſaluatorem, qui eſt ex omnibus factus, vti Syzygia fiat ſaluatoris & Sophiæ, quæ eſt Achamoth.*

340. Hic erit in ſcripturis ſponſus, & ſponſalis, Pleroma.] *Horum verborum recte hunc ſenſum Rhenan. reddit: Quoties in ſacris litteris* ſponſi *mentio fiat, hunc Sotera venire intelligendum ſecundum nænias Valentini, præterea quoties* ſponſalis *lecti ſiue thalami nomen occurrat, ipſum* Pleroma *accipiendum. Verbi gratia, apud* D *Pſalmographum legimus*: Tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. *Hoc ſtatim interpretarentur Valentin. de Sotere procedente de Pleromate. At apud Irenæum paulo aliter ſcriptum eſt: Et hoc, inquit, dicunt eſſe ſponſum & ſponſam, Nymphonem vero vniuerſum Pleroma. Sed de* Nymphone *latius infra cap ſequ.*

341. Credas, &c. Leges Iulias interuenire.] *Locus eſt, inquit idem, Tertull putantis, ni* Leges Iuliæ *de adulteriis, & de vi publica ſeu priuata obſtitiſſent, verendum fuiſſe ne Achamothæ de tabulato inferiori in ſummum Pleromatis tabulatum tranſeunti, inter tam procaces angelos, vitium offerretur, ſiue ſtuprum accideret, aut vis aliqua inferretur. Nam quum puellæ nupturæ hinc inde deducuntur, etiam raptus periculum incurrunt. Id quod accidit Annæ Britannicæ, Franciſci Ducis vnicæ filiæ, quæ Maximiliano Cæſari deſponſata erat. Porro* Lex Iulia *de adult. coercendis, non ſolum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit: ſed & eos qui cum maſculis nefandam libidinem exercere audent. Sed eadem* Lege Iulia *etiam ſtupri flagitium punitur, quum quis ſine vi vel virginem, vel viduam honeſte viuentem ſtuprauerit. At* Lex Iulia *de vi publica ſeu priuata, aduerſus eos exoritur, qui vim vel armatam, vel ſine armis commiſerint. Ex Inſtitut. Iuſtiniani lib.4.tit de Publicis iudiciis. Idem habes C.lib.9.tit. Ad* Legem Iuliam *de adult. & de ſtupro. Et alio tit. Ad* Legem Iuliam *de vi publica ſiue priuata.*

E 342. ſicut & Cainam.] *Neſcio, inquit idem, an ſignificet legem Caij Pompeij Strabonis, qua veteribus incolis Tranſpadanis, ius Latij dedit, quod ceteræ coloniæ Latinæ habebant, vt petendi magiſtratus, & ciuitatis Rom. ius adipiſcerentur. Ceterum Achamoth de exteriori inferiorique tabulato, quod ſub Pleromate erat conſtitutum, intra ipſum Pleroma tranſiens, indigebat certe priuilegio aliquo, vt ſublimioris digniorisque loci fieret capax. Alioqui pœna Legis Viſcelliæ ei timenda erat, de qua habes C.lib.9.tit. ad Legem Viſcell. Atqui ms.3. Vatic.cod.legunt:*Caniam.

343 Et Demiurgus tunc de hebdomade ſubcœleſti.] *Sic Tertull. hic & Iren. loco ibi citato, caſtigandum, pro*: cœleſti, *ſupra monuimus c.23.nu.259.*

344. in ſuperiora mutabit.] Mutabit, *inquit Rhenanus, abſolute Irenæus: Demiurgum vero, inquit, tranſire dicunt, & ipſum in matris ſuæ Sophiæ locum, hoc eſt, medietatem. Addendo autem*: in vacuum cœnaculum matris, *exponit, quid intellexerit illud*: in ſuperiora *Erat autem* vacuum, *nam mater Achamoth in Pleroma aſcenderat. Quid? quod etiam medietatis ille locus Cenoma, id eſt,* vacuum, *immo* vacuum Epicuri *appelletur ab Iren. & Tertull. vti ſupra eſt adnotatum c.14 nu.161.*

345. ſciens iam nec videns illam.] *Senſus eſt, inquit Rhenanus, Antequam foret illuminatus à Sotere, & antequam tranſiſſet in ta-* F *bulatum Achamothæ matris Demiurgus, ignorabat eam matrem ſuam; ſed poſt illam illuminationem, & aſcenſum in ſuperius cœnaculum, tum primum intellexit ſe habere matrem; quam tamen non videbat, quippe quæ ſe receperat iam intra Pleroma.*

346. Nam ſi ita erat ſemper, ignorare maluiſſet.] *Idem hunc huius ſenſum ita reddit: Si res in Demiurgi manu fuiſſet, maluiſſet matrem ſuam Achamotham ſemper ignorare. Valde enim ſibi placebat, atque ſuperbiebat, exiſtimans ſe ſolum Deum eſſe, & quicquid faceret, à ſemetipſo facere. Poſtquam autem omnia à Sotere eſt edoctus, & in tabulatum matris Achamothæ aſcendit, cognouit ſe viribus matris adiutum, quam tamen non videbat in ſuperius Pleromatis domicilium translatam. Inde demittebat animum, qui ſola opinione beatiſſimus, potentiſſimus, ac glorioſiſſimus ante Deus fuerat.*

CAP. XXXII.

347. Humana vero gens, &c.] *Caput hoc inſcripſimus:*De exitu ſeu diſpenſatione mercedis triplicis hominis. *Repetitur autem pluribus, quod ſupra tribus verbis dixerat c.26. & late refutatur ab Iren. locus ſupra citatus num.332.*

348. Choicæ & materialis notæ in totum interitum.] *Sic lego, addito:*in, *quod ſubintelligi ſcripſit Rhenan. qui adnotat*: totum *dici* G *propter corpus & animam. Alioqui dimidiatus tantum eſſet interitus. Iren. Et* Choicum *quidem in corruptelam abire dicunt. Nam fit mox &* corporis *&* animæ *mentio.*

349. Et anima mortalis apud illos, &c.] *Quod* anima mortalis *non ſit, non vno in loco tractat Auctor lib. ſequ. de Anima, quo Lectorem remittimus.*

350. Iuſtorum animæ, id eſt, noſtræ, &c.] *Irenæus:* Iuſtorum *quoque* animas, *inquit, refrigerare & ipſas in medietatis loco. Nihil enim Pſychicum intra Pleroma tranſire. Vbi Irenæi, inquit Rhenanus, Interpres verbum:* Refrigerare, *neutraliter accipit ſiue abſolute. Qui etiam recte explicat illud:*qua cenſus, &c. *id eſt, ſecundum eum* cenſum, *ſecundum quem* nihil animale in Pleromatis palatium admittitur.

351. Illic itaque primo deſpoliantur homines ipſi, &c.] *Hoc dicit, inquit idem, ne quis de ſpoliatione corporis intelligat. nam & ſubiungit:* deſpoliari eſt autem deponere animas, &c. *in quo Valentiniani, quod abſurdum eſt,* animas a ſpiritibus diſtinguebant. *Verum maxime illam blaſphemiam impugnat Iren. libro 2. num.52. & 53. quod animas ſuas ſeu ſpiritus meliores facerent Demiurgo, id eſt, Deo creatore. Siue autem legas:* diſpoliari *hic & poſtea, ſiue:* deſpoliari, *perinde eſt, nam variant etiam 3. ms. Vatic. cod.*

152. Tunc illi Sabinas raptas, &c.] *Senſus eſt, inquit idem, Angelis fore animas, quod iuuentuti Romanæ erant* Sabinæ, *videlicet vxorum loco. Liu. libro 1. Decad. 1. ſcribit, quum recens à Romulo condita* H *vrbs Roma eſſet, & penuria mulierum laborarent, nolentibus finitimis ſanguinem & genus miſcere cum Romanis, quos timebant, ludos ex induſtria paratos Neptuno equeſtri ſollemnes, ad quorum ſpectaculum* Sabinorum, *inquit, omnis multitudo cum liberis ac coniugibus venit. Quum ludi celebrabantur, deditæque eo mentes cum oculis erant, tum ex compoſito orta vis; ſignoque dato iuuentus Rom. ad capiendas virgines diſcurrit. Magna pars forte, vt in quem quæque inciderat, raptæ: quaſdam forma excellentes primoribus patrum deſtinatas, ex plebe homines, quibus datum negotium erat, domos deferebant.*

353. Hæc erit ſpiritalium merces.] Spiritalium, *interpretatur idem, hoc eſt, Valentinianorum, qui ſpiritale illud ſemen ſibi ſolis vendicant. Eſt autem Ironia.*

354. vt Marcus aut Caius.] *Etiam hoc ad phraſin Iureconſultorum pertinet, de qua ſupra Tom.1. Apolog. cap.3. num 37. & cap.48. num.607. Quo pertinet etiam illud:*pater, auus, proauus.

355. & hæc omnia.] *Senſum hunc reddit Rhenan.* Fabulæ tales vtiles, vt tu qui Marcus vocaris aut Caius, *hoc tibi imminere poſt fata ſcias; vt quamquam in vita fueris barbatus (quod viri, non mulieris indicium eſt) & quamquam exſtiteris ſeuerus maritus, oſor videlicet libidinis, & caſtitatem tuam vxorisque ſeruans; licet etiam fueris ſeuerus pater, ſeuerus auus, ſeuerus & grauis proauus, ad virtutem*

A *tutē (inquam) institutus liberis atq; nepotibus, licet praeterea sis masculus, cuius concubitum omnium gentium leges prohibent, quod vnū ad excludendam istam contumeliam sufficere debebat, licet (inquam) hæc omnia quæ modo retulimus, fueris in vita, nihilominus futurum scias, vt intra Nymphonem Pleromatis, non obstante loci reueuerentia, ab angelo complectare, & forsitan ex eo complexu vterum ferens, parias aliquem nouellum Æonem, qui tibi vsui esse possit, & famuli obsequium præstare.*

356. in Nymphone Pleromatis.] *Omnino sic hunc locum castigaui ex Epiphanio, secundum quod etiam Feu-ardentius & Billius in Irenæo, pro eo quod erat:* Symphone. *Neque enim* concentus, *quod hæc vox significat, vllo modo ad institutum facit, sed optime quadrat* νυμφῶνι, *id est, thalamus nuptialis, quippe quum adluderent Valentiniani ad illud Christi:* Numquid possunt filii sponsi ieiunare? *vbi legitur* νυμφῶνος.

357. tacendo iam dixi.] *Aposiopesis, inquit Rhenanus, deest enim: patiaris aliquid turpe. Sic apud Poetam:*

Nouimus & qui te.

358. aliquem Onesimum Æonem.] *Hoc est (eodem exponente) aliquem nouellum ac puellum. Æonem vtilem tibi futurum ministrum; nam in Pleromate Valentiniano tantum Æones generantur. Significat autem* ὀνήσιμος *Græcis, vtilem.*

B 359. pro face & flammeo.] *Iocatur, inquit idem, & adludit ad veterem Romanorum morem, quo nouam nuptam tres pueri patrimi & matrimi, id est, quorum pater & mater adhuc erant in vita, deducebant, vno* facem *ex spina alba præferente, duobus reliquis nubentem tenentibus. Auctor est Festus Pompeius,* facem *in nuptiis in honorem Cereris præferri solitam, & aqua spargi nouam nuptam, siue vt casta puraque ad virum veniret, siue vt ignem atque aquam cum viro communicaret. Amicitur autem, vt idem tradit,* flammeo *nubens, ominis boni caussa, quod eo assidue vtebatur* flaminica, *id est:* flaminis *vxor, cui non licebat facere diuortium. Apud eundem legimus hinc esse nuptiarum & nuptæ vocabula nata, quod nubentis caput* flammeo *obuolueretur, quod antiqui obnubere vocabant.*

370. Tunc credo ignis ille arcanus, &c.] *Iren. His autem factis ita, qui latet in mundo* ignis, *exardescens, comprehendens vniuersam materiam consumit. Et ipsum simul consumptum, abire dicunt in id, vt iam non sit. Adludebant ad ignem conflagrationis post iudicium, cuius mentio fit 2. Petri 2.*

361. Sed næ ego &c.] Næ, *inquit Rhenanus, Græcum adfirmandi Aduerbium, quo Latini Auctores etiam vti solent, nempe, vti alibi etiam adnotauit, pro: certe, profecto.* Achamoth *autem* filius Demiurgus *intelligitur.*

362. ne Philetus irascatur, ne Fortunata acerbetur.] *De Æone, cui nomen* Teletus *seu* Philetus, *vide supra nu 87 & 98. De* Fortunata *siue Macaria, secundi Monogenis coniuge, num. 86. quare etiam*
C *hic lego:* Fortunata, *pro* fortuna,

363. vbi post excessum omnino non nubitur.] *Siue* nubitur *legas cum exc. siue* obnubitur *cum 3. ms. Vatic cod. perinde est.* Excessus autem, *inquit Rhenanus, pro morte. Sic & Sueton. loquitur. Cicero solet addere Ablat. vita, vel è vita. Vt cum in Orat. dicit: Sed ad eos, si placet, qui vita excessere, reuertamur. Adludit autem ad illud Christi:* In futuro sæculo neque nubent, neque nubentur.

364. vbi superindui potius, quam despoliari.] *Hic adludit ad illud 2. Cor. 5.* eo quod nolumus spoliari. sed superuestiri.

365. sexui meo deputor, &c.] *Quod sexum in resurrectione seruaturi simus, latius deducit infra sub finem lib. de Resurrect. carnis, vbi huc etiam adludere videtur, his verbis inter cetera, cap. 59.* & ipsi Valentiniani hic errare didicerunt, nec alia erit forma nationum credentium, nisi quæ & non credentium de carne, de anima. *Quorum tacitæ obiectioni postea respondet, cap. 62. dicens:* Non dixit: Erunt angeli, ne homines negaret, sed tanquam angeli, vt homines conseruaret. *Hoc est enim quod hic additur:* non angelus, non angela.

CAP. XXXIII.

366. Producam denique, &c.] *Caput hoc inscribimus:* De emendatoribus Ptolomæi, qui Bytho duas adtribuebant coniu-
D ges. *Quod ipsum etiam Auctor desumpsit ex Irenæo lib. 1. c. 6. Vbi magis placet illud vet. Interpretis:* Hi vero qui sunt circa Ptolomæum scientiores, *eo quod hic sequatur:* ab emendatoribus Ptolomæi, *quam quod Billius:* Ptolomæus *vero qui ad verbum transtulit ex Epiphanio hær. 33.*

367. Veluti Epicitharisma post fabulam.] *Quum* fabulæ, *inquit Rhenanus, recensebantur olim publice, ad demulcendos spectatorum animos, qui tædio longæ narrationis iam languebant, in fine priusquam dimitterentur,* citharœdus *aliquis prodibat. Sapit autem Prouerbium:* veluti Epicitharisma post fabulam. *Significat autem hic* fabula *Comœdiam, seu Mimum. Dictum* ἐπικιθάρισμα, *sicut* ἐπιμύθιον, *aut* ἐπιφώνημα.

368. ab emendatoribus Ptolomæi, &c.] *Hinc patet verum esse quod supra diximus cap. 4. num. 29. omnia quæcunque hoc libro hactenus conformiter Irenæo adducta sunt, fuisse ex sententia non tam Valentini, quam* Ptolomæi, *atque adeo puto potius inscriptum hunc librum:* Aduersus Valentinianos, *quam:* Aduersus Valentinum, *nam hic qui aliter sentiunt* emendatores Ptolomæi, *vocat* discipulos super magistrum, *vbi adludit ad illud Christi (etiam adnotante Rhenano:)* Non est discipulus super magistrum.

369. qui duplex coniugium Bytho suo adfingerent, &c] *Rursum lego:* Bytho, *pro:* Bythio, *iuxta quod supra latius adnotaui ca. 7. n. 58. Similia autem ad loci huius intellectum Iren. verba hæc citat Rhen. Hi vero, inquit, qui sunt circa* Ptolomæū *scientiores, duas coniuges*
E *habere* Bythō *dicunt quas & Dispositiones vocant,* Ennœan & Thelesin. *Primo enim mēte concepit quid emittere (id est: aliquid emittere) sicut dicunt, deinde voluit. Quapropter duobus his affectibus & virtutibus, id est, Ennœas & Theleseos, velut cōmixtis inuicē, emissio Monogenis & Alethiæ secundum coniugationem facta est. Quos typos & imagines duorum affectuum Patris abgressas esse inuisibilium visibiles: Thelematis quidem Nun, Ennœas autem Alethian. Et propter hoc aduentitiæ voluntatis masculus est imago, innatæ vero Ennœæ fœmininus, quoniam voluntas velut virtus facta est Ennœæ. Cogitabat enim Ennœa semper emissionem, non tamen & emittere ipsa per semetipsam poterat quæ cogitabat. Quum autem voluntatis virtus aduenit, tunc quod cogitabat, emisit. Hactenus ille. Porro vice commentarij ista nobis erunt ad intelligenda quæ Tertull. prosequitur. Lego autem cum Interpret. Epiphan. apud Irenæum:* mascula imago, *pro: masculus, & fœmina, pro: fœmininus.*

CAP. XXXIV.

370. Pudiciores alii, &c.] *Titulum huic capiti damus:* De aliis qui aut nullum aut vtrumque sexum Bytho tribuunt. *Quod desumpsit Auctor ex calce 5. cap. libr. 1. Iren. Siue autem legas cum exc.* Pudiciores, *siue cum 3. Vatic. ms cod.* Pudiciciores, *perinde est,*
F *Lego vero ex iisdem:* coniugii, *pro* coniugis, *& rursum,* Bytho, *pro:* Bythio. *Nam & conformiter Irenæus: Etenim, inquit, de ipso* Bytho *variæ sunt sententiæ apud eos. Quidam enim sine coniugatione dicunt eum neque masculum neque fœminam, neque omnino aliquid esse. Quæ ipsius verba etiam descripsit Epiph. hær. 32. vbi de Secundianis agit.*

371. Alii contra magis & masculum & fœminam, &c.] *Irenæus Alii autem, inquit, &* masculum & fœminam *dicentes esse, Hermaphroditi genesin ei donant. Atque etiam istud ibi descripsit Epiphanius.*

372. Lunenses.] Luna, *oppidum Hetruriæ celebratur à Plinio, lib. 3. cap. 5. qui & alibi Lunense marmor commendat, etiam Ennio notum. A Ptolomæo etiam l. 2 c. 5. eiusdem nominis promontorium in Lusitania. Fortassis ab illo* Lunenses *vocantur populi illi, de quibus mox sequentia verba Plinij.*

373. Hermaphroditum.] *Plinius, inquit Rhenanus, lib. 7. cap. 3. de prodig. partubus: Gignuntur, inquit, & vtrinsq; sexus, quos* Hermaphroditos *vocamus, olim Androgynos vocatos, & in prodigiis habitos, nunc in deliciis. Idem in lib. 11. Contra mulierem, inquit, paucis prodigiosa assimulatio. Sicut* Hermaphroditis *vtriusque sexus, quod etiam quadrupedum generi accidisse Neronis principatu pri-*
G *mum arbitror. Ostentabat certe* Hermaphroditas *subiuges carpento suo equas, in Treuerico Galliæ agro repertas, ceu plane visenda res esset, principem terrarum insidere portentis. Hactenus ille. Quibus adiunge quod supra ad illud cap. 10.* fœminamare *adnotauit idem Rhenan. de Orphei versiculo apud Apul. lib. de Mundo:*

Iupiter & mas est, & nescia fœmina mortis.

Huc etiam adludit Damasc. li. de hæres. Hermaphroditos *ex parte Vniuersa natos esse dicunt, quos etiam Deos ex seculo esse ponunt.*

374. Annalium Commentator Fenestella.] *Ex Fenestella (qui aliis L.* Fenesella*) multa desumpsisse se fatetur Plin. lib 1. nat. hist. citat etiam nominatim l. 33. cap. 1. &* Annales Fenestillæ *à Nonio citantur in vocabulo: Præsente. Meminit etiam Plutarchus in vita Syllæ, Gellius alibi, & Vlpianus.*

CAP. XXXV.

375. *S*unt qui nec principatum Bytho defendunt, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* De aliis qui Bythum post Ogdoadem primam collocant. *Quo etiam habet ex Iren. sub finem ca. 5. lib. 1. Legimus autem rursum.* Bytho *pro:* Bythio. *Solet autem (inquit Rhenanus) loqui Tertull.* Defendere aliquid alicui, *vt in lib. de Resurr. car.* Corruptionem, *inquit,* perpetuam veteri defendat.
H

376. postumatum.] Postumus *est (inquit Rhenan.) qui patre iam humato, post mortem eius nascitur. Hinc* postumare *verbum ipse deduxit in lib. de Resurr. carn pro: posteriorem esse, vt quum dicit:* ordine postumat. *Ab hoc* postumatus *verbale nomen iuxta quartam declinationem, pro partibus non primis secundum tempus, siue posteritate, vt vsurpem vulgare, sed barbarum vocabulum.*

377. Ogdoadem ante omnia præmittentes.] *Iren. Alij autem, inquit, rursus ipsorum primam & archegonon octonationem his nominibus nominauerunt. Primum* Proarchen, *deinde Anennoeton, tertiam autem Arrheton, & quartam Aoraton. Significat autem* ἄρρητος *ineffabilem. Et de prima quidem Proarche emissum esse primo & quinto loco Archen, ex Anennoeto, secundo & sexto loco Acatalepton; & de Arrheto, tertio & septimo loco Anonomaston; de Aorato autem quarto & octauo loco Agenneton. Plerema hoc primæ* Ogdoadis. *Has volunt virtutes fuisse ante Bythum & Sigen, vt perfectorum perfectiores appareant, & Gnosticorum magis Gnostici viri. Vbi (inquit Rhenanus) Interpres Irenæi Genitiuos non mutauit in Ablatiuos, verbum ad verbum nimia religione exprimens. Atqui etsi etiam ms. 3. Vatic. cod. legant* Arrheton, *recte ex Irenæo substituit idem Rhenan.* Arrheton. *Cuius & aliarum Græcarum vocum harum interpretationem Latinam habes supra in Æonū Catalogo post Argumentum nostrū petissi-*

mum

mum ex Interprete Epiphanij. Nam etiam hæc ex Iren. nominatim adfert hær.32.

CAP. XXXVI.

378. Quinto meliores qui totum hoc tædium amoliri, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* De iis qui vno partu Ogdoadem ex Bytho & Ennœa volunt productam. *Quod rursum desumpsit ex cap.6. lib.1. Iren.* Qui autem, *inquit*, prudentiores, &c. *Porro sua ex Græco versione Abb. Billius istam opinionem* Colorbaso *adtribuit, quemadmodum etiam Epiphan.hær.35. etiam Colorbasum à Ptolomæi radice ortum hæc dixisse. Addit præterea Iren. quod Auctor non habet: Et iam non ex Logo & Zoe Anthropon & Ecclesiam, sed ex Anthropo & Ecclesia Logon & Zoen.*

379. per gradus reuera Gemonios.] *Adludit (inquit Rhenan.) ad scalas* Gemonias *sontium supplicijs infames, quæ erant in Auentino, in decimatertia regione vrbis.* Graduum Gemoniorum *meminit Plin.li.8.c.40. Sed supra omnia in nostro suo Actis populi Romani testatum, Appio Iunio & P. Silio Cos.t. quum animaduerteretur ex caussa Neronis, Germanici filij, in T. Sabinum & seruitia eius, vnius ex his carnem nec à carcere abigi potuisse, nec à corpore recessisse abiecto in* gradibus Gemoniis, *mœstos & dentem vlulatus.*

380. structum.] Structum, *inquit idem, frequenter vsurpat pro constructo, siue exstructo, vt in lib. de carne Christi:* Caro igitur Christi de cælestibus structa. *Item in lib. de Resurr. carn.* Ex quibus homo structus est. *Vide similes locos supra Tom.2. lib. de Patient cap. 3. nu.22. Huc pertinet etiam verbale nomen* structus, *pro structione vsitatum Auctori infra lib. de Anima, c.18.* animæ suggestum & structum.

381. mappa (quod aiunt) missa.] *Vide hac de re supra dicto T. 2. l. de Spectac. c.16. nu.143. & aliquid etiam in Prolegomenis, eo quod Auctor tamquam Prouerbiali formula vtatur.*

382. semel octoiugem istam ex Patre & Ennœa, &c.] *Iren. numerum certum non addit, Epiphan. rectius: semel sex seculorum emissionem, &c. Neque enim plures hic Æones quam sex recensetà* Patre & Ennœa *productos. Tertull. vero illos vna numerat. Corrigendus autem Epiphanius, vt legatur: sed velut alii volunt, &c. pro: aut. Legimus autem* ex patre, *pro eo quod corruptissime irrepserat:* ex parte *non obstante Rhenani castigatione. Nam Iren. habet:* Ex Propatore, *& mox sequitur:* pater dictus est Ennœan *vero etiam supra cap.7. nu.62. vocat Auctor Sigen. Bythi coniugem, vt non sit opus, id nominis sectatoribus Ptolomæi dumtaxat adscribere, quibus hanc opinionem Iren. tribuit.*

383. Cogitauit proferre, hoc pater dictus est, &c.] *Iren. Quando aliquid voluit, inquit,* proferre hoc pater *vocatus* est. *At vbi quæ emisit, vera fuerunt, hoc Alethia vocatum est. Quum autem voluit semetipsum ostendere, hoc Anthropos dictus est. Quo autem præcogitauit, posteaquam emisit, hoc Ecclesia vocata est. Locutus est Anthropos Logon, hic est primogenitus filius. Subsequitur autem Logon Zoe. Et sic prima octonatio completa est.*

384. probari.] Probari (*inquit Rhen.*) *pro approbari, id est: probabilem ostendi, siue sentiri, percipique; quo verbo Cicero sic vti solet. Pro:* præcogitauit, *quod habent Iren. & Tertullian. legit Epiph. Interpres: prædelegit, Græce est:* προλογίσατο. *Atqui ms.3. Vatic. cod. legunt:* Sed hoc tædium non pusillum. *Verum placet exc. lectio.*

CAP. XXXVII.

385. Accipe alia ingenia, &c.] *Titulum huic capiti damus:* De alio qui primo loco collocabat Solitatem & Vnitatem, Monada & Vnionem: *Quod rursum desumpsit ex cap.5. li.1. Iren. Alius vero quidam, inquit, qui & clarus est magister ipsorum, in maius sublime, & quasi in maiorem agnitionem extensus, primam quaternionem dixit sic. Quæ verba mirum est ab Abb. Billio prætermissa esse, quantum apparet, quod mutilus esset Græcus codex. Atqui hunc quidem Epiphanem vocat Epiphanius, Carpocratis nempe filium, cui Secundus Valentinianus coniunctus fuit, sed tamen eius potius sectatoribus, quam ipsi hanc opinionem tribuens. Tradunt præterea, inquit, etiam hi, velut ad maiorem cognitionem ex scientia progressi, primam quaternionem sit, &c. Et certe quum addat Auctor:* qui ex sua Pontificali auctoritate, *puto potius eum loqui, & proinde etiam Irenæum, de aliquo Epiphanis sectatore, quam de ipso Epiphane, vtpote qui (vel ipso Epiphanio teste) xvij. ætatis anno è viuis excesserit, & sic ad Pontificatum promoueri non potuerit.*

386. cicuria Enniana.] *Ita nunc primum lego, pro:* Circurianiana, *ex castigatione eruditiss. viri D. Io. Harrisii Angli, voce composita ex cicur, &* Ennianus, *vt Auctor hic noster ita apellauerit per Ironiam* ingenia *vafra & callida. In quam opinionem & ipsum & me adduxerunt hæc verba B. Hieronymi li.2. adu. Rufinum: Sed nos, inquit, simplices homines &* cicures Enniani, *nec illius sapientiam, nec tuam qui interpretatus es, intelligere possumus. Super quo loco Marianus Victorius ita dici putat, quod rudes homines describat Ennius ex agrestibus primis illis temporibus manuefactos, quales fuerunt Osci, quorum ipse linguam didicit, quam quum Græca Latinaque adiunxisset, propterea tria habere se corda (vt ait Gell.) gloriabatur. Forsitan (vt & meam coniecturam adiungam) ita loquitur Terullianus, quod stylo graui & sesquipedali, quali Ennius, vteretur is quem hic intelligit. Nolui interim prætermittere coniecturam Rhenani, qui sic habet: Fortassis* Lyncuriana *scribi debet. Nam quum hic de ingenij perspicacitate fiat mentio, non inepte prorsus* Lyncurianum *quadrabit, à Lyncurio lapide deductum vocabulum, quam gemmam carbunculo similem tradit esse Plinius, & igneo colore fulgere. Vbi occulta allusio quoque sit ad Lynceum illum, saxa & arbores oculorum acie penetrare solitum. Non aliter enim Episcopus iste, cuius nomen etiam Irenæus obticet, ipsum Pleroma penitius inspexit, quam Lynceus terram visu penetrabat, & remotissima quæque perinde ac ante se posita cernebat. Hanc coniecturam, inquit ille, meam nolui studiosos celare: tamen nihil est in contextu mutatum. Quo denique adijcit & illud: Ceterum fieri potest vt ad* Circurianum *aliquem sui temporis & regionis hominem adludat. Verum prius illud magis placet, quod supra c.7. sic loquatur:* Primus omnium Ennius Poeta Romanus, cœnacula maxima cœli simpliciter pronuntiauit.

387. Est, inquit, ante omnia Proarche, &c.] *Iren. Est quidem ante omnia (sic lego ex Græco Epiph. pro, omnes)* Proarche *proanennoetos, & inenarrabilis, & innominabilis, quam ego Monoteten voco. Cum hac Monotete est vitrus, quam & ipsam voco Henoteten. Henotes & Monotes quum sint vnum, emiserunt, quum nihil emiserint. Principium omnium Noeton, & agenenton, aoraton. Quum Archen sermo Monada vocat. Cum hac Monade est virtus eiusdem substantiæ ei, quam & eam appello Hen. Hæ autem virtutes, id est, Monotes & Henotes, & Monas, & Hen, emiserunt reliquas emissiones Æonum.*

388. Mutetur Vnio & Vnitas, &c.] *Iubet (inquit Rhenan.) priorem ordinem inuerti, Et simul inuertit, nec dicit exstare differentiam. Illud autem:* & suum Solitas *accipit* ὑποφαντικῶς *vt sit* suum Solitas, *id est, eius Episcopi vocabulum, de quo loquitur. Dicit autem:* suum, *propterea quod hoc nomen ad Monoten (id enim significat, non Monada) exprimendam esset confictum.*

CAP. XXXVIII.

389. Humanior iam Secundus, vt breuior, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* De Secundo, qui duas Tetradas diuisit in dextram & sinistrã, lumen & tenebras. *De quo, & item altera eius diuersitate:* de virtute defectrice *vide supra li.de Præscript.adu.hær.et.c.49.hær. 13.n.316. Desumpsit autem etiam vtrumque hoc ex Iren.li.1.c.5 paulo ante præcedentia. Cui correspondent Epiph.hær.32. & Theodoret.vbi supra. quorum ille late refutat appellationes has* dextræ *&* sinistræ, *ac* luminis *&* tenebrarum. *Facta est autem etiam* Secundi *mentio supra c.4.n.31.*

390. Ogdoadem in duas, &c.] *Iren. sic: Secundus autem* Ogdoadem (*omitto: primam cum Billio & Tertull.*) *sic tradidit, dicens: Quaternionem esse dextram, & quaternionem sinistram, & lumen & tenebras.*

391. Tantum quod desultricem, &c.] Desultricem (*inquit Rhenan.*) *intelligit; inconstantem & instabilem. Pro quo quum Iren. habeat: discedentem (saltem Græce, & sicuti castigandus est) expone etiam hic* desultricem, *id est, secedentem à reliquis Æonibus, & Sophiam accipe Teleti coniugem, qua propter inquisitionem patris magnum adiens discrimen, tandem nobis Enthymesin seu Achamethan peperit. Atqui lego ex eodem Iren. & Epiphan. de aliis:* non vult abaliquo xxx. Æonum deducere, sed à fructibus de substantia eorum venientibus, *id est, à posterioribus Æonibus, vti supra etiam adnotauimus loco citato: addens proinde voces:* triginta, *&:* eorum, *quæ desiderabantur. Porro similiter loquitur Apuleius Madaurensis initio Asini sui: Scientiam, id est, cognitionem linguæ Latinæ, quam è Græcia in Italiam translatus didicerat:* desultoriam *appellans: videlicet, quod de Græcis studijs, inquit Rhenanus, in Latina desiliisset, imperfectam, ac nondum satis confirmatam significare volens. Metaphora ducta ab equitibus desultoribus, qui de equo in equum transiliunt.*

CAP. XXXIX.

392. De ipso iam Domino Iesu, quanta diuersitas, &c.] *Verba hæc titulum huius capitis indicant. Quod ipsum etiam desumpsit ex Iren.c.7.lib.1. ab Epiphanio vero peculiariter tribuitur Colorbasis, hær.35. similiter & à Theodor.hæret.fab.l.1.*

393. Hi ex omnium Æonum flosculis, &c.] *Hanc blasphemiam late commemorauit Auctor, c.12 quo Lectorem remittimus, hic adijcere contenti verba Irenæi: Quidam enim cum ex omnibus nempe Æonibus generatum dicunt, quapropter beneplacitum vocari, quia vniuersum Pleroma bene sensit glorificare Patrem.*

394. Illi ex solis decem, &c.] *Iren. Alij autem ex* solis decem *Æonibus, qui sunt à Logo & Zoe emissi, & propter hoc Logon & Zoen dicieum, parentum (seu potius, vti Billius) auita, nomina custodientem Verum & hæc blasphemia est. Atqui de* decem *istis, Æonibus vide supra ca.8.*

395. Illi ex duodecim potius, &c.] *Iren. Alij autem, inquit, ex* duodecim *Æonibus, his qui sunt ab Anthropo & Ecclesia facti, & propter hoc filium hominis se profiteri, velut posteritatem Anthropi. Est vero etiam hæc blasphemia. De* duodecim *porro Æonibus vide supra ca.8.*

396. Alii à Christo & spiritu sancto, &c.] *Iren.* Alii à Christo & Spiritu sancto, *ijs (nam sic lego, pro:* eorum) *qui ad firmamentum (vniuersi, id enim addo) Pleromatis emissi sunt, (de hac blasphemia supra latius c.14.) factum eum dicunt? & propter hoc Christum vocari, patris sui, à quo emissus est, retinentem appellationem. Hoc est autem quod dicit Auctor:* iure paternæ appellationis hæredem: *qui hic* vniuersitatem *vocat, quod supra* Pleroma.

398. Sunt qui filium hominis aliunde, &c.] *Quandoquidem istam postremam blasphemiam de Deo Patre homine impugnet Epiphan. hær. 35. puto eam potius proprie ad Colorbasios pertinere, contra quos ibi agit, præcedentes vero aliorum esse Valentinianorum. Tertulliano sufficit tribus, quod aiunt, verbis eius absurditatem demonstrare*: Vt quid amplius speres, *tu homo, inquam*, de eius Dei fide, cui nunc adæquaris?

398. Talia ingenia superfruticant, &c.] *Siue sic legas cum exc. siue cum 3. ms. Vatic. cod. & 1. edit. in margine* superfructificant, *perinde est. Illud tamen magis placet quod lib. seq. de Anima, c. 27. sic loquatur Auctor*: pariter hominem ex vtraque substantia effruticent. *Addens autem* ex materni seminis redundantia, *semen Achamothianum (inquit Rhenan.) intelligit, de quo multa ante dicta sunt, præsertim cap. 25.*

399. in syluas iam exoleuerunt Gnosticorum.] *Hinc patet* Gnosticorum.] *principem fuisse Valentinum, de quibus latius infra Scorp. adu. Gnosticos, num. 2.*

ARGVMENTVM LIBRI DE ANIMA, PER IACOBVM PAmelium.

TERTVLIANVS *antea* DE *solo* CENSV *seu origine* ANIMÆ CONGRESSVS HERMOGENI (*libro qui desideratur, cuius fragmenta habentur Tomo sequ.*) *hunc de omni statu Animæ Librum conscripsit, vt plurimum cum Philosophis dimicaturus.*

I. *Imprimis autem, non à Socrate immortalitatem animæ, sed à Deo discendam. Cui enim veritas comperta sine Deo, cui Deus sine Christo, cui Christus sine Spiritu sancto, cui Spiritus sanctus accommodatus sine fidei Sacramento?*

II. *Etsi enim naturaliter aliqua suggerantur, vt etiam ex Prophetis quædam hauserint Philosophi, tamen vera quæque aut aliunde ab eis commendari, aut aliorsum subornari, sententiis contrariis alicubi regulæ nostræ.*

III. *Atque vtinam nullas hæreseis oportuisset existere; nihil enim omnino cum Philosophis Patriarchis hæreticorum experiendum foret: quum vero illi de nidoribus Philosophiæ diuersissimis opinionibus purum aerem veritatis infuscent; & illa quibus à Philosophia capiuntur, destruenda, & hæc quibus fideles ab hæresi concutiuntur, retundenda.*

IV. *Deinde ad institutum accedens, primum aduersus Platonem*
C *Animam natam & factam dicit, vtpote ex Dei flatu.*

V. *Plures etiam Philosophos, etsi Aristotele & Platone corpulentiam ei auferentibus, corpus Animæ vindicasse.*

VI. *Quod paradoxon etiã Auctor hic secutus, Platonicorũ argumenta, quibus incorporalem Animam adserebãt, satis friuole refellit.*

VII. *Immo corporalitatem Animæ ex Euangelio perperam probare nititur.*

VIII. *Ad alia iterum Platonicorum argumenta respondens.*

IX. *Quid? quod effigiem quoque Platone nolente (refutante etiam B. Augustino) non vereatur Animæ quamtumuis immortali adfingere; eamque coloris aerei & lucidi.*

X. *Rectius deinceps vnum esse docet Animam & Spiritum, viuere & spirare; vel ex eo quod ad flatum fidei pertinent, simplicem Animam determinare secundum Platonem.*

XI. *Ita tamen Spiritum Animam dici vt neque Dei spiritus sit, quod videbatur Hermogenes sentire, neque spiritale nescio quod semen Valentinianorum Animæ collatum sit.*

XII. *Animum item ab Anima non separari, vtpote qui non aliud quam suggestus siue ornatus sit Animæ quo sapit: idque contra Anaxagoram & Aristotelem, quorum ille commiscibilem, iste passibilem animum negabat.*

XIII. *Quod etiam inde probat; quod principalitas Animæ, non Ani-*
D *mo tribuatur; eitã animam Deus semper adloquatur, nõ Animũ.*

XIV. *Quum autem diuiditur Anima in partes à Platone aut aliis, vires & efficacias & operas diuersas intelligi, sicuti de quibusdam etiam Aristoteles iudicauit; vtpote etiam ipse cum aliis plerisque vnitatem Animæ agnoscens.*

XV. *Hegemonicon interim, id est, summum in Anima gradum sapientialem, contra quam sentiebant Asclepiades & Dicæarchus, cum Platone & Aristotele agnosci etiam a Christianis, idque in recessu cordis.*

XVI. *Ad fidem quoque pertinere, quod Plato partitur Animam per rationalẽ & irrationalem; ita tamen vt naturæ primæuæ deputetur rationale, irrationale vero transgressioni; non tamen placere irrationalis distinctionem in indignatiuum & concupiscentium, quod vtrumq; etiã Christo & rationali animæ competat.*

Etiam in hoc non probari Platonem & Academicos, quod sensualitatem quinque sensuum irrationalem pronuntient: neque enim licere sensus istos in dubium reuocare, ne & in Christo de fide eorum deliberetur. XVII. E

Neque audiendos hæreticos, qui non aliter quam suas Plato *Ideas intellectualia faciunt veritates, sensualia vero imagines veritatis dumtaxat; sed perinde Animam per corpus corporalia sentire, quemadmodum per animam incorporalia intelligit: sic tamen vt etiam sentiat, quum intelligit.* XVIII.

Atque adeo intellectum semper Animæ inesse, vti etiam reliqua Animæ naturalia. XIX.

Etsi autem vniformis Anima, fœtu tamen ingeniorum multiformem, pro conditione cœli & soli, pro ratione operis & curæ, pro temporum euentu, pro licentia casuum, & corporis etiam valetudine; vt ne DE FATI NECESSITATE *quid dicatur, de qua suo titulo disseruerit.* XX.

Proinde etiam Animam, contra quam sentiunt Valentiniani, conuertibilem fuisse libri arbitrii potestate, IVXTA QVOD MARCIONI IAM ET HERMOGENI OSTENDERIT. XXI.

Quocirca Animam definiri: Dei flatu natam? immortalem, corporalem (en iterum paradoxon Auctoris) effigiatam: substantia simplicem, de suo patientem, varie procedentem, liberam arbitrii, accidentis obnoxiam, per ingenia mutabilem, rationalem, dominatricem, diuinatricem. XXII. B F

Dum deinceps quæritur, vnde Anima: hæreticos quosdam non recte eam è cœlis deferre, atque eodem indubitate redituram adserere, quorum omnium condimentarium Plato. XXIII.

Nouum itaque Platonis argumentum elidit: discentias reminiscentias esse, hoc est, venientes è cœlo animas obliuiisci eorum in quibus fuerint prius, dehinc ex his visibilibus recordari eorumdem. XXIV.

Agit deinde aduersus Stoicos, & ipsum interdum Platonem, qui post partum corpori Animam inducunt, ex aeris frigidi pulsu, aut prima spiratione. XXV.

Eorum sententiam, etiam ex Scripturarum Christianarum fundamento, impugnans. XXVI.

Definiens simul ambas Animæ corporisque substantias, & concipi, & confici, & perfici. XXVII.

Porro etiam Platonis secundum Pythagoram temerarium mendacium μετεμψύχωσιν *impugnat, id est, recidiuatum animarum, reuolubilem ex alterna mortuorum & viuorum suffectione.* XXVIII. G

Etsi enim ex viuis fiant mortui, nõ tamen ideo ex mortuis viuos. XXIX.

Dein, si ex mortui semper viui, vnum omnino & eundem oportere fuisse hominum numerum: quum econtrario inueniamus paulatim humanum genus exuberasse. XXX.

Etiam; si ita sit, singulas animas in singula corpora reuerti oportere: eadem ætate, eisdem institutis, ingeniis, artibus, & ex omni gente, sexu, dignitate: quod tamen ipse Pythagoras non admisit. XXXI.

Delirare vero magis Empedoclem: qui μετενσωμάτωσιν *induxerit, bestias ex hominibus, & homines ex bestiis reuoluentem.* XXXII.

Neque vero etiam iudicii nomine vindicari hoc dogma: euacuari enim, si crimina non aliter puniantur, aut merces nonalia bonis detur, quam in animalia restitutio. XXXIII.

Eadem repercussione cædi etiam Simonis Samaritæ hæretici similem opinionem, de sua Helena; quam per alios atque alios habitus fœmineos volutatam, etiam illam fuisse aiebat Priamo pernicioſissimam. XXXIV.

Immo etiam Carpocratis Animarum recorporationem, quatoties volebat Animam in corpora reuocari, quoties minus de delictis satis fecisset; qui etiam Heliæ reditum frustra pro se interpretatus sit. XXXV. H

Reuersus inde ad prius institutum, etiam sexum (quem tamen D. Augustinus negat) Animæ & corporis simul oriri tradit. XXXVI.

Omnem autem hominis paraturam aliqua potestate diuinæ voluntatis ministra (ab angelo nempe aliquo) modulari: simul etiam crescere & proficere, Animam ingenio & sensu, corpus modulo & habitu. XXXVII.

Pubertatem quoque, vti in corpore, ita & in Anima, simul exsurgere suggestu sensuum: & etiam ciborum concupiscentiam esse in anima, sed necessitate corporis non sui proprietate, ne quis hinc mortalem credat. XXXVIII.

Item nullam ferme Animam sine dæmonio esse, saltem in ethnicis, donec, in Christo nascantur. XXXIX.

Tandiu enim Animam ex carnis societate in Adam immundam XL.

cense-

censeri; & peccatricem tam Animam, quam carnem dici.

Atque adeo, malum Animæ non solum ex obuentu spiritus nequam superstrui, sed & ex origine, quo obfuscatur bonum eius prius, donec reformetur per secundam eius natiuitatem ex aqua & superna Spiritus sancti virtute: à quo ibi excipitur, sicuti à profano spiritu in pristina.

Atquin mortis quoque tractatum ad nos pertinere (secus quã Epicurus sentit) in qua Anima consummat.

Proinde etiam somnum mortis speculum; quem non supernaturalem, sed naturalem esse, tum aliis rationibus, tum scripturis sacris probat.

Nam quod de Hermotimo scribunt: Anima illum in somno caruisse, id subornatum; vti somnus, non otium Animæ, sed secessio crederetur.

De somniis quoque, & accidentibus somni, quatenus ab ecstasi differunt, dicendum; quibus significatur Anima perpetuo negotiosa, quod immortalitatis est ratio; in quibus interim non magis ob stupri visionem damnabimur, quam ob Martyrii coronabimur.

Neque enim vana esse in totum somnia (vti iudicabat Epicurus) multis exemplis probari; & varios esse Commentatores, ac in hanc rem adfirmatores.

Christianam vero eam esse sententiam: à dæmoniis plurimum incuti somnia, etiam vera interdum; Deo interim deputanda, si quæ honesta, sancta, Prophetica, reuelatoria, ædificatoria, vacatoria; quædam etiam sibimetipsi Animam fingere ex intentione circumstantiarum; reliqua denique ecstasi separanda.

Atque adeo ex ingenio magis quam constantia, somnia à Platone æstimari: tamquam certiora ab extimo noctis, certis anni temporibus, quietis situ, aut ciborũ distinctione, aut derogatione.

Et vero etiam infantes ac Atlantes somniare: quum & somnia à Deo sint, nullaque iam gens Dei sit extranea, in omnes terminos orbis Euangelio coruscante.

Nunc ad mortem quod adtinet, debitum esse toto humano generi naturæ finem, quantumuis Epicurus id neget, & Menander hæreticus ad suo baptismo initiatos pertinere neget, apud quem nec pro Deo mori Lex est; nam etiam Enoch & Heliam morituros, & Ioannem iam obiisse.

Opus autem mortis esse separationem corporis & animæ quantumuis quidam Philosophi crediderint, post mortem quasdam animas hærere corporibus.

Atque omnem mortem, siue ordinariam, siue extraordinariam, non ex naturæ esse, sed ex culpa, nec ipsa naturali.

Excedere porro Animam, non deficere dilabentibus paulatim corporis instrumentis: iam clariorem obtutu ac si de somno emergentem instante morte; vtpote, quæ tum exultat aut trepidat, prout paraturam diuersorii sui sentit, de ipsius angeli facie euocatoris Animarum.

Quo autem deducantur Animæ, varias esse Philosophorum sententias; inter quos Stoici Prudentum Animas in supernis mansionibus collocant, reliquas apud inferos; quos inferos Christiani non in gremio terræ, vt Plato, sed in intimis viscer. bus collocant.

Suam vero eam esse sententiam (quæ interim ab Ecclesia non probatur) quod in sinum Abrahæ seu Paradisum (de quo librum ediderit) Martyrum solæ Animæ commigrent, reliquæ vero ad inferos.

Atqui vanas eas esse opiniones; quibus putabant, tantisper in terris Animas detineri, donec iusta perceperint; aut immatura morte præuentas, isthic vagari, donec reliquatio copleatur ætatis.

Neque vero ab inferis Animas, ex imperio dæmonum per Magiam (cuius species aliquot recensет) aut ex arbitrio huc redire.

Atqui illic, interim dum corpus exspectant, Animas innocentium gaudere, & nocentum dolere ac puniri: vel ob cogitatus solos, quos censura diuina persequitur, maxime, quum etiam modica delicta ad nouissimum vsque quadrantem illic luenda, ex Euangelio intelligatur.

Ceterum contra quam etiam viri quidam eruditi censuerunt, nihil dubitandum, quin germanus sit hic Tertulliani fœtus. Vti enim stylum prorsus eundem omittam, & præterquam quod B. Hieronymus & Augustinus multa hinc etiam ad verbum citarint locis infra adductis: ipse Tertullianus non vno in loco id indicat. Sic enim Libro de Resurr. carn. c. 2. Habet (inquit, de Lutano hæretico loquens, qui Animam etiam dissoluendam putabat) & iste à nobis plenissimum De omni statv Animae stilvm. Et c. 17. Nos autem Animam corporalem & hic profitemur, & in svo volvmine Probamvs Rursum ca. 45. Nam & exinde à benedictione genituræ, caro atq; Anima simul fiunt &c. quod docuimus in commentario animæ. Est autem primum editus à Gagnæo cum nouem aliis, quos Trithemius reperire non potuerat; deinde castigatus à Sigismundo Gelenio, ad exemplar Lælandi Britannicum. Postremum vero nunc, partim nostra, partim Latinii, Harrisii, & Carrionis opera (nam MS. deerant exemplaria) emendatior prodit; nouis etiam tum Argumento, tum Adnotationibus à nobis illustratus.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE ANIMA, LIBER.

Cap. I. DE [1] solo censv animæ congressvs Hermogeni, quatenus & istum ex materiæ potius [3] suggestu, quam ex Dei flatu constitisse præsumpsit, nunc ad reliquas conuersus quæstiones, plurimum videbor cũ Philosophis dimicaturus. [4] Etiam in carcere Socratis de animæ statu velitatum est: nescio iam hoc primum, an opportuno in tempore magistri, etsi nihil de loco interest. Quid enim liquido saperet anima tunc Socratis, [5] iam sacro nauigio regresso, [6] iam cicutis damnationis exhaustis, iam morte præsente vtique consternata ad aliquem motum secũdum naturam, aut externum, si non secundum naturam. Quamuis enim placida atq; tranquilla, [7] quam nec coniugis fletus statim viduæ, nec liberorum conspectus exinde pupillorum, lege pietatis inflexerat, vel in hoc tamen mota ne moueretur, ipsa constantia concussa est aduersus inconstãtiæ concussionem. Quid autem aliud saperet vir quilibet iniuria damnatus præter iniuriæ solamen, nedum Philosophus gloriæ animal, cui nec consolanda est iniuria, sed potius insultanda. [8] Denique post sententiam obuiæ coniugi & muliebriter inclamanti, iniuste damnatus es Socrates, iam & de gratulatione responderat: Volebas autem iuste? Nihil mirandum, si & in carcere [9] lemniscatas Anyti & Meliti palmas gestiens infringere, [10] ipsa morte coram, immortalitatẽ vindicat animæ necessaria præsumptione ad iniuriæ frustrationem. Adeo omnis illa tunc sapientia Socratis de industria venerat consultæ æquanimitatis, non de fiducia compertæ veritatis. [11] Cui enim veritas cõperta sine Deo, cui Deus cognitus sine Christo, cui Christus exploratus sine Spiritu sancto, cui Spiritus sanctus accommodatus sine fidei sacramento? Sane Socrates facilius diuerso spiritu agebatur. [12] Siquidem aiũt dæmonium illi à puero adhæsisse, pessimum reuera pædagogum, [13] etsi [14] ost Deos & cum Deis dæmonia deputãtur penes Poetas & Philosophos. Nondum n. Christianæ potestatis documenta processerant, quæ vim istam principiosissimam, nec vnq̃ bonam, antiqui erroris artificem, omnis veritatis auocatricẽ sola traducit. [14] Quod si idcirco sapientissimus Socrates secundũ Pythii quoq; dæmonis suffragiũ, scilicet negotiũ nauantis socio suõ, quanto dignior atq; constantię Christianę, atq; sapiẽtiæ assertio, [15] cuius adflatui tota vis dæmonũ cedit? Hęc sapiẽtia de schola cœli Deos qdem sæculi negare liberior, [16] q̃ nullũ Æsculapio gallinaceũ reddi iubẽs prævaricetur, [17] nec noua inferens dæmonia, sed vetera depellẽs: [18] nec adulescentiã vitians, sed omni bono pudoris informans, ideoq; non vnius vrbis, sed vniuersi orbis iniquã sententiã iustũ ẽ. p̃ nomine veritatis, tanto scilicet perosioris quãto plenioris, vt & mortẽ non de poculo p̃ habitũ iocunditatis absorbeat, sed de patibulo & viuicoburio per omnę in-

genium

A genium crudelitatis exhauriat, interea in isto tenebrosiore carcere seculi 19 inter suos Cebetas & suos Phędonas, si quid de anima examinandum est, ad Dei regulas dirigat. Certe nullum alium potiorem animæ demonstratorem quā auctorem à Deo discat, quod à Deo habeas, aut nec ab alio, si nec à Deo. Quis enim reuelabit quod Deus texit? Vnde scisciţandum est? Vnde & ignorare tutissimum est, præstat per Deum nescire, quia non reuelauerit, quam per hominē scire, quia ipse præsumpserit. [20 Plane nō negabimus aliquādo Philosophos iuxta nostra sensisse: testimonium est veritatis etiam inuentus ipsius. Nonnunquam & in procella confusis vestigiis cœli & freti aliqui portus offenditur prospero errore, nonnunquā & in tenebris aditus quidā & exitus deprehenduntur cæca fœlicitate, sed & natura pleraq; suggeruntur quasi de publico sensu, quo animam Deus dotare dignatus est. Hunc nacta Philosophia ad gloriā propriæ artis inflauit præstudio (nō mirū si istud ita dixerim) eloquii quiduis struere atque destruere eruditi, magisq; dicendo persuadentis, quam docendo. Formas rebus imponit, eas nunc peræquat, nunc priuat, de certis incerta præiudicat, prouocat ad exempla, quasi cōparanda, omnia præscribit, propria ætatibus etiā inter similia diuersis, 21 nihil diuinæ licentiæ seruat, leges naturæ opiniones suas facit, ferrem si naturalis ipsa, vt cōpos naturæ de cōditionis consortio probaretur. Visa est quidem sibi & 22 ex sacris (quas putant) litteris hausisse, quia plerosque auctores etiā Deos existimauit antiquitas, nedum diuos: 23 vt Mercurium Ægyptium, 24 cui præcipue Plato adsueuit: 25 vt Silenum Phrygē, cui à pastoribus perducto ingētes aures suas Midas tradidit, 26 vt Hermotimū, cui Clazomenii mortuo templū cōtulerunt, 27 vt Orpheum, vt Musæum, 28 vt Pherecydem Pythagorę magistrum. Quid autem si Philosophi etiam illa incursaueiunt quæ penes nos apocryphorum confessione damnantur, certos nihil recipiendū quod non conspiret germanæ, 29 & ipso iā æuo pronatæ propheticæ paraturæ, quando & Pseudoprophetarū meminerimus, & multo prius apostatarū spirituū, qui huiusmodi quoq; ingeniorū calliditate omnē faciē sæculi instruxerint. Postremo si etiam ad ipsos Prophetas adisse credibile est indagatorem quemq; sapiētiæ ex negotio curiositatis, tamē plus diuersitatis inueniasinter Philosophos quā societatis, cū & in ipsa societate diuersitas eorum deprehendatur. Siquidē vera quęq; & consonātia Prophetis aut aliunde cōmendant, aut aliorsum subornant, cum maxima iniuria veritatis, quam efficiunt aut adiuuari falsis, aut patrocinari. Hoc itaq; cōmiserit nos & Philosophos in ista præsertim materia, quod interdū cōmunes sentētias propriis argumētationibus vestiant, contrariis alicubi regulæ nostrę: interdū sententias proprias cōmunibus argumentationibus muniant, cōsentaneis alicubi regulæ illorū: vt prope exclusa sit veritas à Philosophia per veneficia in illā sua. & ideo vtroq; titulo societatis aduersario veritatis vrgemur, & cōmunes sententias ab argumentationibus Philosophorū liberare, & cōmunes argumentationes à sententiis eorū separare, reuocando quæstiones ad Dei litteras, 30 exceptis plane quæ sine laqueo alicuius præiudicii ad simplex testimoniū licebit adsumere: quia & ex æmulis nonnūquā testimoniū necessariū, si nō æmulis prosit. Nec ignoro quanta sit sylua materiæ istius apud Philosophos pro numero etiam ipsorum cōmētatorum, quot varietates sententiarū, quot palæstræ opinionū, quot propagines quæstionū, quot implicationes expeditionū; 31 sed & Medicinam inspexi sororem (vt aiunt) Philosophię, sibi quoq; hoc negotium vindicantem, vt ad quam magis animæ ratio pertinere videatur per corporis curā. Vnde & plurimum sorori refragatur, quod animā quasi corā in domicilio suo tractando magis norit. Sed viderit vtriusque præstantiæ ambitio. Habuit & Philosophia libertatē ingenii, & Medicina necessitatē artificii ad extendendos de anima retractatus, late quęrūtur incerta, latius disputantur præsumpta. Quanta difficultas probandi, tanta operositas suadendi; vt merito 32 Heraclitus ille tenebrosus vastiores caligines animaduertens apud examinatores animæ, tædio quæstionū pronunciarit, 33 terminos animæ nequaquā inuenisse omnem viam ingrediendo. Christiano autē paucis ad scientiam huius rei opus est: nam & certa semper in paucis, & amplius illi quærere non licet, quam quod inueniri licet. 34 infinitas enim quæstiones Apostol⁹ prohibet. Porro nō amplius inueniri licet, quā q̄ à Deo discitur. Quod autē à Deo discitur, totū est. [35 Atq; vtinā nullas hæreses oportuisset existere, vt probabiles quiq; emicarēt. Nihil omnino cū Philosophis super anima quoque experiremur, Patriarchis (vt ita dixerim) hæreticorū. 36 Siquidē & ab Apostolo iā tunc Philosophia concussio veritatis prouidebatur. Athenis enim expertus linguatā ciuitatē, cū omnes illic sapiētiæ atq; facūdiæ 37 caupones degustasset, inde cōcepit præmonitoriū illud edictū. Proinde enim & animæ ratio per philosophatas doctrinas hominū miscentes aquas vino, 38 alii immortalē negāt animā, 39 alii plusquā immortalē adfirmant, 40 alii de substantia, 41 alii de forma, 42 alii de vnaquaq; dispositione disceptāt, 43 hi statū eius aliunde ducūt, 44 hi exitum aliorsum abducunt, 45 prout aut Platonis honor, 46 aut Zenonis vigor, 47 aut Aristotelis tenor, 48 aut Epicuri stupor, 49 aut Heracliti mœror, 50 aut Empedoclis furor persuaserūt. Deliquit, opinor, 51 diuina doctrina ex Iudæa potius quā ex Græcia oriens. 52 Errauit & Christus piscatores citius quā sophistā ad prœconium emittens. Si qua igitur in hūc modū de nidoribus Philosophiæ candidū & purū aerem veritatis infuscant, ea erunt Christianis enubilanda, & percutientibus argumentationes originales, id est, Philosophicas, & opponentibus definitiones cœlestes, id est, Dominicas: vt & illa quibus ethnici à Philosophia capiuntur, destruantur, & hæc quibus fideles ab hæresi concutiuntur, retūdantur, vna iā cōgressione decisa aduersus Hermogenē, vt præfati sum⁹; quia animā ex Dei flatu, nō ex materia vindicamus, muniti & illic diuinæ determinationis inobscurabili regula, *Et flauit*, inquit, *Deus flatum vitæ in faciem hominis, & factus est homo in animā viuā*, vtique ex Dei flatu. De isto nihil amplius reuoluendū: habet suū titulū, & suū hæreticū. Ceteris hinc exordiū inducā. [53 Post definitionē census, quæstionē status patitur. Cōsequēs enim est, vt ex Dei flatu animā professi, initiū ei deputaremus. 54 Hoc Plato excludit, innatā & infectā animā volens: 55 & natā autē docemus & factā ex initii constitutione. Nec statim erauimus vtrūq; dicentes, quia scilicet aliud sit natū, aliud factū, vtpote illud animalibus competens. Differentiæ autem sua habendo loca & tēpora, 56 habent aliquando & passiuitatis commercia. Capit itaq; & facturam pro nasci poni; siquidem omne quod quoquo modo accipit esse, generatur. Nam & factor ipse parens facti potest dici; 57 sic & Plato vtitur. Igitur quantum ad fidem nostrā factæ natæue animę, depulsa est Philosophi opinio, auctoritate Prophetię quoque. [58 Acceserit Eubulum aliquem 59 & Critolaū 60 & Xenocratem, 61 & isto in loco amicum Platonis, 62 Aristotelē fortasse. 63 An exstruentur magis ad auferēdam animæ corpulentiam? si non alios econtrario inspexerint & quidem plures corpus animæ vindicantes, nec illos dico solos 64 qui eam de manifestis corporalibus effingūt, 65 vt Hipparchus 66 & Heraclitus ex igni, 67 vt Hippon 68 & Thales ex aqua, vt 69 Empedocles 70 & Critias ex sanguine, vt 71 Epicurus ex atomis, si & atomi corpulentias de coitu suo cogunt: vt 72 Critolaus & Peripatetici eius, ex quinta nescio qua substātia, si & illa corpus, quia corpora includit. 73 Sed etiā Stoicos allego, qui spiritum prædicantes animam pene nobiscum, qua proxima inter se flatus & spiritus, tamē corpus animam facile persuadebunt. 74 Deniq; Zeno cōsitum spiritum definiens animam, hoc modo instruit. Quo, inquit, digresso animal emoritur, corpus est: Cōsito autem spiritu digresso animal emoritur: ergo consitus spiritus corpus est: ergo corpus est anima. 75 Vult & Cleanthes non solum corporis lineamentis, sed & animæ notis similitudinem parentibus in filios respon-

dere,

Cap. II.

Matth. 24. Gen. 6.

2. Tim. 1. Cap. III. 1. Cor. 13. Coloss. 2.

Isai. 1.

Isai. 2. Matth. 4.

Cap. IV.

Cap. V.

dere, de speculo scilicet morum & ingeniorum & adfectuum; corporis autem similitudinem & dissimilitudinem capere & animã. Itaq; corpus similitudini vel dissimilitudini obnoxium. 76 Itẽ corporaliũ & incorporaliũ passiones inter se non communicare. Porro & animã compati corpori, cui læso ictibus, vulneribus, vlceribus condoleſcit: & corpus animæ, cui afflictæ cura, angore, amore cohæreſcit per detrimentũ ſocii vigoris, cuius pudorẽ & pauorem rubore atq; pallore teſtetur. Igitur anima corpus ex corporalium paſſionũ cõmunione. 77 Sed & Chryſip. manũ ei porrigit, conſtituens corporalia ab incorporalib. derelinqui omnino nõ poſſe, quia nec contingantur ab eis. 78 Vnde & Lucretius.

Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.

derelicto autem corpore ab anima affici morte. Igitur corpus anima, quæ niſi corporalis corpus non derelinqueret. [79 Hæc Platonici ſubtilitate potius quã veritate cõturbant. 80 Omne (inquiũt) corpus, aut animale ſit neceſſe eſt, aut inanimale. Et ſiquidẽ inanimale eſt, extrinſecus mouebitur: ſi vero animale, intrinſecus. Anima autẽ nec extrinſecus mouebitur, vt quę nõ ſit inanimalis, nec intrinſecus, vt quæ ipſa potius moueat corpus. Itaq; non videri eam corpus, quę non corporalium forma ex aliqua regione moueatur. Ad hoc nos mirabimur incongruentiã primo definitionis prouocantis ad ea quæ in animã non conueniunt. Non n. poteſt anima animale corpus dici, aut inanimale: cum ipſa ſit quæ aut faciat corpus animale, ſi adſit, aut inanimale, ſi abſit ab illo. Itaque q̃ facier, non poteſt eſſe ipſa, vt dicatur animale vel inanimale. Anima n. dicitur ſubſtantiæ ſuę nomine. Quod ſi non capit animale corpus dici aut inanimale quod eſt, anima, quomodo prouocabitur ad animaliũ & inanimaliũ corporum formam? Dehinc ſi corporis eſt moueri extrinſecus ab aliquo, 81 oſtẽdimus autem ſupra moueri animam & ab alio cum vaticinatur, cũ furit, vtique extrinſecus cum ab alio: merito quod mouebitur extrinſecus ab alio, ſecundũ exẽpli propoſitionem corpus agnoſcam. Enimuero ſi ab alio moueri corporis eſt, quanto magis mouere aliud? Anima autẽ mouet corpus, & conatus eius extrinſecus foris parent. Ab illa eſt enim impingi & pedes in inceſſum, & manus in cõtactum, & oculos in conſpectum, & linguã in effatum, velut ſingillario motu ſuperficiem intus agitante. Vnde hæc viſio incorporali animæ, vnde vacuæ rei ſolida propellere. Sed quomodo diuiſi videntur in homine ſenſus corporales & intellectuales? 82 Corporaliũ aiunt rerũ qualitates, vt terræ, vt ignis, corporalibus ſenſibus renuntiari, vt tactui, vt viſui. Incorporaliũ vero intellectualib. conueniri, vt benignitatis, vt malignitatis. Itaq; incorporalẽ eſſe animam conſtat, cuius qualitates non corporalibus, ſed intellectualibus ſenſibus comprehẽdantur. Plane, ſi non huius definitionis gradũ excluſero. Ecce enim incorporalia oſtendo corporalibus ſenſibus ſubiici, ſonum auditui, colorẽ conſpectui, odorem odoratui: quorũ exemplo etiã anima corpori accedit, ne dicas idcirco ea per corporales renũtiari, ſenſus, quia corporalibus accedãt. Igitur ſi cõſtat incorporalia quoque à corporalibus comprehendi, cur nõ & anima quæ corporalis, ab incorporalibus renuntietur? Certe definitio excluſa ſit. 83 De inſignioribus argumẽtationibus erit etiã illa, quod omne corpus corporalibus ali iudicant. Animã vero vt incorporalẽ, incorporalibus: ſapiẽtiæ ſcilicet ſtudiis. Sed nec hic gradus ſtabit, etiã 84 Soranо methodicæ medicinæ inſtructiſſimo auctore reſpondente animã corporalibus quoque ali: deniq; deficientem à cibo plerũque fulciri. Qudni? quo adẽpto in totũ dilabitur ex corpore. Ita etiã ipſe Soranus pleniſſime ſuper anima commẽtatus quatuor voluminibus, & cum omnibus Philoſophorũ ſententiis expertus, corporalẽ animæ ſubſtantiam vindicat, etſi illã immortalitate fraudauit. Non enim omnium eſt credere, quod Chriſtianorũ eſt. Sicut ergo Soranus ipſe rebus oſtendit animã corporalibus ali, proinde & Philoſophus exhibeat illam incorporalibus paſci. 58 ſed nemo vnquã cũctanti de exitu Animæ mulſam aquam de eloquio Platonis infudit; aut micas de minutiloquio Ariſtotelis inferſit. Quid autem facient tot ac tantæ animæ 86 Rupicũ & barbarorũ, quibus alimenta ſapientiæ deſunt, tamen indocta prudentia pollẽt, & ſine academiis & porticibus Atticis & carceribus Socratis: deniq; ieiunãtes à Philoſophia nihilominus viuunt. Non enim ſubſtantiæ ipſi alimẽta proficiunt ſtudiorũ, ſed diſciplinæ, 87 quia nec opimioẽ animã efficiunt, ſed ornatiorẽ. Bene autẽ quod 88 & artes Stoici corporales adfirmant. Adeo ſic quoq; anima corporalis, ſi & artibus ali creditur, ſed enormis intentio Philoſophiæ ſoler plerunq; nec proſpicere pro pedibus. 89 Sic Thales in puteũ, ſolet & ſentẽtias ſuas nõ intelligendo, valetudinis corruptelã ſuſpicari, Sic Chryſippus ad elleborũ: tale aliquid opinor ei accidit, 90 quũ duo in vnũ corpora negauit, alienata à proſpectu & recogitatu prægnantum, quæ nõ ſingula quotidie corpora, ſed & bina & terna in vnius vteri ambitu perferunt. 91 Inuenitur etiam in iure ciuili Græca quædã quinionem enixa filiorum, ſemel omniũ mater, vnici fœtus parens multiplex vnici vteri puerpera numeroſa, quæ tot ſtipata corporib⁹, pene dixerim populo ſextũ ipſa corpus fuit. vniuerſa cõditio teſtabitur corpora de corporibus proceſſura iã illic eſſe vnde procedunt: ſecundũ ſit neceſſe eſt quod ex alio ſit. Nihil porro ex alio eſt, niſi dũ gignitur, ſed tunc duo ſunt. [92 Quantũ ad Philoſophos ſatis hęc, quia quantum ad noſtros ex abundanti, quibus corporalitas animæ in ipſo Euãgelio relucebit. 93 Dolet apud inferos anima cuiuſdã, & punitur in flãma, cruciatur in lingua, de digito animæ fœlicioris implorat ſolatium roris. imaginem exiſtimas exitum illum pauperis lętantis, & diuitis mœrentis? 49 & quid illic Lazari nomen, ſi non in veritate res eſt? Sed etſi imago credenda eſt, teſtimonium erit veritatis. Si enim nõ haberet anima corpus, nõ caperet imago animę imaginẽ corporis: nec mentiretur de corporalibus mẽbris ſcriptura, ſi nõ erant. Quid eſt a. illud q̃ ad inferna transfertur poſt diuortium corporis, quod detinetur illic, quod in diẽ iudicii reſeruatur, 95 ad quod & Chriſtus moriendo deſcẽdit, puto, ad animas Patriarchaũ. ſed quamobrem ſi nihil anima detinet ſub terris? 96 Nihil enim ſi nõ corpus: incorporalitas enim ab omni genere cuſtodiæ libera eſt, immunis à pœna & à & fouela. Per quod enim punitur aut fouetur, hoc erit corpus; 97 reddam de iſto plenius & opportunius. Igitur ſi quid tormenti ſiue ſolatii anima præcerpit in carcere ſeu diuerſorio inferũm, in igni, vel in ſinu Abrahę, probata erit corporalitas animæ. Incorporalitas enim nihil patitur, non habens per quod pati poſſit: Aut ſi habet, hoc erit corpus. 98 Inquantũ enim omne corporale paſſibile eſt, in tantum quod paſſibile eſt, corporale eſt. [99 Abruptum alioquin & abſurdum idcirco quid de corporaliũ eximere cenſu, 100 quia ceteris corporalibus exemplis non adæquet: vbi proprietatum priuata diſcrimina, per quæ magnificentia auctoris ex operũ eorundem diuerſitate ſignatur, vt ſint tam diſcreta quam paria, tã amica quã & æmula. 101 Siquidem & ipſi Philoſophi ex contrariis vniuerſa conſtare condicunt ſecundum amicitiam & inimicitiam Empedoclis. Sic igitur etſi corporalia incorporalibus obiacent, ipſa quoq; ita inter ſe differunt, vt differentia ſpecies eorũ ampliet, non genus mutet: vt ſint corporalia, ſic multa in Dei gloria, dũ varia: ſic varia, dum diuerſa: ſic diuerſa, dum his alii qualitatum ſenſus, alii illis: dum his alia alimenta, alia illis: dum hęc inuiſibilia, illa viſibilia: dum hæc grauia, illa leuia. Aiũt enim & idcirco animã incorporalẽ renuntriandã, 102 quia digreſſa ea, grauiora efficiantur corpora defunctorũ, cum leuiora eſſe deberẽt, vnius corporis pondere exempto, ſi anima corpus. Quid enim, inquit Soranus, ſi mare negent corpus, quia extra mare immobilis & grauis nauis efficitur: Quãto ergo validius corpus animæ, quod tãti poſtea ponderis corpus leuiſſima mobilitate circũfert? 103 Ceterũ etſi inuiſibilis anima, & pro cõditione corporis ſui, & pro proprietate ſubſtantię & pro natura etiã eorum quib. inuiſibilis eſſe ſortita eſt. 104 Solẽ noctuæ neſciunt oculis: 105 aquilæ ita ſuſtinent, vt natorũ ſuo-

A

tum generositatem de pupillarum audacia iudicent alioqui non educabunt, vt degenerem, quē solis radius auerterit: est ideo alteri quid inuisibile, alteri non, quod non ideo incorporale sit, quia nō ex æquo vis valet. Sol enim corpus, siquidem ignis: sed quod aquila confiteatur, neget noctua, non tamen præiudicans aquilæ: tātūdem & animę corpus inuisibile carni si forte, spiritui vero visibile:[106] sic Ioannes in spiritu Dei factus, animas martyrum conspicit.[107] Quum animæ corpus adferimus propriæ qualitatis & sui generis: iam hæc conditio proprietatis de ceteris accidentibus corpulentiæ præiudicauit, vt hæc adesse, qua corpus ostēdamus, sed & ipsa sui generis pro corporis proprietate, aut etsi nō adsint, hoc esse proprietatis nō adesse corpori animæ, quæ corporibus & ceteris adsint. Et tamen non inconstāter profitebimur solenniora quæque,[108] & omnimodo debita corpulentiæ, adesse animę quoque, vt habitum, vt terminum, vt illud trifariam distantium, longitudinem dico, & latitudinem, & sublimitatem, quibus metantur corpora Philosophi.[109] Quid nunc quod & effigiem animæ damus,[110] Platone nolente, quasi pericliteturde animæ immortalitate? Omne enim effigiatum compositum & structile adfirmat. Dissolubile autem omne compositicium & structile, sed animam immortalem. Igitur indissolubilem quam immortalem, & ineffigiatam quam indissolubilem. Ceterū cōpositicium & structilem, si effigiatam, tanquam alio eam modo effigians intellectualibus formis: pulchrā iustitia & disciplinis philosophiæ, deformē vero contrariis artibus. Sed nos corporales quoque illi inscribimus lineas, non tantum ex fiducia corporalitatis per æstimationem, verum & ex constantia gratiæ per reuelationem. Nam quia spiritalia charismata agnoscimus, post Ioannem quoque Prophetiam meruimus & cōsequi.[111] Est hodie soror apud nos reuelationum charismata sortita, quas[112] in Ecclesia[113] inter Dominica solennia per ecstasin in spiritu patitur, conuersatur cū angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt & audit sacramenta, & quorundam corda dinoscit, & medicinas desiderantib. submittit. Iā vero[114] prout scripturæ legūtur, aut Psalmi canuntur, aut adlocutiones proferūtur, aut petitiones delegantur: ita inde materiæ visionibus subministrātur, forte nescio quid de anima differueramus, cum ea soror in spiritu esset.[115] Post transacta solēnia, dimissa plebe, quo vsu solet nobis renuntiare quæ viderit (nā & diligentissime digeruntur, vt etiam probentur) inter cetera, inquit, ostensa est mihi anima corporaliter, & spiritus videbatur, sed non inanis & vacuæ qualitatis, immo quæ etiam teneri repromitteret[116] tenera & lucida & aerei coloris, & forma per omnia humana, hæc visio est. Deus testis, & Apostolus charismatū in Ecclesia futurorum idoneus sponsor: tu nisi res ipsa de singuris persuaserit, ne credas. Si enim corpus anima, sine dubio inter illa quæ supra sumus professi. Proinde & coloris proprietas omni corpori adhæret: quem igituralium animæ æstimabis colorem, quā aereum ac lucidū?[117] non vt aer sit ipsa substantia eius, etsi hoc Æne sidemo visum est &[118] Anaximeni,[119] puto secundū quosdam & Heraclito:[120] nec vt lumen, etsi hoc placuit Pōtico Heraclidi.[121] Nam & cerauneis gemmis non ideo substantia ignita est, quod coruscent rutilato rubore,[122] nec beryllis ideo aquosa materia est, quod fluctuent colato nitore. Quanta n. & alia color sociat, natura dissociat? Sed quoniam omne tenue atq; perlucidum aeris æmulum est, hoc erit anima qua flatus est & spiritus tradux. Siquidē præ ipsa tenuitatis subtilitate de fide corporalitatis periclitatur. Sic & effigiē de sensu iā tuo concipe. non aliam animæ humanæ deputandā præter humanam, & equidem eius corporis quod vnaquæq; circumtulit. Hoc nos sapere interim primordij contēplatio inducat. Recogita enim, cum Deus flasset in faciem hominis flatum vitæ, & factus esset homo in animam viuā totum vtiq; per faciem statim flatum illum in interiora transmissum, & per vniuersa corporis spatia diffusum, simulq; diuina aspiratione densatum, omni intus linea expressum esse, quam densatum impleuerat,[123] & velut in forma gelasse. Inde igitur & corpulētia animæ ex densatione solidata est, & effigies expressione formata.[124] Hic erit homo interior, alius exterior, dupliciter, vnus: habens & ille oculos & aures suas, quib. populus Dominum audire & videre debuerat, habēs & ceteros artus, per quos & in cogitatib. vtitur, & in somnis fungitur. Sic & diuiti apud inferos lingua est, & pauperi digitus, & sinus Abrahæ. Per has lineas & animæ martyrum sub altari intelliguntur. A primordio n. in Adā cōcreta & configurata corpori anima, vt totius substātiæ, ita & conditionis istius semē efficit.[125] Pertinet ad statum fidei, simplicem animam determinare[126] secūdum Platonem: id est, vniformem duntaxat substātię nomine. Viderint artes & disciplinæ, viderint & effigies.[127] Quidam n. volunt aliam illi substantiam naturalem inesse spiritum: quasi aliud sit viuere, quod venit ab anima: aliud spirare, quod fiat à spiritu. Nam & animalibus non omnib. vtrumq; adesse. Pleraq; n. viuere solumodo non etiam spirare;[128] eo quod non habeant organa spiritus, pulmones & arterias. Quale est autem in examinatione humanæ animæ culicis atq; formicæ argumenta respicere, quando & vitalia pro cuiusque generis dispositione, omnibus propria animalibus temperauerit artifex Deus, vt nulla inde coniectura captanda sit. Nā neque homo si pulmonibus & arterijs structus est, idcirco aliunde spirabit, aliunde viuet:[129] neque formica, si membris huiusmodi caret, idcirco negabitur spirare, quasi solummodo viuens. Cui vero tantum patuit in Dei opera, vt alicui hæc deesse præsumpserit?[130] Herophilus ille medicus, aut lanius, qui sexcentos exsecuit vt naturam scrutaretur, qui hominē odiit vt nosset, nescio an omnia interna eius liquido explorarit, ipsa morte mutante quæ vixerant, & morte non simplici: sed ipsa inter artificia exectionis errantes Philosophi pro certo renunciauerunt culicib. & formicis & tineis deesse pulmones & arterias. dic mihi inspector curiosissime, oculos habent ad videndū? Atquin & pergunt quo volunt, & vitant & adpetunt quæ videndo sciunt,[131] designa oculos, denota pupillas.[132] Sed & exedunt tineæ: demonstra n. ādibulas, deprome genuinos.[133] Sed & personant culices, ne in tenebris quidem aurium cæci, tubam pariter & hiantiam oris illius ostende. Quoduis animal vnius licet puncti, aliquo alatur necesse est?[134] exhibeas pabuli transmittendi, decoquendi, defæcandiq; membra. Quid ergo dicemus? Si per hæc viuitur, erunt hæc in omnibus vtique quæ viuent, etsi non videntur etsi non adprehenduntur pro mediocritate: hoc magis credas, si Deum recogites tantum artificem in modicis, quantum & in maximis. Si vero non putas capere tam minuta corpuscula Dei ingenium, sic quoque magnificentiam eius agnoscas, quod modicis animalibus, sine necessariis membris nihilominus viuere instruxerit, saluo etiam visu sine oculis, & esu sine denticulis, & digestu sine alueis,[135] quemadmodum & incedunt quędam sine pedib. manante impetu, quod angues: & insurgente conatu, quod vermes: & spumante reptatu, quod limaces. Ita & spirari cur non putes sine pulmonū follibus, & sine fistulis arteriarum? vt pro magno amplectaris argumēto, idcirco animæ humanæ spiritum accedere, quia sint quæ spiritu careant: & idcirco ea spiritu carere, quia flaturalibus artubus structa non sint. Viuere sine spiritu existimas aliquid, spirare sine pulmonibus non putas? Quid est, oro te, spirare? flatum, opinor, ex semetipso agere. Quid est non viuere? flatum, opinor, ex semetipso non agere. Hoc n. respondere debebo, si non idem est spirare quod viuere. Sed mortui erit non agere flatum: ergo viuentis est agere flatū. Sed & spirantis est agere flatum ergo & spirare viuentis est. Vtrumq; si sine anima decurrere potuissent, non fuisset animæ spirare, sed solūmodo viuere. At n. viuere spirare est, si & spirare viuere. Sic ergo totū hoc & spirare & viuere, eius est cuius & viuere, id est, animæ. Deniq; si separas spiritum, naturā separa, & opera. Agāt in discreto aliquid ambo seorsū anima, seorsum spiritus: anima sine spiritu viuat,

Apoc. 6. ac 20.

Cap. IX.

B

Apoc. 1.

C

2. Cor. 5.

D

E

Luc. 11. Apocal. 6. Gen. 1.

Cap. X.

F

G

H

A

spiritus sine anima spiret; alterū relinquat corpora, alterum remaneat, mors & vita conueniant. Si n. duo sunt anima & spiritus, diuidi possunt, vt diuisione eorum alterius discedentis, alterius manentis, mortis & vitæ cōcursus eueniat. Sed nullo modo eueniet: ergo 136 duo non erunt quæ diuidi non possunt concreta. Si aliud est viuere, aliud spirare, distinguunt substantias opera: & quanto nunc firmius est, vt vnum credas, cum distantiā non das, vt ipsa sit anima spiritus, dum ipsius est spirare, cuius & viuere. Quid n. si diem aliud haberi velis, aliud lucem quæ accidat diei, cum dies ipsa lux sit? Plane erūt & alia genera lucis, vt ex ignium ministerio: Erunt n. & aliæ spiritus species, vt ex Deo, vt ex diabolo. Ita cū de anima spiritu agitur, ipsa erit anima spiritus, sicut ipsa dies lux. Ipsum est n. quid, per quod est quid. [137 Sed vt animam spiritū dicam, præsentis quæstionis ratio compellit, quia spirare alii substantiæ adscribitur: hoc dū animæ vindicamus, quam vniformem & simplicē agnoscimus, spiritum necesse est certa cōditione dicamus: nō status nomine, sed actus, nec substantiæ titulo, sed operæ, quia spirat, non quia spiritus proprie est. nam & flare, spirare est. Ita & animam, quam flatum ex proprietate defendimus, spiritum nunc ex necessitate pronuntiamus. 138 Ceterum aduersus Hermogenem, qui eam ex materia, non ex Dei flatu contendit, flatū proprie tuemur. Ille n. aduersus ipsius scripturæ fidem flatū in spiritum vertit: vt dum incredibile est, spiritum Dei in delictum, & mox in iudicium deuenire, ex materia potius anima credatur quam ex Dei spiritu. Idcirco nos & ille flatum eam defendimus, non spiritum secundum scripturam & secundum spiritus distinctionem: & hic spiritum ingratis pronuntiamus, secundū spirandi & flandi conditionem. illic de substantia quæstio est, spirare n. substantiæ actus est. Nec diutius de isto, 139 nisi propter hæreticos, qui nescio quod spiritale semen infulciūt animæ de Sophiæ matris occulta liberalitate conlatū ignorāte factore, quum scriptura factoris magis Dei sui conscia, nihil amplius promulgauerit, quam 140 Deum flantem in faciem hominis flatum vitæ, & hominem factum in animam viuā, per quam exinde & viuat & spiret: satis declarans differentias spiritus & animæ in sequentib. instrumentis, ipso Deo pronuntiante: 141 *Spiritus ex me prodiuit, & flatum omnem ego feci.* & anima n. flatus factus ex spiritu. Et rursus, 142 *Qui dedit flatum populo super terram, & spiritum calcantibus eam.* Primo n. anima, id est, flatus populo in terra incedenti, id est, in carne carnaliter agenti. Postea spiritus eis qui terram calcant, id est, opera carnis subigunt: 143 quia & Apostolus nō primum quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale 144 Nam, etsi Adam statim prophetauit magnū illud sacramentum in Christum & Ecclesiam: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea; propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adglutinabit se vxori suæ & erunt duo in vnam carnem*; accidentiā spiritus passus est, cecidit n. ecstasis super illum Sancti spiritus vis operatrix Prophetiæ: Nam & malus spiritus accidens res est. Deniq; Saulem tam Dei spiritus postea vertit in alium virum, id est, in Propheten, cū dictum est, *Quid hoc filio Cis: an & Saul in Prophetis?* quam & malus spiritus postea euertit in alium virum, in apostatam scilicet. Iudam quoque aliquādiu cum electis deputatum vsq; ad loculorū officium, etsi iam fraudatorem, traditorem tādem nonne postea diabolus intrauit. Igitur si neq; Dei, neq; diaboli spiritus ex natiuitate conferitur animæ, solam eam constat ante euentum spiritus vtriusque, si solam & simplicem & vniformem substantiæ nomine, atque ita non aliunde spirantem quam ex substantiæ suæ sorte. [145 Proinde & animum, 146 siue mens est, νοῦς apud Græcos, non aliud quid intelligimus, quam suggestum animæ ingenitum & insitum & natiuitus proprium, quo agit, quo sapit, quem secum habens ex semetipsa, se commoueat in semetipsa, atque ita moueri videatur ab illo tanquā substantia alia, vt voluut 147 qui etiā vniuersitatis motatorem animum decernunt, 148 illum Deū Socratis, 149 illū Valentini Monogenē ex patre βύθῳ & matre ἐννοίᾳ

Cap. XI.

B

C

Esai. 57. Ibid. 14.

Ephes. 5. Gen. 2.

1. Reg. 10.

D

Cap. XII.

150 quamuis Anaxagoræ turbata sententia est. Initi n. omnium commentatus animum, 151 & vniuersitatis oscillum de illius axe suspendens, purumque eum adfirmans, & simplicem & incommiscibilem hoc vel maxime titulo segregat ab animæ cōmistione, & tamen eundem alibi animam edicit, 152 Hoc etiam Aristoteles denotauit, nescio an sū i paratior implere quā aliena inanire. 153 Denique & ipse definitionem animi quum differret, interim alterum animi genus pronūciauit, illum diuinum. quem rursus & impassibilem suboštendens, abstulit & ipse eum à consortio animæ. Cum n. animam passibilem constet eorum quæ sortita est pati. aut per animum, & cum animo patietur: si concreta est animo, non potest animus impassibilis induci: aut si non per animum, nec cum animo patietur anima, non erit concreta illi, cum qua nihil, & cui nihil patitur. Porro si nihil per illum & cum illo anima patietur, iam nec sentiet, nec sapiet, nec mouebitur per illum, vt volūt. 154 Nam & sensus passiones facit Aristoteles. Quidni? & sentire n. pati est, quia pati sentire est. Proinde & sapere sentire est, & moueri sentire est: ita totum pati est. Videmus autem nihil istorum animam experiri, vt non & animo deputetur, quia per illum & cum illo transigitur Iā ergo & commiscibilis est animus aduersus Anaxagoram, & passibilis aduersus Aristotelē. Ceterū si discretio admittitur, vt substantia duæ res sint, animus atq; anima, alterius erit & passio, & sensus, & sapor omnis, & actus, & motus alterius autem otiū, & quies, & stupor, & nulla iam causa, & aut animus vacabit, aut anima. Quod si constat ambobus hæc omnia reputari, ergo vnum erūt vtrumque, 155 & Democritus obtinebit, differētiā tollens, & quæretur quomodo vnum vtrumque, ex duarum substantiarum confusione, an ex vnius dispositione. Nos autem animum ita dicimus animæ concretum, non vt substantiæ alium, sed vt substātiæ officium. [156 Ad hoc dispicere superest, principalitas vbi sit, id est, qui cui præest, vt cuius principalitas apparuerit, illa sit substantiæ massa. Id autem cui massa substantiæ præerit, in officium naturale substantiæ deputetur. Enimuero quis non animæ dabit summam omnem, cuius nomine totus hominis mentio titulata est. 157 *Quantas animas pasco* (ait diues) non animos. Et animas saluas optat gubernator, non animos: Et rusticus in opere, & in prælio miles, animam se, non animum ponere adfirmat. Cuius nominatiora pericula aut vota sunt animi an animæ? Quid autem agere dicuntur moribundi, animū an animam? Ipsi postremo Philosophi ipsiq; Medici quamuis de animo quoque disputarent, 158 faciem tamen operis frontemq; materiæ de anima vnusquisq; proscripsit. Vt aūt & à Deo discas, 159 animā Deus sēper adloquit, animā cōpellat atq; aduocat, vt in animū tibi aduertat. 160 Illā saluā venit facere Christus, illāpdere in gehennā cōminatur, illā pluris fieri vetat, illā & ipse bonus pastor ꝓ pecudib. suis ponit. Habes animæ principalitatē, habes in illa & substantiæ vnionē, cuius intelligā instrumentū esse animū, non patrociniū. [161 Singularis alioquin & simplex, & de suo tota est non magis instructilis aliūde quam diuisibilis ex se, quia nec dissolubilis. 162 Si n. instructilis, & dissolubilis: si dissolubilis, iā non immortalis. Itaque quia iā nō mortalis, neque dissolubilis, nēque diuisibilis. Nam & diuidi dissolui est, & dissolui mori est. 163 Diuiditur aūt in partes, 164 nūc in duas à Platone, 165 nūc in tres à Zenone, 166 nūc in quinque, & in sex à Panætio, 167 & in septem à Sorano, 168 etiam in octo penes Chrysippum, 169 etiam in nouē penes Apollophanē, 170 sed & in decē apud quosdā Stoicorū, 171 & in duas amplius apud Posidoniū, qui à duob. exorsus titulis, principali quod aiūt ἡγεμονικὸν, & à rationali, ꝙ aiunt λογικὸν in duodecim exinde ꝓsecuit: 172 ita in alias ex aliis species diuidunt animā. Huiusmodi aūt non tā partes animæ habebuntur, q̄ vires & efficacię & operę, 173 sicut de quibusdam & Aristoteles iudicauit: Non n. mēbra sunt substantiæ animalis, sed ingenia: vt motorium, vt actorium, vt cogitatoriū, & si qua in hunc modū distinguūt, vt & ipsi illi quinque notissimi sensus, visus, auditus

A

F

Ca. XIII.

G

Cap. XIV.

H

gustus,

A gustus, tactus, odoratus. Quibus omnibus etsi certa singulis domicilia in corpore determinauerunt, nō idcirco hæc quoq; distributio animæ ad animæ sectiones pertinebit, quādo ne ipsum quidem corpus ita diuidatur in membra, vt isti volūt animā. Atquin ex multitudine membrorum vnū corpus efficitur, vt concretio sit potius ipsa diuisio. 174 Specta portentosissimā Archimedis munificentiā, organum hydraulicum dico, tot membra, tot partes tot cōpagines tot itinera vocū, tot compēdia sonorum, tot cōmercia modorum, tot acies tibiarum, & vna moles erunt omnia. Sic & spiritus qui illic de tormento aquæ anhelat, non ideo separabitur in partes, quia per partes administratur, substantia quidem solidus, opera vero diuisus. 175 Non longe hoc exemplū est à Stratone & Æne sidemo & Heraclito: 176 nā & ipsi vnitatem animæ tuentur, quæ in totū corpus diffusa, & vbique ipsa velut flatus in calamo per cauernas, ita per sensualia variis modis emicet, non tam concisa quam dispensata. Hæc omnia quibus titulis nuncupētur, & quibus ex se diuisionibus deriuentur, & quibus in corpore metationibus sequestrentur, Medici potius, tum Philosophi considerabunt, nobis pauca conuenient. [177 In primis an sit aliquis summus in anima gradus vitalis, & sapientialis, quod ἡγεμονικὸν appellant, id est, principale, quia si negetur, totus animæ status periclitatur. Deniq; qui negant principale ipsam prius animam nihil censuerunt, 178 Messenius aliquis Dicæarchus; 179 ex Medicis autē Andreas 180 & Asclepiades, ita abstulerunt principale, dum in animo ipso volunt esse sensus, quorum vindicatur principale. Asclepiades etiam illa argumentatione vectatur, quod pleraq; animalia adēptis eis partibus corporis, in quibus plurimū existimatur principale consistere, & insuper viuant aliquatenus, & sapiant nihilominus: vt muscæ & vespæ & locustæ, si capita decideris, vt caprę, & testudines, & anguillę, si corda detraxeris: itaq; principale nō esse. Quod si fuisset amissus cum suis sedib. vigor animæ, non perseueraret. 181 Sed plures & Philosophi aduersus Dicæarchum Plato, Strato, Epicurus, Democritus, Empedocles, 182 Socrates, 183 Aristoteles? & Medici aduersus Andream & Asclepiadem Herophilus Erasistratus, 184 Diocles, Hippocrates, & ipse Soranus: 185 Iamq; omnibus plures Christiani, qui apud Deum de vtroq; deducimur, & esse principale in anima, & certo in corporis recessu consecratū. 186 Si n. scrutatorem & dispectorem cordis Deum legimus, 187 si etiā Propheres eius occulta cordis traducēdo probatur: si Deus ipse recogitatus cordis in populo præuenit, 188 *Quid cogitatis in cordibus vestris nequam?* Si & Dauid: *Cor mundum conde in me Deus.* Et Paulus. *Corde*, ait, *credidi in iustitiā.* Et Ioan. *Corde*, ait, *suo vnūquenque reprehendi.* Si postremo, *Qui viderit fœminam ad concupiscendum, iam adulterauit in corde*: Simul vtrumque dilucet, & esse principale in anima, quod intentio diuina conueniat, id est, vim sapientialem atque vitalem: quod enim sapit, viuidum est, & in eo thesauro corporis haberi, ad quem Deus respicit: 189 vt neque extrinsecus agitari putes principale istud secundum Heraclitum, 190 neque per totum corpus ventilari secundum Moschionem, 191 neque in capite concludi secundum Platonem, 192 neque in vertice potius præsidere secundum Xenocratem, 193 neque in cerebro cubare secundum Hippocratem, 194 sed nec circa cerebri fundamētum vt Herophilus, 195 nec in membranulis, vt Strato 196 & Erasistratus, 197 nec in superciliorum meditullio vt Strato Physicus, 198 nec in tota lorica pectoris vt Epicurus, 199 sed & quod Ægyptij renunciauerunt ei qui diuinarum commentatores videbantur, 200 & ille versus Orphei vel Empedoclis: *Namque hominis sanguinis circum cordialis est sensus.* 201 etiam Protagoras, 202 etiam Apollodorus 203 & Chysippus hæc sapiunt, vt vel ab istis retusus Asclepiades capras suas quærat sine corde balātes, & muscas suas abigat sine capite volitantes: & omnes iam sciant se potius sine corde & cerebro viuere, qui dispositionem animæ humanæ de conditione bestiarū præiudicarint. [204 Est & illud ad fidem pertinens, 205 quod Plato bifariam partitur animam, per rationalem & irrationalem. Cui definitioni & nos quidem adplaudimus, 206 sed non vt naturæ deputetur vtrunque. Naturale enim rationale credendum est, quod animæ à primordio sit ingenitum, à rationali videlicet auctore. Quid enim non rationale, quod Deus iussu quoque ediderit, nedū id quod proprie adflatu suo emiserit? Irrationale autem posterius intelligendum est, vt quod acciderit ex serpentis instinctu, ipsum illud trāsgressionis admissum, atque exinde inoleuerit & coadoleuerit ni anima adinstar iam naturalitatis, quia statim in naturæ primordio accidit. 207 Ceterum quum idem Plato solum rationale dicat, vt in anima Dei ipsius, si nos etiam irrationale naturæ adscripserimus, quam à Deo anima nostra sortita est, æque irrationale de Deo erit: vtpote naturale, quia naturæ Deus auctor est. Sed enim à diabolo immissio delicti: Irrationale autem omne delictum: Igitur à diabolo irrationale à quo & delictū, extraneum à Deo à quo est irrationale alienum. Proinde cum Plato soli Deo segregans rationale, 208 duo genera subdiuidit ex irrationali: 209 indignatiuum quod adpellāt θυμικὸν, & concupiscentiuum quod vocant, ἐπιθυμητικὸν: vt illud quidem commune sit nobis & leonib. istud vero cum muscis, rationale porro cū Deo: video & de hoc mihi esse retractandum, propter ea quæ in Christo deprehenduntur: Ecce enim tota hæc trinitas & in Domino, & rationale quo docet quę differit, quo salutis vias sternit: indignatiuū, quo inuehitur in Scribas & Pharisæos: & concupiscentiuum, quo Pascha cum discipulis suis edere concupiscit. 210 Igitur apud nos non semper ex irrationali cēsenda sunt indignatiuū & concupiscētiuū, quæ certi sumus in Domino rationaliter decucurrisse. 211 Indignabitur Deus rationaliter quibus scilicet debet, & concupiscet Deus rationaliter quæ digna sunt ipso. Nam & malo indignabitur, & bono concupiscet salutem. Dat & Apostolus nobis concupiscentiam. *Si quis Episcopatum concupiscit, bonum opus concupiscit.* Sed bonum opus dicens, rationalem concupiscentiam ostendit. Concedit & indignationem. Quidni, quam & ipse suscepit? *Vtinam & prædicantur*, inquit, *qui vos subuertunt.* Rationalis est indignatio quæ ex affectu disciplinæ est. 212 At quum dicit: *Fuimus aliquando natura filij iræ*, irrationale indignatiuum suggillat q̄ non sit ex ea natura quæ à Deo est, sed ex illa quam diabolus induxit, dominus & ipse dictus sui ordinis, *Non potestis duobus dominis seruire*: pater & ipse cognominatus, *Vos ex diabolo patre estis*: ne timeas & illi proprietatem naturæ alterius adscribere posterioris & adulteræ, 213 quem legis auenarū superseminatorem, & frumētariæ segetis nocturnum interpolatorem. [214 Contingit nos illorum etiam quinque sensuum quæstio, quos in primis litteris discim⁹, quoniam & hinc aliquid hæreticis procuratur. Visus est, & auditus, & odoratus, & gustus, & tactus. 215 Horum fidem Academici durius damnant: 216 secūdum quosdam, & Heraclitus & Diocles 217 & Empedocles. 218 Certe Plato in Timæo irrationalem pronunciat sensualitatem, & opinioni cōplicitam. 219 Itaque mendaciū visui obijcitur, quod remos in aqua inflexos vel infractos adseuerat aduersus conscientiā integritatis, quod turrem quadrangulatam de longinquo rotūdam persuadet, quod æqualissimam porticum angustiorē in vltimo infamet, quod cœlum tanta sublimitate suspensum mari iungat. 220 Perinde auditus fallaciæ reus. Vt cum cœleste murmur putamus, & plaustrū est: vel tonitru meditante, pro certo de plaustro credimus sonitum. Sic & odoratus & gustus arguuntur: siquidem eadem vnguenta, eademque vina posteriore quoque vsu depreciātur. Sic & tactus reprehenditur: siquidem eadem pauimenta manibus asperiora, pedib. leuiora creduntur, & in lauacris idem calidus lacus feruentissimus primo, dehinc temperatissimus renuntiatur. Adeo, inquiunt, sic quoque fallimur sensib. dum sentētias vertimus. 221 Moderantius Stoici nō omnē sensum, nec sēper, de mēdacio onerāt. Epicurei cōstantius parē omnib. atque perpetuā defen-

dunt

B Cap. XV.

C

D

Cap. XVI.

E

F

G

H

Sap. 1. Prou. 23. Psal. 138. Matth. 6. Psalm. 50. Rom. 10. 1. Ioan. 3. Matth. 5.

Gen. 1.

Gen. 2.

1. Tim. 5

Gal. 5. Ephes. 2

Matth. 5. Ioan. 8.

Matth. 12. Ca. XVII.

dunt veritatem, sed alia via. Non enim sensum mentiri, sed opinionem. Sensum enim pati non opinari: animā enim opinari. Absciderunt & opinionem à sensu & sensū ab anima. Et vnde opinio, si non à sensu? Denique nisi visus totundam senserit turrē, nulla opinio rotunditatis. Et vnde sensus si nō ab anima? Denique carens anima corpus carebit & sensu. Ita & sensus ex anima est, & opinio ex sensu, & anima totū. Ceterū optime proponetur esse vtique aliquid, quod efficiat aliter quid à sensibus renuntiari, quā sit in rebus. Porro si potest id renuntiari quod non sit in rebus, cur non perinde possit per id renuntiari quod non sit in sensibus, sed in his rationibus quæ interueniant suo nomine? Atque adeo licebit eas recognosci. 222 Nā vt in aqua remus inflexus vel infractus appareat, aqua in causa est. Denique extra aquā integer visui remus. Teneritas autē substātiæ illius, qua speculū ex lumine efficitur, prout icta seu mota est, ita & imaginē vibrans euertit lineā recti. Itē vt turris habitus eludat, interualli cōditio cōpellit in aperto? æqualitas enim circūfusi aeris pari luce veniens angulos, oblitterat lineas. Sic & vniformitas porticus acuitur in fine, dum acies in cōclusō stipata illic tenuatur quo & extenditur. Sic & cœlū mari vnitur, vbi visio absumitur: quæ quādiu viget, tādiu diuidit. 223 Auditū vero quid aliud decipiet, quā sonorū similitudo 224 Et, si postea minus spirat vnguentum, & minus sapit vinum, & minus lacus feruet, in omnibus ferme prima vis tota est. 225 Ceterum de scabro ac læui merito manus ac pedes tenera scilicet & calloſa membra dissentiunt. Igitur hoc modo nulla sensuum frustratio causa carebit. Quod si causæ fallunt sensus, & per sensus opiniones: iā nec in sensibus constituenda fallacia est qui causas sequuntur, nec in opinionibus quæ à sensibus diriguntur sequentibus causas. Qui insaniunt, alios in aliis videt, 226 vt Orestes matrē insorore, & 227 Aiax Vlyssē in armato, 228 vt Athamas & Agaue in filiis bestias. Oculis ne hoc mēdaciū exprobrabis, an furiis? Qui redundantia fellis auruginant, amara sunt omnia. Nū ergo gustui præuaricationē exprobrabis, an valetudinē? Omnes itaque sensus euertuntur, vel circunueniuntur ad tempus, vt proprietate fallaciæ careant: Immo iā ne ipsis quidē causis adscribendū est fallaciæ elogiū. Si enim ratione hæc accidunt, ratio fallacia perhiberi non meretur, quod sic fieri oportet, mendacium non est. Itaque si & ipsæ causæ infamia liberantur, quanto magis sensus, quibus iam & causæ libere præeunt: cum hinc potissimum & veritas & fides & integritas sensibus vindicanda sit, quod non aliter renuntient, quam quod illa ratio mandauit, quæ efficiat aliter quid à sensibus renuntiari, quā sit in rebus. Quid agis Academice procacissime? totū vitæ statū euertis, omnē naturæ ordinē turbas, ipsius Dei prouidentiam excæcas, q̄ cunctis operib⁹ suis intelligendis, incolendis, dispensandis, fruendisque fallaces, & mendaces dominos præfecerit sensus. An nō istis vniuersa conditio subministratur? An non per istos secunda quoque mundo instructio accessit, tot artes, tot ingenia, tot studia, negotia, officia, commercia, remedia, consilia, solatia, victus, cultus, ornatusque: omnia totū vitæ saporem condierunt, dum per hos sensus solus omnium homo animal ratione dinoscitur intelligentiæ capax, & ipsius Academiæ. 229 Sed enim Plato ne quod testimoniū sensibus signet, propterea & in Phædro ex Socratis persona negat se cognoscere posse semetipsum, vt monet Delphica inscriptio. 230 Et in Theæteto adimit sibi scire, atq; sentire. 231 Et in Phædro post mortem differt sententiam veritatis, postumam scilicet: & tamen nondū mortuus philosophabatur. Non licet nobis in dubiū sensus istos reuocare, & in Christo de fide eorū deliberetur: ne forte dicatur, quod falso Satanā prospectarit de cœlo præcipatum: aut falso vocem patris audierit de ipso testificatam: aut deceptus sit cum Petri socrum tetigit: aut alium postea vnguenti senserit spiritum, quod in sepulturam suam acceptauit: alium postea vini saporem, 232 quod in sanguinis sui memoriam consecrauit. Sic enim & Marcion phantasma eum maluit credere, totius corporis in illo dedignatus veritatem. Atquin ne in Apostolis quidē eius ludificata natura est. Fidelis fuit & visus & auditus in monte: fidelis & gustus vini illius, licet aquæ ante, in nuptiis Galilęę: & fidelis & tactus, exinde creduli Thomæ. Recita Ioannis testationē: 233 *Quod vidimus*, inquit, *quod audiuimus, oculis nostris vidimus, & manus nostra contrectauerunt, de sermone vitæ.* Falsa vtique testatio, si oculorum & aurium & manuū sensus natura mentitur. [234 Conuertor ad intellectualiū partem, quemadmodū illam Plato à corporalibus separatam hæreticis commendauerit, agnitionem ante mortē consecutus. 235 Ait enim in Phædone: Quid tū erga ipsā prudentiæ possessionem? Vtrumne impedimentum erit corpus, an non, si quis illud socium adsumpserit in quæstionem? Tale quid dico, habet ne veritatem aliquam visio & auditio hominibus, an non? An non etiam Poetæ hæc nobis semper obmussant, quod neque audiamus certum, neque videamus? 236 Meminerat scilicet & Epicharmi Comici: Animus cernit, animus audit, reliqua surda & cæca sunt. 237 Itaque rursus: illum ergo ait supersapere, qui mente maxime sapiat, neque visionem proponens, neque vllum eiusmodi sensum attrahens animo, sed ipsa mente sincera vtens in recogitando ad capiendum sincerum quodque rerum, si egressus potissimum ab oculis & auribus, & quo dicendum sit à toto corpore vt turbante, & non permittente animæ possidere veritatem, atque prudentiam quando cōmunicat. Videmus igitur aduersus sensus corporales aliam portendi paraturam, vt multo idoniorem, vires scilicet animæ, intellectum operantes eius veritatis, cuius res non sint coram, nec subiaceant corporalibus sensibus, sed absint longe à communi conscientia in arcano, & in superioribus, & apud ipsum Deum. 238 Vult enim Plato esse quasdam substantias inuisibiles, incorporales, supermundiales, diuinas, & æternas: quas appellat Ideas, id est, formas exemplares, & causas naturalium istorum manifestorum, & subiacentium corporalibus sensibus, & illas quidem esse veritates, hæc autem imagines earum. 239 Relucentne iam hæretica semina Gnosticorum & Valentinianorum? Hinc enim arripiunt differentiam corporalium sensuum, intellectualium virium, 240 quam etiam parabolæ decem virginum adtemperant: vt quinque stultæ sensus corporales figurauerint, stultos videlicet, quia deceptui faciles: sapientes autem intellectualium virium notam expresserint, sapientium scilicet, quia contingentium veritatem illam arcanam & supernam, 241 & apud pleroma constituta hæreticarum Ideārum sacramenta: hoc enim sunt & αἰῶνες, & genealogiæ illorum. Itaque & sensum diuidunt: Et in intellectualibus quidem à spiritali suo semine: sensualibus vero ab animali, quia spiritalia nullo modo capiat. & illius quidem esse inuisibilia: huius vero visibilia, & humilia, & temporalia quæ sensu conueniantur, in imaginibus constituta. 242 Ob hæc ergo præstruximus neque animū aliud quid esse, quam animæ suggestū & structū: neque spiritum extraneum quid, quam quod & ipsa per flatum. Ceterum accessioni deputandum, quod aut Deus postea, aut diabolus adspiraret. Et nunc ad differentiā sensualium & intellectualiū non aliud admittimus, quā terum diuersitates: corporalium & spiritalium visibilium & inuisibilium, publicarū & arcanarū, quod illæ sensui, istæ intellectui attribuantur? apud animam tamen & istis & illis obsequio deputatis, quæ perinde per corpus corporalia sentiat, quemadmodū per animū incorporalia intelligat, saluo eo, vt etiam sentiat dū intelligit. Nō enim & sentire intelligere est, & intelligere sentire est At quid erit sensus nisi eius rei quę sentitur intellectus? quid erit intellectus nisi eius rei quæ intelligitur sensus? Vnde ista tormenta cruciandæ simplicitatis, & suspendendæ veritatis? Quis mihi exhibebit sensū nō intelligentem quod sentit? aut intellectum non sentientem q̄ intelligit, vt probet alterū sine altero esse? Si corporalia quidē sentiuntur, incorporalia vero intelliguntur: rerū genera diuersa sūt, nō domicilia sens⁹ & intellect⁹, id est,

Luc. 10. Matth. 3. Matth. 8. Matth. 26.

Matth. 17. Ioan. 2. Ioan. 20. Ioan. 1. Cap. VIII.

Matth. 24.

non

non anima & animus. Denique à quo sentiuntur corporalia? Si ab animo, ergo iam & sensualis est animus, non tantum intellectualis. Nam dum intelligit, sentit? quia si non sentit, nec intelligit. Si vero ab anima corporalia sentiuntur, iam ergo & intellectus est vis animæ, non tantum sensualis. Nam dum sentit, intelligit: quia si non intelligit, nec sentit. Proinde à quo intelliguntur incorporalia? si ab animo, vbi erit anima? si ab anima, vbi erit animus? Quæ enim distant, abesse inuicem debent, cum suis muneribus operantur. Putabis quidem abesse animum ab anima, si quando. Nam ira efficiunt, vt nesciamus nos vidisse quid, vel audisse: nec non audisse, 243 quia alibi fuerit animus: adeo contendam, immo ipsam animam nec vidisse, nec audisse quia alibi fuerit cum sua vi, id est, animo. Nam & quum dementit homo, dementit anima, non peregrinante, sed compatiente tunc animo. 244 Ceterum animę principaliter casus est. Hoc vnde firmatur? quod anima digressa, nec animus in homine inueniatur. Ita illam vbique sequitur, à qua nec in fine subremanent. Quum vero sequitur & addicitur, perinde intellectus animæ addicitur quam sequitur animus cui addicitur intellectus. sit nunc & potior sensu intellectus & potior cognitor sacramentorum, dummodo & ipse propria vis animæ quod & sensus. Nihil mea interest, nisi cum idcirco præfertur sensui intellectus, vt ex hoc quoque operatior habeatur, quo potior adfirmatur. Tunc mihi post differentiam etiam prælatio retundenda est, peruentura quoque vsque ad potioris Dei persuasionem. 245 Sed DE DEO SVO QVOQVE CAMPO EXPERIEMVR CVM HÆRETICIS. Nunc de anima titulus & intellectu non insidiosè prætereundo locus. Nam etsi potiora sunt quæ intellectu attinguntur vt spiritalia, quam quæ sensu, vt corporalia, rerum erit prælatio, sublimiorum scilicet aduersus humiliores, non intellectus aduersus sensum. Quomodo enim præferatur sensui intellectus, à quo informatur ad cognitionem veritatum; Si enim veritates per imagines apprehenduntur, id est, inuisibilia per visibilia noscũtur, quia & Apostolus nobis scribit: 246 *Inuisibilia enim eius à conditione mundi de factitamentis intellecta visuntur*: 247 & Plato hæreticis: Facies occultorum ea quæ apparent, & necesse esse omnino hunc mundum imaginem quamdam esse alterius alicuius, quod sibi videtur intellectus duce vti censu & auctore & principali fundamento nec sine illo veritates posse contingi: quomodo ergo potior erit eo per quem est, quo eget, cui debet totum quod attingit? ita vtrunque concluditur? neque præferendum sensu intellectum; per quod enim quid constat, inferius ipso est, neque separandum à sensu: per quod enim quid est, cum ipso est. [248 Sed ne illi quidem prætereundi, qui vel modico temporis viduant animã intellectu. Proinde enim viã sternunt postea inducendi eius, sic vt in anima scilicet proueniat intellectus. Volunt infantiam sola anima contineri: qua tantummodo viuat, non vt pariter sapiat, quia nec omnia sapiant quæ viuant. 249 Denique arbores viuere, nec tamen sapere, secundum Aristotelem, 250 & si quis alius substantiam animalem in vniuersa communicat, quæ apud nos in homine priuata res est, non modo vt Dei opus quod & cetera, 251 sed vt Dei flatus quod hæc sola, quam dicimus cum omni instructu suo nasci. Et si ad arbores prouocamur, amplectemur exemplum. Siquidem & illis necdum arbusculis, sed stipitibus adhuc & surculis etiam nunc, simul de scrobibus oriuntur inest propria vis animæ. Verum pro temporis ratione remoratur coalescens & coadulescens robori suo, donec ætas adimpleat habitum quo natura fungatur. 252 Aut vnde mox illis & frutices inoculantur, & folia formantur, & germina inflantur, & flosculi inornantur, & succi condiuntur: si non in ipsis omnis paratura generis quiescit, & patribus promota grandescit? Inde igitur & sapiunt vnde viuunt, tam viuendi quam sapiendi proprietate, & quidem ab infantia & ipsæ sua. 253 Video enim & vitem adhuc teneram & impuberem, intelligentem tamen iam opera sua, & volentem alicubi adhærere, cum innixa & innexa proficiat. Denique non expectata rustica disciplina, sine arundine, 254 sine corno, si quid attigerit, vltro amabit 255 & quidem virtosius amplexabitur de suo ingenio quam de tuo arbitrio properat esse secura. Video & hederas, quantum velis premas, statim ad superna conari, & nullo præeunte suspendi, quod malint parietibus inuehi textili sylua, quam humi teri voluntaria iniuria. Contra quibus de ædificio male est, vt crescendo recedunt, vt refugium sentias ramos aliorsum destinatos, & animationem arboris de diuortio parietis intelligas, contentæ sua paruitate, quam ex primordio prouidentissimi fruticis edidicit, timentis etiam ruinam. Has ego sapientias arborum cur non contendam? Viuant vt Philosophi volunt, sapiant vt Philosophi nolunt: intelligant & infantiam ligni, quo magis hominis, 256 cuius anima velut surculus quidam ex matrice Adam in propaginem deducta, & genitalibus fœminæ foueis commendata cum omni sua paratura, pullulabit tam intellectu quam & sensu. 257 Mentior, si non statim infans vt vitam vagitu salutauit, hoc ipsum se testatur sensisse atque intellexisse qnatus est, omnes simul ibidem dedicans sensus, & luce visum, & sono auditum, & humore gustum, & aere odoratum, & terra tactum. Ita prima illa vox de primis sensuum vocibus, & de primis intellectuum pulsibus cogitur. Plus est quod de prospectu lachrymabilis vitæ quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur, quod etiam præsciens habenda sit ab ingressu natiuitatis nedũ intelligens. 258 Non enim exinde & matrem spiritu probat, & nutricem spiritu examinat, & gerulam spiritu agnoscit, fugiens extranea vbera, & recusans ignota cubilia, & neminem appetens nisi ex vsu? Vnde illi iudicium nouitatis, & mortis, si non sapit? vnde illi & offendi & demulceri, si non intelligit? Mirum satis, vt infantia naturaliter animosa sit, non habens animum: & naturaliter adfectuosa sit, non habẽs intellectum. 259 At enim Christus ex ore lactentium & paruulorum expediendo laudem nec pueritiam nec infantiam hebetes pronuntiauit: quarum altera cum suffragio occurrens, testimonium ei potuit offerre, altera pro ipso trucidata vtique vim sensit. [260 Et hic itaque concludimus, omnia naturalia animæ vt substantiua eius ipsi inesse, & cum ipsa æque proficere, ex quo ipsa censetur. 261 Sicut & Seneca sępe noster? Insita sunt nobis omnium artium & ætatum semina: magisterque ex occulto Deus producit ingenia, ex seminibus scilicet insitis, & occultis per infantiam, quæ sunt & intellectus. Ex his enim producuntur ingenia. Porro vt frugum seminibus vna generis cuiusque forma est, processus tamen varii. Alia integro statu euadunt, alia etiam meliora respondent, alia degenerant pro conditione cœli & soli, pro ratione operis & curæ pro temporum euentu, pro licentia casuum: ita & animã licebit semine vniformem, fœtu multiformem: nam & hic etiam de locis interest. 262 Thebis hebetes & brutos nasci relatum est: 263 Athenis sapiendi dicendique acutissimos, vbi penes Colytum pueri mense citius eloquuntur præcoce lingua. 264 Siquidem & Plato in Timæo Minerua adfirmat, cum vrbem illam moliretur, nihil aliud quam regionis naturam prospexisse, talia ingenia pollicitam. 265 Vnde & ipse in Legibus Megillo & Cliniæ præcipit, condendæ ciuitati locum procurarent. Sed Empedocles causã argutæ indolis & obtusæ in sanguinis qualitate cõstituit, perfectũ ac profectũ de doctrina disciplinaq; deducit. Tamen vulgata iam res est gentiliũ proprietatum. Comici Phrygas timidos illudunt. 266 Sallustius vanos Mauros, & feroces Dalmatas pulsat, mendaces Cretas etiam Apostolus inurit. Fortasse an & de corpore & de valetudine aliquid accedat. Opimitas sapientiam impedit, exilitas expedit, paralysis mentem prodigit, phthisis seruat. quanto magis de accidentibus habebuntur, quæ circa corpulentiam & valentiã vel acuunt, vel obtundunt. Acuunt doctrinæ, disciplinę, artes, & experientia, negotia, studia: obtundunt insciticæ, ignauia, desidiæ, libidines, inexperientiæ, otia,

vitia.

Rom. 1.
Cap. XIX.
Cap. XX.
Tit. 1.

vitia. Super hæc si & alia quæ præsunt potestates: enimuero præsunt. Secundum nos quidem Dominus Deus & diabolus æmulus, secundum communem autem opinionem & prouidentia & FATVM & necessitas & fortuna & arbitrii libertas. Nam hæc & Philosophi distinguunt. 267 ET NOS SECVNDVM FIDEM DISSERENDA SVO IAM NOVIMVS TITVLO. Apparet quanta sint quæ vnam animæ naturam varie collocarint, vt vulgo naturæ deputentur, quando non species sint, sed sortes naturæ, & substantiæ vnius, illius scilicet quam Deus in Adam contulit, & matricem omnium fecit: atque adeo sortes erunt, non species substantiæ vnius, id est, varietas ista moralis quanta nunc est, tanta non fuerit in ipso principe generis Adam. Debuerant enim fuisse hæc omnia in illo, vt in fonte naturę: atque inde cum tota varierate manasse, si varietas naturæ fuisset. [268 Quod si vniformis natura animæ ab initio in Adam ante tot ingenia: ergo non multiformis, quia vniformis per tot ingenia: iam nec triformis 269, vt adhuc trinitas Valentiniana, cædatur, quæ nec ipsa in Adam recognoscitur. Quid enim spiritale in illo? 270 si quia prophetauit magnum illud sacramentum in Christum & Ecclesiam: *Hoc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, vocabitur mulier: propterea relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur mulieri suæ, & erunt duo in carnem vnam*: hoc postea obuenit, 271 quum in illum Deus amentiam immisit, spiritalem vim qua constat Prophetia, si & malum in eo apparuit trangressionis admissum, nec hoc naturale deputandum est, quod instinctu serpentis operatus est. Tam non naturale, quam nec materiale, 272 quia & materiæ fidem iam exclusimus. Quod si nec spiritale, nec quod dicitur materiale, proprium in illo fuit. Et si ex materia fuisset mali semen, superest vt solum in illo & vnicum fuerit naturale, quod censetur animale: quod statu simplex, & vniforme defendimus. De hoc plane relinquitur quæri an demutabile debeat credi, quod naturale dicatur. 273 Idem enim conuertibilem negant naturã, vt trinitatem suam in singulis proprietatibus figãt: quia arbor bona malos non ferat fructus, nec mala bonos, 274 & nemo de spinis metat ficus, & de tribulis vuas Ergo si ita est, neque de lapidibus filios Abrahæ suscitare poterit Deus, nec genimina viperarum facere pœnitentiæ fructus. 275 Et errauit Apostolus scribens, *Eratis & vos aliquando tenebræ, & fuimus & nos aliquando natura filiiræ, & in his vos quoque fuistis, sed abluti estis.* 276 Sed nunquam discordabunt sententiæ sanctæ. 277 Non dabit n. arbor mala bonos fructus, si non inseratur? & bona malos dabit? si nõ colatur. Et lapides filii Abrahæ fient si in fidem Abrahæ formentur. 278 Et genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis expuerint. Hæc erit vis diuinæ gratiæ, potentior vtiq; natura, 279 habens in nobis subiacentem sibi liberam arbitrii potestatem, quod αὐπεξούσιον dicitur. quæ cum sit & ipsa naturalis atque mutabilis, quoquo vertitur, natura conuertitur. Inesse autem nobis τὸ αὐπεξούσιον naturaliter, IAM ET MARCIONI OSTENDIMVS ET HERMOGENI. Quid nunc si & naturę conditio sic erit definienda, vt duplex determinetur, natorum & innatorum, factorum & infectorum, Atque ita quod natum factumque constiterit, eius natura capiet demutationem, & renasci enim poterit & refici. Innatum autem & infectum immobile stabit. 280 quod cum soli Deo competat, vt soli innato & infecto, & idcirco immortali & inconuertibili. absolutum est, ceterorum omnium natorum atque factorum conuertibilem & demutabilem esse naturam, vt & si trinitas animæ asscribenda esset, ex mutatione accidentiæ, non ex institutione naturæ deputaretur. [181 Cetera animæ naturalia iam à nobis audiit Hermogenes, cum ipsorum defensione & probatione, per quæ Dei potius quam materię propinqua cognoscitur. Hinc solummodo nominabuntur, ne præterita videantur. Dedimus enim illi & libertatem arbitrii, vt supra scripsimus, & dominationem rerum, & diuinationem interdum, sepositaquæ per Dei gratiam obuenit ex Prophetia. Itaq; iã ab isto dispositionis retractatu recedam, vt ordinẽ eius expungam. 282 Definimus animam, Dei statu natam, 283 immortalem, 284 corporalẽ, 285 effigiatam, 286 substantia simplicem, 287 de suo patientem, 287 varie procedentem, 289 liberam arbirrii, 290 accidentis obnoxiam, 291 per ingenia mutabilem, 292 rationalem dominatricem, 293 diuinatricẽ, 294 ex vna redundantem. Sequitur nunc, vt quomodo ex vna redũdet, consideremus, id est, vnde, & quando, & qua ratione sumatur. [295 Quidam de cœlis deuenisse credunt, tanta persuasione, quanta illuc indubitate regressuros repromittunt, 296 vt Saturnius Menandri Simoniani discipulus induxit, hominem affirmans ab angelis factum primoq; opus futile & inualidum, & instabile, in terra vermis instar palpitasse, quod consistendi vires deessent. Dehinc ex misericordia summæ potestatis, ad cuius effigiem nec tamen plene perspectam temere structus fuisset, scintillulam vitę consecutum, quæ illum exsuscitarit & erexerit, & cõstanti⁹ animarit, & post decessum vitæ ad matricem relatura sit. 297 Sed & Carpocrates tantundem sibi de superioribus vindicat, vt discipuli eius animas suas iam & Christo, nedum Apostolis & peræquent, & cũ volunt pręferãt: quas proinde de sublimi virtute conceperint despectrice mundipotentium principatuum, 298 Apelles sollicitatas refert animas terrenis escis de supercœlestibus sedibus abigneo angelo Deo Israelis & nostro, qui exinde illis peccatricẽ circũfinxerit carnẽ. 299 Examen Valentiniani semen Sophiæ infulcit animæ, per quod historias atq; milesias æonum suorum ex imaginibus visibilium recognoscunt. Doleo bona fide, 300 Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum. 301 Illius est n. & in Phædone, quod animæ hinc euntes sint illuc, & inde huc. 302 Itẽ in Timæo, quod germina Dei delegata sibi mortalium genitura, accepto initio animę immortali, 303 mortale ei circumgelauerint corpus. 304 Tum quod mũdus hic imago sit alterius alicuius, quæ omnia vt fidei commendet. 305 &: Animam retro in superioribus cum Deo egisse in commercio Idearum, & inde huc trãsuenire, & hic quæ retro norit de exemplaribus recensere, nouum elaborauit argumentum, 306 μαθήσεις ἀναμνήσεις, id est, discentias reminiscentias esse, 307 Venientes enim huc inde animas obliuiscei eorum in quibus prius fuerint, dehinc ex his visibilibus recordari edoctas. Cum igitur huiusmodi argumento illa insinuentur à Platone quæ hæretici mutuantur, satis hæreticos repercutiam, si argumẽtum Platonis elidam. [308 Primo quidẽ obliuionis capacem animam non cedam, 309 quia tantam illi cõcessit diuinitatem, vt Deo adæquetur: innatam eam facit, quod & solum armare potuissem ad testimoniũ plenæ diuinitatis: adiicit immortalem, incorruptibilẽ, incorporalem, quia hoc & Deum credidit, inuisibilem, ineffigiabilem, vniformem, principalem, rationalem, intellectualem. Quid amplius proscriberet animam, si eam Deum nuncuparet? Nos autem qui nihil Deo appẽdimus, hoc ipso animam longe infra Deum expendimus, 310 quod natam eam agnoscimus, ac per hoc dilutioris diuinitatis, exilioris fœlicitatis, vt flatum, non vt spiritum. Et si immortalem, vt hoc sit diuinitatis, tamẽ passibilem, vt hoc sit natiuitatis, ideoq; & à primordio exorbitationis capacem, & inde etiam obliuionis affinẽ. 311 SATIS DE ISTO CVM HERMOGENE. Ceterum quæ vt Deus haberi merito possit ex peræquatione omnium proprietatũ, Deus nulli passioni subiacebit. Ita nec obliuioni, quum tanta sit iniuria obliuio, quãta est gloria eius cuius iniuria est, 312 memoria scilicet, quam & ipse Plato sensuum & intellectuum salutẽ, 313 & Cicero thesaurum omnium studiorum prædicauit. Nec hoc iam in dubium deducetur, an tam diuina anima memoriam potuerit amittere, sed an quã amiserit, recuperare denuo possit. Quæ n. non debuit obliuiscei, si oblita sit, nescio an valeat recordari: ita vtrunq; meæ animæ nõ Platonicæ congruet. Secundo gradu opponam: 314 Natura compotem animam facis Idearum illarum, an non? immo natura, inquis. Nemo ergo concedet naturalẽ scientiam naturaliũ excidere, artium, excidet studiorum,

A Ca. XXI. B Gen. 2. Gen. 3. C Matth. 3. Ephes. 5. Ephes. 2. 1. Cor. 6. Luc. 6. Matth. 3. Ibid. D Ca. XXII. E Cap. XXIII. F G Cap. XXIV. H

excidet doctrinarum, disciplinarum, excident fortasse & ingeniorum & affectuum, quę naturę videntur, non tamen sunt, 315 quia vt præmisimus, & pro locis, & pro institutionib. & pro corpulentiis, ac valetudinib. & pro potestatibus dominatricibus, pro libertatibus arbitrii, ex accidentibus constant. Naturalium vero scientia ne in bestijs quidē deficit. Plane obliuiscetur feritatis leo, mansuetudinis eruditione præuentus, & 316 cum toto suggestu iubarum, delicium, fiet Berenices alicuius reginæ, lingua genas eius emaculās: mores bestiam relinquent, scientia naturalium permanebit. Non obliuiscetur idem naturalium remediorum, naturalium terrorum, & si de piscibus, & si de placentis regina ei obtulerit, carnem desiderabit: 317 si languenti theriacam composuerit, simiam leo requiret, & si nullum illi venabulum obfirmabit, 318 gallum tamen formidabit. Perinde & homini omnium forsitan obliuiosissimo inobliterata perseuerabit sola scientia naturalium, vt sola scilicet naturalis, 319 memor semper manducandi in esurie, & bibendi in siti, & oculis videndum, & auribus audiendum, & naribus odorandum, & ore gustandum, & manu contrectandum. Hi sunt certe sensus, quos Philosophia depreciat intellectualium prælatione. Igitur si naturalis scientia sensualium permanet, quomodo intellectualium, quæ potior habetur, intercidit? Vnde nunc ipsa vis obliuionis antecedentis recordationem? 320 ex multitudine (ait) temporis. Satis improspecte. Quantitas enim temporis non pertinebit ad eam rem quæ innata dicatur, ac per hoc potissimum æterna credatur. Quid enim æternum est, eo quia & innatum est, neque initium, neq; finem temporis admittendo, nullum modum temporis patitur: cui temporis modus nullus est, nec vlla demutatione temporis subest, nec eadem multitudine temporis vis est. Si tempus in causa est obliuionis, cur ex quo anima corpori inducitur, memoria delabitur, quasi exinde tempus anima sustineat, quæ sine dubio prior corpore, non fuit vtique sine tempore? Ingressa vero corpus, statimne obliuiscitur, an aliquanto post? Si statim & quæ erit temporis nondum supputandi multitudo? infantia scilicet. Si aliquanto post, ergo illo in spatio ante tempora obliuionis memor adhuc aget anima. & quale est vt postea obliuiscatur, & rursus postea recordetur? Quoquo autem tempore illam obliuio inruerit, quantus hic etiam habebitur modus temporis, tota (opinor) vitæ decursio satis non erit ad vertendam memoriam tanti ante corpus qui. 321 Sed rursus Plato causā demutat in corpus, quasi & hoc fide dignum, vt nata substantia innatæ vim extinguat. Magnæ autem & multæ differentię corporum pro gentilitate, pro magnitudine, pro habitudine, pro ætate, pro valetudine. Num ergo & obliuionum differentiæ æstimabuntur? Sed vniformis obliuio est; ergo non erit corporalitas multiformis in causa exitus vniformis. 322 Multa item documenta, teste ipso Platone, diuinationem animę probauerunt, 323 QVAE PROPOSVIMVS IAM HERMOGENI. Sed nec quisquam hominum non & ipse aliquando præsagam animam suam sentit, aut ominis, aut periculi, aut gaudii augurem. Si diuinationi non obstrepit corpus, nec memoria (opinor) officiet. In eodem certe corpore & obliuiscuntur animæ, & recordantur. Si qua corporis ratio incutit obliuionem, quomodo cōtrariam eius admittet recordationem? quia & ipsa post obliuionem recordatio, memoria recidiua est. Quod primæ memoriæ aduersatur, cur non & secundæ refragetur? Postremo qui magis reminiscerentur quam pueruli, vt recentiores animæ, vt nondum immersæ domesticis ac publicis curis, vt ipsis solis deditæ studiis, quorum discentiæ reminiscentiæ fiunt? Immo cur non ex æquo omnes recordamur, cum ex æquo omnes obliuiscamur? Sed tantummodo Philosophi, ne hi quidem. omnes. 324 Plato scilicet solus in tanta gentium sylua, in tanto sapientium prato, Idearum & oblitus & recordatus est. Igitur si nullo modo consistit argumentatio ista præcipua, totum illud pariter euersum est, cui accommodata est, vt animæ & innatæ, & in cœlestibus conuersatæ, & consciæ diuinorum illic, & inde delatæ, & hic recordatæ crederentur, ad occasiones planę hæreticis subministrandas. [325 Iam nunc regrediar ad causam huius excessus, vt reddam quomodo animæ ex vna redundent, quando, & vbi, & ex qua ratione sumantur, de qua specie nihil refert, à Philosopho, an ab hæretico, an vulgo quæstio occurrat. Nulla interest professoribus veritatis de aduersariis eius, maxime tam audacibus quam sunt primo isti qui præsumunt, non in vtero concipi animam, nec cum carnis figulatione compingi atque produci, 326 sed & effuso iam partu nondum viuo infanti extrinsecus imprimi. Ceterum semen ex concubitu mulieribus locis sequestratum, motuque natutali vegetatum compingue scere in solam substantiam carnis: eam editam, & de vteri fornace fumantem, & calore solutam vt ferrum ignitum, & ibidem frigidæ immersum, ita aeris rigore percussam, & vim animalem rapere, & vocalem sonum reddere. 327 Hoc Stoici cum Æneside mo, 328 & ipse interdum Plato, quum dicit: perinde animam extraneam alias & extorrem vteri prima adspiratione nascentis infantis adduci, sicut exspiratione nouissime duci. Videbimus an sententiam finxerit, 329 ne ex Medicis quidem defuit Hicesius, & naturæ & artis suæ præuaricator. Puduit (opinor) illos hoc statuere, quod fœminæ agnoscerent. 330 At quanto roboratior exitus à fœminis reuinci, quam probari. In ista namque specie nemo tam idoneus magister, arbiter, testis, quam sexus ipsius. Respondete matres, vosque prægnantes, vosque puerperæ, steriles & masculi taceant, vestræ naturæ veritas quæritur, vestræ passionis fides conuenitur, an aliquam in fœtu sentiatis viuacitatem alienam, de vestro de quo palpitent ilia, micent latera, tota ventris ambitio pulsetur, vbiq; ponderis regio mureturi: an hi motus gaudia vestra sint, & certa securitas, quod ita infantem & viuere confidatis & ludere: an si desierit in quies eius, illi prius pertimescatis: an & audiat iam in vobis, quum ad nouū sonum excutiuntur: an & ciborū vanitates illi desideretis, illi etiam fastidiatis: an & valetudinib. inuicem cōmunicetis, ille quidem vsq; contusionibus vestris, quib. & ipse intus per eadem membra signatur, rapiens sibi iniurias matris. Si liuor ac tubor sanguinis passio est, sine anima non erit sanguis: si valetudo omnis accessio est: sine anima non erit valetudo: si alimonia, inedia, crementa, decremēta, pauor, motus, tractatio est animæ, his qui fungitur, viuet. Denique desinit viuere, qui desinit fungi. Denique & mortui eduntur, quomodo nisi & viui: qui autem & mortui, nisi qui prius viui? 331 Atquin & in ipso adhuc vtero infans trucidatur necessaria crudelitate quum in exitu obliquatus denegat partū, matricida ni moriturus. Itaque & inter arma Medicorum & organa est, quo prius patescere secreta coguntur tortili temperamento, cum anulo cultrato quo intus membra cædūtur anxio arbitrio, 332 cum hebete vnco quo totum pecus adtrahitur violento puerperio. 333 Est etiam æneum spiculū, quo iugulatio ipsa dirigitur cœlo latrocinio *ἐμβρυοῤῥεκτῶν appellant de infanticidii officio, vtique viuentis infantis peremptorium. Hoc & Hippocrates habuit, & Asclepiades, & Erasistratus, & maiorū quoque professor Herophilus, & mitior ipse Soranus, certi animal esse conceptum. atque ita miserati infœliciss imę huiusmodi infanciæ, vt prius occidatur, ne viua lanietur. De qua sceleris necessitate nec dubitabat (credo) Hicesius, iam natis animā superducens ex aeris frigidi pulsu, 334 quia & ipsum vocabulum animæ penes Græcos de refrigeratione respōdens. Nū ergo Barbaræ Romanæq; gentes aliter animātur, 335 quia animam aliud quid, quā ψυχὼ cognominauerūt? 336 Quātæ vero nationes sub feruentissimo axe cēsentur, coloré quoq; excoctæ? Vnde illis anima quib. aeris rigor nullus? Taceo cubiculares æstus, & omnē illis caloris paratura enitētibus necessariā, quas adflari vel maxime periculū est. In ipsis pene balneis fœt⁹ elabit, & statim vagit⁹ auditur. Ceterū si aris rigor thesaur⁹ est animę, 337 extra Germanias, & Scythas, & Alpes & Argæos nemo debuit nasci: Atquin

quin & populi frequẽtiores apud orientalẽ & meridialẽ tẽperaturã, & ingenia expediti ora omnibus Sarmatis etiam mente torpentibus. Et animi enim de rigoribus scitiores prouenirent, si animæ de friguſculis euenirent. Cum ſubſtantia enim & vis. His ita præſtructis, poſſumus illos quoque recogitare, 338 qui execto matris vtero viui aerem hauſerunt, Liberi aliqui & Scipiones. 339 Quod ſi qui, vt Plato, perinde non putat duas animas in vnum conuenire, ſicut nec corpora, ego illi non modo duas animas in vnum cõgeſtas oſtendiſſem, ſicut & corpora in fœtibus, verum & alia multa cum anima conſerta, 340 dæmonis ſcilicet, nec vnius, vt in Socrate ipſo: 341 verum & ſeptenarii ſpiritus, vt in Magdalena: & legionarii numeri, vt in Geraſeno: quo facilius anima cum anima conſeretur ex ſocietate ſubſtantiæ, quam ſpiritus nequam ex diuerſitate naturæ. 342 At idem in ſexto Legum, monens cauere ne vitiatio ſeminis ex aliqua vilitate concubitus labem corpori & animæ ſupparet, neſcio de priſtina magis, an de ita ſententia ſibi exciderit. Oſtendit enim animam de ſemine induci, quod curari monet, non de prima aſpiratione naſcentis. Vnde oro te, ſimilitudine animæ quoq; parentibus de ingeniis reſpondemus 343 ſecundum Cleanthis teſtimoniũ, ſi nõ & ex animæ ſemine educimur? 344 Cur autẽ & veteres Aſtrologi genituã hominis ab initio conceptus digerebant, ſi non exinde & anima eſt ad quam æque pertinet, ſi quid eſt ſtatus. [345 Sed omnis inæqualitas ſentẽtię humanæ vſq; ad Dei terminos: in noſtras iam lineas gradum colligam, vt quod Philoſophis Mediciſque reſpondi, Chriſtiano probẽ. De tuo frater fundamento fidem ædificem: Aſpice viuentes veteros ſanctiſſimarum fœminarum, nec modo ſpirantes iam illic infantes, verũ etiam prophetantes, 346 Ecce viſcera Rebeccæ inquietantur, & longe adhuc partus, & aeris nullus impulſus. Ecce duplex fœtus in locis matris tumultuatur, & nuſquam adhuc populi duo. Portentoſa forſitan petulantia infantiæ ante certãtis quam viuentis, ante animoſæ quam animatæ, ſi tantummodo matrẽ ſubſultando turbaſſet. At cũ partus aperitur, & numerus inſpicitur, & arguratus recognoſcitur puto iã nõ animæ ſolummodo probantur infantium, ſed & pugnæ. Detinebatur qui præuenerat naſci à præuẽto necdum plenius edito, tantum manu nato. Et ſi ipſe animam de prima ſpiratione potabit Platonico more aut de aeris rigore carpebat Stoica forma: quid ille qui expectabatur, qui adhuc intus detinebatur, & foris iam detinebat? Nondum (opinor) ſpirans plantam fratris inuaſerat, etiã nunc calens matre ſe priorem prodiſſe cupiebat. O infantem & æmulum & validum & olim contentioſum! credo, quia viuum, 347 Aſpice etiam ſingulares conceptus, & quidem monſtroſiores, ſterilis & virginis, quæ vel hoc ipſo imperfectos edere potuiſſent pro euerſione naturæ, vt altera ſeminis ſtupida, altera intacta. Decebat ſi forte ſine anima naſci, qui fuerant non rite concepti, ſed & illi viuunt, in ſuo quiſque vtero. Exultat Elizabeth, Ioannes intus impulerat: glorificat Dominum Maria Chriſtus intus inſtinxerat. Agnoſcunt matres ſuos inuicem fœtus, agnitæ mutuo ab ipſis vtique viuentibus, qui non tantum animæ erant, verum ſpiritus. 348 Sic & ad Hieremiam legis Dei vocem: *Priuſquam te in vtero fingerem noui te* Si fingit Deus in vtero, & afflat ex primordii forma, & finxit Deus hominem, & flauit in eum flatum vitæ: nec noſſet autem hominem Deus in vtero, niſi totum. *Et priuſquam exires de vulua, ſanctificaui te*, & mortuum adhuc corpus? vtique nequaquam. *Deus enim viuorum, non mortuorum.* [349 Quomodo igitur animal conceptum ſimulne conflata vtriuſque ſubſtantia corporis animæque, an altera earum præcedente? immo ſimul ambas & concipi, & confici, & perfici dicimus, ſicut & promi, nec vllum interuenire momentum in conceptu quo locus ordinetur. Recogita enim de nouiſſimis prima: 350 ſi mors non aliud determinatur, quam diſiunctio corporis animæque, contrarium morti vita non aliud definietur quam coniunctio corporis animæque. ſi diſiunctio ſimul vtrique, ſubſtantiæ accidit per mortem, hoc debet coniunctionis forma mandaſſe pariter obuenientis per vitam vtrique ſubſtantiæ. Porro vitam à conceptu agnoſcimus, quia animam à conceptu vindicamus. Exinde enim vita quo anima: pariter ergo in vitam compinguntur, quę pariter in mortem ſeparantur. 351 Tunc ſi alteri primatum damus, alteri ſecundatum, ſeminis quoq; diſcernenda ſunt tempora pro ſtatu ordinis: & quando collocabitur corporis ſemen, quando animæ? immo ſi tempora ſeminũ diuidentur, & materiæ diuerſæ habebuntur, ex diſtantia tẽporum. Nã etſi duas ſpecies confitebimur ſeminis, corporalem & animalem, indiſcretas tamẽ vindicamus, & hoc modo contemporales eiuſdemque momenti. Ne itaq; pudeat neceſſariæ interpretationis. Natura veneranda, eſt, nõ erubeſcenda, 352 Concubitum libido, non conditio fœdauit. Exceſſus, non ſtatus eſt impudicus. Siquidem benedictus ſtatus apud Deum: *Creſcite, & in multitudinem proficite.* Exceſſus vero maledictus, adulteria, & ſtupra, & lupanaria. 353 In hoc itaque ſolemni ſexuum officio, quod marem ac fœminam miſcet, in cõcubitu dico communi, ſcimus & animam & carnem ſimul fungi, animam concupiſcentia, carnem opera, animam inſtinctu, carnẽ actu. Vnico igitur impetu vtriuſque, toto homine concuſſu deſpumat in ſemẽ totius hominis, habens ex corporali ſubſtantia humorem, ex animali calorem. Et ſi frigidum nomen eſt anima Græcorum, quare corpus exempta ea friget: 354 Deniq; vt adhuc verecundia magis pericliter quã probatione, in illo ipſo voluptatis vltimæ æſtu quo genitale virus expellitur, nonne aliquid de anima quoq; ſentimus exire, atq; adeo marceſcimus & deuigeſcimus cum lucis detrimento? Hoc erit ſemen animale protinus ex animæ deſtillatione, ſicut & virus illud corporale ſemen ex carnis defæcatione fideliſſima primordii exempla de limo caro in Adã. Quid aliud limus quã liquor opimus? Inde erit genitale virus, 355 ex adflatu Dei anima. Quid aliud adflatus Dei, quã vapor ſpiritus? Inde erit quod per virus illud eſtlamus. Quum igitur in primordio duo diuerſa atq; diuiſa limus & flatus vnum hominem coegiſſent, confuſę ſubſtantię ambæ iam in vno ſemina quoque ſua miſcuerunt, atq; exinde generi propagando formã tradiderunt, vt & nunc duo licet diuerſa, etiam vnita pariter effluant, pariterque inſinuata ſulco & aruo ſuo, pariter hominem ex vtraque ſubſtantia effruticent, in quo rurſus ſemẽ ſuum inſit ſecundum genus, ſicut omni conditioni genitali præſtitutum eſt. Igitur ex vno homine tota hæc animarum redundantia agitur, obſeruante ſcilicet natura Dei edictum: *Creſcite, & in multitudinem proficite.* Nam & in ipſa præfatione operis vnius: *Faciamus hominem*, vniuerſa poſteritas pluraliter prædicata eſt: 356 *Et præſint piſcibus maris*: nihil mirum, repromiſſio ſegetis in ſemine. [357 Quis ille: nunc vetus ſermo apud memoriam Platonis de animarum reciproco diſcurſu, quod hinc abeuntes eant illuc, & rurſus huc veniant & viuant, & dehinc è vita abeant: rurſus ex mortuis effici viuos? 358 Pythagoricus vt volunt quidam diuinus, Albini vt exiſtimo, aut Mercurii forſitan Ægyptii. Sed null⁹ ſermo, diuinus niſi Dei vnius, quo Prophetæ, quo Apoſtoli quo ipſe Chriſtus intonuit: 359 multo antiquior Moyſes etiam Saturno nongẽtis circiter annis, nedum pronepotibus eius, certe diuinior multo, qui decurſus generis humani ab exordio mundi quoque per ſingulas natiuitates nominatim temporatimque digeſſit, ſatis probans diuinitatem operis ex diuinatione vocis. 360 Si vero Samius Sophiſta Platoni auctor eſt animarum de recidiuatu reuolubili ſemper ex alterna mortuorum atque viuentium ſuffectione, certe ille Pythagoras etſi bonus cetera, tamen vt hanc ſententiam exſtrueret, nõ turpi modo, verumetiam temerario mendacio incubuit. Cognoſce qui neſcis, & crede nobiſcum: mortem ſimulat, ſubterraneo latitat, ſeptenni ſe illic patientia dãnat, inter ea quæ de poſteris defunctis ad fidem rerũ eſſet relaturus, ab vnica conſcia & miniſtra matre cognoſcit: vt ſatis ſibi viſus eſt corpulentiã interpolaſſe ad

Mare. 16. Mare. 5. Cap. XXVI. Gen. 25. Ibidem. Luc. 1. Ibidem. Hierem. 1. Gen. 1. Hierem. 1. Matt. 22. Cap. XXVII. Gen. 2. Gen. 2. Gen. 1. Cap. XXVIII.

A omnem mortui veteris horrorem, de adytis fallaciæ emergit, vt ab inferis redditus quis non crederet reuixisse quem crediderat obisse? audiens præsertim ab eo quæ de posteris mortuis nisi apud inferos non videretur cognoscere potuisse, sic ex mortuis viuos effici senior sermo est. quid enim si & iunior? neq; veritas desiderat vetustatem, neq; mẽdacium deuitat nouellitatem. Teneo plane falsum antiquitate generosum; quidni falsum, cuius Testimonium quoque ex falso est? Quomodo credam non mentiri Pythagoram, qui mentitur vt credam? 361 quomodo mihi persuadebit Æthalidem 362 & Euphorbum, 363 & Pyrrhum piscatorem. 364 & Hermotimum, se retro ante Pythagoram fuisse, vt persuadeat viuos ex mortuis effici, qui iterum se Pythagoram peierauit? Quanto enim credibilius ipse ex semetipso redisset in vitam, quam totiens alius atque alius, tanto & in durioribus fefellit, qui molliora mentitus est. Sed clypeum Euphorbi olim Delphis consecratum recognouit & suum dixit, & de signis vulgo ignotis probauit. 365 Respice ad Hypogeum eius, & si capit, crede. Nam

B qui talem commentus est stropham, cum iniuria bonæ valetudinis, cum fraude vitæ septennio excruciatæ infra terram inedia, ignauia, vmbra, cui tanti fuit fastidiũ cæli, quam non accesserit temeritatem, quam non tenuerit curiositatem, vt ad notam clypei illius perueniret? Quid autem si in historiis aliquibus occultioribus reperit? Quid si defectæ iam traditionis superstites aliquas famæ aurulas hausit? Quid si ab ædituo, redempta clam inspectione, cognouit? 366 Scimus etiam Magos elicere explorandis occultis 367 per catabolicos 368 & paredros, 369 & Pythonicos spiritus. Non enim & Pherecydes Pythagoræ magister his forsan artibus diuinabat, ne dicam somniabat. Quid si idem dæmon in illo fuit, qui & in Euphorbo res sanguinis gessit? Denique qui se Euphorbum ex argumento clypei probarat, cur neminem Troianorum commilitonum æque recognouit? Nam & illi iã reuixissent, si viui ex mortuis fierent. [370 Mortuos quidem ex viuis effici constat, non ideo tamen & ex mortuis viuos. Ab initio enim viui priores, vnde ab initio æqua mortui posteriores: non aliunde quam ex viuis illis habuerant vnde proficiscerẽtur, dum ne ex mortuis isti non habuerint vnde magis deducerentur. Igitur si ab initio viui non ex mortuis, cur postea ex mortuis? Defecerat ille quicunque est originis fons? An formæ pœnituit? & quomodo in mortuis salua est? Non quia ab initio mortui ex viuis, idcirco semper ex viuis? Aut enim in vtraq; parte forma initii perseueraſſet, aut in vtraq; mutasset: vt si viuos ex mortuis postea fieri oportuerat, perinde oporteret etiam nõ ex viuis effici mortuos. Si non peræquare deberet fides institutionis, non vsquaque contraria ex contrariis reformari alternant. Et nos enim opponemus contrarietates nati & innati, visualitatis & cæcitatis, iuuentæ & senectæ, sapientiæ & insipientiæ. Nec tamen ideo innatum de nato prouenire, quia contrarium ex contrario fiat. Nec visualitatem iterum ex cęcitate quia de visualitate cæcitas accidat: nec iuuentam rursus de senecta reuiuiscere, quia ex iuuenta senectam arcescat: nec insipientiam ex sapientia denuo obtendi, quia ex insipientia sapientia acuatur. 371 Hæc & Albinus Platoni suo veritus subtiliter quærit contrarietatũ genera distinguere,

D quasi non & hæc tam absolute in contrarietatibus posita sint, quam & illa quæ ad semẽtiam magistri sui interpretantur, vitam dico & mortem. Nec tamen ex morte vita reddatur, quia ex vita mors deferatur. [372 Quid aũt ad cetera respondebimus? Primo enim si ex mortuis viui sicut mortui ex viuis, vnus omnino & idem numerus semper hæsisset omnium hominum, ille scilicet numerus qui primus vitã introisset. Priores enim ex mortuis viui, dehinc mortui ex viuis, & rursus ex mortuis viui. Et dum hoc semper ex iisdem, ita totidem semper qui ex iisdem. Nam neque plures aut pauciores exissent, quam redirent. Inuenimus autem apud Commentarios etiam humanarum antiquitatum, paulatim humanum genus exuberasse, 373 dum aborigines, vel vagi, vel extorres, vel glorioſi quique aucupant terras, vt Scythæ Parthicas, vt Menidæ Peloponnesum, vt Athenienses Asiam, vt Phryges Italiam, vt Phœnices Africam, dum solennes etiam migrationes, 374 quas μετοικίας appellant, consilio exonerandæ popularitatis, in alios fines examina gentis eructant. Nam & origines nunc in suis sedibus permanent, & alibi amplius gẽtilitatem fœnerauerunt. Certe quidem ipse orbis in prõptu est cultior de die, & instructior pristino. Omnia iam peruia, omnia nota, omnia negotia, solitudines famosas retro fundi amœmnissimi oblitterauerunt, syluas arua domuerunt, feras pecora fugauerunt, harenæ seruntur, saxa panguntur, paludes eliquantur, tantæ orbes quantæ non casæ quondam. Iam nec insulæ horrent, nec scopuli terrent; vbiq; domus, populus, vbique respublica, vbique vita. Summum testimoniũ frequentiæ humanæ. Onerosi sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt, & necessitates arctiores, & querelæ apud omnes, dum iam nos natura non sustinet. 375 Reuera lues, & fames, & bella, & voragines ciuitatum pro remedio deputãda, tanquam tonsura insolescentis generis humani: & tamen quum F eiusmodi secures maximam mortalium vim semel cædant, nunquam restitutionem eius viuos ex mortuis reducentem 376 post mille annos semel orbis expauit. Et hoc enim sensibile feciſſet æqua vis amissionis & restitutionis, si viui ex mortuis fierent. Cur autem mille annis post, & non statim ex mortuis viui, quum si non statim supparetur quod erogatum in totum absumi periclitetur, præueniente restitutionem defectione: quia nec pariasset commeatus hic vitæ miliario tempori longe scilicet breuior, & idcirco facilior ante extingui quã reaccendi. Igitur quæ hoc modo intercidisset, si viui ex mortuis fierent, quando non intercidit, nõ erit credendum viuos ex mortuis fieri. [377 Iam vero si ex mortuis viui, vtiq; singuli ex singulis. Singulorum ergo corporum animas vt singulas in singula corpora reuerti oportuerat. 378 Porro si & binæ & trinæ & quinæ vsq; vno vtero resumuntur, non erunt ex mortuis viui, quia non singuli ex singulis 379. Et hoc autem modo primordii forma signatur, quum & nũc plures animæ de vna proferuntur. Irem quum varia ætate decedant animæ, cur vna reuertuntur? Omnes enim ab infantia imbuuntur, qua infans reuertatur, quale est autem vt senex defunctus infans reuertatur? si decrescit foris anima retrograda ætate, quanto magis erat vt progressior reuerteretur mille post annis? Certe vel coætanea suæ mortis, vt æuum quod reliquisset, itetum recepisset. Sed & si eadẽ semper renoluerentur, licet non corporum quoq; formas eadẽ, licet non flatorum: tamen quoque fortes casam vel ingeniorum & studiorum & adiectionum pristinas proprietates secũ referre deberent, quoniam temere eadẽ haberentur, cai ẽ es his per quæ eadem probarentur. Vnde scias (inquis) an ita quidem fiat occulte, sed cõditio miliarii æui interimat facultatem recensendi, qua ignorata & ibi reuertuntur. Atquin scio non ita fieri, quum Pythagoram, Euphorbũ mihi opponis. Ecce enim Euphorbum militarem & bellicã animam satis cõstat vel de ipsa gloria clypeorũ cosecratorum: Pythagoram vero tam residẽ & imbellem, vt prælia tunc Græciæ vitans, Italiæ maluerit quietẽ Geometriæ & Astrologiæ & Musicæ deuotos, alienus studio & affectu Euphorbi. Sed & Phyrrus ille fallendis piscib. agebat, 380 Pythagoras contra nec edẽdis, vt animalibus abstinens. Æthalides aũt & Hermotimus 381 fabam quoque in pabulis cõmunibus inruerat: Pythagoras vero ne per fabalia quidẽ transeundum discipulis suis tradidit. Quomodo ergo eædem animæ recuperantur, quæ nec ingeniis, nec institutis iam, nec victibus eadẽ probabuntur. Iam nunc de tanto Græciæ censu quatuor solæ animæ recẽsentur. Sed & quid vtiq; de solo Græciæ censu, vt nõ ex omni gente, ex omni ætate ac dignitate, ex omni denique sexu, 382 & μετεμψύχωσις, & μετενσωμάτωσις quotidie existant, cur solus Pythagoras alium atq; alium se recognoscat, non & ego? aut si priuilegium Philosophorum est, & vtique Græcorum, 383 quasi non & Scythę &

Cap. XXIX.

Cap. XXX.

Cap. XXXI.

E

G

H

Indi philosophentur, cur neminem se retro meminit Epicurus, neminem Chrysippus, neminem Zeno, ne ipse quidem Plato, quem forsitan Nestorem credidissemus ob mella facundiæ. [384 Sed enim Empedocles 385 quia se Deum delirarat, idcirco (opinor) dedignatus aliquem se heroum recordari, 386 Thānus & piscis fui, inquit, 387 cur non magis & pepo tā insulsus, & chamæleon tā inflatus? Plane vt piscis, ne aliqua sepulturæ conditio reputesceret, assum se maluit in Ætnā præcipitando. Atque exinde in illo finita sit metensomatosis, vt æstiua cœna post assum. Perinde igitur & hic dimicemus necesse est aduersus portentosiorē præsumptionē, bestias ex hominib. & homines ex bestijs reuoluentē. 388 Viderint thamni, licebit, & lapathi, ne plus ridere quam docere cogamur. Dicimus animam humanam nullo modo in bestias posse transferri, 389 etiamsi secundum Philosophos ex elementitiis substantiis censeretur. Siue n. ignis anima, siue aqua, siue sāguinis, siue spiritus, siue aer, siue lumen, recogitare debemus contraria quæq; singulis specieb. animalia: 390 igni quidē ea quæ rigent, colubros, stelliones, salamandras, etiam quæcunq; de æmulo producentur elemento, de aqua scilicet, perinde contraria, atq; illa quæ arida & exuccida: denique siccitatibus gaudent locustæ, papiliunculi, chamæleontes: 391 Item contraria sanguini quæ carent purpura eius, cochleas, vermiculos, & maiorem piscīū censum. 392 Spiritui vero contraria quæ spirare non videntur, carētia pulmonib. & arteriis, culices, formicas, tineas, & hoc genus minutalia. 393 Item aeri contraria, quæ semper subterraneum & subaquaneum viuentia carent haustu eius. Res magis quam nomina noueris. 394 Item contraria lumini, quæ cæca in totum, vel solis tenebris habent oculos, talpas, vesperugines, noctuas. Hæc vt ex apparentibus & manifestis substantiis doceam. 395 Ceterum si & atomos Epicuri tenerem, & numeros Pythagoræ viderem, & Ideas Platonis offenderem, 396 & entelechias Aristotelis occuparem, inuenirem fors his quoq; specieb. animalia, quæ nomine cōtrarietatis opponerem. Contendo enim, ex quacunque substantia supradicta constitisset humana anima, non potuisse eam in tam contraria vnicuique substantiæ animalia reformari, & censum eis de sua translatione conferre, à quibus excludi ac respui magis haberet, quam amitti & capi nomine huius primæ contrarietatis, quæ substantiui status diuersitatem committit, tunc & reliquæ per consequentem ordinem cuiusque naturæ. Nam & sedes alias humana anima sortita est, & victus, & instructus, & sensus, & adfectus, & concubitus, & fœtus. item ingenia, tum opera, gaudia, tædia, vitia, cupidines, voluptates, valetudines, medicinas, suos postremo & vitæ modos, & exitus mortis. 397 Quomodo igitur illa anima quæ terris inhærebat, nullius sublimitatis, nullius profunditatis intrepida, ascensu etiam scalarum fatigabilis, submersu etiam piscinarum straugulabilis, aeri postea insultabit in aquila, aut mari postea desultabit in anguilla? Quomodo item pabulis liberalibus & delicatis atque curatis educata, non dico paleas, sed spinas, & agrestes amaritudines frondium, & bestias sterquiliniorum vermium etiam venena ruminabit, si in capram transierit, vel in coturnicem, immo & cadauerinam, immo & humanam, sui vtique memor in vrso & leone? Sic & cetera ad incongruentiam rediges, ne singulis perorandis immoremur. 398 Ipsius animæ humanæ quisquis modus, quęcunque mensura, quid faciet in amplioribus longe vel minutioribus animalibus? Necesse est enim & corpus omne anima compleri, & animam omnem corpore obduci. Quomodo ergo anima hominis complebit elephantum? quomodo item obducetur in culice? si tantum extenderetur aut contraheretur, profecto periclitabitur. Et ideo adiicio, quod nulla ratione capax est huiusmodi translationis in animalia, nec modulis corporum, nec ceteris naturæ suæ legibus adæquantia. 399 Nunquid ergo demutabitur secundum qualitates generum, & vitam eorum contrariam humanæ vitæ, facta & ipsa contraria humanæ per demutationem? Enimuero si demutationem capit amittens quod fuit non erit quę fuit: & si quę fuit, nō erit, soluta est 400 μετενσωμάτωσις, non adscribenda scilicet ei animæ, quæ si demutabitur, non erit. Illius enim μετενσωμάτωσις dicetur, quæcunq; eam in suo statu permanendo pateretur. Igitur si nec mutari potest, ne non sit ipsa, nec permanere in statu, quia contraria non capit: quæro adhuc causam aliquam fide dignam huiusmodi trāslationis. 401 Nam etsi quidam homines bestiis adæquantur, pro qualitatib. morum, & ingeniorum, & adfectuum, quia & Deus, 402 *Adsimilatus est*, inquit, *homo irrationabilibus iumentis*: non ideo milui ex rapacibus fient, & canes ex spurcis, & pātheræ ex acerbis, aut oues ex probis, & hirundines ex garrulis, & columbæ ex pudicis, quasi eadem substantia animæ vbique naturam suam in animalium proprietatibus repetat. Aliud est autem substantia, aliud natura substantiæ. Siquidem substantia propria est rei cuiusque, natura vero potest esse communis. Suscipe exemplum. Substantia est lapis, ferrum: duritia lapidis & ferri, natura substantiæ est. Duritia communicat, substantia discordat. Mollitia lanæ, mollitia plumæ, pariant naturalia earum, substantiua non pariant. Sic & si sæua bestia vel proba vocetur homo, sed non eadem anima. Nam & tunc naturæ similitudo notatur, cum substantiæ dissimilitudo conspicitur. Ipsum enim quod hominem similem bestiæ iudicas; confiteris animam non eādem similem, similem dicendo non ipsam. sic & diuina pronuntiatio sapit, pecudibus adæquans hominem natura, non substantia. Ceterum nec Deus hominem hoc modo notasset, si pecudem de substātia nosset.] Etiam quū iudicii nomine vindicatur hoc dogma, quod animæ humanæ pro vita & meritis genera animalium sortiantur, iugulandæ quæque in occisoriis, & subigendæ quæque in famulatoriis, & fatigandæ in operariis, & fœdandæ in immundis, proinde honorandæ, & diligendæ, & curandæ, & adpetendæ in speciosissimis, & probissimis, & vtilissimis & delicatissimis: & hic dicam: si demutantur, non ipsæ dispungentur quæ merebuntur. Et euacuabitur ratio iudicii, si meritorum deerit sensus. Deerit autem sensus meritorum, si status verterit animarum. Vertit autem status animarum, si non eędem perseuerauerint. Æque si perseuerauerint in iudicium, 404 quod & Mercurius Ægyptius nouit, dicens animam digressam à corpore non refundi in animam vniuersi, sed manere determinatam, vti rationem (inquit) patri reddat eorum quæ in corpore gesserit. Volo iudicii vtiq; diuini iustitiam, grauitatem, maiestatem, dignitatem recensere, si non iublimiore fastigio præsidet humana censura, plenior vtriusque sententiæ honore pœnarum & gratiarum, seuerior in vlciscendo, & liberalior in largiendo. Quid putas futuram animam homicidæ? aliquod (credo) pecus lanienæ & macello destinatū, vt perinde iuguletur quia & ipsa iugulauerit? perinde decorietur, quia & ipsa despoliauerit? perinde in pabulum proponatur, quia & ipsa bestiis infecerit os, quas in syluis & aruis trucidauerit. Si ita iudicabitur, nonne illa anima plus solatii quā supplicii relatura est? quod funus inter coccos pretiosissimos inuenit, 405 quod condimentis Apicianis & lurconianis humatur, quod mensis Ciceronianis infertur, quod lancibus splendidissimis Syllanis effertur, quod exequias conuiuium patitur, quod à coęqualibus deuoratur potius quam à miluis, & lupis, vt in hominis corpore tumulata, & in suum genus regressa resurrexisse videatur: exultans aduersus humana iudicia, si ea experta est. 406 Namque illa sicarium varijs & exquisitis, etiam præter naturam eruditis feris dissipant, & quidem viuentem, immo nec facile morientem curata mora finis ad plenitudinem pœnæ. Sed etsi anima præfugerit, vltimo gladio, ne corpus quoque euaserit ferrum, nihilominus iugulo vtroque confossis costisque transfixis, compensatio proprii facinoris exigitur. Inde in ignē datur, vt & sepultura puniatur. Aliter denique non licet, nec tamen tanta est rogi cura vt reliquias aliæ bestię inueniāt certe

A
CAP. XXXII.
B
C
D
E
Psal. 48.
F
CAP. XXXIII.
G
H
Rom. 13.

A nec ossibus parcitur, nec cineribus indulgetur, nuditate plectendis. Tanta est apud homines homicidii vindicta, quanta ipsa quæ vindicatur natura. Quis non
Rom.13. præferat seculi iustitiam, quam & Apostolus non frustra gladio armatã contestatur, quæ pro homine sæuiendo religiosa est? Si ceterorũ quoq; scelerũ mercedẽ cogitemus, patibula, viuicomburia, culleos, & vncos, & scopulos, cui nõ expediat apud Pythagorã & Empedoclem sententiam pati? Nam & qui laboribus atque seruitiis puniendi, in asinos vtique & mulos recorporabuntur, quantum sibi de pistrinis & aquilegis rotis gratulabuntur, si metallorum, & ergastulorum, & operum publicorum, ipsorumque carcerum, licet otiosorum, recordentur. Perinde qui integre morati commendauerint iudici vitam, quæro præmia sed potius inuenio supplicia. Nimirum magna merces bonis in animalia quæcunque restitui. 407 Pauum se meminit Homerus, Ennio somniante: sed Poetis nec vigilantibus
B credã etsi pulcherrimus pauus, & quo velit colore cultissimus, sed tacent pinnæ, sed displicet vox. Et Poetæ nihil aliud quam cantare malunt. Damnatus est igitur Homerus in pauũ, non honoratus. Plus de seculi remuneratione gaudebit, pater habitus liberaliũ disciplinarũ vt malit famæ suæ ornamenta, quam gaudeat. Age nunc, vt Poetæ in pauos vel in cycnos transeant, si vel cyncis decora vox est? 408 quod animal indues viro iusto Deiocæ quam bestiam integræ fœminæ Didoni? quam volucrem patiẽtia, quam pecudem sanctimonia, quem piscem innocentia sortientur? Omnia famula sunt hominis, omnia subiecta, omnia mancipata. Si quid horum futurus est diminoratur illic ille cui ob merita vitæ imagines, statuæ, & tituli, honores publici, priuilegia reprehendũtur, cui curia, cui populus suffragiis immolat. O iudicia diuina post mortẽ humanis mendiciora, cõtemptibilia de pœnis, fastidibilia de gratiis quæ nec pessimi metuant, nec optimi cupiãt: atq; magis scelesti, quã sancti quiq; properabunt illi, vt iustitiam seculi citius euadant, isti vt tardius eã capiãt. Bene Philosophi docetis, vtiliter suadetis leuiora post mortẽ supplicia vel præmia. Cum si quod iudiciũ animas manet, grauius debeat credi in dispunctione vitæ, quã in
C administratione: quia nihil plenius, quã quod extremius: nihil autem plenius, quam quod diuinius. 409 Deus itaque iudicabit plenius, quia extremius per sentẽtiã æternã tam supplicii quam refrigerii, nec in bestias, sed in sua corpora reuertentibus animabus. Et hoc semel & in eũ diem quem solus pater nouit, vt pendula expectatione sollicitudo fidei probetur, semper diem obseruans dum semper ignorat, quotidie timens quod quotidie sperat. [410 Nulla quidẽ ad hodiernũ dementiæ huiusmodi sententia erupit sub nomine hæretico, quę, humanas animas refingãt in bestias. Sed necessarie hãc quoq; speciem intulimus & exclusimus, vt superioribus cohærentẽ, quo perinde in pauone tunderetur Homerus, sicut in Pythagora Euphorbus: atq; ita hac etiã metempsychosi siue metẽsomatosi repercussa, illa rursus cẽderetur quę aliquid hæreticis subministrauit. 411 Nam & Simon Samarites in Actis Apostolorũ redemptor Spiritus sancti, posteaquam dãnatus ab ipso cũ pecunia sua, intertium frustra fleuit, conuersus ad veritatis expugnationem, quasi pro solatio vltionis, fultus etiam artis suę viribus, ad præstigias virtutis alicuius 412 Helenã quandam Tyriam de loco libidinis publicæ eadem pecunia redemit, dignam sibi mercedem pro Spiritu sancto: & se quidẽ fingit summũ patrem, 413 illam vero iniectionẽ suam primã qua ciecerat angelos & archangelos cõdere huius eam proposuiti compotem exiliisse de patre, & in inferiora desultasse: atq; illic præuento patris proposito, angelicas potestates genuisse ignaras patris artificis mundi huius, ab his perinde animo retentã ne digressã ea alterius genimina viderentur. Et idcirco omni contumeliæ addictam, vt nusquã discedere depreciatam liberet, humanæ quoque formæ succidisse, velut vinculis carnis coercendam, ita multis æuis per alios ac alios habitus fœmininos volutatum etiam illam Helenam fuisse 414 exitiosissimam Priamo, & Stesichori posteaoculis, quem & excæcasset ob conuitium carminis, dehinc reluminasset ob satisfactionem laudis. Proinde migrantem eã de corporibus in corpora, postrema dedecoratione sub titulo prostitisse Helenam viliorẽ. Hanc igitur esse ouem perditam, ad quam descenderit pater summus, Simon scilicet, & primũ recuperata ea & reuecta nescio humeris an feminibus, exinde ad hominum respexerit salutem, quasi per vindictam liberandorũ ex illis angelicis potestatibus, quibus fallendis & ipse configuratus æque hominibus & hominem ementitus, in Iudæa quidem filium, in Samaria vero patrem gesserit. O Helenã inter poetas & hęreticos laborantem, tunc adulterio, nunc stupro infamẽ, nisi quod de Troia gloriosius eruitur quã de lupanari, mille nauibus de Troia, nec mille denariis fotsitan de lupanari. Erubesce Simon tardior in requirendo, inconstantior in retrahendo. At Menelaus statim insequitur amissã, statim repetit ereptã decennii prælio extorquet, nõ latens, nõ fallens, nõ cauillabundus. Vereor ne ille magis pater fuerit, qui circa Helenę recuperationẽ & vigilantius & audentius & diutius laborauerit. [415 Sed non tibi soli metẽpsychosis hanc fabulam instruxit, inde etiã Carpocrates vtitur 416 pariter Magus, 417 pariter fornicarius, etsi Helena minus, quid ni? eũ propter omnimodã diuinæ & humanæ disciplinæ euersionẽ constituendã recorporari animas adseuerauerit. Nulli enim vitam istã rato fieri, nisi vniuersis, quæ arguunt eam, expunctis: quia non natura qd malũ habeatur, sed opinione. Itaque metempsychosin necessarie imminere, si nõ in primo quoque vitæ huius commeatu omnibus in licitis satisfiat. scilicet facinora tributa sunt vitæ. Ceterũ totiens animã reuocari habere, quotiens minus quid intulerit, reliquatricẽ delictorum 418 donec exoluat nouissimũ quadrantẽ, detrusa identidem in carcerẽ corporis. Huc enim temperat totã illã allegoriam Domini certis interpretationibus relucentẽ, & primo quidẽ simpliciter intelligendam. 419 Nam & ethnicus homo aduersarius noster est, incedens in eadẽ via vitæ communis. Ceterum oportebat nos de mundo exire, si cũ illis conuersari nõ liceret. Huic ergo bonũ animi præstes iubet. *Diligite* enim *inimicos vestros* (inquit) 420 *orate pro maledicentibus vos*, ne aliquo commercio negotiorũ iniuria prouocatus, abstrahat te ad suũ iudicẽ, & in custodiam delegatus ad exsolutionẽ totius debiti arteris. 421 Tũ si in diabolũ transfertur aduersarii mentio ex obseruatione comitante, cum illo quoque moneris eam inire concordiã, quæ deputetur ex fidei conuentione: pactus es enim renuntiare ipsi, & pompæ, & angelis eius. Cõuenit inter vos de isto. Hæc erit amicitia obseruatio sponsioni, ne quid eius postea resumas, ex his quæ ei eieraſti, quæ illi reddidisti, ne te vt fraudatorem, vt pacti transgressorem iudici Deo obiiciat, 422 (sicuti eum legimus alibi sanctorum criminatorem, 423 & de ipso etiã nomine diaboli delatorem) & iudex te tradat angelo executionis, & ille te in carcerem mandet infernum, vnde non dimittaris, 424 nisi modico quoq; delicto mora resurrectionis expenso. Quid his sensibus aptius? quid his interpretationibus verius? Ceterũ apud Carpocratem si omnium facinorum debitrix anima est, quis erit inimicus & aduersarius eius intelligendus? credo, mens melior, q̃ illã in aliquid innocentiæ impegerit, adigendã rursus, ac rursus in corpus, donec in nullo rea deprehendatur bonæ vitæ. 425 Hoc est ex malis fructibus bonam arborẽ intelligi, id est, ex pessimis præceptis doctrinã veritatis agnosci. Spero huiusmodi hæreticos Heliæ quoque inuadere exemplum, tanquã in Ioanne sic repræsentati, vt metẽpsychosi patrocinetur pronuntiatio Domini: *Helias iam venit, & non cognouerunt eum*: Et alibi: 426 *Et si vultis audire, hic est Helias qui venturus est*. Nũquid ergo & Iudæi ex opinione Pythagorica consulebant Ioannem, *Tu es Helias*, & non ex prædicatione diuina: 427 *Et ecce mittam vobis Heliam Thesbiten*. Sed enim metempsychosis illorum reuocatio est animæ iam pridem morte functæ, & in aliud corpus iteratæ. Helias autem non ex decessione vitæ, sed ex translatione veturus est

CAP. XXXIV.

nec.

A

nec corpori restituē dus, de quo nō est exēptus, sed mūdo reddendus, de quo est translatus, nō ex postliminio vitæ, sed ex supplemento Prophetiæ, idem & ipse & sui nominis & sui hominis. 428 Sed quomodo Helias Ioannes? habes angeli vocem: *Et ipse* (inquit) *præcedet coram populo in virtute & in spiritu Heliæ*, non in anima eius, nec in carne. Hæc enim substantiæ sui cuiusque sunt hominis. Spiritus vero & virtus extrinsecus conferuntur ex Dei gratia, ita & transferri in alterum possunt ex Dei voluntate, vt factum est retro de Mosei spiritu. [429 In has quæstiones inde opinor excessimus, quo nunc reuertendum est. Constitueramus animā in ipso, & ex ipso seri homine, & vnum esse à primordio semen, sicut & carnis in totum generis examen, 430 propter æmulas scilicet opiniones Philosophorum & hæreticorum, & illum sermonem Platonis veternosum. Nunc ordinem sequentium exinde tractatuū teximus. Anima in vtero seminata pariter cum carne, pariter cum ipsa sortitur & sexum, ita pariter vt in causa sexus neutra substantia teneatur. Si enim in seminibus vtriusq; substantiæ aliquā intercapedinem eorū cōceptus admitteret, vt aut caro, aut anima prior seminaretur, esset etiam sexus proprietatem alteri substantiæ adscribere per temporalem intercapedinem seminum: vt aut caro animæ, aut anima carni insculperet sexū: 431 quoniam & Apelles, non pictor, sed hereticus, ante corpora constituens animas viriles ac muliebres, sicut à Philomena didicit, vtiq; carnem vt posteriorem ab anima facit accipere sexū. Et qui animam post partum carni superducunt, vtiq; ante formatæ matē aut fœminam de carne sexum præiudicant animæ. Vtriusq; autem substantiæ indiscreta semina & vnita suffusio eorum communē subeunt generis euentum, 432 qua lineas duxerit quæcunq; illa est ratio naturæ. Certe & hic se primordiorum forma testatur, quū masculus temporius effingitur, prior enim Adam: fœmina aliquanto serius, posterior enim Eua. Ita diu caro informis est, qualis ex Adæ latere decerpta est, animal tamen & ipsa iam, quia & illam tunc Adæ portionem animal agnoscam. 433 Ceterum & ipsam Dei adflatus animasset, si non vt carnis, ita & animæ ex Adam traduxfuisset in fœmina. [434 Omnem autem hominis in vtero serendi, struendi, fingendi paraturam 435 aliqua vtique potestas diuinæ voluntatis ministra modulatur, quamcunque illam rationem agitare sortita. Hæc æstimando 436 etiam superstitio Romana Deam finxit Alemonam alendi in vtero fœtus. Et Nonam & Decimam à sollicitioribus mensibus, & Partulam, quæ partum gubernet, & Lucinam, quæ producat in lucem: nos officia diuina angelos credimus. Ex eo igitur fœtus in vtero homo, à quo forma completa est. 437 Nam & Moysi lex tunc aborsus reum talionibus iudicat, quum iam hominis est causa, quum iam illi vitæ & mortis status deputatur, quum & fato iam inscribitur, & si adhuc in matre viuendo, cum matre plurimum communicat sortem. Dicam aliquid & de temporibus animæ nascentis, vt ordinem decurram: 438 legitima natiuitas ferme decimi mensis ingressus est. Qui numeros ratiocinantur, & 439 decurialem numerū, vt exinde reliquorū parentum colunt, denique perfectorem natiuitatis humanæ. Ego ad Deum potius argumentabor hunc modum temporis, vt decem menses decalogo magis inaugurent hominem, vt tanto tēporis numero nascamur, quanto disciplinæ numero renascimur. Sed & cum septimo mense natiuitas plena est, facilius quam octauo, honorem sabbati agnoscam, vt quoto die dedicata Dei conditio, toto mense interdum producatur Dei imago. Concessum est properare natiuitati, & tamen idonee occurrere in hebdomadem, in auspicia resurrectionis, & requietis, & regni: ideo ogdoas non creat. tunc enim nuptiæ non erunt. Societatem carnis atque animę iamdudum commendauimus à concretione seminum ipsorum vsque ad figmenti perfectionem. Proinde nunc & à natiuitate defendimus, imprimis q; simul crescunt, sed diuersa ratione pro generum conditione, caro modulo, anima ingenio, caro habitu, anima sensu. Ceterū

Luc. 11.

Num. 11. Cap. XXXVI.

B

Gen. 1.

Cap. XXXVII. C

Exod. 21.

Exod. 20.

Gen. 2.

Matth. 22. D

animam substantia crescere negandum est, ne etiam decrescere substantia dicatur, atq; ita & defectura credatur. 440 Sed vis eius in qua naturalia peculia consita retinentur, saluo substantiæ modulo, quo à primordio inflata est, paulatim cum carne producitur. Constitue certum pondus auri vel argenti rudem adhuc massam, collectus habitus est illi, & futuro interim minor, tamē continens intra lineam moduli totum quod natura est auri vel argenti. Dehinc cum in laminam massa laxatur, maior efficitur initio suo per dilatationem ponderis certi, non per adiectionem, dum extenditur, non dum augetur. Et sic quoque augetur dum extenditur: licet enim habitu augeri, cum statu non licet. Tunc & splendor ipse prouehitur auri vel argenti, qui fuerat quidem & in massa, sed obscurior, non tamen nullus. Tunc & alii atque alii habitus accedunt pro facilitate materiæ, qua duxerit eā qui agit, nihil cōferens modulo, nisi effigiē. Ita & animæ crementa reputanda, non substantiua, sed prouocatiua. [441 Quanquam autem & retro præstruxerimus omnia naturalia animæ ipsi substātię inesse pertinentia ad sensum & intellectū, & ex ingenito animæ censu, sed paulatim per ætatis spatia procedere, & varie per accidentia eūadere, pro artibus, pro institutis, pro locis, pro dominatricibus potestatibus: quod tamē faciat ad carnis animæque propositam nunc societatē, pubertatem quoq; animalem cum carnali dicimus cōuenire, pariterque & illam suggestu sensuum, & istam processu membrorum exsurgere à quartodecimo fere anno: 442 non quia Aselepiades inde sapientiam supputat, nec quia iura ciuilia ab hinc agēdis rebus adtemperant, sed quod & hæc de primordio ratio est. Si enim Adam & Eua ex āgnitione boni & mali pudenda tegere senserunt, ex quo idipsum sentimus agnitionem boni & mali profitemur. Ab his autem annis & suffusior & vestitior sexus est, & concupiscentia oculis arbitris vtitur, & cōmunicat placitum, & intelligit quæ sint, & fines suos adinstar ficulneæ contagionis prurigine accingit: & hominem de paradiso integritatis educit, exinde scabida etiam in ceteras culpas & delinquendi non naturales, cum iam non ex instituto naturæ, sed ex vitio. Ceterū proprie naturalis concupiscentia vnica est alimētorum solummodo, quam Deus in primordio cōtulit. 443 *Ex omni ligno* (inquit) *edetis.* Et secundæ post diluuiū genituræ supermensus est, *Ecce dedi vobis omnia in escam tanquam holera fœni.* prospectum non tam animæ quam carni, etsi propter animam. 444 Auferenda est enim argumentatoris occasio, qui quod anima desiderare videatur alimenta, hinc quoque mortalem eam intelligi cupit, quæ cibis sustineatur, denique derogatis eis euigescat, postremo subtractis intercidat. Porro non solum proponendum est quisnam ea desideret, sed & cui, & si propter se, sed & cur, & quando, & quonam vsque? tum quod aliud est, natura desiderare, aliud necessitate, secundum proprietatem, aliud in causam. Desiderabit igitur cibos anima, sibi quidem ex causa necessitatis, carni vero ex natura proprietatis. Certe enim domus animæ caro est, & inquilinus carnis anima. Desiderabit itaque inquilinus ex causa, & necessitate huius nominis profutura domui, toto inquilinatus sui tempore, non vt ipse substruendus, nec vt ipse gloriandus, nec vt ipse tibicinandus, sed tantummodo continendus: quia non aliter contineri possit quam domo fulta. Alioquin licebit animæ dilapsa domo ex destitutione propriorum subsidiorum incolumi abire, habenti sua firmamenta & propriæ conditionis alimenta, immortalitatem, rationalitatem, sensualitatem, intellectualitatē, arbitrii libertatem. [445 Quæ omnia natiuitus animæ conlata idem qui in primordio inuidit, nunc quoq; obumbrat atque deprauat, quominus aut vltro prospiciantur, aut qua oportet administrentur. Cui enim hominum non adhærebit spiritus nequam, ab ipsa etiam ianua natiuitatis animas aucupabundus, vel qua inuitatus, 446 tota illa puerperii superstitione? Ita omnes idololatria obstetrice nascuntur, dū ipsi adhuc vteri infulis apud idola cōfectis redimiti, genimina sua dæmoniorū cādidata

E

Cap. XXXVIII.

F

Gen. 3.

Gen. 2. *Gen. 9.* G

H

Cap. XXXIX.

A

profitentur, 447 dum in partu Lucinæ & Dianæ eiulatur, 448 dum per totam hebdomadam Iunoni mensa proponitur 449 dum vltima die fata scribunda aduocantur, dum prima etiam constitutio infantis super terram 450 Statinæ Deæ sacrum est. Quis non exinde aut totum filii caput reatui vouet, aut aliquem excipit crinem, aut tota nouacula prosecat, aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat, pro gentica, pro auita, pro publica, aut priuata deuotione. Sic igitur & Socratem puerum adhuc spiritus dæmonicus inuenit. Sic & omnibus genii deputantur 451 quod dæmonum nomen est, adeo nulla ferme natiuitas munda est, vtique ethnicorum. Hinc enim & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogatiua quam ex institutionis disciplina. 452 (*Ceterum* inquit) *immundi nascerentur*, quasi designatos tamen sanctitatis, ac per hoc etiam salutis, intelligi volens fidelium: filios vt huius spei pignora matrimoniis quæ retinenda censuerat patrocinarentur. Alioquin meminerat Dominicæ definitionis, *Nisi quis nascatur ex aqua & spiritu, non introibit in regnum Dei*, id est, non erit sanctus. [453 Ita omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Peccatrix autem, quia immunda recipiens ignominiam suam ex carnis societate. Nam etsi caro peccatrix 454 secundum quam incedere prohibemur, cuius opera damnantur concupiscentis aduersus spiritum, ob quã carnales notantur infamia, 455 non tamen suo nomine caro infamis. Neque enim de proprio sapit quid, aut sentit, ad suadendam vel imperandam peccatelam: quidni quæ ministerium est? Et ministerium, non quale seruus vel minor amicus animalis nomine, sed quale calix vel quid aliud eiusmodi corpus, non anima. Nam & calix ministerium sitientis est; nisi tamen qui sitit, calicem sibi accommodarit, nihil calix ministrabit. 456 Adeo nulla proprietas hominis in choico, nec ita caro homo tanquam alia vis animæ, & alia persona, sed res est alterius plane substantiæ, & alterius conditionis, addita tamen animæ vt supellex, vt instrumentum in officina vitæ. Caro igitur increpatur in scriptuis, quia nihil anima sine carne in operatione libidinis, gulæ, vinolentiæ, sæuitiæ, idololatriæ, ceterisque carnalibus non sensibus, sed effectibus. 457 Denique sensus delectorum, etiam sine effectibus imputari solent animæ. *Qui viderit mulierem ad concupiscentiam, iam adulterauit in corde.* Ceterum quid caro sine anima, perinde in operatione probitatis, iustitiæ, tolerantiæ, pudicitiæ. Porro quale est, vt cui nec bona documenta propria subscribas, ei crimina adpingas? sed ea per quam delinquitur, conuenitur, vt illa à qua delinquitur, oneretur, etiam in ministerii accusationem. Grauior inuidia est in præsidem, cum officia pulsantur: plus cæditur qui iubet, quando nec qui obsequitur, excusatur. [458 Malum igitur animæ, præter quod ex obuentu spiritus nequam superstruitur, ex originis vitio antecedit, 459 naturale quodammodo. Nam, vt diximus, naturæ corruptio alia natura est, habens suum Deum & patrem, ipsum scilicet corruptionis auctorem: vt tamen insit & bonum animæ illud principale, illud diuinum atque germanum, & proprie naturale. Quod enim à Deo est, non tam extinguitur, quam obumbratur. Potest enim obumbrari, quia non est Deus; extingui non potest quia à Deo est. Itaque sicut lumen aliquo obstaculo impeditum manet, sed non comparet si tanta densitas obstaculi fuerit: Ita & bonum in anima à malo oppressum pro qualitate eius, aut in totum vacat occulta salute, aut qua datur radiat inuenta libertate. Sic pessimi & optimi quidam, & nihilominus vnum omnes animæ genus: sic & in pessimis aliquid boni, & in optimis nonnihil pessimi. Solus enim Deus sine peccato, 460 & solus homo sine peccato Christus, quia & Deus Christus. Sic & diuinitas animæ in præsagia erumpit ex bono priore, & conscientia Dei in testimonium prodit. 461 Deus bonus est, Deus videt, & Deo commendo: propterea nulla anima sine crimine, quia nulla sine bo-

B

Ioan. 3.

Cap. XL.

Rom. 5.

C

Matth. 5.

Cap. XLI.

D

ni semine. Proinde cum ad fidem peruenit reformata 462 per secundam natiuitatem ex aqua & superna virtute, detracto corruptionis pristinę aulæo totam lucem suam conspicit. Excipitur etiam à spiritu sancto, sicut in pristina natiuitate à spiritu profano. Sequitur animam nubentem spiritui caro, vt dotale mancipium, & iam non animæ famula, sed spiritus. O beatum connubium, si non admiserit adulterium! [463 De morte iam supereſt, vt illic materia ponat, vbi ipsa anima consummat, 464 quanquam Epicurus vulgari satis opinione negarit mortem ad nos pertinere. Quod enim dissoluitur (inquit) sensu caret, & quod sensu caret, nihil ad nos. Dissoluitur autem & caret sensu, non ipsa mors, sed homo, qui eam patitur. At ille ei dedit passionem, cuius est actio. Quod si hominis est pati mortem dissolutricem corporis, & peremptricem sensus, quam ineptum vt tanta vis ad hominem non pertinere dicatur? 466 Multo coactius Seneca: Post mortem (ait) omnia finiũtur, etiam ipsa. Hoc si ita est, iam & mors ad semetipsam pertinebit, si & ipsa finitur. Eo magis ad hominem, in quo inter omnia finiendo, & ipsa finitur. Mors nihil ad nos, ergo & vita nihil ad nos. Si enim quo dissoluimur præter nos, etiam quo compingimur extra nos. Si ademptio sensus nihil ad nos, nec adeptio sensus quicquam ad nos: sed mortem quoque interimat, quia & anima in nobis vt depositum habitat. & vt de alia prouincia animę, ita de morte tractabitur, ad quam vel ipsi pertinemus, si ad nos illa non pertinet. 466 Denique nec speculum eius somnus, aliena materia est. [467 De somno prius disputemus; post, mortem qualiter anima decurrat. 468 Non vtique extra naturale est somnus, vt quibusdam Philosophis placet, cũ ex his eum deputant causis, quæ præter naturam haberi videntur. 469 Stoici somnũ resolutionem sensualis vigoris affirmant. 470 Epicurei diminutionem spiritus animalis, 471 Anaxagoras cũ Xenophane defetiscentiam, 472 Empedocles & Parmenides refrigerationem, Strato segregationem cõsati spiritus, Democritus indigentiã spiritus, 473 Aristoteles marcorẽ circũcordialis calorls. Ego me nũnquã ita dormisse præsumo, vt ex his aliquid agnoscam. Neq; enim credendum est, defetiscentiã esse somnũ, contrarium potius defetiscentiæ, quã scilicet tollit. Siquidem homo somno magis reficitur quã fatigatur. Porro nec semper ex fatigatione concipitur somnus, & tamen cũ ex illa est, illa iam non est. Sed nec refrigescentiã admittam, aut marcorem aliquem caloris, cũ adeo corpora somno concalescant: & dispensatio ciborum per somnum non facile procederet calore properabili, & rigore tardabili, si somno refrigeraremur. Plus est, quod etiã sudor digestionis æstuantis est index. Deniq; concoquere dicimur, quod caloris non frigoris operatio est. Proinde deminutionẽ animalis spiritus, aut indigentiam spiritus, aut segregationem consati spiritus; immortalis anima non finit credi. Perit anima si minoratur. Supereſt si forte cũ Stoicis resolutionem sensualis vigoris somnum determinemus, quia corporis soluus quietem procuret, nõ & animę. Animã enim vt semper mobilem & semper exercitam nunquã succedere quieti, alienæ scilicet à statu immortalitatis: nihil enim immortalẽ finẽ operis sui admittit. somnus autem finis est operis. Deniq; corpori cui mortalitas competit, ei soli quies fine operis adulatur. Qui ergo de somni naturalitate dubitabit, habet quidẽ Dialecticos in dubiũ deducentes totã naturalium & extranaturalium discretionẽ, vt & quæ putauerit citra naturam esse, naturæ vindicari sciat posse, à qua ita esse sortita sunt, vt citra eam haberi videantur, & vtiq; aut natura omnia, aut nulla natura. Apud nos autem id poterit audiri, quod Dei contẽplatio suggerit auctoris omnium de quibus quæritur. Credimus enim si quid est natura, rationale aliquod opus Dei esse. 474 Porro somnum ratio præit, tam aptum, tã vtilem, tam necessarium, vt absq; illo nulla anima sufficiat, recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem veletudinum, pacatorem operum, medicũ laborum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem

E

Ca. XLII.

F

Ca XLIII.

G

H

facit,

facit, auferens rerum etiam calorem. Quod si vitale, salutare, auxiliare somnus, nihil eiusmodi non rationale, nihil non naturale. Sic & Medici omne contrariũ vitali, salutari, auxiliari extra naturæ cardines relegant. 475 Nam & æmulas somno valetudines, phreneticam atq; cardiacam, præter naturam iudicando, naturalem somnum præiudicauerunt: 476 etiam in lethargo non naturalem notantes, testimonio naturali respondent, cũ in suo temperamento est. Omnis enim natura, aut defraudatione, aut enormitate rescinditur proprietate mẽsuræ conseruatur. Ita naturale erit statu, quod nõ naturale effici potest decessu vel excessu. Quid si esum & potũ de naturæ sortibus eximas? 477 nã & in his plurima somni paratura, est. Certe his à primordio naturæ suæ homo imbutus est: si apud Deum discas, 478 ille fons generis Adam ante ebibit soporem, quam sitiit quietẽ. Ante dormiit quam laborauit, immo quam & edit, immo quã & profatus est, vt videant naturalem indicẽ somnũ omnibus naturalibus principaliorem. Inde deducimur etiam imaginem mortis iã tunc eum recensere. 479 Si enim Adam de Christo figurabat, somnus Adæ mors erat Christi dormituri in mortem, vt de iniuria perinde lateris eius vera mater viuentiũ figuraretur Ecclesia. Ideo & somnus tam salutaris, tam rationalis etiam in publicæ & communis iam mortis affingitur exemplar. Voluit enim Deus & alias nihil sine exemplaribus in sua dispositione molitus, 480 paradigmate Platonico plenius humani vel maxime initii ac finis lineas quotidie agere nobiscum, manũ porrigens fidei facilius aduuandæ per imagines & parabolas, sicut sermonũ, ita & rerũ. Proponit igitur tibi corpus amica vi soporis elisum, blãda quietis necessitate prostratum, immobile situ, quale ante vitam iacuit, & quale post vitã iacebit vt testationem plasticæ & sepulturæ, expectans animam quasi nõdum conlatam, & quasi iam ereptam. Sed & illa sic patitur vt alibi agere videatur dissimulatione præsentiæ futuram absentiã ediscens: & tamen interim somniat, neq; quiescit, nec ignauescit omnino, nec naturã immortalitatis seruam soporis addicit. Probat se mobilẽ semper; terra, mari peregrinatur, negotiatur, agitatur, laborat, ludit, dolet, gaudet, licita atque inlicita persequitur, ostendit quod sine corpore etiã plurimum possit, quod & suis instructa sit membris, sed nihilominus necessitatem habeat rursus corporis agitandi. Ita cum euigilauerit corpus redditum officiis eius, 481 resurrectionem mortuorum tibi adfirmat. Hæc erit somni & ratio naturalis, & natura rationalis. Etiam per imaginem mortis fidem initiaris, spẽ meditaris, discis mors & viuere, discis vigilare dum dormis. [482 Ceterũ de Hermotimo, Anima (vt aiũt) in somno carebat, quasi per occasionẽ vagaturi hominis proficiscente de corpore. vxor hoc prodidit, inimici dormientem nacti pro defuncto cremauerunt. Regressa anima, tardius credo, homicidium sibi imputauit. Ciues Clazomenii Hermotimum templo consolantur. Mulier non adit, ob notam vxoris. quorsum istud? vt quia non facile est vulgo existimare 483 secessionem animæ esse somnum, hoc quoque Hermotimi argumento credulitas subornetur: genus fuerat grauioris aliquanto soporis, 454 vt de incubone præsumptio est, vel de ea valetudinis labe quam Soranus opponit, excludens incubonẽ, aut tale quid vitii, 485 quod etiam Epimenidem in fabulã impegit quinquaginta pene annos somniculosum. Sed & Neronem Suetonius. & Thrasymedem 486 Theopõpus, negant vnquam somniasse: nisi vix Neronẽ in vltimo exitu post pauores suos. Quid si & Hermotimus ita fuit, vt otium animæ nihil operantis in somnis diuortium crederetur, omnia magis coniectes, quã istam licentiã animæ sine morte fugitiuæ, & quidem ex forma continuã. Si enim tale quid semel accidere dicatur, vt deliquium solis aut lunæ, ita & animæ, sane persuaderer diuinitus factum. Cõgruere enim hominem seu moneri, seu terreri, adeo velut fulgure rapido momentaneę mortis ictu: si non magis in proximo esset, somnium credi, quod vigilanti potius accidere deberet, si non somnium magis credi oporteret. [487 Tenemur hic de somniis quoq; Christianam sententiam expromere, vt de accidentibus somni; sed non modicis iactationibus animæ, quam ediximus negotiosam, & exercitam semper ex perpetuitate motationis, quod diuinitatis & immortalitatis est ratio. Igitur cum quies corporalibus euenit, quorum solatium proprium est, vacans illa à solatio alieno non quiescit, & si caret opera membrorum corporalium, suis vtitur: Concipe gladiatorem sine armis, vel aurigam sine curriculis, gesticulantes omnem habitũ artis suæ atque conatum: pugnatur, certatur, sed vacua iactatio est, nihilominus tamen fieri videntur, quæ fieri tamen non videntur. Actu enim fiunt, effectu vero nõ fiunt. 488 Hanc vim ecstasin dicim⁹, excessum sensus & amentiæ instar: sic & in primordio somnus cum ecstasi dedicatus, *Et misit Deus ecstasin in Adam, & obdormiuit:* somnus enim corpori prouenit in quietem, ecstasis animæ accessit aduersus quietem. & inde iam forma somnum ecstasi miscens, & natura de forma. Denique & oblectamur, & contristamur, & conterremur in somniis, quam, adfecte & anxie & passibiliter: cum in nullo permoueremur à vacuis scilicet imaginibus, 489 si compotes somniaremus. Denique & bona facta gratuita sunt in somnis, & delicta secura: 490 non magis enim ob stupri visionem damnabimur, quam ob martyrii coronabimur. Et quomodo, inquis, memor est somniorum anima, scilicet quam compotem esse non licet? hoc erit proprietas amentiæ huius: quia non fit ex corruptela bonæ valetudinis, sed ex ratione naturæ: nec enim exterminat, sed auocat mentem. Aliud est concutere, aliud mouere, aliud euertere, aliud agitare; Igitur quod memoria suppetit, sanitas mentis est quod sanitas mentis, salua memoria, stupet; amentiæ genus est. Ideo non dicimur furere, sed somniare, ideo & prudentes, si quando sumus: sapere enim nostrum licet obumbretur, non tamen extinguitur, nisi quod & ipsum potest videri vacare tunc. Ecstasin autem hoc quoque operari de suo proprio, vt sic nobis sapientiæ imagines inferat, quemadmodum & erroris. [491 Ecce rursus vrgemur etiam de ipsorum somniorum retractatu, quibus anima iactatur, exprimere: & quando peruenimus ad mortem. & hic dixerim, cum Deus dederit: nullæ longæ moræ eius quod eueniet. 492 Vana in totum somnia Epicurus iudicauit, liberans à negotiis diuinitatem, & dissoluens ordinem rerũ, & in passiuitate omnia spargens, vt euentui exposita, & fortuita. Porro si ita est, ergo erit aliquis & veritatis euentus, quia non capit solam eam euentui omnibus debito eximi. 493 Homerus duas portas diuisit somniis, corneam veritatis, fallaciæ eburneam. Respicere est enim, inquiunt, per cornu, ebur autem cæcum est. 494 Aristoteles maiore sententiam mendaico recitans, agnoscit & verum. 495 Telmessenses nulla somnia euacuant, imbecillitatem coniectationis incusant. 496 Quis autem tam extraneus humanitatis vt non aliquam aliquando visionẽ fidelẽ senserit? pauca de insignioribus perstringens, Epicuro pudorem imperabo. 497 Astyages Medorũ regnator quod filiæ Mandanę adhuc virginis vesicã in diluuionẽ Asię fluxisse somnio viderit, Herodotus refert. Item anno post nuptias eius ex hisdem locis vitem exortam totí Asiæ incubasse. 498 Hoc etiam Charon Lampsacenus Herodoto prior tradit, qui filium eius tanto operi interpretati sunt, non fefellerunt. Siquidem Asiam Cyrus & mersit & pressit. 499 Philippus Macedo nondũ pater, Olympiadis vxoris naturã obsignasse viderat anulo, leo erat signũ, crediderat præclusam genituram, opinor, 500 quia leo semel pater est. 501 Aristodemus vel Aristophon coniectans, immo nihil vacuũ obsignari, filiũ & quidẽ maximi impetus portẽdi. Alexandrum qui sciunt, leonem anuli recognoscunt: 502 Ephorus scribit. 503 Sed & Dionysii Siciliæ tyrannidem Himeræa quædam somniauit, 504 Heraclides prodidit: 505 Et Seleuco regnum Asiæ Laodice mater nondum eum enixa præuidit, Ephorion prouulgauit. 506 Mithridatẽ quoq; ex somnio Ponti potitũ à Strabone

cogno-

Gen. 2.

Ioan. 19.

Cap. XLIV.

Cap. XLV.

Gen. 2.

Cap. XLVI.

A cognosco. 507 Et Balaridem Illyricum à Molosis vsque Macedoniam ex somnio dominatum de Callisthene disco. Nouerunt & Romani veritatis huiusmodi somnia 508 Reformatorem imperii, puerulum adhuc & priuatum loci, & Iulium Octauium tantum, & sibi ignotũ Marcus Tullius iam & Augustum & ciuiliũ turbinum sepultorem de somnio norant. In Vitelliis commentariis conditum est. Nec hæc sola species erit summarum prædicatrix potestatum, sed & periculorum & exitiorum: 509 vt quum Cæsar in prælium perduellium Bruti & Cassii Philippis æger alias maiestatem, alias discrimen ab hostibus relaturus, Artorii visione destituto tabernaculo euadit: 510 vt cum Polycrati Samio filia crucem prospicit 511 de solis vnguine 512 & lauacro Iouis. Reuelantur & honores & ingenia per quietem: præstãtur & medelæ, produntur & furta, conferuntur & thesauri. 513 Ciceronis deniq; dignitatem, paruuli etiã nunc gerula iam sua inspexerat. 514 Cycnus de sinu Socratis demulcens homines, discipulus Plato est. 515 Cleonymus Pictes ab Achille curatur in somniis. 516 Coronam auream quum ex arce Athenæ perdidissent, Sophocles tragicus somniando redinuenit. 517 Neoptolemus tragœdus, apud Rheteum Troiæ sepulchrum Aiacis, monitus in somnis, ab ipsa ruina liberatur; & quum lapidũ senia deponit, diues inde auro redit. 518 Quanti autẽ Cõmentatores & adfirmatores in hanc rem, 519 Artemon, 520 Anthiphon, 521 Strato, 522 Philochorus 523 Epicharmus, 524 Serapion, 525 Cartippus, & 526 Dionysius Rhodius, 527 Hermippus, tota sæculi litteratura. Solum si forte ridebo, qui se existimauit persuasurum quod prior omnibus Saturnus somniarit: nisi si & prior omnibus vixit Aristoteles, ignosce ridenti. Ceterum Epicharmus etiam summum apicem inter diuinationes somniis extulit cum Philochoro Athenienſi. 528 Num & oraculis hoc genus stipatus est orbis. 529 vt Amphiarai apud Oropum, 530 Amphilochi apud Mallũ, 531 Sarpedonis in Troade, 532 Trophonii in Bœotia, 533 Mopsi in Cilicia, 534 Hermione in Macedonia, 535 Pasiphaæ in Latonica. Cetera cũ suis & originibus & ritibus & relatoribus cũ omni deinceps historia somniorum Hermippus Beritensis quinione volumnium satiatissime exhibebit. 536 Sed & Stoici Deũ malunt prouidentissimũ humanæ institutioni inter cetera præsidia diuinatricum artiũ & disciplinarũ, somnia quoq; nobis indidisse, peculare solatium naturalis oraculi. Hæc quantum ad fidem somniorũ à nobis quoq; consignandam, & aliter interpretandam 537 Nam de oraculis etiam ceteris, apud quæ nemo dormitat, quid aliud pronuntiabimus, quam dæmonicam esse rationem eorum spirituum, qui iam tunc in ipsis hominibus habitauerint, vel memorias eorum affectauerint ad omnem malitæ suæ scenam, in ista æque specie diuinitatem mentientes, eademq; industria 538 etiam per beneficia fallentes medicinarum, & admonitionum, & prænuntiationum, quæ magis lædant iuuando, dum per ea quę iuuant, ab inquisitione veræ diuinitatis abducunt ex insinuatione falsæ. & vtique non clausa vis est, nec sacrariorum circumscribitur terminis: vaga & peruolatica & interim libera est: Quo nemo dubitauerit domus quoque dæmoniis patere, nec tantũ in adytis, sed in cubiculis homines imaginibus circumuenire. [539 Definimus enim, à dęmoniis plurimũ incuti somnia, etsi interdum vera & gratiosa, sed de qua industria diximus, affectantia atque captantia; quanto magis vana & frustratoria, & turpida, & ludibriosa, & immunda. Nec mirum si eorũ sunt imagines, quorũ & res. 540 A Deo autẽ, 541 pollicito scilicet & gratiam Spiritus sancti in omnẽ carnẽ, & sicut prophetaturos, ita & somniatutos seruos suos & ancillas suas, ea deputabuntur quæ ipsi gratiæ comparabuntur, si qua honesta, sancta, prophetica, reuelatoria, ædificatoria, vocatoria: quorum liberalitas soleat & in profanos destillare, imbres etiam & soles suos peræquante Deo iustis, & iniustis. Siquidẽ & Nabuchodonosor diuinitus somniat: & maior pene vis hominũ 542 ex visionibus Deũ discũt. Sicut ergo dignatio Dei & in ethnicos, 543 ita & tentatio mali in sanctos, àquibus nec interdiu absistit, vt vel dormientibus obrepat qua potest, si vigilantibus nõ potest. Tertia species erunt somnia, quæ sibimet ipsa anima videtur inducere ex intentione circunstantiarũ. Porro quũ nõ est ex arbitrio somniare (nã & Epicharmus ita sentit) quomodo ipsa erit sibi causa alicuius visionis. Nũ ergo hæc species naturali formę relinqueuda est, seruans animæ etiã in ecstasi res suas perpeti? Ea autẽ quæ neque à Deo, neque à dęmonio, neque ab anima videbuntur accidere, & præter opinionẽ, & præter interpretationem, & præter enarrationem facultatis ipsi proprie ecstasi & rationi eius separabuntur. [545 Certiora & colatiora somniari affirmant sub extimis noctibus, quasi iam emergente animarum vigore, prodacto sopore. 545 Ex temporibus autem anni verno magis quieta est, quod dissoluat animas, & hyems quodammodo obduret, & autumnus tentator alias valetudinum succis pomorum vinosissimis diluat. Item ex ipsius quietis situ si neque resupina, neque dextero latere decumbat, neque conresupinatis internis, quasi refusis loculis statio sensuum fluitet, aut compressu iecoris angina fit mentis. Sed hæc ingeniosè æstimari, potius quam constanter probari putem, etsi Plato est qui ea æstimauit, & fortasse an casu procedant. Alioquin ex arbitrio erant somnia, si dirigi poterunt. Nam quod & de cibis distinguendis vel derogandis, nunc præsumptio, nunc superstitio disciplinam somniis præscribit, examinanda est 546 superstitio, vt cum apud oracula incubaturis ieiunium indicitur, vt castimoniam inducat præsumtio, vt cum Pythagorici ob hanc quoque speciem fabam respuunt, onerosum & inflatum pabulum. 547 Atquin trina illa cum Daniele fraternitas legumine solo contenti, ne regis ferculis cõtaminarentur, præter sapientiã reliquam, somniorum præcipue gratiam à Deo redemerunt & impetrandorũ & differendorum. Ieiuniis autem nescio an ego solus plurimum ita somniem, vt me somniasse non sentiam. Nihil ergo sobrietas, inquis, ad hanc partem: immo tanto magis ad hanc, quantum & ad omnem; si & ad superstitionem, multo amplius ad religionem. Sic enim & dæmonia expostulant eã à suis somniatoribus, ad lenocinium scilicet diuinitatis, quia familiarem Dei norunt: quia & Daniel rursus 548 trium hebdomadum statione aruit victũ. Sed vt Deum inliceret humiliationis officiis, non vt animæ somniaturæ sensum & sapientiam strueret, quasi non in ecstasi acturæ; ita non ad ecstasin submouendã sobrietas proficiet, sed ad ipsã ecstasin cõmendandam, vt in Deo fiat. [549 Infantes qui non putãt somniare, cũ omnia animæ pro modo ætatis expungantur in vita, animaduertant succussus & nutus, & renidẽtias eorũ per quietẽ, vt ex re cõprehendant motus animæ somniantis facile per carnis teneritatem erumpere in superficiem. 550 Sed & quod Libyca gens Atlantes cæco somno noctem transigere dicuntur, animæ vtique natura tãxatur. Porro aut Herodoto fama mentita est, nonnunquam in Barbaros calumniosa, aut magna vis eiusmodi dæmonum in illo climate dominatur, Si enim & Aristoteles heroem quendam Sardiniæ notat, incubatores fani sui visionibus priuantẽ, erit & hoc in dæmonum libidinibus tam auferre somnia quam inferre, 551 vt Neronis quoq; seri somniatoris, 552 & Thrasimedis insigne inde processerit. Sed & à Deo deducimus somnia. Quid ergo nec à Deo Atlantes somniarent, vel 553 quia nulla iam gens Dei extranea est, in omnem terram & in terminos orbis Euangelio coruscante. Nũ ergo aut fama mẽtita est Aristoteli, aut dæmonũ adhuc ratio est, dũ ne aliqua natura credatur immunis somniorum? [554 Satis de speculo mortis, id est de somno, cũ etiam de negotiis somni, id est, de somniis: nunc ad originem huius excessus, id est, ordinem mortis: quia nec ipsã sine quæstionibus, licet 555 finẽ omniũ quęstionũ. Publica totius generis humani sententia morte naturæ debitũ pronuntiamus. Hoc stipulata est Dei vox, hoc spopõdit omne ꝙ nascit, vtiã hinc nõ Epicuri stupor suffundatur, negantis debitũ istud ad nos pertinere:

B C D Cap. XLVII. Gen. 2. E Cap. XLVIII. F Dan. 1. G Dan. 9. Ca. XLIX. H Cap. L.

556 sed

A

556 sed hæretici Magi Menandri Samaritani furor conspuatur, dicentis mortē ad suos nō modo nō pertinere, verum nec peruenire. In hoc scilicet se à superna & arcana potestate legatū, vt immortales & incorruptibiles & statim resurrectionis cōpotes fiant qui baptisma eius induerint. Legimus quidē pleraq; aquarum genera miranda, 557 Sed aut ebriosos reddit Lyncestarum vena vinosa, 558 aut lymphaticos efficit Colophonis scaturigo dæmonica, 559 aut Alexandro accidit Nonacris Arcadiæ venenata: 560 fuit & Iudææ lacus medicus ante Christū: 561 Plane Stygias paludes poeta tradidit mortē diluentes. Sed & Thetis filium planxit. Quanquam si & Menander in Stygem mergit, moriendum erit nihilominus, vt ad Stygem venias. Apud inferos enim dicitur: Quænam & vbinam ista fœlicitas aquarum, quas nec Ioannes baptizator præministrauit, nec Christus ipse discipulis demonstrauit? 562 Quod hoc Menandri balneum, Comicum credo, sed cur tam infrequens, tā occultum, quo pauciſſimi lauant? Suspectam enim faciam tantam raritatem securissimi atque tutissimi sacramenti, 563 apud quod nec pro Deo ipso mori lex est, cū contra omnes iam nationes ascendant in montem Domini, & in ædem Dei Iacob; mortem per martyriū quoque flagitantis, quam de Christo etiam suo exegit: nec Magiæ tantum dabit quisquam, vt eximat mortem, aut repastinet vitis modo vitam ætate renouata. Hoc enim ne Medeæ quidem licuit in hominem, etsi licuit in veruecem. 564 Translatus est Enoch & Helias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. 565 Ceterum morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant. 566 Obiit & Ioannes, quem in aduentum Domini remansurum frustra fuerat spes. Fere enim hæreses ad nostra exempla prosiliunt, inde sumentes præsidia quo pugnant: postremo compendium est, vbi sunt illi quos Menander ipse perfudit, quos in Stygem suam mersit? Apostoli perennes veniant, assistant; videat illos meus Thomas, audiat, contrectet, & credat. [567 Opus autē mortis in medio est, 568 discretio corporis animæque. sed quidam ad immortalitatem animæ, quam quidam non à Deo edocti infirme tuentur, ita argumentationes emendicant, vt velint credi etiam post mortem quasdam animas adhærere corporibus. 569 Ad hoc enim & Plato, etsi, quas vult animas, ad cœlum statim expedit, in Politia tamen cuiusdam insepulti cadauer opponit, longo tempore sine vlla labe, præ animæ scilicet indiuiduitate, seruatum. 570 Ad hoc & Democritus crementa vnguium, & comarum in sepulturis aliquanti temporis denotat. Porro & aeris qualitas corpori illi potuit tutela fuisse; quidsi aridior aer, & solum salsius? quid si & ipsius corporis substantia exsuccior? quid si & genus mortis ante iā corruptrices materias erogarat? Vngues autem cum exordio neruorum sint, merito neruis resolutione porrectis prouectiores, & quotidie deficiente carne expelli videntur. Comæ quoque alimenta de cerebro, quod aliquandiu durare præstat secreta munitio. Denique in viuentibus etiam pro cerebri vbertate, vel affluit capillago, vel deserit. Habes Medicos, si nec modicum quid animæ subsidere in corpore est, decessurum quandoque & ipsum, cum totam corporis scenam tempus aboleuerit. Et hoc enim in opinione quorundam est: 571 propterea nec ignibus funerandum aiunt, parcentes superfluo animæ. Alia est autem ratio pietatis istius, nō reliquiis animæ adulatrix, sed crudelitatis etiam corporis nomine auersatrix, quod & ipsum homo non vtiq; mereatur pœnali exitu impendi. 572 Ceterum anima indiuisibilis vt immortalis etiam mortem indiuisibilem exigit credi: non quasi immortali, sed quasi indiuisibili animæ indiuisibiliter accidētem. Diuidetur autē & mors si & anima, superfluo scilicet animæ quandoque moriturę: ita portio mortis cum animæ portione remanebit. Nec ignoro aliquod esse vestigium opinionis istius. De meo dedici. Scio fœminā quandam vernaculam Ecclesiæ, forma & ætate integra functam: post vnicum & breue matrimonium, cum in pace dormisset, 573 & morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur, ad primum habitū orationis manus à lateribus dimotas in habitum supplicem conformasse, rursumque condita pace, situi suo reddidisse. 574 Est & alia relatio apud nostros, in cœmiterio corpus corpori iuxta collocando spatium recessū communicasse. Si & apud ethnicos tale quid traditur, vtiq; Deus potestatis suæ signa proponit, suis insolatiū, extraneis in testimonium. Magis enim credam in testimonium ex Deo factum, quā ex vllis animæ reliquiis: quæ si inessent, alia quoq; membra mouissent, & si manus tantum, sed non in causam orationis: corpus etiam illud non modo fratri cessisset, verum & alias mutatione situs 575 sibimet ipsi refrigerasset. Certe vnde sunt ista, 576 signis potius & ostentis deputanda, naturā facere non possunt: mors si semel tota est, non est; si quid animæ remanserit, vita est: non magis vitæ miscebitur mors, quam diei nox. [577 Hoc igitur opus mortis, separationē carnis atque animæ, sepositā quæstione fatorū & fortuitorū, bifariā distinxit humanus adfectus, in ordinariam & extraordinariam formam. Ordinariam quidē naturæ deputans placidæ cuiusq; mortis: extraordinariam vero præter naturam iudicans, violenti cuiusq; finis. Qui autem primordia hominis nouimus, audenter determinamus mortē non ex natura secutā hominē, sed ex culpa, ne ipsa quidē naturali. Facile autem vsurpari naturæ nomen in ea quæ videntur à natiuitate ex accidentia adhæsisse. Nā si homo in mortem directo institutus fuisset, tunc demum mors naturæ asscriberetur. Porro non in mortē institutū eum probat ipsa lex, conditionali comminatione suspendens, 578 & arbitrio hominis addicens mortis euentum. Deniq; si non deliquisset, nequaquā obiisset. Ita nō erat natura quod ex oblationis potestate accidit per voluntatem, non ex instituti auctoritate per necessitatem. Proinde etsi varii exitus mortis, vt est multimoda conditio causarum, nullum ita dicimus lenem, vt non vi agatur. Ipsa illa ratio operatrix mortis, simplex licet, vis est, quod enim? quæ tantam animæ & carnis societatem, tantam à conceptu concretionem sororum substantiarū diuellit ac dirimit. 579 Nam etsi prægaudio quis spiritum exhalet, vt Chilon Spartanus, dum victorem Olympię filiū amplectitur, 580 etsi prægloria, vt Clidemus Athenienſis, dum ab histrionibus ob præstantiā auro coronatur; 581 etsi per somnium, vt Plato, 582 etsi per risum, vt P. Crassus: multo violētior mors, quæ per aliena grassatur, quæ animā per cōmoda expellit, quæ tunc mori adfert, cum iocundius viuere est in exultatione, in honore, in requie, in voluptate. Vis est & illa nauigiis, cum 583 longe à Caphareis saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulante flatu, labente cursu, lætāte comitatu, inteſtino repente perculsu, cum tota securitate desidunt: non secus naufragia sunt vitæ, etiā tranquillæ mortis euentus. nihilo refert integrā abire corporis nauē, an dissipatā, dū animæ nauigatio euertatur. [584 Sed quo deinde anima nuda & exposita deuerter, sine dubio prosequemur ex ordine: prius tamen quod est loci huius explebimus, ne quia varios exitus mortis ediximus, expectet quis à nobis rationes singulorū, 585 Medicis potius relinquendas propriis arbitris omnium lethaliū rerū siue causarū, & iparum corporaliū conditionum. Plane ad immortalitatem animæ hic quoque protegendam in mentione mortis aliquid de eiusmodi exitu interstruā, in quo paulatim ac minutatim anima dilabitur: habitum enim sustinens defectionis, abducitur dū absumi videtur, & coniectura præstat interitus de excessus temperatura. Tota autem in corpore & ex corpore est ratio. nā quisquis ille exitus mortis, sine dubio aut materiarum, aut regionum, aut viarum vitalium euersio est: materiarū, vt fellis, vt sanguinis: regionum, vt cordis, vt iecoris: viarū, vt venarum, vt arteriarum. Dum igitur hæc ex propria quaque iniuriæ causa vastantur in corpore, adusque vltimam euersionem, & recessionem vitalium, id est, naturalium finium, situum, officiorū, necessario & anima dilabentibus paulatim instrumentis, & domiciliis, & spatiis suis, paula

tim

B

C

D

E

F

G

H

Cap. LII.

Cap. LIII.

Cap. LIV.

Gen. 1. & 3.

Gen. 5. 4. Reg. 2. Apocal. 11. Ioan. 21.

A tim & ipsa migrare compulsa deducitur in diminutionis effigiem:586 non alio modo quam quo & aurigã ipsum quoq; defeciſſe præſumitur, cum vires equorũ defatigatio denegauit, quantum de diſpoſitione deſtituti hominis, non de paſſionis veritate. Perinde auriga corporis, ſpiritus animalis, deficiẽtis vectaculi nomine nõ ſuo deficit, opere decedens non vigore, actu languens non ſtatu, conſtantiam non ſubſtantiã decoquẽs, quia comparere ceſſat, non quia eſſe.587 Sic & rapida queq; mors, vt ceruicum meſſis ſemel tantam ianuã pandens, vt ruinæ vis ſemel omnia vitalia elidens, vt apoplexis interior ruina nullam animæ moram prẽſtat, nec diſceſſum eius in momenta diſcruciat. At vbi longa mors, prout deſeritur anima, ita & deſerit: nõ tamen concidit hac facie, ſed extrahitur; & dum extrahitur; poſtremitatem ſuam partem videri facit. Non omnis autem pars ſtatim & abſciſſa eſt, quia poſtera eſt: nec quia exigua eſt, ſtatim & ipſa peritura eſt. Sequitur ſeriem ſuus finis, & mediocritas trahitur ad ſumma, & reliquię vniuerſitati cohærentes expectãtur ab illa, nõ derelinquũtur. atq; ita auſum dicere totius vltimum totũ eſt: quia licet minus atque poſterius ſit, ipſius eſt.588 Hinc deniq; euenit, ſæpe animã in ipſo diuortio potius agitari, ſollicitiore obtutu, extraordinaria loquacitate, dum ex maiore ſuggeſtu, iã in libero conſtituta, per ſuperfluum quod adhuc cunctatur in corpore, enunciat, quæ videt, quæ audit, quæ incipit noſſe.589 Si enim corpus iſtud Platonica ſententia carcer, ceterum Apoſtolica Dei tẽplum cum in Chriſto: ſed interim animam conſepto ſuo obſtruit, & obſcurat, & concretione carnis infæcat. Vnde illi, velut per corneum ſpecular, obſoletior lux rerum eſt. Proculdubio cum vi mortis exprimitur de concretione carnis, & ipſa expreſſione colatur, certe de oppanſo corporis erumpit in apertum ad meram & puram & ſuam lucem, ſtatim ſemetipſam in expeditione ſubſtantiæ recognoſcit, & in diuinitatem ipſa libertate reſipiſcit, vt de ſomno emergens ab imaginibus ad veritates: tunc & enuntiat quæ videt, tunc exultat aut trepidat,590 prout paraturam deuerſorii ſui ſentit,591 de ipſius ſtatim angeli facie,592 euocatoris animarũ, Mercurii poetarum. [593 Quo igitur deducetur anima, iam hinc reddimus. 594 Omnes ferme Philoſophi, qui immortalitatẽ animæ, qualiter volunt, tantum vindicant, vt Pythagoras, vt Empedocles, vt Plato,595 quique aliquod illi tempus indulgent, ab exceſſu vſque in conflagrationem vniuerſitatis, vt Stoici, ſuas ſolas, id eſt, ſapientum animas, in ſupernis manſionibus collocãt.596 Plato quidem non temere Philoſophorum animabus hoc præſtat, ſed eorum qui Philoſophiam ſcilicet exornauerint amore puerorũ. Adeo etiã inter Philoſophos magnum habet priuilegium impuritas: itaque apud illum in ætherem ſublimantur animæ ſapientes:597 apud Arium, in aerem;598 apud Stoicos, ſub lunã. Quos quidem miror, quod imprudentes animas circa terram proſternant, cum illas à ſapientibus multo ſuperioribus erudiri adfirment. Vbi erit Scholæ regio in tanta diſtantia deuerſoriorum? qua ratione diſcipulæ ad magiſtras conuentabunt, tanto diſcrimine inuicem abſentes? quis autẽ illis poſtumæ eruditionis vſus ac fructus, iamiam conflagratione perituris? Reliquas animas ad inferos deiiciunt.599 Hos Plato velut gremium terræ deſcribit in Phædone, quo omnes labes mundialiũ ſordiũ confluendo, & ibidem deſidendo exhalent, & quaſi cœno immunditiarum ſuarũ craſſiorum hauſtũ & priuatum illic aerem ſtipent. [600 Nobis inferi, non nuda cauoſitas, nec ſubdiualis aliqua mundi ſentina creduntur:601 ſed in foſſa terræ & in alto vaſtitas, & in ipſis viſceribus eius abſtruſa profunditas.602 Siquidẽ Chriſtum in corde terræ triduum mortis legimus expunctũ, id eſt, in receſſu intimo, & interno, & in ipſa terra operto, & intra ipſam cauato, & inferioribus adhuc abyſſis ſuperſtructo. Quod ſi Chriſtus Deus, quia & homo, mortuus ſecundum ſcripturas, & ſepultus ſecundũ eaſdem, hic quoq; legi ſatisfecit,603 forma humanæ mortis apud inferos fructus,604 nec ante aſcendit in ſublimiora cœlorum, quam deſcendit in inferiora terrarũ, vt illic Patriarchas, & Prophetas cõpotes ſui faceret:605 habes, & regionem inferũm ſubterraneam credere, & illos cubitos pellere, qui ſatis ſuperbe nõ putent animas fideliũ inferis dignas: ſerui ſuper magiſtrum,606 aſpernati ſi forte in Abrahæ ſinu, expectandæ reſurrectionis ſolatium carpere.607 Sed in hoc, inquiũt, Chriſtus inferos adiit, ne nos adiremus. Ceterum quod diſcrimen ethnicorum & Chriſtianorum, ſi carcer mortuis idem?608 quomodo ergo anima exhalabit in cœlum, Chriſto illic adhuc ſedente ad dexteram patris,609 nondum Dei iuſſu per tubam archangeli audito, nondum illis quos Domini aduentus in ſeculo inuenerit obuiam ei raptis in aerem, cum his qui mortui in Chriſto primi reſurgent? Nulli patet cœlum, terra adhuc ſalua, ne dixerim clauſa. Cum tranſactione enim mundi reſerabuntur regna cœlorum. Sed in ęthere dormitio noſtra, cum pueris Platonis: aut in aere, cum Ario: aut circa lunam, cum Endymionibus Stoicorum.610 Immo, inquis, in paradiſo, quo iam tunc & Patriarchæ & Prophetæ appendices Dominicæ reſurrectionis, ab inferis migrauerint.611 Et, quomodo Ioanni in ſpiritu, paradiſi regio reuelata, quæ ſubiicitur, altari, nullas alias animas apud ſe præter martyrum oſtendit?612 Quomodo Perpetua fortiſſima martyr ſub die paſſionis in reuelatione paradiſi, ſolos illic commartyres ſuos vidit; niſi quia nullis romphæa paradiſi ianitrix cædit, niſi qui in Chriſto deceſſerint?613 Non in Adam noua mors pro Deo, & extraordinaria pro Chriſto, alio & priuato excipitur hoſpitio? Agnoſce itaque differentiam ethnici & fidelis in morte, ſi pro Deo occumbas vt Paracletus monet, non in mollibus febribus & in lectulis, ſed in martyriis: ſi crucem tuam tollas, & ſequaris Dominum, vt ipſe præcepit. Tota paradiſi clauis tuus ſanguis eſt. Habes etiam de paradiſo à nobis libellum, quo conſtituimus omnem animam apud inferos ſequeſtrari in diem Domini. [614 Occurrit diſceptatio, an hoc ab exceſſu ſtatim fiat, an quaſdam animas aliqua ratio detineat hic interim, an etiam receptas liceat poſtea ab inferis ex arbitrio vel ex imperio interuenire: nec harum enim opinionum ſuaſoriæ deſunt.615 Creditum eſt inſepultos non ante ad inferos redigi quã iuſta perceperint, ſecundum Homericum Patroclum, funus in ſomnis de Achille flagitantem, quod non alias adire portas inferum poſſet, arcentibus eum longe animabus ſepultorũ. Nouimus autẽ præter poetica iura, pietatis quoq; Homericę induſtriam. Tanto magis enim curam ſepulturæ collocauit, quanto etiã morã eius iniuriоſam animabus incuſauit; ſimul & ne quis defunctum domi detinens ipſe amplius cũ illo maceretur enormitate ſolatii dolore nutriti. Ita querelas animę inſepultę ad vtrũque confinxit, vt inſtantia funeris & honor corporum ſeruetur, & mœror adfectuum temperetur. Ceterum quã vanum vt anima corporis iuſta ſuſtineat, quaſi aliquid ex illis ad inferos auehat? Multo vanius ſi iniuria deputabitur animæ, ceſſatio ſepulturæ, quam pro gratia deberet amplecti. Vtique enim tardius ad inferos abſtrahi malet, quæ nec mori voluit. Amabit impium hæredem, per quem adhuc paſcitur luce: aut ſi qua pro certo iniuria eſt tardius ſub terram detrudi, titulus autem iniuriæ ceſſatio eſt ſepulturæ, perquam iniquum eam iniuria adfici, cui non imputabitur ceſſatio ſepulturæ, ad proximos ſcilicet pertinens.616 Aiunt & immatura morte præuentas eouſq; vagari617 iſthic,618 donec reliquatio compleatur ætatis, qua cum peruixiſſent, ſi non intempeſtiue obiiſſent. Porro aut conſtituta ſunt tempora vnicuique,619 & conſtituta præripi poſſe non credam. Aut ſi conſtituta ſunt quidem, Dei tamen voluntate vel aliqua poteſtate mutilantur: fruſtra mutilantur, ſi iam impleri ſuſtinent. Aut ſi non ſunt conſtituta, nulla erit reliquatio temporum non conſtitutorum. Adhuc addam: Ecce obiit (verbi gratia) infans ſub vberum fontibus, puta nunc puer inueſtis, puta veſticeps,620 qui tamen octoginta annos victurus fuiſſet: hos præreptos, vt anima eius hic poſt mortem tranſigat, quale eſt?

Ætа-

B C D E F G H

Cap. LIV. Cap. LV. Matth. 12. Ephes. 4. Matth. 12. Cap. LVI.

Ætatem enim non potest capere sine corpore, quia per corpora operantur ætates. 621 Nostri autem illud quoque recogitent, corpora eadem recepturas in resurrectione animas, in quibus decesserunt. Iidē ergo sperabuntur & corporum moduli, & eædem ætates quæ corporum modos faciunt. Quo ergo pacto potest infantis anima hic transigere præcepta tempora, vt octogenaria resurgat in corpore mensis vnius? Aut si hic necesse erit ea tempora impleri quæ fuerant destinata; num & ordinem vitæ, quem sortita sunt tempora, pariter cum illo hic destinatum, pariter hic anima decurret, vt & studeat 622 ab infantia pueritiæ delegata, & militet ab adolescentia iuuentæ excitata, & censeat à iuuenta senectæ ponderata, & fœnus exprimat, & agrum vrgeat, nauiget, litiget, nubat, laboret, ægritudines obeat: & quæcūq; illam cum temporibus manebant tristia ac læta? Sed hæc sine corpore quomodo transigentur? vita sine vita. Sed vacua erunt tempora solo decursu adimplenda. Quid ergo prohibet apud inferos ea impleri, vbi perinde nullus est vsus illorum? Ita dicimus omnem animam, quaqua ætate decesserit, in ea stare ad eum diē, vsque quo perfectum illud repromittitur ad angelicæ plenitudinis mensurā temperatū. 623 Proinde extorres inferum habebuntur, quas vi ereptas arbitrantur, præcipue per atrocitates suppliciorum, crucis dico, & securis, & gladii, & feræ. Nec isti poro exitus violenti, quos iustitia decernit violentiæ vindex. Et ideo, inquies, scelestæ quæque animę inferis exulant. Alterum ergo cōstituas compello, aut bonos inferos, aut malos. Si malos, placet: & iam præcipitari illuc animæ pessimæ debent. Si bonos: cur idē animas immaturas, & innuptas, pro cōditione ætatis puras, & innocuas interim, dignas inferis non iudicas? [624 Aut optimum est hic retineri, 625 secundum ahoros: aut pessimum, secundum biæothanatos, vt ipsis iam vocabulis vtar, quibus auctrix opinionum istarum 626 Magica sonat, 627 Hostanes, 628 & Typhon, 629 & Dardanus, & 630 Damigeron, 631 & Nectabis, 632 & Berenice. 633 publica iam litteratura est, quæ animas etiam iusta ætate sopitas, etiam proba morte disiunctas, etiam prompta humatione dispunctas, euocaturam se ab inferū incolatu pollicetur. Quid ergo dicemus Magiam? quod omnes pene, fallaciam. sed ratio fallaciæ solos non fugit Christianos, qui spiritalia nequitię, non quidem socia conscientia, sed inimica scientia nouimus, nec inuitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus multiformem luem mentis humanæ, totius erroris artificem, salutis pariter animæque vastatorem. Sic etiam Magiæ, secundæ scilicet Idololatriæ, in qua se dæmones perinde mortuos fingūt, quemadmodū in illa deos? quidni? cū & dii mortui. Itaq; inuocātur quidē ahori & biæothanati sub illo fidei argumento, quod credibile videatur eas potissimum animas ad vim & iniuriā facere, quas per vim & iniuriā sæuus & immaturus finis extorsit, quasi ad vicē offensæ: sed dæmones operantur sub obtentu earū. & hi vel maxime, qui in ipsis tunc fuerunt cum aduiuerent, quique illas in huiusmodi impegerant exitus. 634 Nam & suggessimus nullū pene hominem carere dæmonio: & pluribus notum est dæmoniorum quoque opera & immaturas & atroces effici mortes, quas incursibus deputant. Hanc quoque fallaciam spiritus nequā sub personis defunctorum delitescentis, nisi fallor, etiā rebus probamus, 635 quum in exorcismis interdum aliquem se ex parentibus hominem sui affirmat, interdum gladiatorem vel bestiarium, sicut & alibi Deum, nihil magis curans, quam hoc ipsum excludere quod prædicamus, ne facile credamus animas vniuersas ad inferos redigi, vt & iudicii & resurrectionis fidem turbent. Et tamen ille dæmon postquam circumstantes circumuenire tentauit, instantia diuinæ gratiæ victus, id quod in vero est inuitus confitetur. Sic & in illa alia specie Magiæ, quæ iam quiescentes animas euellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non alia fallaciæ vis est: operatior plane, quia & phantasma præstatur, quia & corpus adfingitur: nec magnum illi exteriores oculos circumscribere, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacile est. 636 Corpora deniq; videbantur Pharaoni & Ægyptiis Magicarum virgarum dracones: sed Moseī veritas mendacium deuorauit. Multa vtiq; & aduersus Apostolos 637 Simon dedit, & Elimas Magi: sed plaga cæcitatis de prestigiis non fuit. quod noui, æmulatio veritatis à spiritu immundo? Ecce hodie eiusdē Simonis hæreticos tanta præsumptio artis extollit, vt etiam prophetarum animas ab inferis mouere se spondeant. Et credo, quia mendacio possunt: 638 nec enim Pythonico tunc spiritui minus licuit animam Samuelis effingere, post Deum mortuos consulente Saule. Absit alioquin vt animam cuiuslibet sancti, nedum Prophetę, à dæmonio credamus extractam; edocti quod ipse Satanas transfiguretur in angelum lucis, nedum in hominem lucis, etiam Deum se adseueraturus, signaque portentosiora æditurus, ad euertendos, si fieri possit, electos. Dubitauit si forte tunc Prophetam se Dei asseuerare, & vtique Sauli, in quo iam ipse morabatur: ne putes alium fuisse qui phantasma administrabat, alium qui cōmendabat, sed eundem spiritum & in pseudoprophetide, & in apostata facile mentiri, quod fecerat credi, per quem Saulis thesaurus illic erat, vbi & cor ipsius, vbi scilicet Deus non erat. Et ideo per quem visurum se credidit, vidit: quia per quem vidit, & credidit. Si & de nocturnis imaginibus opponitur, sæpe non frustrari mortuos viuos: nam & 639 Nasammonas propria oracula apud parentum sepulchra mansitando captare, vt Heraclides scribit, 640 vel Nymphodorus, vel Herodotus: 641 & Celtas apud virorum fortium busta eadē de causa abnoctare, 642 vt Nicander adfirmat: non magis mortuos vere patimur in somnis quam viuos, sed eadem ratione mortuos qua & viuos. At somnia quæ videntur, vera sunt. Non enim quia videntur, vera sunt, sed quia adimplentur. Fides somniorum de effectu, non de conspectu renuntiatur. 643 Nulli autem animę omnino inferos patere, satis Dominus in argumento illo pauperis requiescentis & diuitis ingemiscentis ex persona Abrahæ sanxit, non posse relegari renuntiatorem dispositionis infernæ: quod vel tunc licere potuisset, vt Moysi & Prophetis crederetur. Sed etsi quasdam reuocauit in corpora Dei virtus, in documenta iuris sui, non idcirco communicabitur fidei, & audaciæ Magorum, & fallaciæ somniorum, & licentiæ poetarum. Atquin in resurrectionis exemplis, cum Dei virtus, siue per Prophetas, siue per Christum, siue per Apostolos in corpora animas repræsentat, solida & contrectabili, & satiata veritate, præiudicatum est hanc esse formam veritatis, vt omnem mortuorum exhibitionem incorporalem præstigias iudices. [644 Omnes ergo animæ penes inferos, inquis. Velis ac nolis & supplicia iam illic & refrigeria, habes pauperem & diuitem: & quia distuli nescio quid ad hanc partem, iam opportune in clausulam reddam. 645 Cur enim non putes animam & puniri & foueri in inferis interim sub expectatione vtriusque iudicii in quadam vsurpatione & candida eius? quia saluum debet esse, inquis, in iudicio diuino negotium suum sine vlla prælibatione sententiæ: tum quia & carnis operienda est restitutio, vt consortis operarum atque mercedum, Quid ergo fiet in tempore isto? dormiemus? At enim animæ nec in viuentibus dormiunt: corporum enim est somnus, quorū & ipsa mors cum speculo suo somno. aut nihil vis agi illic, quo vniuersa humanitas trahitur, quo spes omnis sequestratur. Delibari putas iudicium, an incipi? præcipitari, an præministrari? Iam vero quam iniquissimum etiam apud inferos, si & nocentibus adhuc illic bene est, & innocentibus nondum. Quid amplius vis esse post mortem, confusa spe & incerta expectatione ludentem, an vitæ recensum iam & ordinationem iudicii inhorrentem? semper autem expectat anima corpus, vt doleat aut gaudeat? nonne & de suo sufficit sibi ad vtrumque titulū passionis, 646 quotiens illæso corpore anima sola torquetur bile, ira, tędio plerumque nec sibi noto, quotiens item corpore adflicto furtiuū sibi anima gaudiū exquirit, & à corporis impor-

A B C D E F G H

Exod 7. Act. 13. *1. Reg. 28.* *2. Cor. 11. 2. Thes. 2. Matth 24. 1. Reg. 28.* *Matth. 5.* Cap. LVII. Ca. LVIII.

tuna tunc societate secedit? Mentior si non de ipsis cruciatibus corporis & gloriari & gaudere sola consueuit. 647 Respice ad Mutii animam, cum dexteram suam ignibus soluit. Respice ad Zenonis, cum illam Dionysii tormenta prætereunt. Morsus ferarum ornamenta sunt iuuentutis, 648 vt in Cyro vrsi cicatrices. Adeo nouit & apud inferos Anima & dolere & gaudere sine carne, quia & in carne illæsa si velit dolet, & læsa si velit gaudet. Hoc si ex arbitrio suo in vita, quanto magis ex iudicio Dei post mortem? 560 Sed nec omnia opera cũ carnis ministerio Anima partitur: nam & solos cogitatus & nudas voluntates censura diuina persequitur: *Qui viderit ad concupiscendum, iam adulterauit in corde.* Ergo propter hoc congruentissimum est, animã, licet non exspectata carne, puniri, quod non sociata carne commisit. Sic & ob cogitatus pios & beneuolos, in quib. carne nõ eguit, sine carne recreabitur, Quid nunc, si & in carnalib. prior est, quæ concipit, quæ disponit, quæ mãdat, quæ impellit? Et si quando inuita, prior tamẽ tractat, quod per corpus actura est: numquam deniq; conscientia posterior erit facto: ita huic quoque ordini competit etiam priorem pensare mercedes, cui priori debeantur. 651 In summa, quum carcerem illum, quod Euangelium demonstrat, inferos intelligimus, & nouissimum quadrãtem, modicum quoque delictum mora resurrectionis illic luendum interpretamur, nemo dubitabit animã aliquid pensare penes inferos salua resurrectionis plenitudine, per carnem quoque. 652 Hoc etiam Paracletus frequentissime commendauit, si quis sermones eius ex agnitione promissorum charismatum admiserit. Ad omnem, vt arbitror, humanam super anima opinionem ex doctrina fidei congressi, iustæ dumtaxat ac necessariæ curiositatis satisfaciemus, enormi autem & otiosæ tantum deerit discere, quantum libuerit inquirere.

Matth. 5.

Matth. 5.

ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM DE ANIMA.

1. De Anima.] Animæ *definitionem habes infra c. 22. & vnde dicatur, cap. 25. Multa etiam hoc libro latius tractantur, quæ supra adtigit Tom. 1. libr de Testimon. Animæ, aduers. Idola.* De Anima *vero iam ante Tertullianum etiam scripsit* (Hieronymo teste Catal. Script. Eccles.) B. Iustinus Martyr; *aliquid etiam de eadem re tractant B. Irenæus, Clemens denique Alexandrinus locis infra citatis, quos imitatus est Tertullianus. Post eum plures de eadem scripserunt, & imprimis eum imitatur non vno in loco Lactantius, peculiariter vero lib. de Opificio Dei, ca. 15. 16 & 17. 18. & 19 & li. 7. diuin. Institut. à ca. 8. vsque ad 23. Scripsit etiam complures huius argumenti libros B. Augustin. Contra Paganos quidem, De immortalitate Animæ, Contra Manichæos, de quantitate Animæ, de duabus Animabus, & li. 83. qu. Vtrum Anima à seipsa sit, quæst. 1. Qua proprie in animante Anima dicitur, qu. 7. Vtrum per se Anima moueatur, qu. 8 Quemadmodum virtutes Animæ à Cicerone diuisæ ac definitæ sint, quæst. 31. Aduersus Pelagianos, de Anima & eius origine, li. 4. & Epistolam ad Optatum 55. Denique Epistol. 28. ad B Hieronym. Eodem pertinent Epistol. B. Hieronym. ad eundem, ac Epistol. ad Marcellinum & Anapsychiam, de origine Animæ. & ab aliquo eorum successore, fortassis Orosio, sub vtriusque persona & ditus Dialogus de origine Animæ, qui exstat Tom. 4. operum B. Hieronymi. Qui omnes ad imitelle ctum huius libri faciunt, vti etiam quæ contra Metempsychosin scribit idem B. Augustin. li. 12. de Trinitate, cap. 15. & quæ de Anima incorporea, contra ipsum Tertullianum, li. 10. de Gen. ad litter. Verisimiliorem autem, quæ etiam hodie in scholis maxime obtinet, de Animæ sententiam, sic explicat Auctor, quisquis est, libri Ecclesiasticorum dogmatum, qui reperitur Tom. 4. operum B. Augustin. Credimus (inquit) Animas hominum non esse ab initio inter ceteras intellectuales naturas simul creatas (sicut Origenes fingit) neque cum corporibus per coitum seminari) sicut Luciferiani, & Cyrillus, & aliqui Latinorum præsumptores, inter quos etiam hic Tertullianus, adfirmant) sed dicimus, creationem Animæ solum Creatorem omnium nosse, & corpus tantum per coniugij copulam seminari, ac formato iam corpore Animam creari & infundi. Quibus addit Auctor libri de Spiritu & Anima, inter Opera Augustin. Tom. 3. (iuxta quosdam Hugo de S. Victore) cap. 48. Nec duas esse Animas in vno corpore, sicut multi scribunt, vnam animalem, alteram spiritualem, sed vnam eandemque habentem in se libertatem arbitrii. Ceterum, vti manifestum fiat contra quos Liber ab Auctore conscriptus sit, Titulo addidimus;* Adversvs philosophos et hæreticos.

CAP. I.

2. De solo censv Animae congressvs Hermogeni, &c.] *Caput hoc primum inscripsimus;* Quod de immortalitate Animæ non à Socrate, sed à Deo discendum sit. *Atqui de Libro Auctoris de* censu Animæ *aduersus* Hermogenem, *in quo tradit Animæ censum, id est, originem (sicuti vocem* census. *intelligendam supra docuimus li. de Præscript. aduers. hæres. c 32. n. 148.) ex statu Dei, infra latius Tom. sequent. vbi de eius libri Fragmentis & argumento. Hoc hic sufficiat, quod eiusdem rursum fiat mentio infra c. 3. 21. 22. & 24. Qua adeo citatione etiam confirmatur liber hic esse Tertulliani germanus, vti etiam ex stylo & vocibus Tertulliano peculiaribus, qualis hic:* census.

3. suggestu] *Etiam hæc vox Tertullianica, pro: ornatu, sicuti indicat illud supra Tom. 2. li de Vel. virg. ca. 12.* vno habitu negantes, quod toto suggestu profitentur. *Item illud li. de Idol. ca. 18.* de solo suggestu & apparatu honoris. *Vti. ur autem eadem voce infra non semel. Omisimus autem: &, superflutum, ante illud;* plurimum videbor.

4. Etiam in carcere Socratis de Animæ statu velitatum est.] *Adludit proculdubio ad Platonis Thædonem, seu de Anima Dialogum, in quo latissime prosequitur:* velitationem de Animæ statu factam in carcere Socratis. *quam tamen ipsam, excepto eo quod de* immortalitate Animæ *disputatur, plerisque locis huius libri impugnat.*

5. iam sacris nauigio regresso.] *Huius præterquam quod idem Plato meminit in Critone, vbi interrogat* Socrates; *Numquid nauis ex Delo iam rediit, qua reducta mihi moriendum? cur* sacrum nauigium *dicatur, explicat latius in Phædone: Pridie (inquit) quam iudicaretur, ornari contigit puppim nauis eius, quam mittunt Athenienses in Delum. Id vero quidnam sibi vult? Hæc est illa nauis, vt aiunt Athenienses, in qua Theseus olim bis septem illos secum tulit in Cretam, seruauitque illos, & ipse seruatus est Vouerat autem (vt fertur) Apollini, si seruaretur, quotannis in Delum spectaculum quoddam mittere Quod quidem nunc etiam, ac semper ex illo tempore, singulis ad Delum (sic enim lego, pro: Deum) mittunt annis. Quum igitur spectaculi principium agitur, ex lege interim lustrant vrbem, neminemq; eo tempore publice necant, donec Delum perueniat nauis, rursusque ex Delo reuertatur. Athenas. Id vero non nunquam longo peragitur tempore, quando eas occupant venti. Idem itaque vult hic Auctor, quod paulo post ibidem dicitur; Pridie namque eius diei vespere nauem ex Delo audiimus rediisse.*

6. iam cicutis damnationis exhaustis.] *Istud per præoccupationem dicitur ab Auctore: neque enim nisi post dictam velitationem de statu Animæ, cicutas exhaustisse legitur ibidem Socrates. Legimus autem cum Latinio:* ad aliquem motum, *pro;* modum, *eo quod sequatur mox:* vel in hoc tamen mota, ne moueretur.

7. quam nec coniugis fletus statim viduæ, &c.] *Istud ibidem etiam recitatur: Xantippe (inquit) iuxta sedens, puerumque in manibus tenens, quum nos vidisset, eiulare cœpit, & qualia solent mulieres, exclamare: O Socrates, num quam amplius te adfabuntur tui familiares, neque tu illos. At Socrates Critonem intuitus: O Crito (inquit) deducat quis hanc domum.*

8. Denique post sententiam, &c.] *Istud Socratis Apopthegma quidam male repetunt, scribentes ipsum hæc verba protulisse, damnatum vt ex superiori aliquo loco præcipitaretur: quin potius damnatus fuit, sicuti prius indicatum est n. 6. vt cicutam biberet.*

9. lemniscatas Anyti & Meliti palmas gestiens infringere.] *Ita ex Latinio, pro:* inuiscatas. *Similiter enim* lemniscatam palmam (*adludens ad triumphi auream coronam* lemniscatam, *de qua supra Tom 2. lib. de Coron. milit. c. 12. n. 157. 158. ac 159.*) *dixit Cicero Orat. pro Roscio. Nam vere dici poterat* palma lemniscata, *id est, præcipuo quodam splendore illustris* palma, *quæ contra tam rarum virtutis exemplum à viris improbis relata est. Erant enim tales eius accusatores* Anytus & Melitus, *sicut ex Apologia Socratis & Critone apud Platonem patet, quare & postea, vti dixit supra Auctor Apolog. c. 14. ab Athenien sibus adflicti sunt.*

10. ipsa morte coram, immortalitatem vindicat Animæ.] *Sic etiam ex eodem Latinio, pro:* vindicans. *Atqui* immortalitatem Animæ *non hic modo ex Socrate, sed etiam infra non semel adserit Auctor hoc libro, ex sententia quidem Philosophorum iterum c. 3. 51. ac 54. ex sua vero c. 22. 24. 51. ac 53. & li. de Resurr. carn. non vno in loco, in eo imitatus B. Iustinum Martyr. li. aduers. Tryphonem, & Apologetic. ad Antonin. Pium, Clementem Alexandrin. lib 4. Stromat. & Iren. lib. 4. cap. 64. vbi ostendit quomodo Animæ, quum sint generabiles, immortales tamen sint in futurum. Ipsum vero Auctorem Lactant. li. 7. diuin. Institut. cap. 8. 9. 10. & eiusdem argumenti librum scripsit B. August. & Chrysostomus duos. Atque siue legas illud:* immortalem animam, *non fert.* Æquanimitatem *vero iterum pro tolerantia accipit, sicuti supra Tom. 2. lib. de Patientia, cap. 2. num. 6.*

11. cui enim veritas comperta sine Deo, &c.] *Istud paulo mitius repetit de Platone, seu potius Socrate apud Platonem, Lactantius vbi supra. Nam licet verum de* immortalitate Animæ *sentiret, tamen non ita de illa tamquam de summo differebat, Nos igitur certioribus signis elicere possumus veritatem, qui eam non ancipiti suspicione collegimus, sed diuina traditione cognouimus.*

12. Siqui-

12. Siquidem aiunt dæmonium illi à puero adhæsisse, &c.] *Præterquam quod istud etiam supra dixerit Auctor Apolog. cap. 22. & 46. iterum id repetit his verbis infra cap. 39.* Sic igitur & Socratem, puerum adhuc, spiritus dæmonicus inuenit. *Certe ipse id Socrates testatur his verbis Apologiæ suæ apud Platonem: Diuinum scilicet quiddam (inquit) atque* dmæonicum *in voce quadam mihi adesse audiuistis. Quod quidem Melitus in accusatione derisit*, sed mihi quidem ab ipsa pueritia hoc adest, *vox scilicet quædam, quæ, quoties fit, me prohibet agere quod acturus eram, prouocat vero numquam. Plura hac de re vide ad dict. 22. cap. Apolog. n. 340. & ad B. Cyprian. lib. Quod Idola non sint Dij. num. 52.*

13. etsi post Deos & cum Deis dæmonia deputantur.] *Hoc ipsum sic expressit in Apolog. Socrates: Omnino autem, vt confiterus, Dæmonia ego adsero.* Dæmones *autem numquid aut* Deos existimamus, aut Deorum filios? *Atqui legimus cum Latinio:* antiqui erroris artificem, *pro:* antiqui hominis erroris, *eo quod infra cap. 57. vocet:* totius erroris artificem.

14. Quod si idcirco sapientissimus Socrates secundum Pythii quoque dæmonis suffragium, &c.] *Similiter supra c. 46. Apolog. Auctor.* Socratem Apollo sapientissimum omnium cecinit. O Apollinem inconsideratum, sapientiæ testimonium reddidit ei viro, qui negabat Deos esse. *Certe Socrates ipse de se id recenset sapedicta Apolog. Respondit (inquit)* Pythia sapientiorem esse neminem; *at aliam causam ipse innuit eius appellationis: Quia (inquit) qui nescio, neque scire me arbitror quod expressit clarius Lactant. lib. 3. diuin. Instit. c. 25. quod se nihil scire dixit, nisi hoc vnum quod nihil sciret.*

15. cuius adflatui tota vis dæmonum cædit.] *De Christianæ constantia his viribus in dæmonas, supra latius Tom. 1. Apolog. c. 23. n. 370. & hoc Tomo lib. de Baptism. n. 1. vbi de Exorcismis agitur.*

16. quæ nullum Æsculapio gallinaceum reddi iubens præuaricetur.] *Etiam hoc ex Platone, qui in Phædone sub finem scribit, Socrati vocem extremam fuisse: O Crito,* Aesculapio gallum *debemus, quem* reddite, *neque negligatis. Cui addit iocans Tertull. supra Apologet. c. 46.* Credo ob honorem patris eius, *nempe Apollinis.*

17. nec noua inferens dæmonia, &c.] *Vna pars erat hæc accusationis Socratis (vel ipso teste in Apolog.) quod Deos quos ciuitas putat, ipse non æstimans, alia quædam noua adjereret dæmonia. Quod etiam confessum esse. paulo ante patet n. 12. Verum alio id refert Auctor Apologet. c. 14. quum dicit:* qui in contumeliam Deorum quercum & hircum & canem deierabat, *ad quem locum n. 211. similes Patrum locos adduximus. quam sane iuramenti formulam factam:* per canem, *frequentissime reperire est apud Platonem, vbicumque fere Socratis persona introducitur.*

18. nec adulescentiam vitians, sed omni bono pudoris informans.] *Etiam hic ad ipsius Socratis in Apologet. verba hæc adludit: Me (inquit) corruptorem iuuentutis accusasti, ergo age iam dic qui meliores efficit, & qui nam sit ostende, vbi plus satis significat, corruptelam adolescentiæ non aliam obiectam, quam quod eos doceret noua quædam dæmonia. Quo magis admiror, quod Auctor supra dict. cap. 46. Apologet.* Ceterum, *inquit,* si de pudicitia pronuncemus, lego partem sententiæ Atticæ in Socratem corruptorem adolescentium pronuntiatam, *idq; eo magis, quum & cap. 14. & paulo ante dixisset:* condemnatum Socratem, quia Deos destruebat. *Interim non solum Auctorem in ea fuisse sententia, patet ex Comment. Marsilij Ficini in Platonis conuiuium, siue de Amore, cap. 2. disertis verbis de Socrate contrarium probantis.*

19. inter suos Cebetas & suos Phædonas.] *Ita loquitur Auctor, quod in colloquio illo de immortalitate Animæ, cum Socrate* Phædo & Cebes *præcipuas fere partes agerent, quid? quod etiam inter Philosophos præcipuos enumerantur à Diogene Laertio lib. 2.* Phædon *Helienſis*, & Cebes *Thebanus, Socratis discipuli. Cuius postremi* Pinacis *siue Tabulæ (vtpote Dialogi ita inscripti) prater Laertium meminit etiam Auctor supra lib. de Præscript. aduers. hæret. cap. 39. nu. 233. Atqui lego prorsus:* dirigat, *pro:* diriget, *quia præcedit:* absorbeat & *sequitur mox:* discat.

CAP. II.

20. Plane non negabimus aliquando Philosophos, &c.] *Capiti huic titulum dedimus:* Quod etsi quædam recte iuxta nostra senserint Philosophi, aut natura, aut ex nostris litteris; ea tamen suis argumentationibus contrariis fidei regulæ vestiant *Pertinent autem ad Phrasin Tertullianicam:* inuentus, *pro:* inuentio, aliqui portus, *pro:* aliquis; *item:* cæca fœlicitate, *pro:* compos naturæ.

21. nihil diuinæ licentiæ seruat.] Licentiam, *pro licentia potestatis, hic accipi recte adnotauit Latinius; adlegans similes locos Arnobij lib. 1. sed maioris* licentia *potestatis; & lib. 2. neque vlli hominum tantum potestatis adtribui* licentiæque *censemus; item post aliquot paginas: Vt enim Dij certe certas habent apud vos tutelas* licentias, *potestates: subindicans etiam apud B. Cyprianum alicubi sic vsurpari,*

22. ex sacris quas putant litteris.] *Rationem reddit, cur ita dicerentur,* quia plerosque Auctores etiam Deos existimauit antiquitas. Sacrum *enim dicebatur antiquitus, quicquid Dijs deputabatur.*

23. vt Mercurium Ægyptium.] *Citat hunc etiam infra cap. 33. & supra lib. Aduers. Valent. cap. 15.* Quod nec, *inquit,* Mercurius ille Trismegistus magister omnium Physicorum recogitauit. *De eodem B. Cyprian. li. Quod Idola non sit Dij.* Hermes *quoq;* Trismegistus *vnum Deum loquitur; vbi & B. Augustinum citauimus num.*

55. *Vide item de eo Feu-ardentium ad B. Iren. lib. 1. cap. 3. numero 4.* Propius ad institutum huius loci facit, *quod habet Lactant. lib. 1. cap. 6. Apud Ciceronem (nempe lib. 3. de natura Deor.) C. Cotta Pontifex, &c. quintum* Mercurium *ait fuisse, à quo Argus occisus sit; ob eamque causam in Ægyptum profugisse, atque Ægyptiis leges & litteras tradidisse. Hunc Ægyptij Thoth nuncupant, à quo apud eos primus anni sui mensis, id est, September, nomen accepit; etiam & Sayta seruant & colunt eum religiosissime. Qui tametsi homo fuerit antiquissimus tamen institutissimus omni genere doctrinæ: adeo vt ei ob multarum rerum & artium scientiam,* Trismegisto *cognomen imponerent.*

24. cui præcipue Plato adsueuit.] *Similiter B. Augustin. libr. de Ciuitat. Dei, à Trismegisto partim ea didicisse Platonem scribit, quæ de Deo recte sensit. De eodem sit Clemens Alexandrin. lib. 1. Stromatum: Plato in Phædro, Regem Ægyptium & Thayt (seu potius Theut) nobis ostendit sapientiorem, quem quidem nouit esse Mercurium. Reperiuntur certe etiamnum quadam in Phædro Platonis de Theut, sicuti & in Philebo, vbi sic legitur; Siue Deus aliquis, siue diuinus homo, qualis apud Ægyptios Theut fuisse fertur.*

25. vt Silenum Phrygem, cui à pastoribus perducto ingentes aures suas Midas tradidit.] *Posterioris huius intellectum habes supra lib. de Pallio, cap. 2.* vt Silenus penes aures Midæ blatit: *sic quodammodo fabulam de Midæ auribus explicans; quod ob hebetudinem ingenii* Midæ aures ingentes *adfixerint,* quas *adeo* Sileno tradidisse *dicitur, dum ab illo à pastoribus ad se perducto de variis rebus instituus fertur. Quod ipsum repetit supra Auctor lib. aduersus Hermogenem ca. 25. Atqui pro Deo habitum à Phrygibus, testantur Poeta, qui Patrem* Silenum *vocant; immo ab illo* Silenos *nuncupant Veteres prouectioris ætatis Satyros. Quandoquidem autem* Silenum *inter Auctores librorum Auctor numeret; at fortasis illius liber est qui citatur à Laertio histor. lib. 1. & lib. 2. Aetnæ à Stephano. Citat etiam glossas* Sileni *Athenæus.*

26. vt Hermotimum, &c.] *Sic omnino legendum, pro eo quod erat:* Hermippum, *recte adnotauit Paulus Leopardus Emendat. l. 8. cap. 3. nam iisdem pene verbis infra c. 44. legitur:* Ciues Clazomenii Hermotimum templo consolantur. *vbi de eo latius.*

27. vt Orpheum, vt Musæum.] *De vtroque B. Iustinus Martyr Apologetic. 1. siue Orat. adu. Gentiles:* Orpheus, *sanè, inquit, multitudinis Deorum primus auctor, qualia posterius ad filium suum* Musæum, *ac reliquos germanos verosque auditores, de vno eodemque solo Deo prædicauerit. necessarium est vobis exponere.*

Solis canto pijs, omnes procul este profani.

Tu Musæe audi, Lunæ sate stirpe silentis.

Quos ipsos versus iterum repetit Apolog. 2. ad Antoninum Pium, & Clemens quoque Alexandrin. adhort. aduers. Gentes. Eodem etiam adludunt Theophilus lib. 3. ad Autolycum, & Cyrill. lib. 1. contra Iulian. Propterea fortasis postea in Orgijs Liberi sacris, quæ ipse antea instituerat, dilaceratus & discerpus fertur, quemadmodum scribit Lactant. l. 1. cap. 22. addens fuisse eum per eadem tempora quibus Faunus. quare etiam Anaxagoras, Apologia pro Christ. coætaneum scribit fuisse Diis, quos primitus celebrabat: cui etiam consentit Lactant. eiusdem lib. cap. 5. Qui autem eum, aut Musæum, inter Deos numeret, hactenus non repperi; fortassis id ei accidit postquam discerptus est. Citat eiusdem quosdam versus etiam Arnobius, vbi vocatur Calliopes filius, quantum apparet, quod Poetarum primus, vti Iustinus adserit. Aliquot etiam eius carmina apud Proclum leguntur, & Clement. Alexandr. lib. 6. Strom. & eius tituli versus quidam infra cap. 15. Porro Orphei *Hymni, Argonautica, & de lapidibus libellus, Græce iam olim exstant, quos ipsos libros citat Suidas. sed quod ille alium faciat Auctorem Hymnorum alium Argonauticon. non probo, nam illum vna cum Argonautis profectum tradit Lactant. vbi supra. Illis autem etiam est additum* Musæi *carmen de amore Erus & Leandri, quamquam interim Lyl. Giraldus & Suidas tres* Musæos *faciant.*

28. Pherecydem Pythagoræ magistrum.] *Deo eodem item Auctor infra cap. 28. vbi de arte diuinandi eius agit. Eundem etiam citauit supra lib. de Cor. milit. cap. 7. quo loco de eius Theogonia aliquid diximus. Diogenes vero Laertius lib. de rerum principio illi adscribit, Suidas præterea Theocrasian. De eodem sic Lact. lib. 7 cap. 8.* Præceptor Pythagoræ Pherecydes, *quem Cicero tradit primum de æternitate Animarum disputauisse. Habet, id ille Tuscul. quæst. lib. 1. vbi & addit: Antiquus sane: fuit enim regnante meo gentili. vbi Seruium Tullium intelligit. Verum neque de hoc quisquam præterea scribit, quod pro Deo sit habitus.*

29. & ipso iam æuo pronatæ propheticæ paraturæ.] *Eo quod addat* ipso æuo *videtur adludere ad sui Paracleti Montani Prophetiam, de qua infra, c. 4.* auctoritate Prophetiæ quoque. *& c. 9.* postquoque Ioannem Prophetiam meruimus & consequi. *Sunt autem rursus phrases Tertullianicæ,* paratura, *de qua mox latius, &* subornant, *cuius explicatio supra li. de Præscript. adu. hær. c. 7. n. 38.* commiserit nos & Philosophos, *de qua Tom. 2. lib. ad Martyr. num* 11. regulæ nostræ, *de qua rursum lib. de Præscrip. aduers. hær. cap. 13. num. 8.*

30. exceptis plane, quæ sine laqueo, &c.] *His verbis explicat, quomodo non in totum reijcienda Philosophia, sed vti subiungit:* ex æmulis nonnumquam fit testimonium necessarium. *Est vero referendum in Prologemena inter Prouerbiales formulas illud:* quanta sit sylua materiæ istius.

31. Sed & Medicinam inspexi sororem Philosophiæ, &c.] *Hinc infra non semel ex Medicis Auctoribus de Anima tractat: vti-*

pote quum, vti subiungit, ad Medicinam magis Animæ ratio pertinere videatur.

32. Heraclitus ille tenebrosus.] *Haud absimiliter B. Hieronymus initio lib. 1. adu. Iouinian. Heraclitum σκοτεινὸν vocat, quem studantes Philosophi vix intelligunt. Ipse enim, Laertio teste, de industria librum suum de Natura obscurius scripsit, vt soli i illum eruditi legerent: vnde & Craten quendam, quum illum librum Græcus inuehere, dixisse: Delio aliquo natatore opus esse, qui in illo non suffocaretur. Cur autem* Heraclito mœror *adscribatur, dicemus cap. sequ. num. 49. & de morte eius vide supra lib. ad Mart. num. 49.*

33. terminos Animæ nequaquam inuenisse omnem viam ingrediendo.] *Istud Heracliti pronuntiatum sic clarius explicat Laertius: Dicitur & id de Anima sensisse natura:* num quam illam reperiri posse, quantalibet quis viæ conficiat spatia, *adeo profundam eius esse rationem. Effinxisse interim illum Animam ex igne, infra dicetur cap. 5. non aliter atque Deum quoque ignem asseruisse supra diximus lib. de Præscript. adu. hæret. cap. 7. num. 44. Quod etiam* vnitatem Animæ tueatur, quæ in totum corpus diffusa sit, *vide infra ca. 14. num. 176.*

34. Infinitas enim quæstiones Apostolus prohibet.] *Quod sæpius alibi adnotaui, vel hinc patet: Metaphrasticῶς sæpe ab Auctore scripturas citari. Nusquam enim expresse* Apostolus prohibet quæstiones infinitas, *sed 1. Tim. 1. fabulas indeterminatas, quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem. Fortassis autem quum alibi legit:* indeterminatas, *legi hic debet:* indefinitas, *verum nihil immutare volui.*

CAP. III.

35. Atque vtinam nullas hæreses, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* Quod à Philosophis de Anima dissentientibus etiam hæretici suas hæreses de Anima mutuarint. *Seu potius*: Totius libri huius argumentum. *Atqui quod* Philosophi hæreticorum Patriarchæ, *habes etiam supra libr. adu. Hermogenem, capit. 8. de quo latius libr. de Præscript. adu. hæret. cap. 7. in Adnotat. nostris numero 36. Hic hanc esse causam indicat, cur aduersus Philosophos etiam scribat.*

36. Siquidem & ab Apostolo, &c. *Nullam hic certam scripturam citat, sed adludit ad illud Coloss. 2.* Ne quis vos deprædetur seu concutiat per Philosophiam. *Siue autem legas:* præuideatur *cum Harrisio, siue:* prouideatur, *vti hactenus, perinde est.*

37. caupones, &c. miscentes aquam vino, &c. *Locum hunc imitatur B. Hieron. initio lib. adu. Vigilant. his verbis: Iste* caupo *Calagurritanus* miscet aquam vino. *Adludit vero vterque ad illud Isai. 1.* Vinum tuum mixtum est aqua. *Quod quum etiam B. Hieron. in Comment. de hæreticis interpretetur, varia quæ sequuntur sententia, ad hæreticos magis pertinent quam Philosophos; quibus adeo, velut aliud agens, Argumentum totius huius libri prosequitur.*

38. alii immortalem negant Animam.] *De hac opinione habes supra Tom. 1. Apolog. cap. 47.* alii dissolubilem contendunt, *& lib. de Testim. Animæ, c. 1.* seu minime diuina & æterna res est, vt scholæ Epicuri *(sic enim lego, pro:* soli Epicuro) videtur. *Item cap. 4.* Opinio Christiana, etsi Epicurea gratior, quia te ab interitu defendit. *Adtribuit autem istud Auctor non solum Philosophis, sed etiam Sadducæis ex Iudaismo hæreticis, infra lib. de Resurr. carn. cap. 1.* Nihil, *inquit,* esse post mortem, Epicuri schola est. Ait & Seneca: omnia post mortem finiri, etiam ipsam. Si vero & apud Deum aliqua secta est, Epicureis magis adfinis quam Propheris. sciemus quid audiant à Christo Sadducæi. *Ad quos etiam adluditur supra lib. de Præscript. adu. hæret cap. 7. quemadmodum ibi latius num. 41. A qua hæresi non abhorruisse etiam Valentinianos, indicat Auctor his verbis, cap. 32.* & Anima mortalis apud illos, nisi quæ salutem fide inuenerit. *Eandem aut adhuc viuo Tertull. aut saltem paulopost renouarunt, quos Euseb. li. 6. hist. Eccles. cap 26. & B. August. hær. 83. Arabicos vocat, qui ex Origenis disputatione resipuerint. Contra hos autem agit Auctor tum hoc cap. tum infra cap. 51. & sequentibus, & propterea c. 22. definit* Animam immortalem.

39. alii plusquam immortalem adfirmant.] *Hic hauddubie eos notat hæreticos, qui Animam ex substantia Dei adserebant, immo Dei partem dicebant, in hoc* Zenonem: *secuti (si Epiphanio creditur har. 5.) & reliquos Stoicos, qui vnam Deitatem in multas partiebantur substantias, solem, lunam, Animam, sydera, & alia. Quo pertinet etiam illud supra Tom. 1. lib. de Testim. Animæ, cap. 1.* seu diuina & æterna res est secundum plures Philosophos, *& illud Apolog. cap. 47.* de animæ statu, quam adii diuinam & æternam. *Contra quam hæresin, quum Manichæorum esset, frequentissime disputat B. Augusti. etiam Priscillianistis eam adscribens, quomodo etiam prædictis omnibus B. Hier. epist. ad Marcell. & Anapsychiam. Sunt & qui Carpocrati adscribunt, verum de eo latius infra cap. 24. Gnosticis certe, quorum ipse caput, plerique omnes adscribunt. Contra hos agit c. proximo, dum docet, & ca. 22. definit,* non innatam esse, sed natam Animam ex flatu Dei.

40. alii de substantia.] *Eos intelligit, qui* disceptant de substantia Animæ, an *(vti etiam est dicto 1. ca. lib. de Testim. Animæ)* numeris seu atomis concinnetur, *an vero iuxta alios:* ex igni, aqua, aere, sanguine, lumine, aut quinta quadam substantia, *denique:* corporalis, an incorporalis. *Nam de omnibus his agit cap. 5. 6. 7. & 8. & in definitione Animæ, cap. 22. addit, quamquam non recte:* corporalem.

41. alii de forma.] *Hic eos qui de* effigie Animæ disceptant, & longitudine, non latitudine eius, sublimitate, & colore, *de quibus tractatur infra c. 9. & in definitione Animæ, cap. 22. cum etiam perperam addit:* effigiatam.

42. alii de vnaquaque dispositione Animæ disceptant.] *Hi erant tum qui dicerent:* Animam & Spiritum vnum esse, *contra quos cap. 10. & 11* aut non separari animum & animam, *vt cap. 12. & 13. tum qui* in plures Animam partes, non solum vires ac potentias distinguebant, *de quibus cap. 14. aut qui* Hegemonicon in Anima negabant, *contra quos cap. 15.* aut in plura quam rationale & irrationale Animam partiebantur, *de quibus cap 16. Item qui* quinque sensibus fidem abrogabant, & proinde Animæ solum intellectum, non etiam sensum adtribuebant, aut intellectum non semper Animæ inesse *dicebant. de quibus capit. 17. 18. 19. denique etiam eos qui aut* pro varietate ingeniorum, non vero liberi arbitrii, *contra quos cap. 20. aut* pro materia diuersa, animali, materiali, & spirituali, sicuti Valentiniani, non vniformem, sed multiformem Animam *audebant adserere. Aduersum quos omnes auctor definit cap. 22.* Animam substantia simplicem, de suo patientem, varie procedentem, liberam arbitrii, accidentis obnoxiam, per ingenia mutabilem, rationalem.

43. hi statum eius aliunde ducunt.] *Huc pertinet illud dict. lib. De Testim. Animæ, cap. 1.* seu de cœlo exciperis, seu de terra conciperis, seu cum corpore incœperis, seu post corpus induceris. *Intelligit itaque eos, contra quos agit infra c. 23. & 24.* Saturninum, Carpocratem, Apellem, ac Valentinianos hæreticos, quorum, *inquit,* omnium Plato condimentarium, qui de cœlis Animam deferebant, *item eos, de quibus cap. 25. ac 26.* qui effuso iam partu secundum Stoicos Animam extrinsecus imprimi dicebant, *de quare sententiam suam exprimens, quamquam minus verisimilem, definit Animam cap. 22.* ex vna redundantem, *sicuti latius explicat cap. 27.*

44. hi exitum aliorsum abducunt.] *Eos denique hic subindicat,* qui cum Platone ex mortuis viuos fieri dicebant, *contra quos c. 28. 29. 30. atque adeo* Metempsychosin Pythagoricam introducebant, aut Metensomatosin Empedoclis, *aduersum quos apertius c. 31. 32. 33. De qua postrema, supra quoque lib. de Testim. Animæ, ca. 4.* Opinio Christiana honestior multo Pythagorica, quæ te non in bestias transformat. *Ad has enim absurditates quamproxime etiam accessisse hæreticos* Simonem Magum *ac* Carpocratem, *indicat auctor c. 34. ac 35. Suam vero sententiam concludens, postquam quædam alia aliquot, capitibus ad Animam pertinentia interseruit ca. 51. ac sequ. ad finem vsque late tractat, q paucis dixerat, iam loco citato Animam adloquens:* Adfirmamus te manere post vitæ dispunctionem, & exspectare diem iudicii, proque meritis aut cruciatui destinari, aut refrigerio vtique sempiterno.

45. prout aut Platonis honor.] *Ad hunc potissimum penultimus error pertinet de* Anima è cœlis deducta. *Cur autem* honor *ei adscribatur, non aliam rationem scio, quam quod diuinus à plerisque appelletur, ob diuinitatis cognitionem. De cuius variis opinionibus infra frequentissime tum hoc libro, tum libris aduers. Marcionem. Cuius etiam sententiam de mundo videre est supra Tom. 1. lib. de Pallio, cap. 2 num. 19 & de Deo, in Apolog. cap. 46. nu. 577. vti etiam quod angelos non negauerit, Apolog. cap. 22. num. 343. Item de eius fastu, atque adeo superbis Platonis thoris, lib. de Pall. cap. 4. nu. 83. & Apolog. c. 46. n. 582. Ibidem etiam quod à Dionysio sit venditus, num. 586 Denique de nouis insulis à Platone celebratis, quas nunc Americas dicimus, l. de Pallio, c. 2. n. 25. & Apolog. cap. 40. num. 528.*

46. aut Zenonis vigor.] *Ex huius, atque adeo Stoicorum schola desumpta erat eorum sententia, qui* plus quam immortalem Animam *dicebant. Cui* vigor *adtribui videtur ob ingenij subtilitatem, nisi quis malit,* rigor, *legi debere, nam præ ceteris Stoici rigidiores. Atqui de his cap. 5. latius.*

47. aut Aristotelis tenor.] *Ex hoc hausisse videntur qui de* vnaquaque dispositione Animæ disceptasse *iam dicti sunt. Cui* tenor *competit ob æquabilitatem in scribendo, quam vbique eandem seruat. Atqui huius dogmata varia infra non semel etiam explicantur.*

48. aut Epicuri stupor.] *Ab hoc mutuati sunt suum errorem, vti iam dictum est, qui* immortalem Animam negant. *Et proinde recte* stupor *eidem adscribitur, ob eius sententiæ, aliarumque eius opinionum summam stupiditatem: vsque adeo vt etiam* Deum hebetem *faceret, vti supra adnotatum est l. aduers. Valentin. ca. 7. num. 61. Cuius varias etiam alias opiniones infra reperire est. Aliquid etiam de illo adtigimus Tom 1. cap. 45. num. 569. Apologetici.*

49. aut Heracliti mœror.] Heraclito *lacryma perpetua omnibus notæ sunt, atque adeo &* mœror. *Atqui ab hoc puto, mutuatos suam sententiam, qui de* substantia Animæ disceptant, *quippe qui sibi non constet, modo docens* Animam ex igne, *vti infra cap. 5. modo ex* aere, *secundum auctorem cap. 9. denique nihil certi definiens, vti supra cap. 2. num. 33.*

50. aut furor Empedoclis.] *De furore Empedoclis, quo se in Ætnam, vti Deus haberetur, præcipitauit. supra Tom 1. lib. de Pallio, cap. 4. nu. 83. Apolog. cap. 50. num. 621. & Tom. 2. lib. ad Martyr. cap. 4. num. 50. quo adludit etiam infra auctor cap. 32. his verbis:* Empedocles quia se Deum deliratat. *Vbi habes eius errorem de Animarum in bestias μετεμψυχωσει, quem hic postremo loco paulo ante commemorauit, & alias etiam pluribus locis varias reperire est eius sententias.*

51. diuina doctrina ex Iudæa, &c.] *Adludit ad illud Isai. 2.* Ex Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.

52. Errauit & Christus piscatores, &c. ad præconium emittens.]

Hic

A

Hic vero ad illud: Venite, faciam vos fieri piscatores hominum, *Matth.4.*

CAP. IV.

53. Post definitionem census, quæstionem status patitur, &c.] *Caput hoc antea secundum in ædit. excusis (quod nunc distinximus in* IV. V. VI. VII. *&* VIII. *ad maiorem distinctionem) intitulabatur hoc vnico titulo*: DE SVBSTANTIA ANIMAE, & an corporalis, *pro quo in textu omisso (nam sufficit hic mentionem fieri) singulis capitibus nouos titulos: huic vero hunc damus*: Quod innata non sit Anima: *idque eo magis, quod Gagnæus haberet similem*: De innata Anima. *Quam suam adsertionem pluribus non probat auctor, quod ex* Dei flatu Animam professi *(de quo librum peculiarem scriptum ab eo supra diximus num.2.)* initium ei deputamus.

54. Hoc Plato excludit, &c.] Initium, *nempe* Animæ. *Ipse enim in Phædro, de immortalitate Animæ disputans, quemadmodum à Cicerone translatus est Tuscul. quæst. lib.1. & de Rep. lib.6. sic inquit: Si vna est ex omnibus Anima quæ seipsam moueat, (atque adeo principium motus sibi ipsi sit) neque nata certe est, & æterna est. Neque enim esset id principium, quod oriretur aliunde.*

55. Et natam autem docemus, & factam, &c.] *Non alio argumento quam fidei nostræ depellit* hanc Philosophi opinionem *Auctor, quippe quæ ex verbis scripturæ pauloante citatis, & aliis infra adductis cap.*11. Animam factam *pronunciet. Ne forte autem aliquis Platonicus replicet:* factam *quidem dici, non* natam: *docet (vti paulopost loquitur)* & facturam pro nasci poni. *Ita enim prorsus lego, pro eo quod erat:* pro inesse. *Id enim conuincunt verba sequentia*: siquidem omne quod quoquo modo accipit esse, generatur.

B

56. habent aliquando & passiuitatis commercia.] Passiuitas *hic paulo aliter accipitur quam supra l. aduers. Hermog. ca.*41. *vtpote pro: communione, & si dicat, Differentiæ aliquando suis locis & temporibus ita inter se communicant, vt nihil inter se differant: eadem significatione, qua passiuum ceteris, infra dixit sub finem lib. de Car. Christi, vbi de eo latius.*

57. Sic & Plato vtitur.] *Videtur adludere ad illud Platonis in Sophista, siue de Ente: Quoties quod antea non erat, in esse quis deinde produxit; quod agit*, facere; *quod agitur, fieri dicimus. Summatim itaque effectricem facultatem denominemus.*

CAP. V.

58. Accerserit Eubulum aliquem, &c.] *Titulum huic capiti damus*: Quod plures Philosophi corpus Animæ vindicarint: *Atqui* Eubuli *nulla in Philosophorum Catalogo mentio apud Diogenem Laertium; memorat interim quendam* Eubulum, *cuius seruus fuerit Hermias ille, postmodum tyrannus, ab Aristotele interfectus. Sed magis ad institutum est, quod sub finem libri 9 scribit: Pyrrhonis Heliensis Philosophi discipulum fuisse inter reliquos Euphranorem Seleucium, quem* Eubulus *Alexandrinus audiuerit, cuius auditor Ptolemæus. Eum vero Sarpedo & Heraclides audiuere, porro Heraclidem Ænesidemus.*

C

59. & Critolaum.] Critolai *meminit Cicero Tuscul. quæst. lib.*5. *quem vnum fuisse adnotauit ibi Beroaldus ex tribus Philosophis, vna legatione ab Atheniensibus Romam missis, etiam addens Peripateticum illum fuisse. Fit etiam hic paulopost mentio* Critolai Peripatetici. *Quum autem ibi de illis loquatur qui* animæ corpus vindicabant, *hic vero de* iis qui animæ corpulentiam auferunt, *ego de duobus diuersis loqui Auctorem existimo. Quod vel hinc fit verisimile, quod quendam* Critolaum *scribat Marsil. Ficinus (ni fallor, Theolog. sua de immort. Animæ) sensisse Animam esse instar puncti incorpoream; alter vero ille* Critolaus *Peripateticus, Tertull. teste, illam effingit* ex quinta nescio qua *substantia: de quo ibi latius.*

60. & Xenocratem.] Xenocrati *Chalcedonio Platonis discipulo adscribunt Aristoteles lib.*1. *de Anim. cap.*2. *&* 4. *& Plutarch. l. de Procreat. quod Animam numerum dixerit, figuram & corpus esse negans; quorum prius impugnat, posterius adprobat Aristoteles. Cicero vero Academ. quæstion lib* 4. *apertius de illo sic scribit: An vt* Xenocrates *nullo corpore. Sed de eo plura infra num.*189. *Et vero argumentum eius adfert Nemesius, seu potius B. Gregor. Nyssen. li. Philos.* 2. *qui est de Anima, cap* 1. *Id enim opus Nysseno adscribendum, vel inde patet, quod ex eo ad verbum multa desumpserint B. Basilius in Hexamero, Helias Cretensis & Damascenus, & nominatim etiam illi adtribuant iam olim B. Thomas Aquinas in Summa Theologica, & Albertus Magn. libris de mirabili scientia Dei & de homine; maxime quum non modo Tritbemius, sed & nos multis in locis volumen hoc de imagine & conditione hominis inscriptum Nysseno repererimus.*

D

61. & isto in loco amicum Platonis.] *Quum in multis aliis dissentiant Plato & Aristoteles, certe consentiunt de Anima incorporea. De locis Aristotelis mox dicetur. Platonis vero, præter alios complures manifestiores videntur in Timæo, lib* 10. *de l. Epinomide sub med. & Axiocho, alias de morte, siue ipsius sit, siue vt alij volunt, prædicti Xenocratis, cuius verba compendij gratia omittimus, quum partim eius, partim* Platonicorum *aliorum argumenta recenseantur sequ & 8. cap. quibus probat, non modo immortalem & incorruptibilem, sed etiam incorporalem; vt etiam repetit denuo cap.*24. *& idipsum adtribuunt Platoni omnes. Nominatim Claudianus li.*2. *de statu Animæ contra Faustum, cap.*8. *vbi Platonem dicit id adserere in Phædro, Hipparcho, Lachete, Protagora, Symposio, Alcibiade, Gorgia, Critone, & Timæo.*

E

62. Aristotelem fortasse.] *Loci* Aristotelis *sunt lib.*1. *de Anima, cap.*3. *&* 4. *sed apertissime c.*5. *Nam quum Anima (inquit) sit in omnibus quæ sentiunt, necesse est in eodem duo esse corpora, si Anima quoddam corpus; quod argumentum Chrysippi nomine etiam auctor commemorat sequent. cap. Quod ipsum repetit* Aristoteles *lib.*2. *ca.*1. *&* 2. *Cur autem addat* fortasse, *in caussa est, quod (iuxta quod Cicero etiam commemorat Tuscul. quæst. l.*1. *& B. Gregor. Nyssen. vbi supra)* Animam, quintam *quandam naturam, quam Entelechiam vocabat, faceret; de quo latius partim paulopost num.*72. *partim infra c.*32. *ad illud:* & Entelechias Aristotelis.

63. An exstruentur magis ad auferendam Animæ corpulentiam?] *Præter iam numeratos*, qui corpulentiam Animæ auferunt, *enumerantur ab Aristotele, Cicerone, Plutarcho, & B. Gregor. Nyssen. vbi supra*, Thales, *qui Animam irrequietam seu semper mobilem dixit, Pythagoras, qui numerum; Dicæarchus, qui harmoniam; & Asclepiades, qui sensuum exercitamentum. His addendus Heraclides Ponticus, qui iuxta quod auctor etiam agnoscit cap.*9 lumen Animam *dixit. Alij item, qui iuxta Iustinum Martyr. Apologet.*1. *& Lactant de Opific. Dei, cap.*17. *Animam ventum dixerunt; de quibus infra cap.*11.

64. qui eam de manifestis corporalibus effingunt.] *Præter eos qui hic recitantur, etiam habes infra, cap.*9. Ænesidemum, Anaximenem, & secundum quosdam Heraclitum: iuxta quos sit aer substantia Animæ. *Quibus addunt Macrob. & Aristoteles l.*1. *de Anima, cap.*2. *etiam Diogenem, & Plutarchus Anaxagoreos. Item Aristoteles, Plutarchus & Nemesius Democritum; & Cicer. Tuscul. quæst. l.*1. *Zenonem cum aliis Stoicis, qui ignem Animam dixerunt. Apud Plutarchum idem sensisse etiam dicitur Parmenides, qui ex terra & igne; Xenophanes, qui ex terra & aqua; denique Empedocles, qui ex quatuor elementis eam effingit, qui etiam plerique recensentur à Macrobio in Somnium Scipion. l.*1. *ca.*4. *Qui interim, contra quam auctor hic noster, concludit. Obtinuit tamen de Anima incorporea sententia.*

F

65. vt Hipparchus.] Hipparcho ex igne Animam *adtribuit etiam Macrob. vbi supra, & Beroaldus in Cicer. Tuscul. quæst Dissentit nonnihil Plinius lib.*2. *nat. hist. capit.*26. Hipparchus *(inquit) numquam satis laudatus, vt quo nemo magis adprobauerit cognationem cum homine syderum, animasque nostras partem esse cœli dixit.*

66. & Heraclitus ex igni.] *Eidem, vti modo dictum est, infra cap.*9. *ex aere Animam adtribuit secundum quosdam. Auctor hic videtur secutus regulam illam Aristotelis vbi supra: Alij (inquit) vt de principiis senserunt, ita & de Anima sentiunt; quum itaque principium omnium & Deum ipsum (vti etiam Auctor supra Apolog. cap.* 47. *adseruit, & infra li.*1. *aduers. Marc.)* ignem *dixerit, etiam idipsum de Anima illi adtribuit. Videtur accedere quamproxime Macrobius, iuxta quem Animam scintillam stellaris essentiæ dixit. Quid? quod etiam aliorum sententia in idipsum recidet, si euaporationem, quam alii illi adtribuunt, calidam & siccam intellexerimus. Vide rursum de* Heraclito *aliquid infra num.*119. *&* 189.

G

67. vt Hippon] Hipponi ex aqua Animam, *adscribunt etiam Aristoteles, Macrobius, B. Gregorius Nyssen. & Beroaldus vbi supra.*

68. & Thales ex aqua] *Iterum hic regulam illam Aristotelicam secutus est Auctor, quod omnium rerum principium & Deum*, aquam *diceret* Thales, *vti etiam est infra aduers. Marc. l.*1. *Alii plane contrariam sententiam de Anima incorporea (vti supra dictum est n* 63.) *illi adtribuunt, & nominatim Aristoteles Hipponis importuniorem dicit esse* Thaletis *opinione. Conciliari possunt interim aliquo modo hi Auctores, quod quo argumento Hippon colligit Animam esse aquam, eodem* Thales aquam *omnium rerum principium, apud Aristot. lib.*1. *Metaphys. cap.*3.

69. Empedocles.] *De* Empedocle, *quod* ex sanguine Animam *dixerit, solus consentit nominatim Macrobius: Aristoteles vero ex quatuor elementis eius impugnat sententiam. Verum etiam illorum non discrepat sententia, qui, vti infra legitur c.*15. *versum illi adscribunt de* sanguine circumcordiali, *vbi de hac opinione latius.*

70. & Critias ex sanguine.] *Idipsum adserunt Aristoteles, Plautarchus, Macrobius, Gregorius Nyssen. siue Nemesius, & Beroaldus.*

71. Epicurus ex atomis.] *In hoc consentiunt scriptores omnes; hausisse autem suam sententiam à Democrito & Leucippo, patet ex Aristotele & Cicerone. Adscribit idipsum Lucretio B. August. lib. de Vtilit. credend. cap.*1.

H

72. Critolaus & Parepatetici eius, ex quinta nescio qua substantia, &c.] *Solus de* Critolao *consentit Macrobius*: Critolaus, *inquit*, Peripateticus ex quinta quadam essentia: *quandoquidem interim Aristoteles, Cicerone teste, quintam quandam naturam Animam dixerit, cuius discipuli* Peripatetici *recte iisdem adscribitur. Quia tamen etiamnum disputatur (vti supra nu.*61. *& infra latius cap* 32. *num.*396.) *an* Entelechia Aristotelis, *atque adeo etiam* Critolai, *corporea fuerit, recte addit auctor*; si & illa corpus, quia corpora includit.

73. Sed etiam Stoicos adlego, qui spiritum prædicantes animam pene nobiscum, &c. tamen corpus Animam, &c.] *Haud absimiliter Gregorius Nyssen. vbi supra: Omnis* Stoicorum *turba corpus Animam enuntiant, Spiritum calidum & igneum esse dicentes; quorum posterius hoc etiam alii plerique illis adtribuunt. Facit pro eadem sententia quod auctor supra Apolog. cap.*47. *dicat:*

Stoicos Deum corporalem adfirmasset, *atque adeo etiam Animam.*

74. Denique Zeno consitum spiritum definiens Animam, &c.] *A Laertio insitus siue ingenitus spiritus, adtribuitur* Zenoni; *ab aliis apertius spiritus corpori concretus. Vide plura de isto* Zenone *Cittico nempe Apolog. cap. 21. num. 311. & lib. de Pallio, cap. 5. num. 99. de* Zenone *Eleate, Apol. cap. 50. num. 625. Meminit etiam Apolog. cap. 47. nu* 583. Zenonis, *qui tyrannidem adfectarit apud Prienenses. sed ad vtrum referatur, incertum est. Ad Citticum vero etiam pertinet, quod habet auctor supra l. de Præscript. adu. haret. ca. 7. n. 43. & infra lib. adu. Marcion. 1. vbi* Zenoni *adtribuit, quod Deum aerem & atherem dixerit.*

75. Vult & Cleanthes.] *Similiter infra auctor. cap.* 25. Vnde oro te, similitudine Animæ quoque parentibus de ingeniis respondemus, secundum Cleanthis testimonium. *Verum refutatur istud, quia ex particularibus vniuersalia non probantur à Gregor. Nysseno lib. 2. de Philosoph. cap. 2. iisdem pene auctoris verbis. Ex quo adeo supplendum est, quod subintelligens omisit Tertullianus: Corporis autem est similitudo & dissimilitudo, non incorporei; corpus igitur est Anima. Eodem vero etiam argumento vsus fuit Panætius* Cleanthis *consectaneus; verum refellit Marsilius Ficinus Theol. Platon. lib. 10. cap. 8. Atqui de* Cleanthe *supra aliquid diximus Tom. 1. Apolog. c. 21 num.* 312. *cuius etiam meminit Lactantius li. 1. c. 5. & l. 3. c. 18. & Clemens Alexand. l. 6. Strom. Zenonis discipulum facit; prout etiam Laertius, apud quem plura de eo inueniet Lector.*

76. Item corporalium & incorporalium, &c.] *Hoc quoque argumentum* Cleanthi *adtribuit, & refellit, vbi supra, Gregor. Nyss. dicens: In adsumpto alteram partem falsitatem in se continere, qua corpori nullum incorporeum compati dicit.*

77. Sed & Chrysippus manum ei porrigit, &c.] *Etiam istud* Chrysippi *argumentum adducit, & confutat ibidem Gregor. Nyssen. Alterum eiusdem argumentum sub finem c. sequ. citat auctor, de quo ibi: & quiddam etiam ex eodem cap.* 13. *Fit eiusdem mentio tamquam insignis Philosophi, cap.* 31. *De altera* Chrysippi *sententia, qua dæmonia illudebat, vide Adnot. nostras Tomo 1. lib. de Testim. Animæ, ca* 3. *num.* 11. *De eodem scribit ex Cicerone Lactantius lib. 7. cap. 23. quod fulcierit porticum Stoicorum. Dialecticum interim potius, quam Philosophum fuisse, indicat Clemens Alexandr. Strom li. 7. quod confirmat Laertius, qui Zenonis & Cleanthis discipulum faciens, libros Logicos eius enumerat* 310. *alibi interim citans Physicorum, seu Naturalium quæstionum libros Porro de* Chrysippo *medico vide infra nu.* 203.

68. Vnde & Lucretius, &c.] *Versus est* Lucretii *lib* 1. *de rerum natura (vti etiam ante me adnotauit Latinius) pag.* 10. *linea* 24. *quem rursum citat auctor infra lib.* 4. *aduersus* Marc. *Huic B. Augustl. lib. de Vtilit. credend cap.* 1. *adtribuit, quod ex atomis, sicut Epicurus, Animam constare dixerit. Nec mirum Epicuri enim sunt omnia (inquit Lactant. li. de Opific. Dei, cap.* 6.) *quæ delirat* Lucretius; *qui etiam latissime contra* Lucretii *de Anima corporea sententiam disputat lib 7. diuinar. Instit. ca.* 12. *Legimus autem omnino:* quæ nisi corporalis corpus non derelinqueret, *pro:* derelinquet.

CAP. VI.

79. Hæc Platonici subtilitate, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* De argumentis Platonicorum, quibus incorporalem Animam probant, *quæ in alteram partem propensior auctor, soluere nititur: sed frustra, quum pleraque ex illis omnino concludere, etiam ante nos adnotauerit Gregor. Nyss. vbi supra cap.* 1.

80. Omne, inquiunt, corpus, &c.] *Argumentum hoc Ammonio Plotini ac Numenii præceptori adscribit Nyss. nec dissentit Plotinus Ennead. 4. lib. 7 cap. 2. quamquam paulo alius verbis. Eodem fere pertinet quod ex Platone in Phædro ad hanc sententiam citat Claudianus l. 2. de Statu Animæ, cap.* 87. *contra Faustum: Anima semper à seipsa mouetur, corpus autem per se non mouetur; ergo Anima non est corpus.*

81. Ostendimus autem supra moueri Animam, &c.] *Nescio ad quem locum adludat, nisi ad id quod obscurius dixit c.* 1. ad aliquem motum secundum naturam, aut externum, si non secundum naturam; *aperte alioqui non recitauit, quod* Anima vaticinatur aut furit *Lego autem etiam hic:* sing llario motu, *quemadmodum supra lib. adu. Valent. cap.* 18. *num.* 225.

82. Corporalium, aiunt, rerum qualitates, vt terræ, &c.] *Prorsus sic legendum, pro:* vt terra, *& mox:* per corporales renuntiari sensus, *pro:* census, *quod erat in edit. Lugdunensi; quia præcedit,* corporalibus sensibus renuntiari. *Hoc autem etiam elegantissime habetur apud Plotinum li. 7. Ennead. 4. ca. 8. vnde desumpsisse videtur Tertullianus. Possit etiam idem argumentum colligi ex Aristot. lib. 1. de Anima, c. 5 Atqui de prouerbiali formula:* Gradum definitionis excludere, *vide nostra Prolegomena; sicuti etium de illa, quæ paulo post subiungitur:* Sed nec hic gradus stabit.

83. De insignioribus argumentationibus, &c.] *Habet etiam hanc argumentationem Gregor. Nyssen. pro Anima incorporea, ex Ammonio. Haud absimiliter Marsilius Ficinus Theol. Platon. lib. 8. ca. 2. Animam pasci incorporea & æterna veritate, & proinde incorpoream esse. Quod ipsum iam olim ex Gregorio Nazianzeno citauit Claudian. lib. 2. de Stat. Animæ, c. 9.*

84. Sorano Methodicæ medicinæ instructissimo auctore.] *Sorani item meminit Auctor infra c. 8. & 14. 15. 25. ac 44. Hic autem addit, quod* plenissime super Anima commentatus sit quatuor voluminibus. *Meminit eiusdem B. Cypr. epist. 76. ad Magnum, Ephesium vero medicum fuisse scribit Suidas, qui Romæ claruerit Traiani & Adriani temporibus: qui etiam recenset alterum* Soranum *medicum iuniorem.*

85. Sed nemo vmquam cunctanti de exitu Animæ, &c.] *Idem est ac si dicat quod nemo* Sorano *dubitarit de immortalitate Animæ, argumentis ex* Platone *aut* Aristotele *sumptis, id illi persuadere nisus sit; quamquam interim de sententia* Aristotelis *ipse Auctor, sicut & alij plerique, varie sentiant, vti latius sub initium lib. de Resurr. carnis, num* 23 *De ipsis prouerbialibus formulis:* aquam mulsam infundere, & micas infarcire, *latius in Prolegomenis aut legimus cum Latinio:* de minutiloquio Aristotelis inserit, *pro:* interfit. *Rectius etiam Gelenius:* de minutiloquio Aristotelis, *quam Gagnæus* multiloquio, *quia opponit illud* eloquio, *id est: eloquentiæ* Platonis.

86. rupicum & barbarorum, quibus alimenta sapientiæ desunt.] *Sequentibus verbis, quid* rupicum *nomine intelligat, Auctor explicat; sicuti etiam supra Tom. 1. lib. de Pallio, c. 4. Chironem appellat:* rupicem & syluicolam, *ac Apolog. c.* 21. rupices, & adhuc feros homines. *Haud dubie inde dictos, quod in rupibus habitarent.*

87. quia nec opimiorem animam efficiunt, &c.] *Marsilius Ficinus l. 8. Philos. Platon. c. 2. istud retorquet contra eos, qui dicebant Animam ali cibis corporalibus, quia alioqui, inquit, sicuti corpus, ita & Anima* opimior *redderetur.*

88. & artes Stoici corporales adfirmant.] *Quærat curiosus Lector Auctores, qui istud Stoicis adscribunt.*

89. Sic Thales in puteum, &c.] *De* Thalete *supra vide Adnotat. nostras Apolog. c. 46. nume* 576. *& huius li. c. præced. nu.* 68. *Verumtamen tum de hoc prouerbio, tum de illo:* Chrysippus ad ellleborum, *latius in Prolegomenis.*

90. quum duo in vnum corpora negauit.] *Eodem argumento vtitur Aristoteles, vt Animam incorpoream probet lib.* 1. *de Anima cap.* 25. *aduersus Empedoclem, qui eam ex elementis componebat, & similiter Plotinus loco citato. Legimus autem cum Gagnæo (secundum quod etiam Latinius admonuit)* sed & bina & terna, *pro eo quod irrepserat mendosissime* terrena, *item* perferunt, *pro:* præferunt.

91. Inuenitur etiam in Iure ciuili Græca quædam quinionem enixa filiorum.] *Sicuti hic:* quinionem filiorum, *sic infra cap.* 46 quinionem voluminum *dixit Auctor. Atqui de hoc sic legitur (vti me admonuerunt Franciscus Balduinus & Latinius) Tit. Si pars hared. petatur, Digest l. 5. lege 3. Tradidere non leues Auctores, quinquies quaternos enixam Peloponnensem. Ad quem quidem locum adlusisse Auctor non videtur, quum nondum in ius ciuile relatum esset illud Pauli Iure consulti Auctori cuidam responsum, non tamen propterea omitti debet, vti ille censuit, illud* in iure ciuili. *Nam præterquam quod notum est ex Caio Iureconsulto D. l. 1. Tit. 2. leg. 1. ius ciuile iam multis seculis ante Tertullianum eam nuncupationem sortitam fuisse, (vnde Ius ciuile Papyrianum & Ælianum, etiam ante leges xii. Tabularum, & illud quod Q. Mucio tribuitur, qui primus illud in libros* 18. *digessit) etiam responsa prudentum Ius ciuile nuncupabantur, & vero illud Iulii Pauli responsum modo citatum, desumptum constat exli* 17. *ad Plautium, siue ex Plautio, qui Tertullianum haud dubie præcesserit, vtpote sub Adriano Imperatore. Neque vero nouum esse Auctori, Ius ciuile citare, patet supra Tom. 2. lib. 2. ad Vxorem, num.* 51. 52. *& 62. libro de velandis virginibus, cap.* 11. *n.* 100. *& hoc ipso libro infra c.* 38. *n.* 442. *Porro ibi:* vniuersa conditio testabitur: *accipitur more Tertullianico* conditio, *pro creatura. Ceterum ex hoc Tertull. loco putarim castigandam dictam legem, vt legatur: quinos quater, pro quinquies quaternos, & similiter apud Plin. lib. 7. cap. 3. pro eo, quod vulgo legitur: binos quater.*

CAP. VII.

92. Quantum ad Philosophos, satis hæc, &c.] *Titulum huic capiti damus:* Quod etiam apud Christianos Anima corporalis esse videatur. *Verum etiam hoc caput ad paradoxa Tertulliani pertinet, de quibus inter Prolegomena.*

93. Dolet apud inferos Anima cuiusdam, &c.] *Hunc locum citat Auctor infra lib. de Resurr. carnis: cap.* 7. Nos autem, *inquit,* animam corporalem & hic profitemur, & in suo volumine probamus, habentem proprium genus substantiæ, soliditatis, per quam quid & sentire & pati possit. Nam & nunc animas torqueri, fouerique penes in feros, licet adhuc exsules carnis, probauit Lazari exemplum. *Idipsum vero repetit infra cap.* 9. Sic & diuiti, *inquit,* apud inferos lingua est, & pauperi digitus, & sinus Abrahæ. *Verum ex hac scriptura Luc. 16. de Lazaro, non concludi Animam esse corpoream, late deducit B. August. lib. 4. de Anim. & eius origine ad Vincentium victorem, qui in eodem (quod aiunt) luto hærebat: & post eum Claudianus lib. 3. de Statu animæ. cap. 9. adu. Faustum, adserentes, membra hæc Anima, non corporaliter. sed spiritualiter intelligenda. Quomodo etiam illa membra interpretatur B. Gregor Nyssen. lib. de Anima & resurr.*

94. & quid illic Lazari nomen, si non in veritate res est,] *Isto argumento vtuntur, qui historiam hanc esse putant, non parabolam, inter quos Euthymius etiam nomen diuitis adlegat ex traditione Hebræorum, verum potest vera esse historia, nec propterea proprie debent accipi oculi, lingua, digitus. Hinc & Epiphan. modo parabolam. modo historiam nuncupat. At B. Iustinus Martyr lib. quæst. & respons. quæst. 9. neque parabolam esse, neque historiam, sed mixtum quid.*

95. Ad quod & Christus moriendo descendit, &c.] *De hoc*

etiam latius infra cap. 55. Est autem obscurum illud: si nihil Anima detinet sub terris; *& legendum quidem videretur prima facie*: Animam, *nisi adiceretur:* Nihil enim si non corpus, *atque adeo magis videtur legendum*, detinetur; *sed neutrum adhuc satisfacit.*

96. Nihil enim si non corpus.] *Ad hunc locum adludit B. August. lib. 10. de Gen. ad litt. Tertullianus, inquit, non ob aliud corpus esse Animam credidit, nisi quod eam incorpoream credere non potuit; & ideo timuit* ne nihil esset, si corpus non esset. *Et rursus sub finem eiusdem libri: Quis hunc crederet cum isto corde tam disertum esse potuisse; sed tremenda sunt ista, non ridenda; ad hoc enim nunquam cogeretur, si aliquid cogitare posset, quod sit, & quod corpus non sit.*

97. Reddam de isto plenius & opportunius, &c.] *Adludit ad cap. infra 51. 52. 53. 54. & 58. vbi agit tum de excessu & receptu Animarum post hanc vitam, tum de tormento siue solatio earumdem in diuersorio inferi, vel in igne, aut in sinu Abrahæ.*

98. Inquantum enim omne corporale passibile est, &c.] *Istud egregie refutat B. August. loco supracitato statim post verba præcedentia: Qui sane, inquit, quoniam acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quam id quod ait quodam loco:* omne (*sic enim lego, pro*: esse) corporale, passibile est? *Debuit ergo mutare sententiam, qua alibi dixerat;* etiam Deum corpus esse. *Neque enim arbitror eum ita desipuisse, vt etiam Dei naturam passibilem crederet.*

CAP. VIII.

99. Abruptum alioquin & absurdum, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus*: De aliis argumentis, quibus Animam probabant incorpoream, *qu& quamquam pleraque minus efficacia, non tamen satis apte refellere ea potuit Auctor, qui exproposito videtur omisisse alia qu& magis conuincunt.*

100. quia ceteris corporalibus exemplis non adæquet.] *Huc pertinet quod Plotinus vbi supra, & Aristot. lib. 1. de Anim cap. 5.* Animam de corporalium censu adimunt (*vti verbis Auctoris vtar*) *quod ab affectionibus corporum elementarium exempta sit, vtpote non rara vel densa, calida, frigida, alba, nigra, l&uis, aspera.*

101. Siquidem & ipsi Philosophi, &c.] *Ad eandem* Empedoclis amicitiam & inimicitiam *adludit Athenagor. Orat. pro Christ. quidicit: Non quod opinari possint contrarium quidquam esse Deo,* velut amicitiæ contentionem secundum Empedoclem. *De qua eius opinione vide Laertium.*

102. quia digressa ea, grauiora efficiantur corpora defunctorum, &c.] *Istud argumentum hactenus apud Platonicos reperire non licuit, sed neque magni momenti est.*

103. Ceterum etsi inuisibilis Anima, &c.] *Hanc argumentationem ipse suggerit Plato, tam in Epinomide, tum maxime Phædone, siue de Anima, quum corpus dixit visibile, Animam inuisibilem.*

104. Solem noctuæ oculis nescium.] *Eodem pertinet quod infra legitur T. 5. Epist. de cibis Iudaicis*: quando noctuam interdicit lucifugus veritatis, *vbi de differentia* noctuæ, *bubonis, & nycticoracis, ex Leuit. c. 11. & Deuter. 14.*

105. aquilæ ita sustinent, &c.] *De hoc Plinius in hæc verba lib. 10. cap 3. Nat. hist. Haliaetus*, Aquilæ *genus, implumes etiamnum pullos suos percutiens, subinde cogit aduersos intueri solis radios, & si fluentem conniuentemque animaduertit. præcipitat è nido velut adulterinum & degenerem. Ad quem more suo, adludit hic Auctor.*

106. Sic Ioannes in spiritu Dei factus, Animas Martyrum conspicit.] *Similiter dixit c. sequ.* Per has lineas & Animæ Martyrum sub altari intelliguntur. *Nihil tamen faciunt loci Apocal. pro anima corporea. Sic etiam supra Tom. 2. lib. de Orat. cap. 5.* Clamant ad Dominum in visu Animæ Martyrum. *Vtrobique autem vnica voce*, Martyrum *vertit, pro eo quod ex Græco Latine legitur Apocal. 6.* Interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, *& Apocal. 20.* De collatorum propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei, *proprie* Martyras *accipiens, Verum de alia etiam eius vocis significatione, videat Lector Adnot. nostras supra Tom. 2. lib. ad Martyras, num. 1.*

CAP. IX.

107. Quum Animæ corpus adserimus, &c.] *Titulum hic retinuimus autem excusum qui ex margine in textum irrepserat*: De effigie Animæ. *Pertinet interim etiam hoc caput ad paradoxa Auctoris inter Prolegomena. Huc autem adludit B. Augustin. ad Quod vult Deum, his verbis*: Animæ corpus *tribuit Tertullianus, sed* sui generis. *Quod aliquo sensu verum esse posse ibidem indicat, verbis, vbi supra, à nobis citatis, ne hic prolixiores simus. Atqui lego*: vt hæc adesse, qua corpus ostendamus, *pro*: quam corpus.

108. & omnimodo debita corpulentiæ, adesse Animæ, &c.] *Huc rursum respicit loco postremo citato B. August. dum inquit: Quamuis de anima tale quod sentiat, nempe qualia sunt omnia quæ proprie dicimus corpora. Eodem pertinet quod Tertulliano etiam adscribat Animæ extensionem. Quantitate tamen carcere docet idem lib. de Animæ quantit. cap. 7. Pulcre etiam istud quasi aliud agens refutat Nyssen. lib. 2. Philosopho, qui est de Anima, cap. 1. Essentialiter ipsi Animæ, & secundum seipsam tres non adesse dimensiones* (longitudinem dico & latitudinem & sublimitatem *cum Tertulliano*) *sed secundum accidens dumtaxat, quia videlicet in corpore sit dimensio.*

109. Quid nunc quod & effigiem Animæ damus, &c.] *Istud etiam Tertulliano adscribit B. August. quod* Animam effigiatam *dixerit. Hinc autem videre est, quam verum illud Philosophi, vno inconuenienti dato, multa sequi.*

110. Platone nolente, quasi periclitetur de Animæ immortalitate, &c.] *Vide Platonem in Phædro, vbi disertis verbis effigiei expertem & coloris Animam facit, verbis citatis á Clement. Alexand. l. 5. Strom.*

111. Est hodie soror apud nos reuelationum charismata sortita, &c. [*Quanquam* (*vti supra adnotauimus T. 2. l. de Idolol. cap. 15. num 21.*) *frequentes fuerint in primordio Ecclesiæ reuelationes apud orthodoxos, quia hic præcedit*: post Ioannem quoque Prophetiam meruimus & consequi, *certum est hic Auctorem de Priscilla loqui, Montani socia: non enim verisimile est, diuina aliqua reuelatione comprobatum esse, Animam modo corpoream, sed & aerei esse coloris, Deinde illud peculiare Priscillæ de ecstasi in spiritu conuersatione cum angelis & Domino, & quod quorumdam corda dignoscere crederetur, vti latius in vita Auctoris. Contra eandem enim dixit ipse ante hæresin Auctor, lib. de Præscript. aduers. hæret. cap. 41.* quod curationes repromitteret, *pro quo hic*: medicinas desiderantibus sumit, *aut potius* (*sicuti legendum coniicio*) submittit. *Neque interim propterea Montano etiam adscribenda, quas hic recenset, Ecclesiasticæ ceremoniæ, quia, vti mox subiungitur, etiam aliis libris earundem meminit ante omnem terrorem conscriptis.*

112. in Ecclesia.] *Quod Ecclesiæ iam tum Christianis fuerint in vsu, supra à nobis comprobatum est Tomo 2. l. de Orat. num. 1. & dicto lib. de Idololat. cap. 7. num. 29.*

113. inter Dominica sollemnia.] *Similiter mox*: post transacta sollemnia. *De qua & aliis sacrificii Christiani periphrasibus à Tertull. vsitatis, dictis nostris Adnotat. in l. de Orat. immediate post Tractatum de Ecclesiis.*

114. prout scripturæ leguntur, aut Psalmi canuntur, aut ad locutiones proferuntur, aut petitiones delegantur.] *De his quatuor, quæ etiamnum in Ecclesiæ sacrificio vsitata sunt, vide ibidem paulo post Adnotat. nostras, & præterea de* lectione scripturarum. *Apolog. cap. 39. num. 501. de* Psalmorum cantu *ibidem, num. 520. De* petitionibus quæ Deo delegantur, *num. 499. & 500. Denique ad* Adlocutiones quæ proferuntur *pertinet, quod frequenter Missa iteratur à sacerdote: Dominus vobiscum, & ab Episcopo: Pax vobis, item ab vtroque frequentissime: Oremus, & in Præfationis initio: Sursum corda. ac: Gratias agamus Domino Deo nostro, de quibus ibidem lib. de Orat. nu. 1. & Adnot. nostris in B. Cypr. lib. de Orat. Dominica, n. 85. ac li. de Exhortat. ad Mart. num. 32.*

115. Post transacta sollemnia dimissa plebe.] *De* dimissione plebis *post Missæ finem, qua dicitur: Ite Missa est, puto me etiam nonnihil ibidem adnotasse, certe eodem adludit B. Cypr. lib. de Spect. num. 7. cum dixit*: Dimissus, & adhuc gerens secum, vt assolet, Eucharistiam.

116. tenera & lucida & aerei coloris.] *Sic emxino legendum, pro* ætherei coloris, *patet ex B. August. sub finem li. 10. de Gen. ad lit. qui de Tertulliano dicit: Item quum Animæ etiam* colorem *diceret* aereum ac lucidum. *idque eo magis, quod mox etiam sequatur: Quæ igitur alium æstimabis Animæ colorem quam aereum (sic lego, pro aerium) ac lucidum? Idem etiam paradoxo adscribit Origeni B. Hieron. alicubi. Quid autem respondeat August. vide infra num. 124.*

117. non vt aer sit ipsa substantia eius, etsi hoc Æneside mo visum est.] Æneside mi *iterum sit mentio infra cap. 14. vbi ipsi quoque adscribit, quod* Animæ vnitatem tueatur. *Et c. 25 de Animæ origine ex rigore aeris, nu. 227. Supra etiam ex Laertio diximus, num. 58. quod Heraclidis fuerit discipulus ex Pyrrhonis schola, quibus adde, quod Phyronicarum rationum libros octo ab eo conscriptos dicat.*

118. & Anaximeni.] *Huic adtribuunt, quod* aer sit substantia Animæ, *Marcrobius in Somnium Scipionis, Marsil. Ficin. Theol Plat. li. 6. cap. 1. & Franciscus Picus lt. de Vanitate gentium, & Vives in B. August. li. 11. cap. 10. vbi quorumdam Philosophorum eandem recensest sententiam. Quo adludit etiam quod infra habet Auctor lib. 1. aduers. Marc.* Deum aerem dixit Anaximenes. *Anaximandri hunc discipulum facit Suidas, etiam ipsum Milesium, cuius duo epistolia ad Pythagoram, reperiuntur apud Laertium.*

119. puto secundum quosdam & Heraclito.] *Supra cap. 5. dixit* Heraclitum exigni Animam effinxisse; *quam opinionem præter alios Auctores ibi citatos num. 66. etiam sequitur Aristot. l. 1 Metaphys. cap 1. Qui interim etiam cap. 2. lib. 1. de Anima, cum Greg. Nissen. & Plutarcho, locis supra citatis, adtribuit illi quod exhalationem Animam dixerit, qua si pro respiratione accipiatur, vti à Lud. Viue loco mox citato, ad hanc opinionem magis accedit. Nec mirum est de eius sententia differre Auctores, quum ob obscuritatem Scoticum dictum supra adnotauerim cap 2. num. 32.*

120. nec vt lumen, etsi hoc placuit Pontico Heraclidi.] *Ex hoc loco restituendus Macrobius in Somnium Scipionis cap. 4. (nam idipsum narrat) & scribendum*: Ponticus Heraclides, *non*: Heraclitus, *neque enim vspiam mentio inuenitur* Heracliti Pontici, *sed* Heraclides Ponticus *Philosophus. Speusippi primum, deinde Aristotelis auditor, commemoratur à Laertio, qui nominatim de Mente, de Anima, & de Natura libros ediderit maxime quum consentiat etiam Marsilius Ficinus Theol. Plat. lib. 6. cap. 1.*

121. Nam & cerauneis gemmis, &c.] *De his vide supra Tom. 2. lib. de Hab. mulieb. cap. 1. num. 13. Hic autem solum de eo agit genere, quod (teste Isidoro Etymol. lib 16. cap. 13.) Hispania in Lusitania littoribus gignit, cui color vt pyropo rubenti, & qualitas, vt ignis.*

122. nec beryllis ideo aquosa materia, &c.] *De* Beryllis *vide Plinium in Natur. histor. l. 37. cap. 5. Videtur interim de postremo illorum hic loqui genere, qui crystallis fere sunt similes, ex verbis illis:* quod fluctuent colato nitore, *id est, purgatissimo nitore, per Metaphoram.*

123. & velut in forma gelasse.] *Vide latius infra sub finem c. 23. de hoc paradoxo.*

124. Hic erit homo interior, &c.] *Etiam hunc locum citat B. Augustinus vbi supra, lib. 10. de Gen. ad litt. cap. 25. ex quo repositum:* & in somnis fungitur, *pro* in somniis, *maxime cum ibidem subiungat:* Ecce, *inquit*, quibus auribus & quibus oculis debuit audire & videre Deum populus, quibus Anima in somnis fungitur, *quum, si ipsum Tertullianum quisquam videret* in somnis, *numquam se diceret ab eo visum, & cum eo locutum, quem vicissim ipse non vidisset. Postremo si Anima seipsam videt* in somnis, *quum iacentibus vtique vno in loco membris corporis sui, ipsa per varias imagines euagatur quas videt, quis eam aliquando videt* in somnis (*ita tacite redarguens paradoxum, de quo supra num 116.*) aerei coloris aut lucidi, *nisi forte vt cetera, quæ similiter falso videt? nam & hoc potest videre: Sed absit, vt eam talem, quum euigilauerit, credat. Alioquin, quando se aliter viderit, quod magis crebrum est, aut mutata erit Anima eius, aut nec tunc Anima videtur substantia, sed imago corporis incorporea, quæ miro modo sicut in cogitatione formatur. Quis enim Æthiops non pene semper nigrum se videt* in somnis, *aut si in alio colore se vidit, non magis miratus est, si fuit cum illo memoria?* aereo *tamen* colore aut lucido, *nescio vtrum se vnquam vidisset, si istum numquam legisset vel audisset.*

CAP. X.

125. Pertinet ad statum fidei, simplicem Animam determinare, &c.] *Etiam hic veterem titulum retinendum putaui:* Vnum esse Animam & spiritum. *In quo Auctori consentit B. Augustinus libr. de fide & symbol. capitul.* 10. *& apertius Auctor libr. de Dogm. Eccles. inter illius opera, cap.* 19. *&* 20. *Non est, inquit, tertius in substantia hominis spiritus, sicut Didymus contendit, sed* spiritus ipsa est Anima, *quæ (id enim hauddubie addi debet) pro spiritali natura, vel pro eo quod spiret in corpore,* spiritus *appellatur*; Anima *vero, ex eo, quod ad videndum & ad viuificandum animet corpus. Deinde ad tacitam illius obiectionem respondens: Tertium vero, inquit, qui ab Apostolo (quomodo etiam intelligendus venit D. Iren. lib. 5. cap. 6.) cum corpore & anima inducitur, spiritum gratiam S. Spiritus intelligimus. Quæ ipsa verba quum repetat Auctor libri de Spiritu & Anima cap. 9. vel inde constat, Augustini non esse, sed potius, vti Trithemius censet, Hugonis à S. Victore. Atqui:* ad statum fidei pertinere *istud dicit, eo quod ad confirmandam fidem nostram pertineat, nam & ex Genesi cap. sequ. probat:* Spiritum & Animam eadem esse.

126. secundum Platonem.] *Ita istud intelligendum, quod* Plato simplicem Animam determinarit. *eo quod senserit, non compositam ex Spiritu & Anima. Vti enim ex Timæo clare constat, confundit respirationem cum perspiratione.*

127. Quidam enim volunt, &c.] *Agit contra Aristotelem lib. de Respirat. cap. 1. Hippocratem, & alios, qui non omnibus animalibus respirationem concedunt, quorum proinde sententia, diuersa erant Spiritus & Anima.*

128. eo quod non habent organa spiritus, pulmones, & arterias.] *Prius, de* non habentibus pulmones, *refert Aristoteles cap. 4. lib. de Respir. & libr. 3. de part. animal. capit. 6. vti & Galenus de partium vsu, lib. 6. cap. 9. ad insecta, qualia hic & rursum cap. 32. enumerantur:* culices, formicæ, & tineæ, *posterius ad pisces, quibus* arterias deesse vult, *id est, interiores illas fistulas (vti Plinius describit lib. 11. cap. 37.) ad* pulmonem *& cor pertingentes. Cui etiam satis ibidem Plin. consentit, dicens pauca* pulmonem *habere aquatilia, & ibidem sub finem cap.* deesse arterias *molli piscium generi. Cui tamen contrarium tuetur ipse idem Plinius de Piscibus, lib. 9. cap. 7.*

129. neq; formica, si membris huiusmodi caret, idcirco negabitur spirare.] *Videtur istud Auctor mutuatus ex postremo illo Plinij loco: Sine pulmone, inquit, nullum animal putatur spirare. In qua sententia fuisse Aristotelem video, & multis persuasisse doctrina indaginibus. Nec me tamen protinus huic opinioni eorum accedere haud dissimulo, quoniam pulmonum vice alia possunt alia spirabilia inesse viscera, ita volente natura, sicut & pro sanguine multis alius humor. Quod ipsum repetit libr. 11. cap. 3. latius, vnde videtur multa mutuatus Auctor: Imitatus Democritum, Anaxagoram, & Diogenem, qui (ipso Aristotele teste) omnia animantia spirare dixerunt.*

130. Herophilus ille Medicus, &c.] *De hoc* Herophilo *Plinius lib. 20 cap. 2 lib. 25. cap. 1. lib. 26. cap. 2. ac 3. & libr. 29. cap. 1. quorum postremo loco ait: Omnes eas (nempe Medicorum factiones) damnauit* Herophilus, *in Musicos pedes venarum pulsu discreto per æ-tatum gradus, deserta deinde & hac secta est, quoniam necesse erat in ea litteras scire. Item lib. 11. cap. 37. quod propius ad institutum accedit. Arteriarum, inquit, pulsus, in cacumine maxime membrorum, euidens index fere morborum, in modulos certos legesque metricas, per ætates, stabilis, aut citatus, aut tardus, descriptus ab* Herophilo (*sic enim lego, pro descriptas ab* Eriphylo) medicinæ vate, *miranda arte, nimiam propter subtilitatem desertus, quem librum eius de Pulsibus citat Galenus alicubi. Meminit eiusdem Plutarchus de modo respirandi agens, l. 4. de placito Philos. cap. 22. & lib. 5. cap. 2. ex cuius verbis etiam liquet, Anatomicum fuisse. Mentio etiam eius fit (iuxta quod Latinius adnotauit) apud Celsum in Proœm. lib. 1 & Cicer. lib. 2. Academ. Qui quum nihil ea de re tradant, quam hic habet Auctor, parum referre puto, siue legas:* qui sexcentos exsecuit, *cum Gelenio, siue cum Gagnæo:* septingentos. *Infra cap. 25.* maiorum prosector, *vocatur. Citatur eiusdem sententia de* Hegemonico circa cerebri fundamentum, *infra cap. 15.*

131. designa oculos, denota pupillas.] *Loquitur de* culicibus & formicis & tineis: *etsi vero* oculos *Plinius loco iam citato adtribuere videatur: sicuti in sectis omnibus,* pupillas *negat. Sed sufficit ad Auctoris intentionem, quod non appareant eorum oculi, etsi habeant.*

132. Sed & exeduntur tineæ, demonstra mandibulas, deprome genuinos.] *Conforme est illud Plinij eodem loco: Dentium vice aculei insectis, qui addit: homini nouissimos dentes,* genuinos *dici.*

133. Sed & personant culices, &c.] *Etiam hoc ex Plinio sumpsit lib. 11. cap. 2. & 51.*

134. Exhibeas pabuli trasmittendi, &c.] *Huc pertinet illud eiusdem lib. cap. 37. Sanguine carentibus venter nullus, intestinus enim quibusdam ab ore incipiens, quadam via eodem reflectitur.*

135. quemadmodum & incedunt quædam sine pedibus, &c.] *Pulcra distinctio inter incessum quorundam sine pedibus; vtpote,* manante impetu, quod angues, insurgente conatu, quod vermes spumante reptatu, quod limaces.

136. ergo duo non erunt quæ diuidi non possunt concreta.] *Ita Gelenius, quantum apparet, ex Britannico Lælandi codice, pro quod pluribus verbis Gagnæus:* quæ diuidi non possent, & fuissent, sed licet duo esse concreta, sed non erunt concreta. *Neutrum placet, nec mederi licuit, quod non esset ad manum ms. cod.*

CAP. XI.

137. Sed vt Animam spiritum dicam, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* Quomodo Anima spiritus, nempe quia spirat, non quia proprie spiritus est. *Verum etiam hoc ad paradoxa eius pertinet, de quibus in Prolegomenis: alioqui enim si spiritus proprie esset, corpus non esset. Atque hoc est quod cap. præced. dixit:* Erunt & aliæ spiritus species, vt ex Deo, vt ex diabolo. *Proprie interim videtur sumpsisse libr. de pœnit. cap. 3 quum* spiritum *dicit* afflatu Dei consummatum.

138. Ceterum aduersus Hermogenem, &c.] *Videtur rursum adludere ad librum De censu Animæ* aduersus Hermogenem, *ex quo infra Tom. 4. istud inter fragmenta eiusdem collocauimus, vbi de hac sententia latius.*

139 nisi propter hæreticos, qui nescio quod spiritale semen infulciunt Animæ, &c.] *Aduersus Valentinianos agit, & ex scripturis hanc eorum hæresin (de qua supra lib. adu. eosdem c. 25.) confutat.*

140. Deum flantē in faciem hominis flatum vitæ, &c.] *Adludit ad illud Gen. 2. supra citatum cap. 3. & libr. aduers. Hermog. cap. 31.* Et flauit Deus flatum vitæ in faciem hominis, & factus est homo in Animam viuam; flatum vitæ, *Animam vtrobique interpretatus, quam explicationem veram esse supra ostendimus, libr. de Baptis. cap. 5. num. 43. Quibus addere visum est illud Theodoreti in Epit diuin. dogm. Nomine* flatus *non intelligimus partem aliquam essentia diuina. secundum Cerdonis & Marcionis rabiem, sed* Animæ *naturam per id denotari, quod Anima spiritus sit rationalis & intellectualis. Cui consentit etiam Prudent. in Hamartig. & ante Tertullianum B. Irenæus lib. 5. c. 7. Quare male inter hæreses recensent Philastrius, Animam Dei flatum dicere.*

141. Spiritus ex me prodiuit, & flatum omnem ego feci.] *Supra lib. aduers. Hermog. cap. 32. nullam facit, citans hanc scripturam Isai. 57* spiritus & flatus *differentiam, immo eam spiritum intelligi dicit, de quo etiam venti constiterunt: hic vero spiritum pro Spiritu sancto, flatum pro Animo, imitatus Irenæum lib. 5. aduers. hæret. ca. 12. fere de verbo ad verbum, per citationem non solum huius, sed & sequentium scripturarum. Aliud enim est,* inquit, adflatus *vita, qui & animalem efficit hominem, aliud* spiritus *viuificans, qui & spiritalem efficit eum. Propter quod ipse Isaias, distinguens ea quæ prædicta sunt, ait:* Spiritus enim à me exiet, *&c. ne prolixiores simus. Et vero, vti recte adnotauit B. Augustin. lib. 13. De ciuit Dei, cap. 24. differentia vocabulorum Græcorum id indicat, nam priori loco πνεῦμα est, quomodo semper in scripturis Spiritus sanctus appellatur, posteriori πνοὴ, quod varie, inquit ille, nostri interpretati sunt, aliquando flatum, aliquando spiritum, aliquando inspirationem vel aspirationem, aliquando etiam Animam. Vide plura huc pertinentia in doctissimo illo Commentario in Isaiam viri eruditissimi, Dn. Leonis à Castro. Mirum est interim illud, quum omnes editiones tam Hebraica quam 70. & Chaldaica, item Patres omnes hunc locum citantes, legant in Futuro;* exiet, *quod solus Tertull. legat:* prodiuit, *quod tamen ipsius germanum esse patet ex eo, quod haud absimiliter legatur libr. aduers. Hermog. vbi supra:* Spiritus à me exiuit.

142. Qui dedit flatum populo super terram, & spiritum calcalcantibus eam, &c.] *Etiam hic fere ad verbum imitatur B. Iren. vbi supra, qui post recitata eadem Isai. 42. verba addit: Adflatum quidem communiter omni qui super terram est populo dicens daturum, spiritum autem his qui conculcant terrenas concupiscentias. Consentit etiam B. Basilius lib. de S. Spiritu, cap. 21.*

143. quia & Apostolus nō primum quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale.] *Istud quoq; ad verbū ex eodem B. Ire. loco.*

144. Nam

144. Nam, etsi Adam statim prophetauit magnum illud Sacramentum, &c.] *Etiam hic locus adiici poterat supra lib. de Præscript. aduers hæret. cap. 40. num. 248. ad confirmationem ecclesiastici dogmatis, quod Matrimonium* Sacramentum *sit. item & similis locus infra cap. 21. vbi de tota hac scriptura Gen. 2. &* Adæ ecstasi *latius.*

CAP. XII.

145. Proinde & animum, &c.] *Capitis huius inscriptionem Geleny retinuimus:* non separari animam & animum. *De quo in hac verba Lactantius lib. de Opific. Dei, cap. 18. Sequitur alia, & ipsa inextricabilis quæstio: Idemne sit anima & animus, an vero (en exceptionem Auctori conformem, quid* animus & anima *proprie dicantur) aliud sit illud quo viuimus, aliud autem quo sentimus & sapimus. Non desunt argumenta in vtramque partem. Qui enim vnum esse dicunt, hanc rationem sequuntur (qua hauddubie ad intellectum loci huius facit) quod neque viui sine sensu possit, nec sentiri sine vita, ideoq; esse non posse diuersum id, quod non potest separari. Sed quicquid est illud, & viuendi officium, & sentiendi habere rationem, idcirco animum & animam indifferenter appellant duo Epicurei Poetæ. Vbi imprimis alludit ad illud Lucretij lib. 3.*

Nunc animum atque animam dico coniuncta teneri
Inter se, atque vnam naturam conficere ex se.

Reliqua omittimus, quia sunt pro contraria Auctori sententia, quam etiam magis amplectitur Lactantius, vt patet lib. 8. diuinar. Institut. cap. 12. Tertulliano vero consentit Hugo de S. Victore, seu quisquis auctor est libri de Spiritu & Anima, cap. 34. Item, inquit, Animam & animum idem dicimus, sed anima vitæ, animus est consilii. *Ego vero quandoquidem ad fidem non pertinet, alius discutiendum relinquo, vtra verisimilior. Certe B. Augustin. & alij Patres indifferenter etiam nunc animam, nunc animum, appellant. Auctor etiam non hic agit, vt doceat idem esse omnino animum & animam, sed, vti in argumento huius capitis, non separari à se mutuo, & mutua præstare efficia.*

146. siue mens est, νῦς apud Græcos.] *Quum animus Græce (vti recte hic Tertull.)* νῦς apud Græcos *dicatur, anima vero* ψυχὴ, *non possum illis adsentire (vt hoc obiter adnotem) qui libris Aristotelis* περὶ ψυχῆς, *titulum dant: De animo, non de Anima, vti vulgatum est. Quod confirmatur etiam infra nu. 150. & 156.*

147. qui etiam vniuersitatis motatorem animum decernunt.] *Intelligere videtur Thaletem, qui Aristot. teste lib. 1. de Anima, cap. 5. totum vniuersum dicebat animatum, & animam eius Deum. Item ad Zenonem, qui (vti ipse Auctor inquit Apolog. cap. 21.* Factitatorem vniuersitatis determinabat, & Deum vocari, & Animum Iouis. *A quibus etiam non dissentiebat Pythagoras, qui Lactant. teste libro 1. cap. 5. Deum animum dicebat, qui per vniuersas mundi partes, omnemque naturam commeans atque diffusus, ex quo omnia quæ nascuntur animalia, vitam capiant. Et vero Aristoteles, Thaletis, Anaxagoræ, Diogenis, Heracliti, Alcmæonis similes opiniones recenset, lib. 1. de Anima, cap. 2.*

148. illum Deum Socratis.] *Quod Plato de* Deo *ex sententia* Socratis *scripsit, non modo Auctor, sed etiam B. Iustinus Apolog. 2.* Socrati *tribuit, at ille in Timæo, Iouis animam per vniuersum mundum diffusam etiam sensit, quem ipsum parentem & opificem vniuersorum inuentu difficilem pronunciauit, quemadmodum B. Aug. citat lib. 13 de ciuit. Dei, cap. 17. Quo etiam pertinet illud auctoris supra Tom. 1. Apolog. cap. 47.* Platonici Deum intra mundum collocant, qui gubernatoris exemplo intra illud maneat quod regat. *Neque est quod obstet Animæ mundi appellatio apud Platonem, quia certum est, apud eum νῦν & ψυχὴν frequenter pro ijsdem accipi.*

149. illum Valentini Monogenem ex patre βυθῷ & matre ἐννοίᾳ.] *Quum me admonuisset Harrisius locum hunc corruptum esse, & ego id certo deprehendissem, eo quod lib. aduers. Valentin. c. 7. vbi de his latius)* Monogenis mater *appelletur aut σιγὴ, aut χάρις, aut ἔννοια, nusquam vero etiam apud aliquem Auctorem ἐπίνοιαν, quod hic legebatur, omnino substituti ἐννοίᾳ vocem qua maxime affinis sit.*

150. Quamuis Anaxagoræ turbata sententia est, &c.] Anaxagoras *(inquit loco iam citato Lactant.) Deum esse dixit infinitam mentem, qua per se ipsam moueatur. Nec absimiliter B. Augustin. lib. 8. de ciuit. Dei,* Anaxagoras, *inquit, Anaximenis auditor, harum rerum omnium quas videmus, effectorem diuinum animum sensit. Idem est quod hic Auctor de illo:* Initium omnium commentatus animum, *cui addit:* & tamen eundem alibi animam edicit. Anaxagoræ *autem etiam supra fit mentio Tom. 1. Apolog. cap. 46. & infra cap. 43. de quo vide Laertium.*

151. & vniuersitatis oscillum de illius axe suspendens.] *De hac phrasi vide supra Tom. 1. de Pallio, c. 1. num. 18. ad illud:* in oscillum penduli impetus.

152. Hoc etiam Aristoteles denotauit, &c.] *Adludit hauddubie ad Aristot. lib. 1. de anim. cap. 2. vbi ijsdem pene verbis Anaxagoræ sententiam deducit, inter cetera his verbis: Anaxagoras autem minus de his sententiam suam explanat, multis enim locis boni rectique mentem caussam esse dicit, alibi autem animam ipsam mentem esse dicit, &c. quod rursum non ita multo post repetit, hoc vno addito, quod ibi non possit transferri* animum, *quia animum & mentem pro eodem haberi patet huius capitis initio. Siue autem legas:* nescio an sua paratior implere, quam aliena inanire, *cum Gelenio sine* damnare, *cum Gagnæo, perinde est.*

153. Denique & ipse definitionem Animi quum differret, &c.] *Locus iste Aristotelis inuenitur eiusdem libri cap. 4. in hæc verba:* Mens autem diuinum quid est, passioneque vacat, *& proinde recte addit Auctor:* abstulit & ipse eum à consortio animæ. *Verum vijs rationibus eam sententiam confutat.*

154. Nam & sensus passiones facit Aristoteles, &c.] *Habet istud idem Aristoteles li. 2. de anima, cap. 5. Fit itaque, inquit, sensus, quum mouetur atque patitur aliquid, nam ipse sensus alteratio quædam esse videtur. Quod si verum est, inquit auctor, quum nihil istorum anima patiatur sine animo, iam ergo passibilis est animus, contra quam sentit Aristoteles.*

155. & Democritus obtinebit, differentiam tollens, &c.] *Recte id quidem, nam (vel ipso Aristotele teste lib. 1. de anim. c. 2.)* Democritus animam mentemque idem esse dixit. *Atqui* Democriti *sententiam de summo, infra videre est cap. 43. & supra Tom. 1. Apol. cap. 46. Cur seipsum exacuerit, diximus num. 581. ex Laertio: apud quem & Suidam plura de eodem videre est. Hoc hic addemus dumtaxat, quod libros scripserit* De mente, de sensibus, & de Anima, Democritus iste *Abderites. Infra eidem etiam adscribitur capite 15. assertio Hegemonici.*

CAP. XIII.

156. Ad hoc dispicere superest, &c.] *Caput hoc à præcedenti dissectum inscripsimus:* Quod circa animam, non animum, sit principalitas. *Per hoc enim confirmatam vult priorem suam sententiam contra Anaxagoram & Aristotelem, vt quandoquidem in anima inuenitur principalitas, quam illi in animo constituebant, non habeantur proinde pro ijsdem, immo, vti iam dixit,* animus sit animæ officium, *& sicuti infra cap 18.* anima sit animi suggestus & structus. *Alii, vti Hugo de S. Victore libr. de spir. & anim. cap. 11. dum mentem in anima eminere dicunt, eo respiciunt, quod animi sit sapere, anima viuere, e contrario cum auctore animæ principalitatem tribuere licet, quod nisi viuat, sapere anima non possit. Ipse interim alias adfert rationes: nempe,* quod animæ nomine totius hominis mentio titulata sit, & quod Animam Deus semper adloquitur.

157. Quantas animas pasco, ait diues.] *Istud ex Plauti Pluto, aut alio quopiam Comico, desumptum est. In eo autem quod addit:* animam agere, *videtur imitari Ciceronem lib. 1. Tuscul. quæst. vbi ait: animam autem, etiam animum fere nostri declarant nominari, nam & agere animam dicimus. Ipse autem animus ab anima dictus est.*

158. Faciem tamen operis frontemque materiæ de Anima vnusquisque proscripsit.] *Si hoc verum sit de Philosophis & Medicis, ergo necessario titulus librorum Aristotelis* De Anima *verti debet; non de animo, vti supra quoque diximus nu. 145. & 146.*

159. Animam Deus semper adloquitur, &c.] *Adludit ad eas scripturas frequentissimas in libris Leuitici & Numeri, ac alibi* Anima quæ peccauerit, *& similes. Item ad illud Psal. 34.* Dic animæ meæ, salus tua ego sum.

160. Illam salua venit facere Christus, &c.] *Reliquæ scripturæ, quas hic citat, satis notæ sunt. Luc. 9. Matth. 10. & Ioan. 10. Illud vero:* illam pluris fieri vetat, *paraphrastice vertit pro eo quod Luc. 14. iubetur Christianus odisse animam suam, hoc est, non pluris facere quam Deum.*

CAP. XIV.

161. Singularis alioquin & simplex, & de suo tota est, &c.] *Inscriptionem huic capiti, quod etiam à præcedentibus separandum putauimus, dedimus:* Quod anima sit inuisibilis præterquam in potentias diuersas. *Quod ipsum repetit infra cap. 51.* Ceterum, *inquit,* anima inuisibilis vt immortalis. *Et vero eandem esse sententiam non modo communem omnium Philosophorum sed etiam B. Augustin. constat. lib. 6. de Trin. cap. 3.*

162. Si enim structilis & dissolubilis, &c.] *Hic quodammodo Tertull. seipsum conuincit, quum non* structilem *neque* dissolubilem *confitetur, atque adeo immortalem, cui opponitur.*

163. Diuiditur autem in partes, &c.] *Seipsum explicat paulo post auctor, quum dicit:* Huiusmodi autem non tam partes Animæ habebuntur, quam vires, & efficaciæ, & operæ. *Vnde & Nyss. lib. 4. Philos. cap. 8. animam, inquit, in virtutes vel species vel partes diuidunt.*

164. nunc in duas à Platone.] Platoni & Pythagoræ *idipsum tribuit Plutarchus lib. de Placit. Philos. 4. cap. 4. & in Commentario de virtute Morali, nempe* λογικὸν *&* ἄλογον, *quod quomodo constet cum eo, quod plerisque in locis tres partes animæ faciat Plato, infra dicemus latius c. 16. vbi ex proposito de sententia Platonis disputat, nu. 208.*

165. nunc in tres à Zenone.] *Quum* Zeno *Stoicorum princeps fuerit, & illis mox octo partes tribuantur, videtur aliquid a iud substituendum, pro* Zenone: *fortassis* Varrone. *Nam Varro (inquit B. Aug. lib. 7. de ciuit. Dei, cap. 23.) in libro de Diis selectis, tres esse affirmat animæ gradus, vegetatiuum nempe (vti in compendium verba eius contrahamus) sensitiuum & rationalem, verum codicibus ms. destitutus immutare nolui. Certe triplicem hanc animæ potentiam agnoscit B. Gregor. Nyssen. l. de Creat. hom. ca. 15. & plerique omnes. etiam Aristoteles: vt paulo post dicetur, quodam in loco.*

166. nunc in quinque & in sex à Panætio.] De quinque *partibus animæ apud* Panætium, *hactenus nihil reperi, quare fortassis desideratur nomen Auctoris qui* quinque *adseruerit, nempe* Aristotelis,

A

de quo mox, aut alterius. De sex *enim consentit Gregor. Nyss li. 4. Philos. c. 8. quum post enumeratas octo partes, quas adserebant Stoici, addit:* Panætius *vero Philosophus vocalem quidem vim, voluntarij motus partem esse censet, rectissime dicens, spermaticam virtutem (sic enim lego) non esse animæ partem, sed naturæ. Vbi quum duas reiecere illum dicit agnoscere eum* sex *satis constat. Cicero, etsi frequentissime omnium* Panætii *meminerit, nusquam tamē tale quid illi adtribuit, neque Plutarchus, Fortassis fuit* Panætius *Rhodius senior, quum illi de iuniore loquantur.*

167. & in septem à Sorano.] *Quum* Soranus *à paucissimis citetur Auctoribus, penes Auctorem huius rei fides esto.*

168. etiam in octo penes Chrysippum.] *Quum* Chrysippus, *vti supr. n. 77. diximus, Stoicus fuerit, huc pertinet haud dubie, quod in hac verba habet Nyssen. loco mox citato, Zeno Stoicus* octuplicem *ait esse* animam, *dirimens eam, in principalem vim, & quinque sensus, & in vocalem, & in virtutem spermaticam.*

169. etiam in nouem penes Apollophanem.] Apollophanem *medicum citat Plin. li. 22. c. 11. Comicum Suidas. Verum Auctor intelligere videtur* Appollophanem *Stoicum Philosophum, cuius meminit Stephanus, & Physica citantur à Laertio, quibus omnibus recentior videtur* Apollophanes *Sophista, qui cum Dionysio Areopagita, tempore passionis Dominicæ, in Heliopoli Ægyptiacæ Philosophiæ studiosus versabatur.*

170. sed & in decem apud quosdam Stoicorum.] *Quos hic intelligat, hactenus reperire non licuit.*

171. & in duas amplius apud Posidonium, &c.] *Quum* duo amplius *quam decem, xij. faciant dum taxat, & de eodem loqui pergat, prorsus lego:* in duodecim exinde prosecuit, *pro eo quod erat:* in decem & septem *facillime enim in numeris error committitur. De ἡγεμονικῷ vero cap. seq. & de λογικῷ c. 16. Atqui Suidas* Posidonium *recenset & Alexandrinum, & Apamensem, vtrumque Stoicum Philosophum: quorum ille Zenonis Cittici discipulus, hic Panætii successor. De vtro Auctor loquatur, nescio.*

172. ita in alias ex aliis species diuidunt Animam.] *Plures eiusmodi subdiuisiones reperire est apud Nyssen. dict. l. 4. c. 8. 9 & 10. quo compendii gratia Lectorem remitto.*

173. sicut de quibusdam & Aristoteles iudicauit.] *De huius sententia sic Nyss. vbi supra; Ceterum* Aristoteles *in Physicis, (nempe li. 1. de Anima. ca. 5. li. 2. ca. 2. 3. 4. & fere integro libro tertio) quinque dicit esse partes Animæ (seu potius, vti* Aristoteles *loquitur,* vires *& potentias) vegetatiuam, sensitiuam, motiuam secundum locum, concupiscitiuam, & excogitatiuam. At in Ethica, inquit idem paulopost, in duo prima & generalissima diuidit naturam, in irrationale & rationale: subdiuidit autem irrationale in obediens rationi, & non obediens. Rursus obediens rationi in duas secatur, in appetitiuam vim, & irascibilem. Qui pluru desiderat: ipsum* Aristotelem *consulat: Porro paulopost omittentes cum Gagnæo particulam:* in, *legimus:* vt & ipsi illi quinque notissimi sensus.

174. Specta portentosissimam Archimedis munificentiam, organum hydraulicum, &c.] Archimedis *instrumenti sphærici meminerunt Plin. l. 7. c. 37. Cic. l. 1, Tuscul. qu. Solinus cap. 11. & Claudianus poeta, denique Lactant. l. 2. cap. 5. At (eodem Plinio ibidem teste) Ctesibius pneumatica ratione &* hydraulicis organis *repertis, claruit. Simile* organum hydraulicum Archimedi *peculiariter adtribuit Auctor, ita dictum, quod sicuti ratione pneumatica, id est, spiritu incluso, pleraque sonum edunt organa, ita illi generi aqua inclusa, Græcis enim ὑδραύλης dicitur, tibiis in aqua mersis canere doctus. Vnde & paulopost addit;* Sic & spiritus qui illic de tormento aquæ anhelat.

175. Non longe hoc exemplum est à Stratone, &c.] Stratonis Physici *rursum meminit Auctor seq. c. tum quod* hegemonicon aduersus Dicæarchum *adseruerit, tum quod* in superciliorum meditullio illud statuerit. *Vbi quia etiam alterius* Stratonis *meminit, de vtroque latius.*

176. nam & ipsi vnitatem Animæ tuentur, &c.] *Imprimis non modo* Stratonis; Ænesidemi & Heracliti *hanc fuisse sententiam, sed etiam Aristotelis, docent Commentatores in li. 2. de Anima, cap. 2. etiam Beat. Thomas Aquinas disput. de Anima, arg. 10. & l. 2. contra Gent. c. 72. In eadem esse etiam B. August. ex compluribus eius locis patet, nominatim loco supracitato* 148. *Item li. aduers. Epist. fundam. contra Manich. c. 16. vbi adsimilat Deum in mundo Animæ per totum corpus diffusæ, denique etiam Epist. 28. ad B. Hieron. vbi hinc incorpoream Animam probat, quod per totum corpus, quod animat quadam vitali intentione, porrigitur, in omnibus simul & in singulis particulis corporis tota. Quod ipsum etiam videre est apud B. Gregor. Nyss. li. de creat. homin. c. 16. Quid: quod ipse etiam Tertullianus infra c. 32. hac ratione Metempsychosin impugnat, quod* necesse sit corpus omne anima compleri. *Atqui de Metaphorica illa voce* metationibus, *supra non semel dictum est.*

CAP. XV.

177. Imprimis an sit aliquis, &c.] *Veterem titulum huius capitis retinuimus;* De hegemonico, an sit, & vbi sit. *Quod ipsum imprimis ita describitur ab Auctore, vt pluribus non sit opus: nempe:* summus aliquis in Anima gradus vitalis & sapientalis, quod ἡγεμονικὸν appellant, id est, principale. *Eodem pertinet etiam illud infra libr. de Resurr. carn. quod paulopost citabitur n. 185. & illud B. August. li. de fid. & symb. c. 10. Principale nostrum, nempe partem Animæ rationalem, spiritum dici.*

178. Messenius aliquis Dicæarchus.] Dicæarhus *(inquit Cicero Tuscul. qu. est. li. 1.) in eo sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium, primo libro multos loquentes facit: duobus, Phacratem quendam Phtiotam senem, quem ait à Deucalione ortum, disserentem inducit;* nihil omnino esse Animum, *& hoc esse totum nomen inane, frustraque & animantia & animantes appellari; neque in homine inesse animum vel animam, neque in bestia. Et vero eius eandem fuisse sententiam paulopost indicat ibidem Cicero: Quid de* Dicæarcho *dicam, qui nihil omnino animum dicat esse?* Messenium *autem hunc fuisse etiam Suidas testatur, Aristotelis discipulum; cuius Plutarchus, Quintilianus, Musica citant: Gellius Pythagoram: Athenæus libros complures: B. Hieron. li. 2. aduers. Iouin. ex Antiquitatum libris descriptionem Græciæ, denique Cicero alibi Librum de diuinat. & Somniis.*

179. ex Medicis autem Andreas.] Andreas Medicus *frequenter citatur à Plinio, non modo inter Auctorum nomina, è quib. multa desumpsit, sed etiam li. 22. c. 23. & li. 32. c. 5. vbi in quibusdam tamen exemplaribus perperam legitur* Andrias, *pro:* Andreas, *Nam etiam à Dioscoride & Galeno citatur liber eius de Plantis.*

180. & Asclepiades.] *De* Asclepiade Medico *Prusiensi, præterquam quod ex eo multa se desumpsisse testatur inter Auctorum nomina, peculiariter agit Plin. lib. 26. cap. 3. Citantur etiam quædam eius scripta ab Aetio & Galeno, qui interim duos eius nominis commemorat. Ridet autem eum his verbis paulopost Auctor:* vt vel *(inquit)* ab istis retusus Asclepiades, capras suas quærat sine corde balantes, & muscas suas abigat sine capite volitantes, *tacite significans absurditatem, qui illarum exemplo etiam ab homine hegemonicon auferre voluerit. Meminit iterum Auctor Asclepiadis, c. 25. infra. De eodem* Asclepiade *multa refert etiam Apul li. 4. de asin. aur. Distinguo autem paulopost; vti sensus constet, periodum quandam in hunc modum:* Quod, *nempe principale Anima,* si fuisset amissus cum suis sedibus vigor Animæ, non perseueraret.

181. Sed plures & Philosophi aduersus Dicæarchum, &c.] *Non quod* aduersus Dicæarchum, Philosophi *hic recensiti, aut* aduersus Andream & Asclepiadem Medici *isti, peculiariter scripserint, sed quod contrariam sententiam tutati sint, sicuti paulopost de eorum singulis demonstrabitur: exceptis quibusdam, de quibus hic: omnium interim Philosophorum volumina de Hegemonico reperta sunt.*

182. Socrates.] *Quicquid habet Plato, ex* Socratis *fere sententia loquitur, quare de eo nihil aliud adijciendum.*

183. Aristoteles.] *Imprimis* Aristoteles *lib. 1. Ethic. c. 13. nominatim τὸ ἡγεμονικὸν mentionem facit. Eodem etiam pertinent, quæ habet ille li. 3. de Anima, ca. 4. & 5.*

184. Diocles.] Diocles *Caristius Medicus, secundus ab* Hippocrate *ætate famaque, Plinio celebratur li. 26. c. 2. qui præterea ab eodem citatur li. 20. c. 3. & 5. & lib. 21. c. 1. & in Catalogo Medicorum, quorum opera vsus est, item à Galeno, Plutarcho Scholiaste Nicandri, Athenæo, Paulo Ægineta, & Hierocle Hippiatro.*

185. Iamque omnibus plures Christiani, &c.] *Non hic dumtaxat, sed etiam li. de Resurr. carn. ca. 15. ex scripturis compluribus probat:* Hegemonicon Animæ in corde consecratum esse. *Sic enim ibi,* Hanc denique carnis speciem, arcem Animæ, etiam Dominus in suggillatione cogitatuum taxat *Quid cogitatis in cordibus vestris nequam?* Et: *Qui conspexerit mulierem ad concupiscendum, iam adulterauit in corde.* Sed etsi in cerebro, vel in medio superciliorum discrimine, vel vbi vbi Philosophis placet, principalitas sensuum consecrata est: quod Hegemonicū appellatur, cæterum omne Animæ cogitatorium, *Consentiunt autem auctori Philo Iudæus opuscul. De eo quod deterius potiori insidietur, B. Hieronym. li. 2. super Matth. c. 14. ad illud Matth. 23.* A corde exeunt cogitationes. prauæ: *Theodor. serm. 3. de prouid. Gregor. Nyssen. Orat. 1. de Resurr. Christi, & libro Philos. 4. capite 1, Solus Lactant. in dubio ponit, libro de Opific. Dei, cap. 16. an in corde, an in cerebro, Verum posterius hoc nominatim impugnat, vbi supra, B. Hieron. & scriptura sacra contrarium probant.*

186. Si enim scrutatorem & dispectorem cordis Deum legimus.] *Adludit ad scripturas 1. Paral. 28. Psal. 7. Hierem. 17. ac 20. & Roman. 8. Maxime autem ad illud Sapient. 1.* Cordis illius scrutator est verus, *& illud Prouerb. 24.* qui inspector est cordis.

187. si etiam prophetes eius occulta cordis traducendo probatur.] *Videtur adludere ad illud Hier. 12.* Et tu domine nosti me, & probasti cor meum; *aut potius ad illud Psal. 138.* Proba me Deus, & scito cor meum, interroga me, & cognosce semitas *(seu, sicut in Hebræo legitur,* cogitationes) meas.

188. Quid cogitatis in cordib. vestris nequam?] *Tam hic quam infra libro de Resurrectione carnis hunc locum vertens, vsurpat:* nequam *plurali numero neutro, pro eo quod noster Interpres:* mala. *Lego autem omnino:* Si & Dauid, &c. *pro:* Sic. *quia & antea & postea* Si *legitur, non* Sic.

189. vt neque extrinsecus agitari putes principale istud secundum Heraclitum.] *Pertinere huc videtur quod de* Heraclito *habet Aristot. l. 1. de Anima, cap. 2. vbi* Heraclito *adscribit Animam semper moueri.*

190. neq; per totum corpus ventilari secundum Moschionem.] *Recte istud Auctor improbat, quia sicuti supra ostendimus num. 176. etsi per totum corpus diffusa sit anima, in omnibus & singulis partibus totam esse, atque adeo* per corpus totum ventilari, *non recte sensit* Moschion. *De quo an idem sit qui citatur secundum emendatores codices à Plinio (pro eo quod alij Morchion)* Moschion *Græcus libro 19. capite 5. cuius quædam exstant scripta, an* Moschion Comi-

cus, qui

cus, qui allegatur à Clemente Alexandrino libro 6. Stromat. nescio. Istud interim Lactantius non Moschioni, sed Xenocrati tribuit, libro de Opifice Dei, c. 16.

191. neque capite concludi secundum Platonem.] *Habet istud* Plato *in Timæo, quam satis obscure, vbi postquam dixit Animam in summo corporis nostri (sic enim lego, pro corpore nostro) mox subiungit: illinc enim vnde primus anima ortus prodiit, caput & radicem nostram diuina specie suspendit, & totum eo corpus erigit. Qui interim ibidem multo ante videtur potius in cerebro, quod ἐγκέφαλον vocat, collocare. quare non male B. Hieronym. illi attribuit, vbi supra, quod in cerebro collocarit. Nec mirum, quum etiam Lactant. libro de Opific. Dei, cap. 17. confundere videatur in capite, in summo cap. in cerebro, & in medulla cerebri.*

192. neque in vertice potius præsidere secundum Xenocratem,] *Istam & sequentes aliquot horum opiniones videtur ad verbum desumpsisse ex Plutarcho lib. 4. de Placit. Philos. cap. 4. quas etiam videre est apud Theodoretum libro 4. de curand. Græc. affect. Scripsit autem* Xenocrates *Philosophus libro de Anima duos, tum de his quæ circa mentem sunt, primum 8. deinde 4. demum 2 ex quibus hauddubie tum hoc, tum illud, de quo supra num. 60. desumptum est.*

193. neque in cerebro cubare secundum Hippocratem.] *Ad hanc non dubito adludere (præter Putarchum, qui id illi expresse tribuit) Ciceron. libro 1. Tuscul. quæstion. & Lactant. loco mox citato. Cuius etiam sententiæ Plinius fuit libro 11. capite 37. quum in cerebro mentis regimen ponit. Atqui Plin lib. 26. capite 2.* Hippocratem *scribit primum medendi præcepta tradidisse multis voluminibus, addens libro 19. cap. 1. ab ætate Æsculapij ad illum vsque memoriam in nocte densissima latuisse, donec ille in Peloponnesiaco bello eam in lucem reuocaret, genitum in insula Coo Æsculapio sacra.*

194. sed nec ita cerebri fundamentum vt Herophilus.] *Etiam hoc ex Plutarcho, fortissis* cerebri fundamentum, *medullam cerebri, in qua etiam Plato constituere videtur, & cuius opinionis meminit Lactant. & Cicero, dum inquit Tuscul. quæst. lib. 1. Alijs pars quædam cerebri videtur mentis principatum tenere.*

195. nec in membranulis vt Strato.] *Hoc quoque ex Plutarcho. Loquitur autem de* Stratone *Medico* Erasistrati, *de quo mox, discipulo, qui subinde citatur à Galeno lib. contra* Erasistrateos.

196. & Erasistratus.] & Erasistratum *quinto loco inter Medicos ponit Plinius, vbi supra, ante* Herophilum & Asclepiadem, *item libr. 14. capite 7. vixisse scribit* CCCL. *anno Vrbis Romæ, & schola eiusdem meminit lib. 20. capit. 9 denique libro 29 cap. 2. Chrysippi (cuius mox mentio) discipulum facit, Aristotelis filia genitum, qui Rege Antiocho curato centum talentis donatus sit à Ptolomæo eius filio. Cuius rei meminit etiam Suidas, & plures eius libros citat. l. citato Galenus. Citatur iterum ab Auctore cap. 25.*

197. nec in superciliorum meditullio vt Strato Physicus.] *Istud etiam ex Plutarcho. Vocatur autem* Strato Physicus, *tum ad distinctionem superioris* Stratonis Medici, *tum quod Suida teste, præcæteris naturæ contemplationi deditus fuerit, qui Lampsacenum facit Theophrasti discipulum, & multos libros scripsisse tradit. Inter quos recensentur à Laertio De spiritu & de natura humana, è quibus desumptum videtur quod illius citatur ab Auctore nostro, supra c. præcedent. num. 175. Item De cælo, in quo vti est infra lib. aduers. Marc.* cælum & terram Deum *dixit. Denique de Somno, vnde citatur eius fragmentum infra cap. 43. quod* summum segregationem consati spiritus *affirmet, & de* in somniis *iuxta quod etiam Auctor illi tribuit, c. 45.*

198. nec in tota lorica pectoris vt Epicurus.] *Græce conformiter apud Plutarchum legitur:* ὡς ὅλῳ τῷ θώρακι. *Quo pertinet etiam illud Lactantii, vbi supra: Quidam sedem mentis in pectore esse voluerunt. Addit vero Plutarchus, (quod magis ad sententiam Tertulliani Christianam accedit, de qua supra num. 185.) Stoici ad vnum toto in corde, vel in cordi obuersante spiritu, Diogenes in arterico cordis, ventriculo, qui spiritalis est. Quo pertinet etiam illud Lucretij lib. 3.*

Consilium quod nos animum mentemque vocamus.

Idque situm media regione in pectoris hæret. *In qua sententia etiam eos fuisse significat Cicero Tuscul. quæst. li. 1. qui prudentes cordatos vocabant, ex quo etiam (inquit) excordes, vecordes, concordesque dicuntur. Quam etiam sententiam potius sequitur Arist. libr. de Sens. & sensib. & lib. de Respiratione.*

199. Sed & quod(*sic enim lego pro* quod &) Ægyptii renuntiauerunt ei, &c.]Renuntiare ei, *nempe Hegemonico pro attribuere, accipere hic videtur Auctor eadem significatione de qua infra latius libro de Carne Christi, cap. 1. Intelligere autem videtur Mercurium Trismegistum, Anebonem, & Abamonem*, Ægyptios diuinarum commennatores, *quos plerumque secuti sunt Plotinus, Iamblichus, & ipse Plato. Certe Mercurius ille, Pimandri Dialogo 11. & 12. latissime disputat de Mente, qua Deus sit in hominibus, atque adeo Hegemonicon ab illo agnosci patet.*

200. & ille versus Orphei vel Empedoclis:

Namque hominis sanguis circumcordialis est sensus.] *In locum hunc recte commentatus est Theodorus Cauterus Variar. Lect. libr. 1. cap. 6. Quum (inquit)* Empedoclis *scripta iam vetustate & negligentia perierint, non iniucundum fore arbitror, si Græcum eius versum, quo hanc sententiam expressit, inuentum à me apud Etymologici Auctorem apposuero, qui ibi sic legitur:*

Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα.

Cui addit ibidem duos alios versus præcedentes ex Porphyrii loco adductos à Stobæo in Physicis, verum quod ad institutum non faciant, omisimus, eo contenti quod ex Cicerone adnotat Tuscul. qu. l. 1. Empedocles animum esse censet cordi circumfusum sanguinem. *Adludit eodem Lact. vbi supra, his verbis: Vt sensus ille comprehensibilis aut in medulla cerebri hæreat, aut in illo sanguine bipartito, qui est inclusus in corde. Et eodem pertinet quod supra capite 5. num. 69.* Empedocli *tribuat Auctor, quod* Animam ex sanguine *dixerit. Quare etiam verisimilius est* Empedocli *versum hunc tribui debere quam* Orpheo *(de quo supra capite 2. maxime quum inter carmina quæ circumferuntur eius nomine, non reperiatur hic versus. De* Empedocle *autem plura partim supra ca. 3. partim infra capite 17. & 32. Atqui pulchre docet Lactant. dict. lib. de Opific. Dei, capite 17. Animam non propterea sanguinem dicendam, quod sanguine effuso vel consumpto extingui seu potius à corpore dissolui videatur. Et Epiphan. aduersus Bardesianistas hæres. 56. animam sanguinem negat, sed sedem habere in sanguine non diffitetur. Neque vero idcirco quia per sanguinem in scripturis anima significatur, propterea animam sanguinem dicendam, non semel tradunt BB. Chrysost. & August. contra aduers. Leg. & Prophet. lib. 2. cap. 6. & lib. quæst. in Leuitic. cap. 56. vtrobique dicens illud Leuitici 17.* Anima omnis carnis sanguis est, *eodem modo interpretari debere, sicut illud:* Petra erat Christus, *quia per sanguinem anima significatur. Et hoc quidem si de Anima etiam hominis locus ille intelligatur, alioqui dicens non laborandum an anima pecoris sit sanguis sicut in eum locum adnotauit Origenes.*

201. Etiam Protagoras.] *Etsi apud Laertium reperiatur* Protagoras *Philosophus Abderites auditor Democriti, quia tamen inter libros eius, de Anima nullus recensetur, & hic videtur iterum Medicos alios committere cum Asclepiade, censeo quidem legi debere:* Praxagoras, *sed sine codicum mss. ope id in contextu mutare nolui. Certe* Praxagoras *Medicus à Plinio celebratur tertio loco dicti libri 26. capite 2. & præterea citatur ab eodem libro 20. capite 4. & 7. vt omittam catalogum Medicorum, è quibus sua desumpsit dict. lib. 20. & sequentibus.*

202. etiam Apollodorus] *Similiter & hic, quamuis à Laertio recensetur* Apollodorus *Athenienſis Epicureus Philosophus, puto tamen potius loqui Auctorem de* Apollodoro, *altero illorum medicorum, de quibus Plin lib. 20 cap. 4.* Apollodori *(inquit) duo, Scillæus & Tarentinus, quorum prior tamen in eius libri Auctorum Catalogo Citiensis vocatur. Item lib. 14. cap. 7.* Apollodori Medici *volumen recensetur, quo suasit Ptolomæo Regi quæ vina biberet. Vterque etiam citatur à Galeno, Dioscoride, & Alexandro.*

203. & Chrysippus.] *Hic quoque de* Chrysippo *Medico potius loqui censeo Auctorem, quam de Philosopho cuius supra facta est mentio n 77. Nam citatur is ipse à Plinio frequenter li. 20. & septem sequentibus, tum in contextu, tum in Auctorum Catalogo, & quarto loco* Chrysippum *inter medicos collocat l. 26. c. 2.*

CAP. XVI.

204. Est & illud ad fidem pertinens, &c. *Caput hoc inscribimus,* De anima rationali & irrationali. *Cui similia prorsus habet Greg. Nyss. de Anim. & Resurr.*

205 quod Plato bifariam partitur Animam, &c.] *Similiter supra dixit c. 14.* diuiditur autem in partes, nunc in duas à Platone. *Habet autem istud Plato Dial. 4. de Rep. Non itaque absurde, inquit, duplices has partes, & inter se diuersas esse, ita vt* alteram, *qua raciocinatur (vtpote quæ sit ratiocinij gubernatrix, & tanquam benigna & studiosa, mater, viam vitæ rectæ commonstrans)* rationalem animæ partem *appellemus,* alteram, *qua amat & esurit, & sitit, & circa alias cupiditates velut consternata adficitur,* irrationalem.

206. sed non vt naturæ deputetur vtrumque, &c.] Irrationale rationali posterius esse, & ex transgressione, *etiam latissime prosequitur B. Greg. Nyss. lib. de Anim. & Resurr. ad Macrinam sororem, vbi loquitur de duobus generibus* irrationalis, *de quibus mox latius: Hanc inquit, rationem iam à multis etiam aliis quæsitam consequenter ipse quoque requisiuisti, quidnam tandem hæc esse oporteat, simulne insita in Anima natura, & quasi coessentiata & consubstantiata, & ab initio cum ea sint, atque à principio statim vna cum creatione & constitutione eius exstiterint; an etiam aliquid aliud atque ipsa sint, & posterius nobis accesserint. Respondet autem imprimis: Ergo quoniam eiusmodi nihil cum diuina cernitur natura, ne animæ quidem hæc insita recte quis existimauerit. Deinde idipsum probat, tum ex definitione hominis, quem etiam qui à ratione fidei nostræ alieni sunt, definiunt rationis particeps animal; (vnde etiam sentiendi, augendi, & nutriendi vis in hominis definitione poni non solent) tum quod pugna quædam rationi aduersus hæc sit, tum denique quæ ex aduerso Animæ posita videntur, veluti timiditas, audacia, dolor, voluptas, metus & contemptus, cognata sint cum irascendi atque concupiscendi vi.*

Quare in hunc modũ concludit: Omnia ergo hæc quum circa Animam sint, tum Anima non sunt, sed veluti quædam verruca ex cogitatrice Animæ parte enascentes, quæ partes quidem ipsius esse, eo quod agnatæ sint, non tamen id esse existimantur, quod Anima ex sui natura atque essentia est. Atqui hoc ipsum est quod hic dicit Auctor: quod irrationale inoleuerit & coadoleuerit in Anima adinstar iam naturalitatis; quia statim in primordio naturæ accidit. *Facit autem iste locus imprimis ad assertionem peccati originalis, de quo alibi latius.*

207. Ceterum quum idem Plato solum rationale dicat, vt

A in Anima Dei ipſius.] *Idipſum mox repetit his verbis*: Plato ſoli Deo ſegregans rationale.

208. duo genera ſubdiuidit ex irrationali, &c.] *Quamquam quam non diſertis verbis id habeat Plato, tamen eo pertinere videtur quod habet in Phædro, (vel citante etiam B. Gregorio Nyſſeno, vbi ſupra) de bijugis pullis equorum, non eadem inter ſe affectione & impetu præditis, iiſque præfecto auriga. Equorum enim formam (inquit Plato) duæ quædam ſpecies animæ habent, auriga vero tertia ſpecies. Noſter enim princeps (ratio nempe) bigas, id eſt, duo irrationalis genera moderatur. Atque adeo hoc pacto conciliandum eſt: quod alibi vbique Plato tres animæ partes faciat, nempe in Phædone, in Phædro, libro 4. & 9. de Repub. quod etſi tres ſint, tamen vna ſit vniformis pars rationalis, reliqua vero irrationalis in duas diuidatur. B. Iuſt. Mart. Apolog. 1. & alicubi B. Auguſt. & Hieron. in tres malunt diuidere, rationalem, iraſcibilem, & concupiſcibilem.*

209. indignatiuum quod appellant θυμικὸν, & concupiſcentiuum quod vocant ἐπιθυμητικὸν] *Haud abſimiliter ib. Nyſſenus:* τὸ ἐπιθυμητικὸν *(pro quo male æditio Lugdun.* ἐπιθημητικὸν*) vim concupiſcendi appellat, verum vim iræ concitatricem* τὸ θυμοειδὲς*, qua etiam voce vti potius Plato ſolet, verum* θυμικὸν *eiuſdem eſt ſignificationis.*

210. Igitur apud nos non ſemper ex irrationali cenſenda ſunt, &c.] *Similiter Nyſſenus: Quod ſi hæc ita ſunt, neque virtutem, neque vicium per eſſe, pronuntiabimus: quæ quum Animæ motus ſint, in poteſtate & arbitrio vtentium ſitum eſt, rectine an praui ſint. Sed quando motus eorum ad bonum inclinat laudum materia exiſtunt, vt Danieli cupiditas ad deſideriorũ (vtpote qui vir deſiderium appellatur) & ira Phineeſo, ſin autem ad deterius propendent, tunc hæ perturbationes & ſunt, & nominantur.*

211. Indignabitur Deus rationabiliter, &c.] *Si intelligatur iſtud hypotheticῶs, ſicuti ſcriptura loquitur, quod indignatio Dei pro vindicta Dei ſumatur, nihil obſtat eam Deo attribui. Alicubi tamen adnotauimus inter Paradoxa Tertulliani collocandum, quod iram proprie Deo videatur adtribuere.*

212. At cum dicit: Fuimus aliquando natura filii iræ, &c.] *Pulchre explicat* naturam, *hoc Apoſtoli loco, de* natura quam diabolus induxit, *id eſt, vti ſupra dixit*, ex tranſgreſſionis admiſſo, quod accidit ex ſerpentis inſtinctu, à diabolo enim *(inquit ibidem)* immiſsio delicti, *quam proinde etiam mox recte vocat*: poſteriorem & adulteram. *Quamquam interim Metaphraſticῶs eum locum citet.*

213. quem legis auenarum ſuperſeminatorem, &c.] *Rurſum hic* auenas *vertit, quod Græce eſt,* ζιζάνια, *de quo ſupra l. de Præſcrip. aduerſus hæret. c.* 31. *nu.* 181.

C

CAP. XVII.

214. Contingit nos illorum etiam, &c.] *Retinuimus veterem huius capitis titulum:* De quinque ſenſibus *legentes* Contingit, *pro* Contigit. *De phraſi autem Tertullianica*: hæreticis procuratur, *vide ſupra T. 1. l. ad Scapulam, num.* 34. *Atqui de tota hac materia vide l.* 4. *de Philoſoſoph. Nyſſ. & Ariſtotelis librum de Senſu & ſenſili.*

215. Horum fidem Academici durius damnant] *Perſpicuum eſt* Academicos *nihil adſerere ſolere, cuius rei cauſſam reddebant, quod ſenſuum iudicium ſit incertum, & plerumque fallax: quo cum adludat Auctor, illud:* ſecundum quoſdam, *ſequenti commati adiunximus, maxime quum ſibi finem huius capitis ſic inuehatur Auctor*: Quid agis Academice procacisſsime. &c.

216. ſecundum quoſdam & Heraclitus & Diocles.] *Quum horum opera non exſtent, maxime* Heracliti & Dioclis *(de quibus ſupra latius) non licuit eorundẽ verba adlegare, quæ fortaſſis nec ipſe Auctor ſua ætate vidit, atque adeo addidit*, ſecundum quoſdam.

217. & Empedocles,] *Multas* Empedoclis *opiniones, quibus durius de quinque ſenſibus loquitur, videre eſt apud Ariſtotelem in Comment: lib. 2. de anima, cap. 5. pag. 12. Huc magis ſpectat quod dicit lib. 3. cap. 3.* Empedoclem *& alios veteres idem facere* ſapere & ſentire, *atque adeo, quæ ſenſibus inſunt, intellectui tribuere.*

218. Certe Plato in Timæo irrationalem pronuntiat ſenſualitatem.] *In* Timæo Platonis *non aliud inuenio, quam quod dicat ſenſus principatum Animæ cohibere. Verum magis huc pertinet illud eiuſdem in Phædone, ſiue de Anima, quod ab ipſo Auctore etiam citatur cap. ſequ. intio, de quo infra num.* 235.

D

219. Itaque mendacium viſui obiicitur, &c.] *Cauſſa quod* remi in aqua infracti videantur, turris quadrangulata de longinquo rotunda, æqualiſsima porticus anguſtior in vltimo, cælum mari iungi, *explicatur ab Opticis, & ab Ariſtotele in 3. Meteoron. Reddit etiam varias rationes paulopoſt Auctor.*

220. Perinde auditus fallaciæ reus, &c] *Hæc tam de* auditu, *quam de* odoratu, guſtu & tactu, *etiam ludicra ſunt apud Philoſophos, non enim ſenſus errat in proprio ſenſibili percipiendo, ſed vis cogitatiua in iudicando, iuxta Ariſtot. l. 2 de Anima, c. 6. Et vero paulopoſt, Auctor erroris cauſſas proſequitur de ſingulis.*

221. Moderantius Stoici, &c.] *Vide hac de re libr. 4. Academ. quæſt. Ciceronis, vti de præcedentibus ac ſequentibus nonnihil interim diſſentire videtur Lactant. lib. 3. cap. 4. vbi* Stoicis *adtribuit, quod Auctor* Epicureis, *quod nempe* opinionem repudiarint.

222. Nam vt in aqua remus inflexus.] *Faciunt ad huius loci intellectum magnopere quæ habet Nyſſen. lib. Philoſoph. 4. cap. 3. Inſuper fallitur (inquit)* viſus, *quum per aquam agitatam intuemur, etenim remum in mari vt fractum videt: ſimiliter quum per tranſparentem aliquam materiam aſpicit, quod in ſpeculis, vitro, & id genus aliis accidere ſolitum eſt: aut quando à longe videt, turrim enim quadrangulam vt rotundam eminus intuetur. Neque eſt hic error viſus, ſed intellectus. Nam hic quidem vidit & annunciauit, intellectus autem repræſentatis non intendit. Poſtremo viſus ad manifeſtam diſcretionem quatuor opus habet, illæſo oculo, moderato motu, iuſto ſpatio, & aere puro atque claro. Vbi pulcherrime tractat, quicquid ad ſenſum & organum viſus pertinet.* E

223. Auditum vero quid aliud decipiet, quam ſonorum ſimilitudo? *Recte id Auctor. Nam* auditus *(eodem Nyſſen. teſte eiuſdem lib. c. 5.) ſonorum & vocum eſt adprehenſiuus, dinoſcit itaque acuitatem grauitatemque, leuitatem & aſperitatem atque magnitudinem. Vbi etiam organa* auditus *explicat.*

224. Et, ſi poſtea minus ſpirat vnguentum. &c] *Etiam hoc pulchre Tertull. nam & Philoſophis tritum eſt, quod* in omnibus prima vis tota eſt, *atque adeo in ſecunda perceptione viliora omnia iudicentur. De organis vero* odoratus & guſtus, *vide ibidem Nyſſen.*

225. Ceterum de ſcabro ac læui, &c.] *Nec minus apte etiam iſtud Auctor. Atqui de organo* tactus *in vniuerſo animalis corpore, item quod certiſſimum hunc ſenſum homo poſſideat, aliaque huc pertinentia, vide ibidem Nyſſen. cap.* 4.

226. vt Oreſtes matrem in ſorore.] *Iphigeniam intelligit, quam* Oreſtes *furiis ſcelerum agitatus ob interfectam matrem, etſi ſuam ſororem, matrem rediuiuam credidit, ſi confectis de eo Tragœdiis creditur.* F

227. Aiax vlyſſem in armento.] Aiacem *quoque fabulantur, quum arma Achillis occiſi* Vlyſſes *impetraſſet, præ ira inſanum armenta occidiſſe, credentem Vlyſſem cum ſociis ſe interfeciſſe.*

228. vt Athamas & Agaue in filiis beſtias] *De* Athamante, *vide Plutarch. in Superſtitioſo. Ab* Agaue *ſecundum Poetas matre cum reliquis Mænadibus à Baccho in furorem conuerſa, filius Pentheus membratim dilaniatus eſt, quum ſe putaret aprum interficere. Atqui de* elogio *vide ſupra Tomum 1. Apol. c. 2 n. 22. & alibi.*

229. Sed enim Plato, &c. in Phædro ex perſona Socratis, &c.] *Verba* Socratis in Phædro Platonis *paulopoſt initium hæc ſunt: Non poſſum adhuc, iuxta* Delphicum oraculum *(nempe* γνῶθι σεαυτὸν, *de quo ſupra alicubi) noſſe meipſum. Rectius interim verti*: Delphicam inſcriptionem *Auctor id, quod Græce eſt,* Δελφικὸν γράμμα.

230 Etſi in Theæteto adimit ſibi ſcire atque ſentire.] *Neque ſcientiam, neque ſenſum eſſe, quamquam ſatis obſcure, his verbis indicat Socrates Platonis* Theæteto: *Neque igitur videre magis quam non videre quid dicendum eſt; neque alium magis ſenſum quam non. Atqui ſenſus eſt ſcientia. Nihil igitur ſcientiam magis quam non ſcientiam, reſpondimus, dum quid ſit ſcientia, interrogaremur.*

231. Et in Phædro, poſt mortem differt ſententiam veritatis, &c.] *Peculiaria quidem verba apud Platonem in Phædro reperire non potui, ſed eo pertinere mihi videtur, quod ibi philoſophatur de animabus, quæ poſt hanc vitam in ſupercæleſti loco id quod reuera eſt (ſiue ipſam veritatem) intueri merentur, & his quæ reuera ſunt, inſpectis rurſus apud internam cæli partem reuertuntur, & quidem multo ſtudio omnes teneri, videndi campum veritatis, vbinam ſit.* G

232. quod in ſanguinis ſui memoriam conſecrauit] *Etſi obſcurius hic loquatur, interim ſuam ſententiam explicat, quum dicit infra lib. 4. aduerſ. Marc.* Ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecrauit. *Vbi non modo* memoriam ſanguinis ſui, *ſed* ſanguinem ſuum *propria locutione* conſecratum *dicit.*

233. Quod vidimus *(inquit)* quod audiuimus, oculis noſtris vidimus, &c.] *Paulo aliter fortaſſis, vt ſenſuum viſus & auditus ordinem ſeruaret, & clarius, citat Auctor hunc locum, quam Græce aut Latine aut Syriace legitur, nempe*: Quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus.

CAP. XVIII.

234. Conuertor ad intellectualium partem, &c.] *Etiam hic veterem titulum capitis retinere quis poſſit*: Quod Philoſophi & hæretici diſtinguant inter ſenſualia & intellectualia. *verum clarior eſt*: Quod etſi ſenſualia & intellectualia re ſeparentur, apud Animam tamen non ita, quippe quæ etiam ſentiat, dum intelligit, & econtrario. H

235. Ait in Phædone, &c] *Omnino ita legendum, pro*: in Phædro, *patet: nam quæcunque hic verba citat, leguntur in* Phædone, *idque iuxta vulgatam verſionem ſic. Quid vero circa ipſam ſapientiæ adoptionem (ſiue vt Auctor* κτῆσιν *commodius tranſtulit,* poſſeſſionem*) num impedimento (pro quo ad verbum ex Græco* ἐμπόδιον *Auctor* impedimentum*) eſt corpus aut non, ſi quis ipſum in inquiſitione ſimul ſocium adſumat? Tale vero eſt quod dico. Nam veritatem aliquam habet viſus & auditus in hominibus? Aut (ſeu potius, vt vertit illud* ἢ *Auctor,* An non*) talia etiam Poetæ ſemper nobis occinunt (Græce* θρυλλοῦσιν*) quod neque audinimus quid exacte, neque videmus? Et quidem ſi hi circa corpus ſenſus non exacti ſunt neque certi, multo minus alij: Omnes enim his deteriores ſunt. An tibi non videntur? Maxime inquit.*

236. Meminerat ſcilicet & Epicharmi Comici: Animus cernit, animus audit, reliqua ſurda & cæca ſunt.] *Adludit ad id Auctor quod, Laertio teſte,* Epicharmus *Siculus (quem* Comicum *vocat ad diſtinctionem* Epicharmi *Medici Coi) præſagierit, quod aliquis (nempe Plato) quæ ille merito conſcripſerat, mira verborum ve-*

nuſtate

tuſſate, in ſolutam orationem verteret. Eundem cum Phorceo Comœdiam inuenisse tradunt Suidas & Stephanus, aditis fabulis 52. *aut* 55. *quarum aliquot nomina ſuperſunt apud Athenæum, & citantur etiam apud Stobæum quædam eius carmina.*

237. Itaque rurſus: illum ergo ait ſuperſapere, &c.] *Nempe Plato. Ex eodem enim* Phædone (*non autem* Phædro) *hæc etiam verba deſumpta ſunt: Nonne inquit iuxta vulgatã verſionem) igitur puriſſime hoc fecerit, quia ipſa cogitatione ad vnũquodq; progreſſus fuerit (pro quo auctor,* qui mentem maxime ſapiat) *neque viſum adhibens, neque vllum alium ſenſum (proinde & hic legi debet:* neque vllum eiuſmodi ſenſum) *cum ratiocinatione adtrahens, ſed ipſa per ſeipſam ſincera cogitatione,* διανοίᾳ Græce) *vtens, vnamquamque rem per ſe ipſam ſinceram venari conatur, ſeparatus quantum eius fieri poterit (pro qua ſua phraſi auctor:* ſi egreſſus potiſſimum) *ab oculis & auribus, & vt ita dicam (pro quo hic:* & quo dicendum ſit) *ab vniuerſo corpore, quod conturbet, & non ſinat animam adipiſci veritatem ac ſapientiam, ſi ad communionem admittatur? Porro de voce Tertullianica:* paratura, *alibi ſupra, & infra frequenter.*

238. Vult enim Plato eſſe ſubſtantias quaſdam, &c. quas appellat Idæas, &c.] *Eodem pertinet quod infra capite* 32. *legitur,* & Platonis Ideas offenderem. *Atqui de* Ideis Plato *dialogum Parmenidem inſcripſit, vbi interim non aliud habere videtur hucpertinens, quam:* Ideas, *id eſt (vti recte interpretatur auctor)* formas exemplares, *rerum, nobis ignotas eſſe. In Timæo vero addit:* incorporales & æternas *eſſe, ſiue ortus & interitus expertes, ſed nec viſui nec aliis ſenſibus expoſitas, id eſt, vti auctori* inuiſibiles. *Quo pertinet etiam illud ipſius Timæi libro de Anima mundi, vbi* Idæam *dicit eſſe ingenitam, immobilem, permanentem, & de Dei natura (quam* diuinam *dicit Auctor) intelligentiæ ſoli ſubiectum exemplar eorum quæ generantur. Hinc & Apuleius in Dogmat. Platonis illi attribuit, quod dixerit* Ideas omnium, ſimplices & æternas eſſe & incorporales. *Ad illud autem, vbi:* ſupermundiales *vocat auctor, ſpectat quod habet Apologeticus* 1. *B. Iuſtinus Martyr. Plato (inquit) principia vniuerſi eſſe adfirmat Deum, materiam, &* Idæam *Deum quidem conditorem omnium, materiam, cauſſam Deo creationis præbentem:* Ideam *porro, creaturæ cuiuſque exemplar. Quæ etiam Principem Deum & Ideas in primo ſupremi cæli, neque immobili orbe collocat.*

239. Relucente iam hæretica ſemina Gnoſticorum & Valentinianorum?] *Simile eſt illud ſupra libro de Præſcriptione aduerſus hæreticos capite* 7. Inde Æones & formæ neſcio quæ apud Valentinum, Platonicus fuerat. *Vbi de* Valentinianorum *cum platone conſenſu latius, ex Quintino Heduo, nu.* 39. *Vnde & hic ſubijcit:* Idearum hæreticarum ſacramenta: hoc enim ſunt & ἰδέας & Genealogiæ illorum. *Atqui de* Gnoſticis; *infra Scorpiaco adu. Gnoſtic. de* Valentinianis *ſupra lib adu. eoſdem, nu.* 1.

240. quam etiam parabolæ decem virginum adtemperant, &c.] *Peculiare hic aliquid Valentinianis adtribuit, cuius ſupra lib. aduerſ. eoſdem conſcripto nulla mentio, neque vero etiam apud B. Irenæum.*

241. & apud Pleroma conſtituram.] *De* Pleromate *vide ſupra libro aduerſus Valent. capite* 7. *numero* 70 *de* Æonum *vero appellatione, libro de Præſcriptione aduerſus hæret. capite* 7. *numero* 39. *Atqui, neque etiam id quod ſequitur:* Itaque & ſenſum diuidunt, &c. *ſupra inuenitur, niſi quod obſcure ex reliquis quæ tractantur cap.* 25. *& 29. libro adu. Valent. colligi poſſint, vbi tum de* ſpiritali ſemine *agit, tum de* animali homine.

242. Ob hæc ergo præſtruximus, neque Animum aliud quid eſſe, &c.] *Adludit ad cap.* 12. *ſupra, ſicuti etiam illis verbis:* neque ſpiritum extraneum quid, &c. *ad cap.* 10.

243. quia alibi fuerit animus, &c.] *Huc pertinet ex parte illud B. Gregorij Nyſſ. lib.* 4. *Philoſ. cap.* 3. *Vel cum mens alius intendit, vt dum propoſuit quis amicum conuenire, & iam allocuturus præterit eum, eo quod mens alius diſtrahatur, neque hic eſt error viſus, ſed intellectus.*

244. Ceterum Animæ principaliter caſus eſt.] *Verba hæc ex eorum ſententia adferre videtur, qui ab anima animum diſtinguebant, ſicuti etiam illa:* quod Anima digreſſa &c. *Verum etiam illud argumentum ſuæ opinioni accommodat ſequentibus verbis:* Quum vero ſequitur, &c.

245. Sed de Deo, svo qvoqve campo experiemvr cvm haereticis &c.] *Videtur indicare libros ſuos aduerſ. Marc. quos iam meditabatur, qui infra habentur. Nam primus & ſecundus peculiariter* de Deo *differunt. Vide infra cap.* 21. *num.* 179.

246. Inuiſibilia enim eius à conditione mundi de factitamentis intellecta viſuntur.] *Recte & aperte tranſtulit:* à conditione mundi, *quod Græce eſt:* ἀπὸ κτίσεως κόσμου. *item* factitamentis, *vnica voce Latina etiam vocem Græcam:* τοῖς ποιήμασι.

247. & Plato hæreticis: Facies occultorum ea quæ apparent.] *Adfert ſimiles Platonis locos, quos relinquo inquirendos curioſo Lectori, vti ad alia pergamus citius.*

CAP. XIX.

248. Sed nec illi quidem prætereundi, &c.] *Hic veterem titulum retinendum duximus:* Intellectum ſemper Animæ ineſſe. *Nam eorum argumentum refutat, qui* Infantiam ſola Anima putabant contineri qua viuat, non qua ſapiat, *idipſum Methaphoricũs etiam in arboribus probans, quod etſi non proprie, ſcientiam tamen quandam etiam ex infantia ſua adiunctam habeant.*

249 Denique arbores viuere, nec tamen ſapere, ſecundum Ariſtotelem.] *Habet id* Ariſtoteles *lib.* 2. *de anima, capite* 2. *Nulla (inquit) prorſus in plantis alia præter eam, qua viuit, animæ potentia, & cap.* 3. *Et plantis quidem nutritiuum eſt dumtaxat, denique ibidem ſub finem: At à ſenſitiuo vegetatiuum in plantis ſeiungitur.*

250. & ſi quis alius ſubſtantiam animalem in vniuerſa communicat.] Subſtantiam animalem *pro potentia animali ſeu vegetatiua accipit. Nam ea (vti Ariſtoteles ibidem cap.* 4. *quem ſequuntur in hoc etiam alij Philoſophi) maxime communis animæ vis eſt & potentia, qua cuncta viuentia viuunt.*

251. ſed vt Dei flatus.] *De hoc ſupra cap.* 11. *Atqui quod hic dicit:* cum omni inſtructu ſuo, *mox bis:* omnem paraturam *vocat, & paulopoſt (vti etiam adnotauit Latin.)* ſimul *accipit, pro* ſimulac, *de qua phraſi infra & ſupra alicubi.*

252. Aut vnde mox illis & frutices inoculantur, &c.] *Pulcherrima* fruticum *iam germinare incipientium deſcriptio.*

253. Video enim & vitem adhuc teneram, &c.] *Similis etiam* vitis adhuc teneræ & impuberis *adnotatu digniſſima, conſideratio.*

254. ſine corno.] *Gagnæi editio habebat:* orno, *pro quo puto ſubſtitutum fuiſſe* corno *à Gelenio, ex codice Britannico, verum Typographorum incuria ſubrepſiſſe:* ceruo: *quod quum plane abſurdum ſit, iterum repoſui* corno, *niſi quis malit etiam* orno *retinere. Nam inter arbores, quas* vitis amat (*vti verbis Auctoris vtar*) *vtramque recenſeri à Plinio exiſtimo libro* 17. *nat. hiſt cap.* 23. *vbi poſtquam vlmum & populum nigram tamquam amicas recenſuiſſet, in hæc verba ſubiungit: Tranſpadana Italia, præter ſupradicta,* corno, *populo, tilia, acere,* orno (*neque enim repetenda* cornus) carpino, *quercu, arbuſtat agros.*

255. & quidem vitioſius amplexabitur, &c.] *Vſitatam eſſe Auctori vocem* vitioſa, *pro viribus, efficacia ſiue potentia, ſupra adnotauimus lib. adu. Valent. cap.* 19. *nu.* 210. *& Tom.* 1. *libr. de Pallio cap.* 4. *nu.* 77 *De phraſi etiam illa* ad ſuperna conari, *l. adu. Valent. cap.* 9. *nu.* 100. *& Apol. cap.* 40. *nu.* 534. *Lego vero cum Dn. Latinio:* ramos alioꝛſum deſtinatos, *pro:* deſtinatum: *item:* timentis etiam ruinam *pro:* timens, *quia præcedit* fruticis.

256. cuius anima velut ſurculus quidam ex matrice Adam, &c.] *Similiter cap. ſequent.* illius ſcilicet quam Deus in Adam contulit, & matricem omnium fecit. *Verum vtrumque ad paradoxon, de redundantia Animarum ex vna, pertinet; de quo latius infra capite* 25. *& in Prolegomenis. Placet autem magis lectio vulgata:* pullulabit, *quàm Gagnæi* pullulauit.

257. Mentior, ſi non ſtatim infans, &c.) *Paulo aliter B. Nyſſ. lib.* 2. *Philoſoph. de Anima, cap.* 8. *Ceterum (inquit) quamuis infantibus in primis vitæ rudimentis ſolus irrationalis motus adeſt, Animam tamen rationalem habere eos dicimus, quoniam adulti rationis actum demoſtrant. Tertull. vero hic etiam motus quoſdam rationales ab ipſa prima infantia in eis agnoſci vult. Atqui de voce:* dedicans, *vide ſupra To.* 2. *lib. de Pœnitent. ca.* 2. *nu.* 8.

258. Non enim exinde & matrem ſpiritu probat, &c.] *Sic iterum legimus ex Gagnæo, pro eo quod legebatur dumtaxat:* Exinde & matrem, *vbi* Non, *more Tertullianico, pro* Nonne *accipitur.*

259. At enim Chriſtus, ex ore lactentium & paruulorum expediendo laudem, &c.] *Adludit ad illud Matth.* 21. Numquam legiſtis, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? *quod ex Pſalmo* 8. *deſumpſit Chriſtus, ſignificat enim* vox Græca κατηρτίσω *non ſolum perficere, ſed etiam expedire. Item illud:* quarum altera cum ſuffragio occurrens, *pertinet ad pueros clamantes,* Hoſanna filio Dauid. *ſicut illud:* altera pro ipſo trucidata, *ad Innocentes pro Chriſto occiſos, ſicuti legitur Matth.* 2.

CAP. XX.

260. Et hic itaque concludimus, &c.] *Titulum antiquum huius capitis ſic locupletamus:* De ceteris naturalibus Animæ, quod etiam ſemper adſint.

261. Sicuti & Seneca ſæpe noſter: Inſita ſunt, &c.] Sæpe noſtrum Senecam appellat *Auctor, quod in multis cum Chriſtianis conſentiat. Quo pertinet illud Apol. cap.* 12. Idem eſtis qui Senecam aliquem pluribus & maioribus de veſtra ſuperſtitione perorantem reprehendiſtis, *vbi vide Adnotat. noſtras nu.* 183. *Certe etiam verbis hic citatis* magiſter Deus *ab illo agnoſcitur. Ponit adeo eundem B. Hieronym. in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, eo quod legantur (inquit) à multis Epiſtolæ Pauli ad* Senecam & Senecæ *ad Paulum cui potius credendum, quam Lud. Viui, qui eas ab illis ſcriptas negat. Atqui mox legimus:* Porro vt frugum ſeminibus, &c. *pro:* Porro & *quia poſtea ſequitur:* Ita & Animam licebit (*quod ſicut alibi non ſemel, pro:* liquebit *accipitur*) ſemine vniformem, &c.

262. Thebis hebetes & brutos naſci relatum eſt.] Thebas *Bœotia intelligit. Vſque adeo autem id verum eſt, vt expinguine ingenij quidam Bœotos dictos putent, & in Prouerbium abierint, Sus Bœotica, Auris Bœotica, & quod propius huc accedit, Bœoticum ingenium, de quibus late Eraſmus in Chiliadibus, qui etiam inde deriuatum putat, quod* hebetes & brutos *homines, Germanica & Britannica lingua,* Bot, *id eſt, Bœotos appellemus.*

263. Athenis ſapiendi dicendique acutiſſimos &c.] *Huc pertinet illud Ciceronis in Orat. pro Flacco: Adſunt Athenienſes, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur. Ité quod à Platone in Protagora: Athenæ prytaneum ſapientiæ appellentur. Denique quod idem Dial.* 1. *de Legibus, vocet ciuitatem eloquentiæ, & multi ſermonis ſtudioſam. Eſt autem peculiare Auctori quod addit:* penes Colytum pueros menſe citius eloqui.

Siquidem & Plato in Timæo Mineruam, &c.] *Videtur aliud exemplar habuisse auctor* Platonis, *quam vertit*: nihil aliud Mineruam regionis naturam prospexisse, talia ingenia pollicitam, *nam hodie longe aliud habet Latinus Platonis Interpretes, Dea (inquit) vobis habitationem designauit delecto loco in quo geniti estis, temporum anni temperiem in eo conspicata, quod sapientissimos viros producturus esset. Aut saltem Græcas voces* τὴν εὐκρασίαν τῶν ὅρων ἐν αὐτῷ κατιδοῦσα, *aliter vertit, ac si diceret: naturam, id est, habitudinem bonam regionis prospectans, nec male,* ὅροι *enim Regionis fines siue limites significant magis proprie, quam anni tempora.*

265. Vnde & ipse in legibus, Megillo & Cliniæ præcipit, &c.] *Sunt 6. Dialogorum Platonis de* Legibus *interlocutores:* Megillus *Lacedemonius,* Clinias *Cretensis, & Atheniensis hospes, nihil tamen eiusce modi hactenus in illis reperire potui. Quærat curiosus Lector, sicut etiam de sententia* Empedoclis, *ne sim prolixior, & loco apud* Comicos, qui timidos Phrygas illudunt.

266. Sallustius vanos Mauros, & feroces Dalmatas pulsat.] *Suspicor istud sumptum ex historiarum libris* Salustii, *nam in libris hactenus æditis non reperitur. Atqui illud,* Cretenses mendaces, *reperitur apud Apostolum, ad Titum* 1. *cap.*

267. Et nos secvndvm fidem disserenda svo iam novimvs titvlo.] *Adludit hauddubie ad librum de Fato, cuius fragmentum habetur infra Tom.* 4. *Atqui de* Arbitrii libertate, *paulopost latius cap. sequenti.*

CAP. XXI.

268. Quod si vniformis natura Animæ, &c.] *Titulum huic capiti, à præcedenti separato, damus:* Quod etsi vniformis, conuertibilis tamen sit animæ natura, id est, liberi Arbitrii.

269. vt adhuc Trinitas Valentiniana cædatur] *Adludit hauddubie ad* Trinitatem *hominis, quam supra libro præced. Valentinianis adscripsit, cap. 26. de qua ibi latius nu.* 281. *Quum enim dicat,* vt adhuc cædatur, *videtur omnino indicare, quod etiam iam prius ab eo* cæsa fuerit, *id est, impugnata* Trinitas Valentini, *atque adeo vel hinc colligitur scriptum ante hunc, dictum librum aduers. Valentinianos.*

270. si quia prophetauit magnum illud Sacramentum, &c.] *Etiam iste locus facit ad adsertionem, quod* matrimonium sit Sacramentum, *adludens ad illud Apost Ephes. c. 5. sicut etiam supra c.* 11. *& alibi frequenter, quemadmodum late adnotauimus supra ad l. de Præscript. adu. hæret. c.* 40. *nu.* 248. *& libro adu. Valent. cap.* 30. *nu.* 30. *nu.* 328. *& infra rursus capite vlt. lib.* 5 *aduers. Marcion.*

271. quum in illum Deus amentiam immisit, &c.] *De hac latius Tom. sequent. inter fragmenta lib.* Ecstasi.

272. quia & materiæ fidem iam exclusimus.] *Manifeste hic adludit rursus ad librum adu. Hermogenem, cap.* 13. *Atque adeo constat librum hoc priorem.*

273. Iidem enim conuertibilem negant naturam, vt Trinitatem suam in singulis proprietatibus figant] *Istud quum libri aduersus Valent. cap. 29. adscripserit eis Auctor, dicens:* naturificatæ *(nempe animæ)* iam spiritalis conditionis, germinatæ, certam obtinebunt salutem, immo omnimodo debitam, *hic præterea argumentum adijcit, quo vtebantur ex scriptura, Matth.* 7. *de* arbore bona & mala, *quod ipsum aliis scripturis eludit, & egregie confutat.*

274. & nemo de spinis metat ficus, & de tribulis vuas.] *Hauddubie istud citat ex Luc. cap. 9. nam ibi legitur:* neque de spinis colligunt ficus, neque de rubo vuam, *pro eo quod Matthæus:* Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? *Quum autem vtrobique Græce legatur* συλλέγουσιν, *quod recte vertit Interpres vulgatus,* colligunt, *mirum est quod* metat *legatur ab Auctore.*

275. Et errauit Apostolus scribens: Eratis & vos aliquando, &c.] *Haud absimiliter B. Aug. vnam scripturam ex altera interpretatus, li. contra Adamant. capite* 26. Fuistis enim aliquando tenebræ *(inquit Apostolus)* nunc autem lux in Domino: *tanquam si diceret: Fuistis aliquando arbores malæ, & ideo non poteratis tunc nisi fructus malos facere,* nunc autem lux in Domino, *id est, etiam facti estis arbores bonæ.*

276. Sed numquam discordabunt sententiæ sanctæ.] *Elegans locus & Regula interpretandi scripturas sacras per se mutuo.*

277. Non dabit enim arbor mala bonos fructus, &c.] *Similiter fere respondet B. Hieronym. Iouiniano, lib. 2. adu. eundem, qui eadem hac scriptura nitebatur probare, quicumque baptizati essent, tentari, & peccare non posse, atque adeo (sicut hic loquitur Auctor) negat* conuertibilem naturam *in homine baptizato.* Arbor *(inquis)* mala fructus bonos non facit, nec mala bonos. *Si hoc ita est, responde mihi, quomodo Paulus, quum esset arbor mala, persequens Ecclesiam Dei, postea fecit fructus bonos? & Iudas, quum esset arbor bona, signa faciens cum Apostolis, postea versus in proditorem fecerit fructus malos? Quæ ipsa & multo plura in eandem rem exempla adfert idem B. Hieronym. Comment. in Matth. concludens: Tamdiu ergo bona arbor, fructus non facit malos, quamdiu in bonitatis studio perseuerat: & mala arbor tamdiu manet in fructibus peccatorum, quamdiu ad penitentiam non conuertitur. Quem locum hic adduximus, quod etiam hodie quidam eandem hæresin velut ex orco resuscitare non vereantur.*

278. Et genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient.] *Sic etiam paulo prius:* nec genimina viperarum *(poterunt)* facere pœnitentiæ fructum, *& supra lib. aduers. Hermog. c.* 12. *nu.* 47. *(quo adludit verbis mox sequentibus,* iam ostendimus & Hermogeni*) similiter:* Ergo de lapidibus filii Abrahæ non suscitabuntur, & genimina viperarum non facient pœnitentiæ fructum, si de malo in bonum natura demutari non poterit. *Vertens etiam apud Matth.* genimina, *eo quod eadem vox Græca,* γεννήματα, *tam apud illum quam apud Lucam inueniatur. Hoc interim mirum quod non legat:* dignos fructus, *quum tamen Græce vtrobique legatur:* καρποὺς ἀξίους.

279. habens in nobis subiacentem sibi liberam arbitrii potestatem, &c.] *Quomodo* libera arbitrii potestas subiaceat diuinæ gratiæ, *infra latius lib. 2. adu. Marc. vbi ex professo de* Libero arbitrio *disputat, quod hauddubie respicit quum dicit:* Inesse autem nobis τὸ αὐτεξούσιον naturaliter, iam & Marcioni ostendimus. *Et si enim posterius prodierint libri aduersus Marcionem, eodem certe tempore saltem primum & secundum librum scripsisse videtur, quo hunc librum, sicuti supra etiam adnotauimus cap.* 18. *nu.* 245. *Atqui* αὐτεξούσιον *etiam Nazianzeno alicubi vsitatum est, quum homo scribitur* τῷ αὐτεξουσίῳ τιμηθείς, *id est liberi arbitrij facultate donatus. Sic etiam Epiphan. contra Arioman.* τὸ αὐτεξούσιον *Deus Adæ dedit, & vnusquisque sibi ipsi fit peccati Auctor, & Macarius Ægyptius homil.* 15. τὸ αὐτεξούσιον *quod primitus homini dedit Deus. Item illud Clement. Alexandrini lib. 5. Stromat.* τὸ αὐτεξούσιον *etiam Plato per hæc ostendit: Virtus autem non paret alterius dominio, quam prout vnusquisque honorauerit vel despexerit, erit eius particeps. Eius qui elegerit culpæ, non potest in Deum caussa conferri. Deus enim nunquam est caussa malorum. O Troiani bellicosi (inquit Lyricus) Iupiter regnator superum, quia omnia aspicit, non est mortalibus caussa malorum. Sed omnibus hominibus in medio est propositum, vt adprehendant iustitiam castam. Quæ verba eo huc adlegauimus, vt si non ex scripturis, vel ex Ethnicis ipsis conuincatur Caluinus, Deum faciens caussam malorum. Verum de hoc paulo latius To. sequ. inter fragmenta libri Tertulliani de Fato.*

280. Quod quum soli Deo competat, &c.] *Nempe;* innatum infectumque esse, *quo fit vt supra cap* 4. Animam natam factamque *adseruerit, quo tacite adludit hoc loco.*

CAP. XXII.

281. Cetera Animæ naturalia, &c.] *Caput hoc, etiam diuisum à duobus præcedentibus, inscribimus:* De Animæ definitione. *Nam postquam mentionem fecit denuo eorum quæ tractauit in libro de Animæ censu adu. Hermogenem, cuius fragmenta habentur Tomo sequenti; Animam definit verbis sequentibus, quibus adeo etiam paucis insinuat quæcunque toto hoc libro tractata sunt, & tractabuntur.*

282. Definimus animam Dei flatu natam.] *De* Anima nata *habes supra c. 4. quod ex* Dei flatu, *cap.* 11.

283. immortalem.] *Etsi istud ex professo non tractet, quod esset tum temporis extra controuersiam, frequens tamen eius hoc libro mentio, nempe c. 2. 3. 6. 9. 14. & infra c. 24. 38. 45. 51. 53. & 54. vbi de opinionibus Philosophorum eam agnoscentium diximus, differentes Aristotelis hac de re opiniones vsque ad initium lib. de Resurr. car.*

284. corporalem.] *De Anima, quod* corporalis *sit quamquam ad paradoxa eius istud pertineat, tractauit late supra ca. 5. 6. 7. & 8.*

285. effigiatam.] *Quod* effigiata *sit, alterum paradoxon tractatum etiam habes supra c.* 9.

286. substantia simplicem] *Istud tractatur cap. 10. quod* vniformis & simplex sit.

287. de suo patientem] *Quod passibilis, atque adeo* de suo patiens *sit Anima, tractatum fuit c.* 12.

288. varie procedentem.] *De variis animæ partibus siue viribus & efficaciis, quibus* varie procedit, *vide supra 13. cap.*

289. liberam arbitrii.] *De hoc cap. 20. ac 21.*

290. accidentis obnoxiam.] *Adludit ad id, quod paulatim proficiat Anima in sapientia.*

291. per ingenia mutabilem.] *Hoc tractatur cap.* 20.

292. rationalem dominicatricem.] *Cap. 16. de* rationali Anima *tractatum est, quæ indignatiuo & concupiscentiuo dominatur.*

293. diuinatricem] *Huc pertinet, tum quod supra dixit cap. 19. vbi agit de* voce flebili infantum augure incommodorum, *tum infra vbi de somniis tractatur cap.* 45.

294. ex vna redundantem.] *Deinceps istud tractatur cap. 23. 24. 25. 26. 27. sicuti immediate sequitur,* nunc *(inquit)* vt quomodo ex vna redundet, consideremus, id est, vnde & quando, & qua ratione sumatur.

CAP. XXIII.

295. Quidam de cœlis deuenisse se credunt, &c.] *Titulum hic antiquum retinuimus:* Vnde Anima, aduersus hæreticos qui eam de cœlis deferunt. *Agit autem etiam contra hanc hæresin (quippe quam & Origenes l. 1. Periar. c. 7. tuebatur) B. Hier. non modo Epist. ad Marcell. & Anapsychiam, quæ exstat etiam inter Epist. B. Aug. n. 27. verum etiam epist. ad Demetriad. iuxta ædit. Rom. n. 8. in Epitaphio Paulæ. Epist. 59 ad Auitum, & 61. ad Pammach. Similiter etiam Epiph. Epist. aduers. Ioan. Hierosolym. Eodem pertinet quod habet B. Gregor. Nyssen. libr. de Anima & Resurr. de iis qui nationes quasdam animarum ponunt, in peculiari quadam ciuitate, antequam ad corpoream vitam veniant, viuentes cui similia recenset lib. de Hom. cap. 29. & quod habet idem Philosoph. libro 2. qui de Anima inscribitur, capite vltimo. Gradus vero animarum & ascensiones & descensiones, quas Origenistæ in-*

ducunt, nihil diuinis scripturis conuenientes, neque Christianorum dogmatibus concordantes, relinquenda sunt.

296. vt Saturninus Menandri Simoniani discipulus, &c.] *De hoc eiusdem hæresi late supra lib. de Præscript. adu. hæret. cap. 46. hær. 3. nu. 203.*

297. Sed & Carpocrates.] *De hoc ibidem cap. 48, hær. 9. num. 318. & infra latius cap. 35. Priori loco de* virtute sublimi despectrice mundi potentium principatuum, *quippe ex qua dicebat prolatos angelos qui mundum condidissent, hic addens, quod* Animas ex illa virtute conceperint *infra vero de Metempsychosi animarum. Atqui ad intellectum illius:* vt discipuli eius animas suas, iam & Christo nedum Apostolis, & peræquent, & quum volunt præferant, *videantur Epiph. hær. 27. adu. Carpocratem, vbi late id prosequitur.*

298. Apelles sollicitatas refert Animas, &c.] *Huius etiam libro iam dicto fabula est mentio c. 5. 1. hær. 19. num. 324. & infra Tomo sequ. inter fragmenta Tertull. aduersus* Apellem. *Huc autem propius accedit quod illi attribuit Epiph. hær. 44. quamquam paulo obscurius: de animabus ex supernis progressis, & in mundum dimissis à superno Deo, quo vbi venerunt, delapsa sint ad malum. Item quod addit ibidem de animabus, quod non ex voluntate superioris Dei venerint, sed per tyrannidem raptoris. Huc etiam respicit ipse auctor infra lib. de Resurrect. carnis, cap. 5. quum dicit:* Futile & friuolum istud corpusculum, quod malum denique appellare non horrent, etsi ignei alicuius exstructio æque angeli, vt Apelles docet: sufficeret ad auctoritatem carnis.

299. Examen Valentini semen Sophiæ infulcit Animæ, &c.] *Istud habes latius supra lib. adu Valentin. toto cap. 25.*

300. Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum.] *Huc pertinet quod supra lib. de Præscript. adu. hæret. c. 7. docet auctor,* originem hæreseon esse ex Philosophia, *vbi de hoc latius, n. 36. & illud lib. adu. Hermog. cap. 8. nu. 32.* Hæreticorum Patriarchæ Philosophi. *Peculiariter autem non solum Pythagoræ ac Platoni, sed & reliquis Platonis, hunc errorem adscribit B. Hieronym. Epist. ad Marcell. & Anapsych. ac ad Pammachium supra citatis, immo vero etiam ipsa verba Platonis, quibus id adserit, subijciuntur ab Auctore.*

301. Illius est enim vt in Phædone, &c.] *Videtur respicere ad illa verba Socratis* in Phædone Platonis: *Vetus equidem sermo quispiam hic est, cuius nunc mentionem facimus,* quod hinc abeuntes illuc (*sic enim lego ex Tertull. pro:* illic *eo quod vtrumque vox Græca ἐκεῖ significet*) sint, & rursus huc redeant. *& rursum: Fuerunt ergo, ô Simmia, Animæ nostræ etiam prius quam in hominis specie essent, absque corporibus, & sapientiam habuerunt. Huc autem adluxit Saturninus hæret.*

302. Item in Timæo, quod germina, &c.] Germina Dei *Vocat auctor, quos, Dei filios, Plato. Sic enim habet* in Timæo, *ipsis hic citatis verbis: Mortalium autem productionem filijs suis absoluendam demandauit. Hi vero illum imitantes, accepto immortali animæ principio, postea mortale corpus ei circumdederunt, &c. ne prolixiores simus. Istud autem ad hæresin Apellis proxime accedit, & ad Carpocratis, quantum ad mundi fabricam attinet.*

303. mortale ei circumlegauerint corpus.] *Verba illa loco mox citato Platonis, de influxu & defluxu animarum in corporibus cum conglutinatione, tribus his verbis Metaphoricῶς expressit, tamquam si circumgelati essent illi fluctus seu defluxus, ad separationem vsque Animæ & corporis, maxime quum eodem libro diu postea etiam ipse Plato humores in corporibus grandiores congelari dicat. Neque vero istud hic dumtaxat, sed etiam supra, nimium suæ opinioni tribuens de Anima corporea, cap. 9. quum dicit:* Flatum illum Dei (*id est, Animam*) in interiora transmissum, & per vniuersa spatia corporis diffusum, simulque diuina aspiratione densatum, omni intus linea expressum esse, quam densatum impleuerat, & velut in forma gelasse. Inde igitur & corpulentiam Animæ ex densatione solidatam esse.

304. Tum, quod mundus hic imago sit alterius.] *Istud ita expressit, vbi supra, Plato: His autem ita se habentibus, etiam necesse est* mundum imaginem alicuius esse. *Hinc vero videntur Valentiniani suas mutuati imagines.*

305. Et: Animam retro in superioribus, &c.] *Non potui aliud reperire in Timæo Platonis huc pertinens, quam quod Deus summus opifex constituto vniuerso diuisit animas, æquali cum syderibus numero, & singulas singulis assignauit, & velut in vehiculum impositis vniuersi naturam ostendit, & leges fatales ipsis exposuit, quodque origo prima quidem futura esset ordinata vna omnibus, oporteret autem ipsas seminatas in singula conuenientia singulis temporibus instrumenta (corpora nempe) producere animal diuino cultui deditissimum. Quo libro quum nusquam dicit,* Animam hic quæ retro norit de exemplaribus recensere, *magis puto istud ad Phædonem referri, cuius etiam paulo prius meminit, vbi vtrumque reperire est.*

306. Μαθήσεις ἀναμνήσεις, id est, discentias reminiscentias esse.] *Locus iste haud dubie ex Phædone, non ex Timæo, Platonis desumptus est. Sic enim ibi legitur: Sed & secundum illum sermonem (inquit Cebes) si verus est, ô Socrates, quem tu frequenter refers soles, ὅτι ἡμῖν ἡ μάθησις οὐκ ἄλλο τι ἢ ἀνάμνησις τυγχάνει ὄυσα, id est, si ad verbum cum Tertulliano vertamus: quod nobis* discentia *non aliud sit quam* reminiscentia (*pro quo interpres Platonis vertit, quod discere nihil aliud sit nobis quam recordari*) *& secundum hunc (inquam) necesse est nos in priore quodam tempore didicisse ea quæ nunc recordamur. Hoc autem fieri non posset, si non fuissent alicubi Animæ nostræ, prius quam in hanc speciem deueniret. Atqui mox & Simmias idipsum ibidem confitetur, & multis rationibus, non modo Cebes, sed & Socrates ipse paradoxon hoc confirmare nituntur, verum egregie confutat auctor c. proximo.*

307. Venientes enim inde huc Animas obliuiscí, &c.] *Etiam hoc ibidem paulo posterius adserit & probat Socrates, verum hoc imprimis, impugnat dicto sequenti capite auctor.*

CAP. XXIV.

308. Primo quidem obliuionis capacem Animam non cedam, &c.] *Veterem titulum huius capitis retinuimus:* Aduersus Platonis argumentum, quod discentias reminiscentias vocat. *Quod ipsum Platonis paradoxon, etiam ante Tertull. impugnauit Irenæus l. 2. aduers. hæret. cap. 29 & B. Gregor. Nyssenus Philosoph. lib. 4. cap. 7. ac etiam B. Augustinus libro 7. de Gen. ad litt. cap. 9. 10. 11. ac lib. 10. cap. 4. Item lib. 12. de Trinit. cap. 15. & l. 1. Retract. cap. 4.*

309. quia tantam illi concessit diuinitatem vt Deo adæquetur, &c.] *Pulchre ex ipso Phædone confutationem auspicatur, vtpote quum ibi legatur ijsdem pene verbis, quibus hic auctor vtitur: Aut non videtur tibi (inquit) diuinum quidem tale natura esse, vt imperet & principatum gerat, mortale vero, vt seruiat & subiectum sit? Mihi sane. Vtri igitur* Anima similis est? *Nimirum, ô Socrates, Anima* diuino, *corpus mortali. Considera (inquit) itaque ô Cebes, an ex omnibus relatis hæc nobis efficiantur.* Diuino *quidem, &* immortali, τῷ νοητῷ (*pro quo* intellectuali *vertit auctor*) *&* vniformi, τῷ ἀδιαλύτῳ (*quod alibi ad verbum* indissolubilem, *hic vero:* incorruptibilem *transtulit*) *& semper similiter & secundum eadem se habenti,* ὁμοιότατον, *id est, ita similem* vt adæquetur, esse Animam. *Et paulo post:* ἡ δὲ ψυχὴ ἀιδὲς τῷ ἀειδές, *id est, Anima vero quæ* inuisibilis *est. Atqui quibus locus* innatam *dicat, vide supra num. 54. vbi* incorporalem. *num. 110. vbi* ineffigiabilem *n. 110.* vbi principalem, *n. 191. vbi denique* rationalem, *num. 207. 208.*

310. quod natam eam agnoscimus, &c.] *De hoc habes supra cap. 4.*

311. SATIS DE ISTO CVM HERMOGENE] *Iterum adludit ad librum De* Censu animæ aduersus Hermogenem, *cuius fragmenta habes Tomo sequenti.*

312. memoria scilicet, quam & ipse Plato sensuum & intellectuum salutem.] *Iterum ex Platonis Philebo in Platonem argumentatur, quod non modo* obliuionem, *iniuriam, seu potius ἔξοδον* Memoriæ *dicat, verum etiam diserte αἰσθήσεως σωτηρίαν, pro quo plurali numero vertit auctor* salutem sensuum & intellectuum, *eo quod Græca vox & sensum, & intellectum significet.*

313. & Cicero thesaurum omnium studiorum prædicauit.] *Adludit opinor ad li. 1. de Oratore* Ciceronis, *vbi* thesaurum rerum omnium memoriam vocat. *Citatus autem fuit etiam supra* Cicero *in Tusculanis ab auctore Tom. 1. cap. vlt. Apolog. & de* Ciceronianis mensis *infra loquitur, cap. 33. & supra lib. de Pal. cap. 5. num. 101. vbi* M. Tullium *vocat.*

314. Natura competem Animam facis Idearum illarum, an non?] *Respondet ex Platonis sententia:* Immo natura, inquis. *Et recte, nam cap. præced. citatus fuit locus eiusdem, vbi dixit:* Animam retro in superioribus cum Deo egisse in commercio Idearum. *Porro de* Ideis *vide supra cap. 18. num. 238.*

315. quia vt præmisimus, & pro locis, &c.] *Supra nempe cap. 19.*

316. cum toto suggestu iubarum, delicium fiet Berenices alicuius reginæ.] *Non semel adnotauimus* suggestum *pro ornatu accipi ab auctore. Atqui quod* alicuius Berenices Reginæ *mansuetudine eruditus* Leo delicium *fuerit, tradit Ælianus lib. 5. de Animal. cap. 39. Addit autem* alicuius, *tum pro more loquendi suo, tum quod plures eius nominis fuerint. Præterquam enim quod, Plinio teste l. 7. cap. 40. fama celeberrima fuerit* Berenice, *& filia, & soror, & mater Olympionicarum, celebrantur etiam* Berenice *mater Philadelphi, & eiusdem filia, item apud Iosephum* Berenice *Herodis filia, & altera Salomes sororis eiusdem filia; Fortassis autem eodem pertinet, quod ait Plinius lib. 8. cap. 16. mulierum alloquiis mulceri solere leones.*

317. & si languenti theriacam composuerit, simiam Leo requiret.] *Adludit ad illud Plinij loco citato: Ægritudinem fastidij tantum sentit, in qua medetur ei contumelia, in rabiem agente annexarum lasciuia* simiarum.

318. gallum tamen formidabit.] *Etiam hoc ex Plinio ibidem: Atque hoc (inquit) tale, tamque sauum animal, rotarum orbes circumacti, currusque inanes, &* gallinaceorum cristæ, *cantusque etiam magis, terrent.*

319 memor semper manducandi, &c. & oculis videndum, &c.] *Variat casus in Gerundius, nam* memor, *&* memini *non modo vt communiter, cum Genitiuo; sed & cum Accusatiuo construuntur. Atqui de eo quod* sensus Philosophia depreciat. *vide supra ca. 13.*

320. Ex multitudine, ait, temporis.] *Adludit ad verba illa Platonis in Phædone: Nonne recordatio est, maxime vbi alicui acciderit circa illa, quorum per tempus, & eo quod diu non consperit? pro quo transtulit auctor:* ex multitudine temporis. *Verum etiam istud pulchre auctor refutat, ex eo quod innatam Plato Animam dixerit, & proinde æternam, sine temporis initio.*

321. Sed rursus Plato caussam demutat in corpus, &c.] *Et si non omnino disertis verbis istud in Phædone Platonis reperiatur, satis tamen id indicat, ex eo quod dicit corpus impedire Animam quo minus sapiamus, tum inde, quod, non ex quo nati sumus, sed diu postea, recordari, & proinde scire, incipiamus.*

A 322 Multa item documenta, teste ipso Platone, diuinationem Animæ probauerunt.] *Inter alios venit hic adnotandus locus ille Platonis in Phædro: Etiam Anima vaticinandi quandam vim habet, Eodem pertinent quæ infra dicuntur cap.45 de Somniis.*

323. QVAE PROPOSVIMVS IAM HERMOGENI.] *Rursum adludit ad librum de Censu Animæ aduersus* Hermogenem, *cuius fragmenta de diuinatrice Anima habes Tom.seq.*

324. Plato scilicet solus, &c. Idearum & oblitus & recordatus est.] *locus est in Platone, qui primus* Idearum *somnia in lucem emisit, scripto eius argumenti Dialogo, quem Parmenidem inscripsit, & frequentissima alibi earum mentione iniecta, quemadmodum etiam supra adnotauimus cap.18.n.283.*

CAP. XXV.

325. Iam nunc regrediar ad caussam huius excessus, &c.] *Veterem titulum huius capitis sic locupletauimus:* de conceptu Animæ, aduersus eos, qui post partum corpori eam inducunt, ex respiratione infantis aut frigido aere circumfuso. *Atqui animam corpore non esse posteriorem multis argumentis probat etiam B. Nyss.lib. de Creat. homin.c.29.& seq. ac lib.de Anim.& Resurrect. Id enim hic proprie tractatur; illud vero paradoxon quod hic tractandum etiam proponit:* quomodo omnes Animæ ex vna redundent, *tractatur infra cap.27.*

326. sed & effuso iam partu, nondum viuo infanti, extrinsecus imprimi, &c.] *Eandem hanc opinionem impugnat alicubi Plutarchus, & pulcherrime Lactant. lib. de Opific. Dei, cap.17. Varro (inquit) ita definit: Anima est aer conceptus ore, deferuefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus. Hæc apertissime falsa sunt. Anima non est aer ore conceptus, quia multo prius gignitur Anima, quam concipi aer ore possit. Non enim post partum insinuatur in corpus, vt quibusdam Philosophis placet: sed post conceptum protinus cum fœtu in vtero necessitas diuina formauit: quia adeo viuit in visceribus genitricis, vt & incremento augeatur, & crebris pulsibus gestiat emicare. Denique abortum fieri necesse est, si fuerit animal intus extinctum.*

327. Hoc Stoici cum Ænesidemo.] *Nempe (sicuti etiam infra Auctor repetit c.seq.) quod de* aeris rigore vim animalem anima rapiat. *De* Ænesidemo *vero vide supra c.9.n.117.* Stoicorum *autem hanc opinionem vide apud Plutar.lib.5.de Plac.Philosoph.c.15.*

328. & ipse interdum Plato, quum dicit perinde animam extraneam, &c.] *Sic omnino legimus, pro eo quod incongrue legebatur:* anima. *Atqui Platonis locum, ad quem adludit (hactenus à me non inuentum) interpretatur Carpentarius in Alcinoi capite 17. Institut. Platon. non de animatione sed de perspiratione, idque ex Plotino, cap.19. ac 33. libr.1. de dubiis Animæ, & Mars. Ficin. Theol. Platon. libr.18.cap.3. Reperitur tamen idipsum ab Auctore cap.sequent. qui dicit:* Etsi ipse Animam de prima spiratione portabat Platonico more.

C 329. Nec ex Medicis quidem defuit Hicesius, &c.] *Apertius huius sententiam infra hoc ipso c. sic explicat:* Hicesius iam natis Animam superducens, ex aeris frigidi pulsu. *Atqui vocatur* Hicesius *non paruæ auctoritatis* Medicus *à Plinio l.27.c.4. & ab eodem citatur libro 20 & septem sequent. in Catalogo Auctorum, & in contextu lib.14 cap.19. ac lib.22 cap.16. Denique etiam ab Athenæo non procul ab initio lib 7.*

330. At quanto roboratior exitus, à fœminis reuinci, &c.] *Sic iterum lego cum Gagnæo, pro eo quod Gelenius substituit:* Aut. *Eleganter autem confutat horum sententiam per experimenta ipsa fœminarum, in quibus* ita viuacitas sentitur infantis, vt palpitent ilia, micent, *id est, quodammodo* ludant latera, tota ventris ambitio pulsetur. *Legimus autem etiam omisso, &, cum Gagnæo:* an & audiat iam in vobis.

331. Atquin & ipso adhuc vtero infans trucidatur necessaria crudelitate, &c. *Hic tanquam Medicus adfert* arma Medicorum peremptoria viuentis infantis, quibus infans *(inquit)* trucidatur necessaria crudelitate, ne matricida fit iamiam moriturus. *Quæ interim verba ita sunt intelligenda, vt ex Medicorum illorum veterum Ethnicorum loquatur sententia, non sua. Si enim iuxta Archidiac. & alios Summarum Auctores non liceat prægnantibus potionem dare, vt aboritant ad præseruandam eas à morte; certe multo minus infantem in vtero per instrumenta illa, quorum hic fit mentio, licebit trucidare, maxime vero, quod mors Animæ, nempe partus sine baptismo morientis, multo magis sit vitanda, quam mors corporis matris prægnantis.*

D 332. cum hebete vnco quo totum pecus adtrahitur, &c.] *Noue hic vsurpat* pecus, *pro fœtu in vtero mortuo, seu cadauere infantis, pro eo quod quidem Gagnæus legebat:* facinus. *sed non placet, eo quod infr. lib. de Resurrect. carnis cap 34 dicat:* quod pecus totum est, *loquens de homine composito ex anima, & carne.*

333. Est etiam æneum spiculum, &c.] *De huius vsu & ministerio vide Corn. Celsum, libro 7. capite 2. Vncus est medicinalis ad educendos fœtus, mortuos præsertim. Quibusdam videtur esse instrumentum ὄνυξ siue πίεστρον dictum ab Hippocrate libro de superfœt. & libro περὶ γυναικείων: quod Galenus βρυοθλάστην exponit.*

334. quia & ipsum vocabulum Animæ penes Græcos, &c.] *Adludit ad Platonem in Cratylo, quem sequitur etiam Origenes in libris peri archôn: Arbitror (inquit Plato) illos qui sic ψυχὴν vocarunt, hoc potissimum cogitasse, quod hæc, quoties adest corpori, caussa est illi* vivendi, respirandi, & refrigerandi, τοῦ ἀναψύχειν *vim exhibens, & quum primum desierit, quod* refrigerat, *dissoluit corpus & interit. Certe etiam ψυχάζω refrigerare significat. Impugnat autem etiam infra Auctor c.27.* Et si *(inquit)* frigidum nomen est Anima Græcorum, quare & corpus exempta ea friget?

E 335. quia Animam aliud quid, &c. cognominauerunt?] *Confirmat hic eorum sententiam Auctor, qui animam, non ἀπὸ τοῦ ἀνέμου id est, vento (nam concordaret parum præcedenti etymologiæ vocis Græcæ) sed Latinæ coloniæ faciunt, vti ipse Cicero in Tuscul. satis indicat. Quare recte, post Lactant. loco supra citato n.326. eam definitionem impugnans Isidor. Etymol. lib.11. c.1. subiungit: Sed* Anima *dicta propterea quod viuit: quo pertinet etiam illud Nonij Marcelli:* Anima *qua viuimus; vt nempe ab animando dicatur.*

336. Quantæ vero nationes sub feruentissimo axe, &c.] *Intelligit* nationes, *quæ sub zona media viuere censentur, quam iuxta Pompon. Melam lib.1. cap.1. æstus infestat, cuius situs ob ardorem intercedentis plagæ incognitus.*

337. extra Germanias, & Scythas & Alpes, & Argæos, &c.] *De* Germaniis & Scythis & Sarmatis *vide supra Adnotat. nostras Tom. 1. lib. aduersus Iud. cap.7.n.44.* Alpes *omnibus notæ sunt.* Argæos *vero quos nuncupet, hactenus reperire non licuit, neque apud Plinii, neque apud Ptolomæum, Melam, aut Solinum; quare suspicor mendum esse, aut antiquitus ita vocatos, quos Ptolomæus* Sarmaticos *montes vocat. Geograph. libro 2. capite 11. Tabul. 4. Europæ, qui supra caput Danubij sunt, idem etiam cum Alpibus nomen habentes.*

F 338. qui execto matris vtero viui aërem hauserunt. Liberi aliqui, & Scipiones.] *De his ita Plinius quem imitari solet, lib.7.c.9. Auspicatius enecta parente gignuntur. Sicut* Scipio *Africanus prior natus, primusque Cæsar à Cæso matris vtero dictus. Qua de causa & Cæsones appellati. Addens autem* Liberi aliqui, *adludit ad fabulam, cuius meminit etiam Plin. lib.6. c.21. qua creditur ex Iouis semine natus, atque adeo exsectus* Liber.

339. Quod si qui, vt Plato, perinde non putat duas Animas in vnum conuenire, &c.] *Supra capite 6. Chrysippo adscribit, non* Platoni, *quod* duo in vnum corpora negarit, *vbi vide numero 90. In* Platone *autem, quod* duæ animæ in vnum conuenire non possint, *hactenus reperire nequiui, relinquens id curioso Lectori inquirendum.*

340. dæmonis scilicet, nec vnius, vt in Socrate.] *De hoc vide supra cap.1.nu.12.*

341. verum & septenarii spiritus, vt in Magdalena, &c.] *Adludit ad illud Marci 16.* Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia. *Item id quod habetur Marc.5. de* dæmone Geraseno *respondente:* Legio mihi nomen est. *Siue autem legas:* conferetur, *cum Gagnæo, siue:* conseretur, *perinde mihi videtur.*

342. At idem in sexto Legum, &c.] *Platonem iterum intelligit. Videtur autem ad illum locum* sexti Legum *libri eiusdem adludere, vbi dicit: Per hoc maxime tempus, quo quis generat, vereri oportet, & non facere vltro quæ morbosa sunt, neque ea quæ cum contumelia aut iniuria coniuncta sunt. Nam in* Animas *&* corpora *eorum qui generantur, imprimi ac efformari necesse est, & penitus deteriora gignere.*

G 343. secundum Cleanthis testimonium.] *Vide de hoc etiam supra cap.5.nu 75. Atqui* supparare *verbum Auctori vsitatissimum, quo etiam vtitur infra cap.30.*

344. Cur autem & veteres Astrologi genituram hominis, &c.] *Supra etiam aliquid de* Astrologis *dictum est Tom.2. lib. de Idol. c.9. num.45. & infra latius de* geniturarum digestione, *lib.1. aduers. Marcion.*

CAP. XXVI.

345. Sed omnis inæqualitas sententiæ humanæ, &c.] *Caput hoc, maioris elucidationis gratia separatum, eiusdem est argumenti cum præcedenti, nisi quod ex scripturis sacris suam probet Auctor sententiam. Atqui de Prouerbiali formula:* in nostras iam lineas gradum colligam, *vide nostra Prolegomena. Malo autem legere cum Gagnæo:* De tuo frater *(id est, Christiane)* fundamento, fidem ædificem, *quam cum Gelenio:* ædifica, *eo quod præcedit:* probem.

346. Ecce viscera Rebeccæ, &c.] *Late prosequitur historiam Gen.10 de* Rebecca *& duobus eius filiis, tum in vtero, tum in partu, qui nisi iam animati non potuissent pugnas illas intentare.*

H 347. Aspice etiam singulares conceptus, &c.] *Similiter etiam hic* conceptus Ioannis Baptistæ *&* Christi, *ac mutuam agnitionem infantium adhuc in vtero, de quib. Luc.2. Pulchre vero:* Exultat *(inquit)* Elizabeth, Ioannes intus impulerat, glorificat Dominum Maria, Christus intus instrinxerat.

348. Sic & ad Hieremiam, &c.] *Ad eiusdem rei comprobationem, etiam* Hieremiæ Prophetæ *ex c.1 testimonium adfert, idipsum conferens cum sæpissime citato loco Gen.1.*

CAP. XXVII.

349. Quomodo igitur animal conceptum, &c.] *Inscriptionem huic capiti, etiam à præcedentibus duobus distincto, damus:* Animam simul cum corpore concipi, confici, & perfici. *Quod ipsum repetitum ab Auctore tum supra, tum infra cap.36. quum ad paradoxa Tertulliani pertineat, longiorem ea de re tractatum ad Prolego-*

mena

mena differimus, hic adduxisse contenti illam Gennadij seu alterius cuiuspiam definitionem Ecclesiasticam : Animas hominum non cum corporibus seminari, sicut Luciferiani, Cyrillus, & aliqui Latinorum (inter quos hauddubie Tertullianus) præsumentes affirmant: sed formato iam corpore Animam creari & infundi à Deo. Verum hoc de Anima rationali intelligendum : nam quod Anima vegetatiua in Animalibus omnibus simul cum corpore seminetur, nemo dubitat.

A

350. Si mors non aliud determinatur, quam disiunctio corporis Animæque, &c.] *Latius hoc infra deducit capite* 42. *Sed inde non colligitur, simul cum corpore Animam seminatam, sed sufficit quod Deo Animas creante, fiat eodem momento vita hominis per coniunctionem corporis & Animæ. Est enim falsissimum quod addit auctor:* Porro vitam à conceptu agnoscimus, *quia secundum Physicorum Medicorumque sententiam, non nisi* 40. *die animatur masculus, fœmina vero die* 80.

351. Tunc si alteri primatum damus, alteri secundatum &c.] *Addimus iterum* : Tunc, *ex Gagnæo, quia Tertullianicum est, sicut etiam voces* primatus & secundatus. *Atqui confutatur hoc argumentum per sui absurditatem, à B. August. Epist.* 157 *ad Optatum, de Origine Animæ: Nam (inquit) & illi qui animas ex illa vna propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita ex parentibus eas trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt,* & corpulentis seminibus exoriri. *Quo peruersius quid dici potest? Quare etiam ipse Aristoteles li.2. de gen. animal. ca.3. proposita sibi quæstione, an omnis Anima producatur à virtute seminis? respõdit omnẽ produci, præter intellectiuã.*

B

352. Concubitum libido, non conditio fœdauit, &c.] *Pulcherrimus locus (sed qui nihil faciat ad confirmandum Tertulliani paradoxon) de matrimonij* statu benedicto apud Deum, *aduersus Marcionem, de quo latius infra sub finem lib.1. aduer. Marcionem.*

353. In hoc itaque sollemni senum officio, &c.] *Istud disertis verbis impugnat Lactant. l. de Opific. Dei, c.19. Illud quoque (inquit) venire in quæstionem potest, Vtrumne Anima ex patre, an potius ex matre, an vero ex vtroque generetur. Sed ego id meo iure ab ancipiti vendico. Nihil enim ex his tribus verum est, quia neque ex vtroque, neque ex alterutro seruntur Animæ corporibus. Corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex vtroque: de Animis Anima non potest, quia ex re tenui & incomprehensibili nihil potest decedere. Itaq; serendarum Animarum ratio vni ac soli Deo subiacet. Nam de mortalibus non potest quicquam nisi mortale generari. Nec putari debet pater, qui transfudisse aut inspirasse de suo (directe contra Tertull. paradoxon) nullo modo sentit, nec si sentiat, quando, aut quomodo id fiat, animo comprehendit. Ex quo apparet, non à parentibus dari animas, sed ab vno eodemque patre omnium Deo, qui legem rationemque nascendi tenet solus, siquidem solus efficit.*

354. Denique vt adhuc verecundia magis pericliter quam probatione.] *De hac phrasi vide supra l. aduer. Hermogen. ca.* 21. *nu.* 74. *Vtitur eadem infra cap.* 30.

C

355. ex adflatu Dei Anima.] *Sicuti veritas nunquam superari potest, sibi ipsi contradicit auctor supra ca* 3. *ac* 11. *dum ex* adflatu Dei Animam *probat, quippe quum ibi* adflatum Dei *spiritum interpretetur, hic vero non aliud (absurdissimum profecto) quam* vaporem spiritus. *Atqui de voce* effruticare, *auctori etiam vsitata, vide supra lib. aduers. Valentin. Et adijcimus iterum vocem* agitur, *legentes cum Gagnæo:* tota hæc Animarum redundantia agitur.

356. Et præsint piscibus maris.] *Pluraliter vertit:* præsint, *ex Græco apud* 70. ἀρχέτωσαν, *quum Hebræi singulari id legant numero, & etiam B. Augustin. si modo emendati sint codices, lib.* 1. *de Gen. contra Manich. cap.* 17 & 18. *Verum prorsus id est ad rem, quæ hic tractatur, impertinens.*

CAP. XXVIII.

357. Quis ille nunc vetus sermo, &c.] *Veterem titulum retinuimus huius capitis:* Aduersus Platonem, non ex mortuis fieri viuos. *Locus Platonis in Phædone est iste* : Vetus *equidem* sermo *quispiam hic est, quod* hinc abeuntes illic sint: & rursus huc redeunt, & ex mortuis fiunt viuentes.

358. Pythagoricus, vt volunt, quidam diuinus, &c.] *Interpretatur auctor cuiusnam fuerit ille* vetus sermo, *dicens secundum quosdam* Pythagoricum *putari, de quo mox latius, at sua sententia* Albino, *de quo latius infra cap.* 29. *num.* 371. *adtribuendum, aut* Mercurio Ægyptio. *Addens:* forsitan, *quod non nisi obscure tale quid indicet: quum Pymandri ca.*13. *dicat Animas malas in alia corpora, sed humana, transire. Id enim est* ex mortuis viuos fieri. *Loquor de Herm. Trismegisto quem Mercurium Ægyptium non semel vocari ab auctore supra adnotauimus, cap.*2. *num.*23. *vbi habet quod huc etiam facit:* vt Mercurium Ægyptium, cui Plato adsueuit, *qui etiam infra citatur cap.*33. *num.*404.

D

359 Multo antiquior Moses etiam Saturno, nongentis circiter annis.] *Siquis considerat quod habet Tertullianus Tomo* 1. *Apologet. cap.*19. *non mirabitur quod hic* Mosen Saturno 900. circiter annis antiquiorem *dicat (ibi enim habet:* Mosen mille circiter annis cladem Priami antecessisse.) *Nam (vti iam olim respondi ad Epistolam hac de re Francisci Balduini I.C.) Eusebio, Beda, ac Hermanno Contracto testibus, non nisi* 150. *annis ante Æneæ in Italiam aduentum* Saturnus *regnasse legitur. Si itaque mille annis cladem Priami antecessit* Moyses, Saturno *profecto antiquior est* 900. *circiter annis. Scio quidem alios in alia esse sententia, verum à Iosepho hæc sumpsisse nostrum auctorem, vti supra adnotauimus numero* 280. *dicti Apologetici.*

360. Si vero Samius Sophista, &c.] *Quis iste; auctor indicat mox subijciens:* Certe ille Pythagoras, *vtpote qui* Samius *fuisse educatione & studio scribatur à Suida, etsi Tyrrhenus natiuitate. Atqui descensum eius ad inferos etiam Suidas credidit, quum (vt verbis Auctoris vtar.) narret eum illic vidisse,* quæ de posteris mortuis nisi apud inferos non videretur cognoscere potuisse, *Hesiodi nempe animam æneæ columnæ alligatam stridentem; Homeri vero de arbore pendentem serpentibus circumdatam, propter ea (scilicet) quæ de Dijs dixissent. Mendacij etiam & vanitatis, quodque semper vanas fabulas tamquam infantibus credulas finxerit, notat* Pythagoram *Lactant. libro* 3. *cap.*18. & *lib.*7. *cap.* 23. *Verum Auctori nostro peculiare est, quod* Mortem simularit, subterraneo latitarit, septenni illic se patientia damnans, vnica matre conscia; & vbi satis visus est corpulentiam interpolasse *(hoc est, corpori præ macilentia horrorem quendam conciliasse)* de adytis fallaciæ emersisse, vt ab inferis redditum.

E

361. quomodo mihi persuadebit Æthalidem.] *Omnino sic lego ex restitutione Pauli Leopardi, Emendat. lib.*8. *cap.*3. *pro eo quod erat corruptissime;* Ephalidem, *& similiter adeo etiam infra cap.*31. Æthalides autem *pro* : Ephalides. *Nam Pythagoras se dicens ex mortuis viuum, & ex inferis reducem, vt* μετεμψύχωσιν *(de qua cap.*31. *latius) statueret, iuxta Laertium & interpretem Apollonii,* Æthalidem, *non* Ephalidem, *Mercurii filium, primum se fuisse adserebat; qui & præco fuit Argonautarum, Apollonio teste.*

362. & Euphorbum.] *Vt se ex* Æthalide in Euphorbum *transmutatum persuaderet (iuxta quod etiam Suidas & Philostratus scribunt) vti mox sequitur* : clypeum Euphorbi olim Delphis consecratum recognouit, & suum dixit, & de signis vulgo ignotis probauit. *De quo etiam sic Lactant. libro* 3. *capit.* 18. *Nisi forte credamus inepto illi seni, qui se in priori vita* Euphorbum *fuisse mentitus est. Hic credo, quod ignobili genere natus, familiam sibi ex Homeri carmine adaptauerit, quippe qui* Euphorbum *à Menelao occisum scribat Iliad.*10. *Verum id his verbis refutat auctor infra capite* 31. Atquin scio non ita fieri, quum Pythagoram, Euphorbum mihi opponis. Ecce enim Euphorbum militarem & bellicam Animam satis constat, vel de ipsa gloria clypeorum consecratorum, Pythagoram vero tam residem & imbellem, vt prælia tunc Græciæ vitans, Italiæ maluerit quietem, Geometriæ & Astrologiæ & Musicæ deuotus, alienus studio & adfectu Euphorbi. *Confutat etiam hic eundem paulopost:* Denique *(inquit)* qui se Euphorbum ex argumento clypei probarat, cur neminem Troianorum commilitonum æque recognouit? Nam & illi iam reuixissent, si viui ex mortuis fierent. *Meminit iterum his verbis cap.*34. Sicut in Pythagora Euphorbus, *& rursum lib. de Resurrectione carnis capite* 1. *nu.*7. vt Euphorbus in Pythagoram, pauus in Homerum, *vbi de his latius ex Rhenano.*

F

363. & Pyrrhum piscatorem.] *Istud etiam sic infra cap.*31. *refellit:* Sed & Pyrrhus ille fallendis piscibus agebat: Pythagoras contra nec edendis, vt animalibus abstinens *Delium autem illum piscatorem fuisse scribit Laertius.*

G

364. & Hermotimum.] *Rursum hanc castigationem Leopardo acceptam debeo, vt & supr. c.*2. *vt hic legatur:* Hermotimum, *pro eo quod legebatur mendosissime,* Hermiopum. *Atque adeo etiam infra legendum capite* 31. Æthalides autem & Hermotimus fabam quomodo in pabulis communibus inruerat, Pythagoras vero ne per fabalia quidem transeundum tradidit. *Comprobat autem idipsum Leopardus non modo ex Laertio & Luciano qui Dialogum titulo* Hermotimi *inscripsit, sed ipsius Tertull. infra capite* 44. *vbi de eo latius.*

365. Respice ad Hypogeum, &c.] ὑπόγειον, *subterraneum significat: atque adeo videtur accipere* Hypogeum *pro sepulchro, ac si dicat: si idem sepulchrum capax sit corporis* Pythagoræ, *quod olim fuit* Euphorbi, *credendum esse, quod idem fuerit* Pythagoras, *qui iamdudum* Euphorbus.

366. Scimus etiam Magos elicere explorandis occultis] *Propterea* Magorum *meminisse hic videtur, quod Plin. teste libro* 30. *capite* 1. *Pythagoras, Empedocles, Democritus ac Plato, ad* Magiam *addiscendam nauigauerint, reuersi prædicauerint, ac in arcanis habuerint. Atqui de* Magia *infra latius capite* 56. & 57.

367. per catabolicos.] *Sic cum Gagnæo iterum lego, pro eo quod Gelenius substituerat:* pro cathabolicos, *in hoc secutus Turnebum Aduers. l.*26. *c.*21. *vbi ab eo citatur ex Fulgentio Campeses magus in* Cathabolicis, *& additur* catabolicos spiritus *infames dici, infaustosque genios, qui eum in quo sunt sæpius prosternunt, deiiciuntque per furorem. Quid vero, si sic dicantur tamquam calumniatores, quiũ* καταβολὴ *à Iamblicho inter versus Cleobuli pro calumnia vsurpetur?*

H

368. & Paredros.] Paredros spiritus *ab assidendo dici ibidem Turnebus adnotat, eosque dici, qui perpetuo alicui assident, & familiares sunt.*

369. & Pythonicos spiritus.] Pythonis, *seu* Pythonici spiritus *mali frequentissima est in scripturis mentio, Deuter.*18. *Leuit.*20. 4. *Reg.*21. *Paral.*10. *Esai.*8. & *Act.*16. *Hoc interim notandum, quod Interpres noster Latinus, Mulier Pythonem habens vertit* 1. *Reg.* 29 *quod Græce est:* ἐγγαστρίμυθος γυνὴ *: ac si dicat, in ventre dæmonem habens qui per os eius diuinare solet. Et recte, nam etiam Plutarchus alicubi adnotauit* πύθωνα *suo tempore vocatum, quem olim* ἐγγαστρίμυθον *dicebant. Atqui de* Pherecyde Pythagoræ magistro *vide supra cap.*2. *numero* 28.

CAP. XXIX.

370. Mortuos quidem ex viuis effici constat, &c. *Titulum huic capiti, maioris elucidationis gratia, à priori disiuncto, damus:* Ad argumenta Platonis responsio. *Atqui refellit imprimis argumentum illud Platonis:* Mortuos ex viuis effici, ergo & ex mortuis viuos, quod *ille in Phædone probare nititur ex regula illa Philosophica*, contrarium ex contrario fieri. *Verum etiam eam impugnat exemplis manifestis Auctor. Sunt autem voces Tertullianicæ*: alternant, visualitatis, obtrudi.

371. Hæc & Albinus Platoni suo veritus, &c.] *Mira est hæc phrasis*, veritus *cum Dativo, Ciceroni tamen usitata quum 4. Academ. dixit: Vos autem mihi veremini. Atqui* Albinus, *cuius etiam meminit ca. præced.* Platonis magistri sui, *vti loquitur Auctor*, scripta interpretatus, *scripsit Isagogicum Dogmatum Platonis, & alterum librum de Ordine librorum eiusdem, qui Græce exstant Romæ in Vaticano, & Venetijs ad S. Antonium.*

CAP. XXX.

372. Quid autem ad cetera respondebimus, &c.] *Caput hoc, quum sit eiusdem argumenti cum præcedenti, nouo titulo opus non habet, attamen hunc addimus:* Quod alioqui semper vnum fuisse oporteat hominum numerum. *Cuius tamen contrarium multis argumentis probat Auctor.*

373. dum aborigines, vel vagi, vel extorres, vel gloriosi quique occupant terras, &c.] Aborigines *vocari, qui primi in quaque regione sunt orti, notum est, de reliquis, similiter Auctor supra Tom. 1. l. de Pallio, c. 2.* Transuolauere redundantium gentium examina, Scythæ exuberant in Persas *(pro quo hic* Parthicas, *nam eosdem esse ibi diximus n. 34.)* Phœnices in Africam eructant, Romanos Phryges pariunt. Sic & Herculea posteritas *(*Menidæ *nempe)* qui Timeno pariter Peloponesum occupando producunt. Sic & Iones Nilei comites *(quos recte hic* Athenienses *vocat)* Asiam nouis vrbibus instruunt. *De quibus omnibus ibi latius n. 34. 35. 38. & 39.*

374. quas μετοικίας appellant.] *Siue* μετοικίας *legas cum vulgatis excusis, siue* ἀποικίας *cum Oagnæo in margine, perinde est: nam vtraque vox pro* migrationibus, *seu colonijs, classicis Auctoribus usitata est. At qui facit etiam huc illud dict. c. l. de Pall.* vt inde velut ex surculis & propaginibas populi de populis, vrbes de vrbibus, per vbique orbis pangerentur.

375. Reuera lues, & fames, & bella, & voragines ciuitatum, &c. tamquam tonsura insolescentis generis humani.] *Simili phrasi vbi supra dixit*: Denique si quid mare diluit, cœlum texit, terra subduxit, gladius detotondit, Vbi voragines ciuitatum *& insularum multas recenset Auctor, quemadmodum etiam Apolog. cap.* 40.

376. post mille annos,] *Adludit ad* mille annorum iter, *quod Plato recenset post hanc vitam, Dialogo* 10. *de Repub. & in Phædro, quos quum hic tamquam fabulas refutat Auctor, mirum est quomodo postea in Millenariorum paradoxon inciderit, de quo inter Prolegomena latius. Atqui sunt hic voces rursum & phrases Tertullianicæ*, supparetur, erogatum, absumi periclitetur, pariasset, & commeatus: *de quibus alibi superius latius. Hic dumtaxat adiiciam locos similes libro adu. Praxean:* in isto commeatu, *& libro aduersus Gnosticos:* nec per hunc commeatum vitæ, *nouæ etiam dixit:* miliario tempori, *pro mille annorum, sicut etiam ca. sequ.* miliarii æui.

CAP. XXXI.

377. Iam vero si ex mortuis viui, &c.] *Idem etiam hoc capite confutatur Platonis paradoxon, hoc argumento;* Quod alioqui oporteret singulas Animas in singula corpora reuerti, eadem ætate, in eadem corporis aut ingeniorum proprietate. *Cuius tamen contrarium ipse Pythagoras in se conuincit, pro* μετεμψύχωσιν *tot variorum ingeniorum.*

378. Porro si & binæ & trinæ & quinæ vsque vno vtero resumuntur, &c.] *Vel hinc patet supra nos recte emendasse cap. 6. numer. 90* sed bina & trina, *vbi etiam* quinionis filiorum *meminit, numer. 91.*

379. Et hoc autem modo primordii forma signatur, &c.] *Gagnæus in prima editione:* singulatur, *quæ fortassis vox retineri posset, quum similiter supra alicubi dixerit:* singulario motu, *ac si velut dicere, singula, id est, vna, monstratur. Est autem paulopost locus corruptus, cui sine ms. cod. mederi non licuit:* Sed etsi eædem semper reuoluerentur, licet non corporum quoque formas easdem, licet non flatorum *(quid hic quæso* flatorum, *nisi forte accipiatur pro flatuum, id est, animarum?)* tamen quoque, fortes casam *(neque hic quid sibi velit intelligo, nisi forte* casuum *legendum sit, sed nec hoc satisfacit)* vel ingeniorum & studiorum, & adiectionum *(forte:* actionum) pristinas proprietates secum referre deberent. *Lego autem mox:* qua ignorata & ibi reuertuntur, *pro* quia.

380. Pythagoras contra nec edendis vt animalibus abstinens.] *Cur* ab animalibus abstineret Pythagoras, *alibi causam reddit Auctor supra Tom. 1. Apol. c.* 48. ne forte bubulam quis de aliquo pro quo suo obsonet *Huc pertinet etiam illud B. Hieronymi libr. 2. aduersus Iouinian. Et probabo, non Empedoclis & Pythagoræ nos dogma sectari, qui propter* μετεμψύχωσιν, *omne quod mouetur & viuit, edendum non putant. Quod Lactant. lib 3. capite 19. mitius interpretatus dicit hanc animarum in corpora transmigrationem ab eo inuentam vt vetaret homines animalibus vesci. Ex quo proinde constat à Pythagora non solum introductam* μετεμψύχωσιν, *de qua mox, sed etiam* μετενσωμάτωσιν, *de qua ca. seq. latius, Porro etiam hic castigauimus* Æthalides, *pro:* Ephalides, *vti supra nu. 361. &* Hermotimus, *pro:* Hermippus, *sicuti supra n. 364.*

381. Fabam quoque in pabulis communibus intuerat.] *Causam reddit Suidas, cur* fabis *non vteretur* Pythagoras, *quod flatuosæ sint, & facultatis animalis maxime participes, quæ certe alijs verisimilior est, quas reddunt alij, rationib. Addit præterea Auctor:* quod ne per fabalia quidem transeundum discipulis suis tradidit. *Quod vsque adeo verum esse adstruit Suidas, vt quum incensa domo persequerentur eum sui hostes, vbi ad agrum* fabis *plenum veniisset, quiescens iugulatus sit.*

382. & μετεμψύχωσις.] *Castigari hauddubie debet* μετεμψύχωσις: *nam præter Græcam etymologiam, etiam infra semel c. 34. & ca 35. ter legitur:* Metempsychosis, *voce Græca in Latinam translata coloniam. Vbi pulchre Auctor:* Sed enim Metempsychosis illorum reuocatio est Animæ iam pridem morte functæ, & in aliud corpus iteratæ. *B. Augustinus vnica voce: transanimationem dicere maluit. Impugnatur autem hæc absurditas vel à Plutarcho lib. 2. de esu carn. quare nihil mirum si & ab Auctore, & ab aliis Patribus plerisq. Vide Iren. libro 2. capite 38. & seq. Lactant. libro 3. capite 18. ac 19. & libro 7. capite 23. Gregor. Nyssen. libro de Homine, Philos. libro 2. ca. 8. & li. de An. ac resurr. Hieron. epist. 59. ad Auitum, Aug. de Ciuit. Dei, libro 10. cap. 30. Epiph. aduersus Manich. hær. 66. & Chrysost. hom. quadam in 12. cap. Ioan. Item à Tatiano aduersus Gentes, Origen. lib. contra Celsum, Ambrosium libro contra Platonem citato ab Aug. l. 2. contra Iulian. & Cyrill. contra Iulian. libr. 7.*

383. quasi non & Scythæ & Indi philosophentur.] *De* Scythis *ita supra Tomo 1. lib. de Pallio, cap. 5.* An aliter mutauit Anacharsis, quum regno Scythiæ Philosophiam præuertit? *vbi vide Adnot. nostrarum nu. 95. De* Indorum *vero Gymnosophistis infra lib 1. adu. Marc. Celebrem autem facundia fuisse significat mox Auctor &* Platonem, *&* Nestorem.

CAP. XXXII.

384. Sed enim Empedocles. &c.] *Capitis huius titulum veterem retinuimus, omissa* Metempsychosi, *de qua hic non tractat:* Aduersus Pythagoræ & Empedoclis opiniones de Metensomatosi. *Quam recte* Pythagoræ *etiam adscribi ab Auctore, præterquam quod mox adnotaui n. 380. manifestum fit supra Tomoth. 1. Apolog. cap. 48. vbi dicit:* Age iam, sequi Philosophus adfirmet, vt ait Laberius, de sententia Pythagoræ, hominem fieri ex mulo, colubrum ex muliere *Sic etiam Aristoteles libro 1. de Anim. capite 3. Sub finem fabulas Pythagoricas vocat, vt dicatur quæuis anima sine vllo discrimine quoduis corpus ingredi. Nec absimiliter B. Hieron. locis modo citatis, & ipse Diogenes Laertius. Vnde & eundem errorem de iumpsit Plato, tum in Phædro, tum libro vlt. de Republ. quæ recte etiam illi adscribitur, à B. Gregor. Nysseno, libro 2. Philos. c. 7. A quibus dissensisse addit capite seq. Iamblichum, & B. Augustinum, Porphyrium, quippe qui non nisi homines ex hominibus fieri voluerint. Aduersus autem istam scripsisse censentur ijdem Patres, qui supra, & insuper B. Iustin. Martyr. li. adu. Tryphon.*

385. quia se Deum delirarat, &c.] *Huc pertinet illud Suidæ in Pythagoram & Empedoclem: Empedoclem quoque Agrigentinum, hanc complexum fuisse tradunt sapientiam (aut potius insipientiam.) Nam illud* Valete, ego vero sum Deus immortalis, *non tam mortalis, & Iam aliquando fui puella & puer, & bis Olympia è bellarijs immolatus, eius sunt qui Pythagoream disciplinam probat. Quin etiam Clem. Alexandr. Strom. l. 3. eiusdem farina versum Empedoclis citat.*

Mortua nam ex viuis fecit, mutansque vicissim.

386. thamnus & pisces fui, inquit, &c.] *Vox* thamnus *in Latinam hic ab Auctore transfertur coloniam, ex Græca* θάμνος, *quæ frutricem significat. Atq; adeo ad* Empedoclem *recte refert Scholiastes, illud B. Grego. Nyssen. li. de An. & resurr. Alii vero etiam ad fruticem huiusmodi deliramentum extendunt, vt etiam arborem, ac ligneam Animæ vitam conuenientem atque accommodatam esse putent. Addit B. Hieron epist. ad Auitum, non solum quadrupedum, sed & pisciū corpora esse timenda.*

387. cur non magis & pepo tam insulsus.] *Similis infra libro 4. adu. Marc.* & non magis peponem, quem cordis loco Marcion habuit: *vbi de hoc latius: sicuti de* chamæleonte *supra To. 1. li. de Pallio, ca. 3 n. 49 & de* Empedocle in Ætnam præcipitato, *ibidem ca. 4. nu. 83. ac hoc ipso li. ca. 3. n. 50. atque de prouerbiali formula,* æstiua cœna post assum, *in Prolegomenis nostris.*

388. Viderint thamni licebit, & lapathi.] *Sic ex coniectura Latinii, pro:* lapti, *vt rideat Auctor Empedoclis stultitiam hisce nominibus, qui eiusmodi fruticem credi se maluerit olim fuisse, quam vel animal vel plantam aliquam nobiliorem.* Thamnus *enim non modo fruticem in genere, sed rubum vilissimum significat surculaceum, qui vestimentis haret, sicuti etiam hauddubie* lapathus *omnibus plus satis notus.*

389. etiamsi secundum Philosophos ex elementitiis substantij, censeretur, &c.] *de his* Philosophorum *sententijs vide supra n. 64. vsque ad 70. & 117. 118. 119. ac 120. Confutat autem imprimis hanc opinionem ex contrarijs corporibus, in quæ animas transmigrare volunt.*

390. Igni quidem ea quæ rigent, colubros, stelliones, salamandras.] *Recte id Auctor, quia Isidoro teste lib. 12. Etymol. cap. 4. omnes serpentes natura frigidi sunt. Inter serpentum autem genera enumerat ipse ibid.* colubros, stelliones, salamandras, *quorum* salamandræ, *etiam Plinio consentiente lib. 10 cap. 67. contactu ignem extinguunt, & proinde recte* igni *contraria hic dicuntur.* Chamæleontem *autem, cum* locustis & papiliunculis, siccitatibus gaudere, *vel versus Pacuuianus indicat, qui terrigenam vocat, & quod mirum est ab auctore non adnotatum, etiam sanguine cassam.*

391. Item contraria sanguini, &c.] *Insecta omnia* sanguine carere, *& pisces plerosque, etiam Plin. testatur lib. 11. cap. 3. Atqui phrasis est Tertullianica:* maiorem piscium censum, *sicuti & paulopost:* & censum eis de sua translatione conferre.

392. Spiritui vero contraria, &c. *De his supra. cap. 10. num. 128. 129.*

393. Item aeri contraria, &c.] *Sub terra & sub aqua viuentium, res (inquit Auctor) magis quam nomina* noueris. *Sic enim lego cum Gagnæo, pro eo quod Gelenius substituit:* nouerim. *Neque enim aliqua eiusmodi Plinius nominat.*

394. Item contraria lumini, &c. vt talpas, vespertugines noctuas.] Vespertiginem *vocat, quem Plinius non semel vespertilionem.*

395. Ceterum si & atomos Epicuri tenerem, & numeros Pythagoræ viderem, &c.] *De opinione* Epicuri *constituentis animam ex Atomis, vide supra n. 71.* Numeros Pythagoræ *recte adtribuit. Nam, vti scribit Nyssen. lib. Philos 2. cap. 1.* Pythagoras *Animum definiuit, seipsum mouentem* numerum, *contra quam opinionem ibidem late disputat cap. 4 Hinc & Iren lib. 1. cap. 1. & auctor supra li aduers Valent. c. 7. & 8.* Tetradem illam Valentinianorum Æonum, Pythagoricam *vocant. Atqui de* Ideis Platonis *vide supra num. 238.*

396. & Entelechias Aristotelis] *De* Entelechia Aristotelis *supra aliquid adtigimus numero 61. & 72. De eadem sic Nyss. dicti lib. cap. 1.* Aristoteles *primam corporis organici naturalis potestatem vitam habentis,* ἐντελέχειαν *dixit: quam etiam latiss. impugnat cap. 4. Locus ad quem adludit, habetur lib. 2. de Anima, cap. 2. in fine: Animam igitur:* ἐντελέχειαν *quandam esse ex hisce quæ diximus innotescit. Quam vocem Cicero libro 1. Tuscul. quæst. continuatam & perennem motionem vertit, plerique, perfectionem. Etiam Epiphan. interpres in Compend. fid. cath. vtrumque vero Langus in Apol. 1. Iust. Mart. Vnde magna est orta controuersia inter doctos, an* ἐντελέχειαν *scripserit Aristoteles qua perfectionem proprie sonat, an vero* ἐνδελέχειαν, *qua vox magis perennem motionem significat. Vtrum autem legatur, & apud Aristotelem, & apud Ciceronem, perinde esse, iamdudum adnotauit Beroaldus, cui & ego consentio; maxime quum perennitas, quod* ἐνδελέχεια *significat, non sit aliud, quam quædam perfectio, vtrumque vocabulum æque nouum sit, ab Aristotele recens compositum, vtraque etiam interpretatio cum sententia Aristotelis constet. Porro sunt etiam hic phrases vocesque Tertullianicæ:* respui haberet, substantiui status, & diuersitatem committit, *de quibus omnibus alicubi supra.*

397. Quomodo igitur illa Anima, &c.] *Pulcherrime absurditatem huius paradoxi Auctor prosequitur ex diuersitate eiborum: si dicatur homo mutari in* aquilam, anguillam, capram, coturnicem, visum aut leonem, *quantum apparet; nominatim adludens ad locum Platonis lib. vlt. de Republ. vbi dicit, Agamemonis Animam elegisse* aquilam, *Aiacis vero* leonem *cooptasse.*

398. Ipsius Animæ humanæ quisquis modus &c.] *Tertio confutat hunc errorem ex absurditate de mensura corporum diuersa in amplioribus, & longe minutioribus corporibus, si dicamus hominem transmutari in elephantum, aut in culicem Huc pertinet illud Iustini Martyris l. Quæst. & respons. cap. 20. vbi ridens: Adeo (inquit) vt qui olim Athenis docuerit Plato postea formica pertulerit laborem.*

399. Numquid ergo demutabitur, &c.] *Quartam rationem addit:* quod nec demutari possit anima, ne non sit ipsa, nec permanere in statu, quia contraria non capit.

400. μετεισωμάτωσις.] *Græcam vocem hic retinuit, quæ initio huius capitis, tamquam Latina esset,* Metensomatosis *ponitur, quæ quum corporum transmigrationem significet, ipse his verbis eam ibidem circumscripsit:* præsumptionem, bestias ex hominibus, & homines ex bestiis, reuoluentem.

401. Nam etsi quidam homines bestiis adæquantur, &c.] *Etiam quintam adfert rationem, quod* etsi adæquentur bestiis homines, *per quam similitudinem fuerunt Philosophi qui Pythagoram excusarent,* non tamen propterea ex rapacibus mitiores fieri, *& sic de ceteris, vti censebat Plato.* Aliud enim esse substantiam, aliud naturam substantiæ.

402. Adsimilatus est, inquit, homo irrationabilibus iumentis,] *Prorsus lego:* Adsimilatus, *pro* Adsimulatus, *nam Græce est* Ψαλ. 48 ὠμοιώθη. *Noster autem Interpres ad verbum potius transtulit, Insipientibus, quam Auctor:* irrationabilibus, *nam Græce est* τοῖς ἀλόγοις. *Atqui rursum vox est Tertullianica:* pariare.

CAP. XXXIII.

403. Etiam quum iudicii nomine vindicatur hoc dogma, &c. *Huic capiti, à præcedenti separato ob prolixitatem, hanc inscriptionem damus:* Quod frustra iudicii nomine vindicetur hoc dogma. *Adludit autem omnino hic ad Platonem, qui in Phædone & alibi non semel, ob merita bona vel mala adfirmat detrudi Animas in corpora fœda aut proba. Quemadmodum etiam Clemens Alexandrinus libr. 3. Strom. in hæc verba: Animam enim quæ est diuina, in hunc mundum deducunt tamquam in locum supplicii. Oportet autem animas in corpus immissas expiari, in eorum sententia. B. Hieronymus etiam epist. ad Auitum, similem Origenis sententiam ex Platone desumptam dicit. Quam latissime 23. argumentis impugnat B. Cyrill. Alexandr. lib. 1. Comment. in illud Ioann. 1.* Illuminat omnes homines venientes in hunc mundum, *quod ille ad dictam suam sententiam detorquebat. Rursus autem voces Tertullianicæ:* occiforiis, famulatoriis, dispungentur, *&* verterit, *ac* vertit, *absolute.*

404. quod & Mercurius Ægyptius nouit, dicens, &c.] *Videtur adludere ad hæc verba, Asclepii Dial. 10. Hermes Trismegisti: Quum fuerit Anima à corpore facta discessio, tunc arbitrium examenque meriti eius transiliet in summi dæmonis potestatem, ipsa, eam, quum piam iustamque præuiderit, in sibi competentibus locis* manere *permittet. Sin autem delictorum illitam maculis vitiisque oblitam viderit, desuper ad ima deturbat, &c. vt in hac obsit animæ æternitas, quod sit immortali sententia æterno iudicio subiungata. Atqui iterum legimus cum Gagnæo:* volo iudicii vtique diuini iustitiam, &c. recensere, *pro eo quod substitutum fuit,* recense.

405. quod condimentis Apicianis.] *Intelligit* pecus macello destinatum, *in quod illi homicidam transmutari volunt. Atqui de hisce vide supra Adnot. nostras Tom. 1. lib. de Pallio, c. 5. de Apicio, num. 110. de* mensis Ciceronianis, *nu. 101. & de* lancibus Sillanis, *num. 102.*

406. Namque illa ficarium, &c.] *varia exprimit* ficariorum *supplicia, quibus vtuntur aduersus eos humanâ iudicia; quippe quæ eos damnant ad* feras, vltimum gladium, ignem patibula viui comburia *(en rursum vocem Tertullianicam)* culleos, vncos, scopulos, *& insuper* sepultura puniunt, *id est: priuant. Siue autem legas:* Perinde qui, *cum vulgatis, siue cum Gagnæo:* Proinde, *non refert.*

407. Paucum se meminerat Homerus Ennio somniante.] *Quum non existent* Ennii *poemata, fides sit penes Auctorem. Repetit idipsum cap. seq. his verbis:* quo perinde in patione tunderetur Homerus. *& rursum infra lib. de Resurr. car. cap. 1.* Homerus in paucum. *vbi vide Adnotationes nostras, n. 7. Sæpissime autem ab illo celebratum* Homerum *testis est Suidas.*

408. quod animal indues viro iusto Deiocæ, &c.] *Ita hunc locum castigauimus, ex Pauli Leopardi emendat. libr. 8. cap. 3. pro eo quod erat:* De loco, *qui citat in hanc rem Herodotum l. 1. De* Didone *autem vide supra Tom. 1. Apolog. cap. vlt. nu. 822. Rursus autem reperitur hic* dispunctio vitæ; *pro morte, sicuti etiam lib. de Testim. Animæ, cap. 4. Atqui lego paulopost:* ô iudicia, &c. mendiciora, *pro:* mendaciora, *ex castigatione Ioann. Harrisii Angli, tum quod sensus totius loci antecedentis id exigat, tum quod eadem voce aduerbialiter vtatur supra Tom. 1. li. de Pall. cap. 5.* credo ne mendicius patre cœnasset.

409. Deus itaque iudicabit plenius, &c.] *Similis prorsus locus est supra Apolog. c. 48.* De reuersione *autem* animarum *in sua corpora, late tractatur lib. de Resurr. carnis.*

CAP. XXXIV.

410. Nulla quidem ad hodiernum, &c.] *Titulum huius capitis sic adauximus:* Aduersus opinionem similem Simonis hæreticis de sua Helena. *De cuius reliquis hæresibus vide supra lib. de Præscrip. adu. hær. c. 46. hær. 1. num. 301.*

411. Nam & Simon Samarites, &c.] *Ad verbum fere hæc omnia desumpta sunt ex B. Iren. lib. 1. cap. 20 quo Lectorem remitto, prolixitatis vitandæ gratia; exceptis iis quæ ad explicationem huius loci faciunt.*

412. Helenen quandam Tyriam, &c.] *Tum hic, tum cap seq.* Helenen, *siue* Helenam *retinuimus, tum quod Simon ille Magus hanc eandem fuisse diceret* Helenam Troianam *illam, tum quod etiam sic appelletur à B. Iustino Martyre Apolog. 2. & post eum ab Euseb. Græco hist. Eccles. lib. 2. cap. 12. seu 13 B. Hieron. epist. ad Ctesiphontem aduers. Pelag. Epiph. hær. 21. non semel, Theodor. hæret. fabul. lib. 1. & Damasc. lib. de hæres. Apud Iren. variant codices, quamquam plures Selenen legant, quomodo etiam B. Augustinus li. de hæres Rufinus versione sua Eusebii, Cyrillus alicubi, & ante omnes hos Clemens Papa in Recognit. vbi à Lunâ, quæ Græce* σελήνη *dicitur, appellatam vult. Verisimile itaque est, vtroque nomine appellatam.*

413. illam vero iniectionem suam primam, &c.] *Clarius B. Iustin. Martyr: primam quandam mentem seu intelligentiam, Iren. Mentis conceptionem matrem omnium, per quam initio mente concepit angelos facere & archangelos. Sicuti vicissim illud:* huius eam propositi comporem, &c. *facit ad Iren. intellectum. Ex illo autem, omissa negandi particula:* non, *lego:* Ab his perinde animo retentam, vbi animo, *dixit Auctor, quod ille per inuidiam.*

414. exitiosiss. Priamo & Stesichori postea oculis, &c.] *De* Helena *Troiani belli face* Priamo exitiosissima *scribunt historici omnes.* Stesichori fabulam *vero (quam etiam ex Iren. desumpsit Auctor) adtingunt (vti ante me adnotauit Feu-ardentius) Horat. Ode 17. Lucian. l. ver. hist. & Philostratus l. 6. de vita Apollon. Atqui illud quod paulo prius Iren. habet, & hic auctor:* In Samaria vero partem gesserit, *ad id pertinet, quod, quum in Iudæa quasi filius apparuisset, (vtpote se eundem cum filio Dei faciens) in Samaria se summum patrem dixerit. Reliqua de* mille nauibus ante Troiam, Menelao Helenam repetente, de decenni prælio; *omnibus nota sunt.*

CAP. XXXV.

415. Sed non tibi soli Metempsychosis &c.] *Etiam hîc ad titulum veterem huius capitis*: Aduersus Carpocratis hæresin, *adiecimus*: de Animarum recorporatione. *Est autem etiam hic ad verbum imitatus Irenæum l.1. c.24. & vtrumque postea Epiphan. hær. 27. Atqui de reliquis eius erroribus vide supra l.de Præscript.aduers. hæret.cap.48.hær.9. n.311. & apud dictos Auctores ac Euseb.nefanda eorum sacrificia.*

416. pariter Magus.] *Vno verbo dixit quod latius Iren. de* Carpocrate *& eius discipulis, ac post eum Euseb. hist.Eccles.lib.4.cap.7. & Epiphan. Artes enim, inquit, magicas operantur ipsi & incantationes, philtra quoque* φιλτρα *(id est, amatoria, vti Interpretes Eusebij vertunt) & paredros (siue assessores) & oniropompos (id est, somnia emittentes) & reliquas malignationes, seu, sicuti Interpres Epiphanii, præstigias. Quod hic adiicimus ad maiorē Irenæi intellectum.*

417. pariter fornicarius, &c.] *Hoc addit Auctor: quoniam iuxta Irenæum, Marcellina quæ Romam sub Aniceto venit, quum esset huius doctrinæ, multos exterminauit. Quod ipsum repetit Epiphan. addens; eos in luxu degere, & omnia ad corporis voluptatem operari solere; vsque adeo vt Euseb. istius potissimum discipulis Gnosticis imputet suspicionem illam, quam de Christianis omnibus ipsorum causa conceperant ethnici, de stupris promiscuis, & execrando infanticidio; à quibus criminibus latissime supra in Apologetico sese defendit Tertullianus. Sunt autem hic etiam voces Tertullianicæ*: rato fieri expunctis, vitæ huius commeatu.

418. donec exsoluat nouissimum quadrantem, &c.] *Carpocratianos hac scriptura Matth.5. abusos, etiam Iren. & Epiphan. scribunt. Cuius posterioris Interpres significantius reddidit vocem Græcam* ἀπόδῶ, exsoluere, *quam alii* reddere: *quomodo etiam non hic modo, sed etiam supra Tom.2. lib. de Orat.c.6. Tertullian. Cyprian. ac B. Hieron. locis infra citatis n.424. vbi de hoc paulo latius.*

419. Nam & ethnicus homo, &c.] *Hanc primam interpretationem de* aduersario, *cuius ibidem fit mentio*, ethnico homine, *longe aliam quam Carpocratis, habet etiam Auctor supra libr. de Orat.*

420. orate pro maledicentibus vos.] *Siue Matth.5. siue Luc.6. hanc scripturam insp iciamus, hic etiam pro suo more non diligenter animaduertit ad verba ipsa, quia legitur vtrobiq;*, orate pro calumniantibus vos, *& apud Luc. additur*: benedicite maledicentibus vos, *quod ipsum etiam supra citauit Tom.2. lib. de Spect.c.16. ac lib. de Patientia, c.6. legens ibidem quod habet partim etiam Matthæus*: orate pro persecutoribus vestris.

421. Tum si in diabolum transfertur aduersarii mentio, &c. *Ad verbum fere locum hunc transscripsit B. Hieron. epist. ad Demetriad. de virgi. seruanda: Quia, inquit, secundo post baptismum gradu,* insisti pactum cum aduersario tuo, *dicens ei*: Renuntio tibi, diabole, & sæculo tuo, & pompæ eius, *& operibus tuis; serua fœdus quod pepegisti, & esto consentiens, pactumque custodiens (pro quo Auctor*: hæc erit amicitia, obseruatio sponsionis, *sic enim lego cum Gagnæo, pro*: obseruatione) *cum* aduersario tuo, *dum es in via huius sæculi, ne forte tradat te iudici, &* te de suo aliquid vsurpasse conuincat, *tradarisque ministro, qui & ipse est inimicus & vindex*, & mittaris in carcerem & in tenebras exteriores, & non inde exeas, nisi soluas nouissimum quadrantem, id est, minimum quodque delictum, *quia & pro otioso verbo rationem reddituri sumus in die iudicij. Quorum vterque recte interpretatur illud: Esto consentiens, pactum custodi cum illo initum. Atqui facit hic locus contra eos, qui nullas volunt in baptismo admittere* Renuntiationis *ceremonias, de quarum antiquitate vide Adnotat. nostras in dictum lib. de Orat. supra num.1.*

422. sicuti eum legimus sanctorum criminatorem.] *Locus ad quem adludit, videtur ille Apoc.12. Hic est accusator,* κατήγορος, *fratrum nostrorum? pro quo paraphrastice*: sanctorum criminatorem *vertit, quia & fratres & sancti Christiani dicuntur. De fratribus id supra ostensum est Tom.1. Apolog. cap 39. De* sanctis, *patet ex Apostolo Paulo, 1.Cor.14. Ephes.1.3.4. & 1. Thess.3.*

423. & de ipso etiam nomine diaboli delatorem.] *Similiter infra lib.5. aduers. Marc.* Ipsum diaboli nomen quæro, ex qua delatura competat creatori? forsassis detulit aliquam Dei superioris intentionem. *Et recte.* Διάβολος *enim Græce* delatorem, *accusatorem, calumniatorem significat.*

424. nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso.] *Si* modicum quoque delictum mora resurrectionis expendatur, *id est*, exsoluatur (*quod ipsum repetitur infra cap. vlt.*) *certe facit hæc interpretatio pro purgatione animarum post hanc vitam, à modicis quibuscunque delictis, atque adeo etiam pro Purgatorio; cui similes sunt loci apud B. Cyprian. epist.52. ad Antonian. & lib. de laude Mart. ac apertius lib. Testim.3. cap.57. dum fidelem emendari & reseruari, ex hac ipsa scriptura probat, ac Psal.88. ac 116. & Malach.3. Locos etiam expressos BB. Hieron. & Ambros. in hanc sententiam adnotauimus, ad dictam epist.52. n.59. vbi etiam late de igne purgante tractauimus.*

425. Hoc est ex malis fructibus bonam arborem intelligi, &c.] *Ironia est, qua ridet interpretationem Carpocratis: & etiam accipitur vox*: Spero, *pro timeo, sicuti supra non semel, tamquam si timeret ne posset respondere argumentis propositis.*

426. Et si vultis audire, &c.] *Rursum hic paraphrastice transtulit* audire, *pro eo quod Græce est* δέχεσθαι, *quod est*, recipere.

427. Et ecce ego mittam vobis Heliam Thesbiten.] *Quum etiam B. Cyrill. Alexandr. in Ioan. li.1. ca 24. de* Thesbite *loqui dicat Malachiam Prophetam, videtur olim in edit.70. etiam lecta fuisse vox*: Thesbiten, *Fuisse autem* Thesbiten Heliam, *patet non vno scripturæ loco. Siue legas.* Heliam *cum aspiratione, siue vt quidam* Eliam, *cum hic tum vbique, perinde est, hoc vnum animaduerti, in veteri Testamento vbique & Græca & Latine cum aspiratione legi, secus in nouo. Atqui de* Heliæ translatione *infra latius capite 50. nu.564.*

428. Sed quomodo Helias Ioannes, &c.] *Similiter prorsus locos hos scripturæ interpretatur B. August. Tract.4. in Ioan. ca.1. & li.5. de Trinit.c.14. Qui interim neutribi legit illud*, coram populo, *quod Auctori proinde peculiare est. Posteriori vero loco etiam interpretatur* spiritum Heliæ, *pro*: spiritum Mosei, *sicut hic Auctor, qui vna voce* translatum spiritum Mosei *dicit, eo quod Num. 11. dicitur auferri à Mose, & dari 70. senioribus.*

CAP. XXXVI.

429. In has quæstiones inde opinor excessimus, &c.] *Partem veteris tituli huius capitis retinuimus.* De sexu Animæ & carnis. *Atqui etiam hoc pertinet ad paradoxon Auctoris, quasi dependens ex altero quod supra prosecutus est c.25.26. & 27. de* Anima in vtero seminata pariter cum carne. *Certe huius argumenti contrarium bis adfirmat B. August. li.1. de Anima, & eius origine, aduers. Vincent. c.18. & Cyrill. quoque Hierosol. Catechesi secunda.*

430. propter æmulas scilicet opiniones, &c. & illum sermonem Platonis veternosum.] *Videtur respicere ad illas opiniones* Philosophorum & hæreticorum, *de quibus supra cap.23. & 25. ac* Platonis veternosum sermonem, *quo dixit discentias reminiscentias, veluti ex* veterno *somno profectas, de quo cap. 25. aut veterem sermonem apud memoriam Platonis de animarum reciproco discursu, vt* veternosum *pro veteri accipiat.*

431. quoniam & Apelles, non pictor, sed hæreticus, &c.] *Istud eiusdem farinæ est cum eo quod supra 6.23 dixit* Apellem referre, sollicitatas Animas de supercœlestibus, *de quo ibi latius n.298. quia si id verum est, consequitur etiam* ante corpora constitutas Animas *& proinde tam* viriles *quam* muliebres. De Philumene *vero eius scorto, vide supra, sicuti & de aliis eius hæresibus, li. de Præscript. aduers. hær.c.51. hæresi 19. n.324. De illis denique qui* Animam post partum carni superducunt, *vide supra c.25.*

432. qua lineas duxerit.] *Quia* pictoris *mentionem paulo prius fecit, etiam hanc prouerbialem formulam ab illis desumpsit, de qua inter nostra Prolegomena latius.*

433. Ceterum & ipsam Dei adflatus animasset, &c.] *Ad hunc locum videtur respondere B. August. loco paulo prius citato, quum ait: Qui propaginem adserunt Animarum, hinc seputant inuictius suam munire sententiam: quia, quum scriptum sit detraxisse Deum costam de latere viri; eamque ædificasse in mulierem, non est additum, quod in eius faciem sufflauerit spiritum vitæ, ideo, inquiunt, quia de vero iam fuerat animata, pro quo dixit Auctor*: animal iam & ipsa. *Verum respondet, nihil per hoc eorum sententiam adiuuari. Si enim, inquit, scriptum esset, Insufflauit flatum vitæ in faciem, mulieris, nec sic esset consequens, vt non propagaretur ex parentibus Anima, nisi etiam de filio hoc scriptum reperiretur. Quia vero tacitum est, occultatum est, non negatum neque adfirmatum.*

CAP. XXXVII.

434. Omnem autem hominis, &c.] *Caput hoc titulum habebat*: De ætate carnis & Animæ, *nos vero putamus subs tituendum*: De incremento Animæ. *Nam de hoc Auctoris paradoxo sic loquitur B. August. lib.10. de Gen. ad litt. ca. vlt. Noluit tamen Tertullianus* Animam crescere substantia *sicut corpus; adserens etiam timoris sui caussam*, ne etiam substantia decrescere dicatur, *inquit*, atque ita & defectura credatur. *Et tamen quia per corpus eam localiter tendit, non inuenit exitum incrementorum eius, quam vult de semine exguo æquari corporis quantitati.*

435. aliqua vtique potestas diuinæ voluntatis ministra modulatur, &c.] *Quæ sit hæc* potestas, *paulo post explicat, quum dicit* nos officia diuina *(id est, phrasi Iureconsultorum, ministros Dei)* angelos credimus. *Facit itaque locus iste ad confirmationem dogmatis Catholici, de angelis peculiaribus homini cuique deputatis, de quibus est elegans B. Hieron. sententia in illud Matth.18.* Angeli eorum semper vident faciem patris mei. *Magna, inquit, dignitas Animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui angelum deputatum. De ijsdem exstat qu.30. apud Iustin. Mart. lib. Quæst. & respons. & idipsum adfirmant BB. Hilar. in Psal.133. Basil. in Psalm.48. & alibi; August. Soliloqu.c.27. Eodem pertinet quod inter opera B. Cypriani, Prologo Operis de Cardin. Christi operibus, vocentur angeli salutis nostræ ministeriales, & quod Rufinus in expos. Symboli scribit, ab initio præfectas quasdam virtutum cœlestium potestates, quibus regeretur & dispensaretur mortalium genus. Vide etiam Orig. hom.13. ac 35. in Luc. & hom.11. in Numeros.*

436. etiam Romana superstitio Deam finxit Alemonam.] *De* Alemona *vide Gyraldum de Dijs gentium. De alijs tribus (sicuti etiam ante me adnotauit Turneb. Aduers. li.18. cap. 34.) in hac verba Gellius: Duæ Parcæ à Latinis, vna à partis noni mensis*, Nona, *ab exitu decimi mensis*, Decima *dicebatur. Accedebat tertia, qua* Parca *dicebatur, quasi parta, mutato t, in c. Eam hic Auctor* Partulam *vocat, quod partum gubernet. Porro de* Lucina *infra latius*

cap. 39. numer. 447. *sicuti etiam de* fatorum inscriptione, *ibidem nu.*449.

437. Nam & Moysi lex, &c.] *Adludit ad Exod.c.*21.*iuxta lectionem* 70. Si percusserit mulierem in ventre habentem, & egressus fuerit infans eius non figuratus, damno damnatus erit, secundum quod composuerit vir mulieris, & dabit cum postulatione, Si autem figuratus fuerit, dabit animam pro anima. *Auctor interim vocem illam*: ἐξεικονισμένον, *aliter circumloquendo interpretatur quam figuratum, nempe* cui iam vitæ & mortis status deputatur, *idque conformiter Theologis Doctoribus, qui homicidium in aborsu non adscribunt, nisi postquam animatus fuerit fœtus. Recte autem* aborsum *vocat Auctor, quia, teste Nonio*, abortus *dicendus in primis illis mensibus*, abortus *prope tempus pariendi.*

438. Legitima natiuitas ferme decimi mensis ingressus est, &c.] *Videtur istud Author desumpsisse ex Gell.li.* 3. *ca.* 16. *vbi tradit: Decemuiros in* 12. *tabulis tradidisse, hominem in* 10. *non in* 11. *mensibus nasci. Quod ipsum ante me adnotauit Rævardus noster ad leg.*12. *Tab.ca.vlt. De Mensium partus numero à mense septimo vsque ad vndecimum, vide Plin.l.* 7. *ca.* 5. *Quorum* septimum *dicit in honore haberi Auctor propter Sabbathum*, decimum *propter Decalogum:* octauum *vitalem non esse, quod in octaua futuræ vitæ nuptiæ non erunt.*

439. & decurialem numerum, vt exinde reliquorum parentum, &c.] Deculialis, *noue ab Auctore, pro denario numero accipitur. Huc autem pertinet quod Athenag. Orat. pro Christian. decenarium numerum maximum dicat, secundum Pythagoricos, qui & & quaternarius sit, & cum arithmeticum numerum, tum musicæ harmoniæ & concentus rationes complectatur. Continet enim (vti etiam ante me adnotauit Cælius Rhodig.l.*12.*c.*14.*) numerandi genera vniuersa, numerorum est fons & principium, ex vno, duobus, tribus & quaternario constans.*

440. Sed vis eius in qua naturalia peculia, &c.] *Locum hunc reperire est apud B. Aug loco citato n.*434. *vbi castigandus ille, & cum Auctore legendum:* Sed vis eius, &c. producitur, *pro:* Si, &c. producatur. *Item* Et si sic, *pro:* & sic; *Vicissim etiam ex illo legendum in Tertulliano ad finem huius capitis:* qua duxerit eam qui agit, *pro eo quod erat:* aget. *Siue autem legatur cum illo;* Tunc & splendor ipse perhibetur, *siue cum excusis hic codicibus:* prouehitur, *perinde est. Atqui de hoc loco sic Augustinus: Quis hunc crederet, cum isto corde tam disertum esse potuisse? Sed tremenda sunt ista, non ridenda ad hoc enim numquam cogeretur, si aliquid cogitare potuisset, quod sit, & corpus non sit. Quid autem absurdius, quam putare, massam cuiuspiam metalli ex aliqua parte crescere posse, dum tunditur; nisi decrescat ex altera: vel augeri latitudine, nisi crassitudine minuatur? Aut vllum esse corpus manente naturæ suæ quantitate, quod vndique crescat, nisi rarescat: Quomodo igitur implebit Anima ex illa stilla seminis magnitudinem corporis quod animat, si & ipsa corpus est, cuius substantia nullo accessu crescat? quomodo, inquam, implebit carnem quam viuificat, nisi tanto rarior fuerit, quanto grandius quod animauerit? Timuit videlicet, ne deficeret etiam minuendo, si cresceret, & non timuit, vt deficeret rarescendo, cum non cresceret.*

CAP. XXXVIII.

441. Quamquam autem & retro præstruximus, &c.] *Titulum veterem hoc modo auximus:* De pubertate & cibis, quomodo ad Animam pertinere videantur. *Adludit autem ad c.* 20. *supra, vbi docuit* omnia naturalia Animæ ipsi substantiæ inesse, *id est, semper adesse*, & tamen per ætatis spatia procedere. *Sunt autem rursus voces & phrases Tertullianicæ*, præstruere, Animæ census, & suggestus sensuum.

442. non quia Asclepiades inde sapientiam supputat, &c. quia Iura ciuilia, &c.] *Quia* Asclepiadis *opera non exstant, locum designare non licuit. Atqui quod* Iura ciuilia à quartodecimo anno agendis rebus adtemperant, *etiam supra dixit Auctor li. de Vel. virgin.c.*11.*n.*100. Fœminas, *inquit*, a XII. annis, masculum vero à duobus amplius ad negotia mittunt. *Reperitur autem similis citatio* Iuris ciuilis *supra ca.*6.*nu.*91. *& Tom.*2. *lib.*2. *ad Vxorem, ca.*8. *&* 9. *nu.*51. 52. *&* 62.

443. Ex omni ligno, inquit, edetis, &c.] *Plurali expressit numero, quod Gen.*2. *æditiones Latinæ omnes, & tam Græcæ quam Hebræa, & Chaldaica, singulari legunt numero. Deinde Gen.* 9. *fœnum transfertur ab Auctore* χόρτος, *pro eo quod vetus Interpres* 70. *herbam, quia vtrumque ea vox significat.*

444. Auferenda est enim argumentatoris occasio, &c.] *Videtur respicere ad id quod supra dixit ca.* 6. *de Sorano Medico, quod* mortalem Animam intellexerit, quia cibis sustineatur. *Legimus autem iterum cum Gagnæo:* tum quod aliud est natura desiderare, *pro:* tum quod aliud natura desideret. *Sunt etiam rursus voces Tertullianicæ:* substruendus, gloriandus, tibicinandus. *Item:* rationalitatem sensualitatem, intellectualitatem, *de quibus, sicuti etiam de* immortalitate Animæ, & Arbitrii libertate, *vide supra ca.*22.

CAP. XXXIX.

445. Quæ omnia natiuitus animæ conlata, &c.] *Retinuimus veterem huius capitis, quod paulo prius auspicamur, titulum:* Nullam pene Animam sine dæmonio esse, vtique ethnicorum. *Tractauit ipsum Auctor supra Tom.*1. *Apolog. cap.* 22. *ac* 46. *& huius lib.cap.*1.*num.*12. *de* Socratis dæmonio, *& repetitur iterum infra cap.*57.

446. tota illa puerperii superstitione; &c.] *De hac, partim supra c.*37.*n.*436. *partim in sequentibus; phrasis vero iterum Tertullianica:* dæmoniorum candidata.

447. dum in partu Lucinæ & Dianæ eiulatur, &c.] Lucina *ita dicta (vti supra c.*37. *dixit Auctor)* quod producat in lucem. *Huc pertinet quod habet D. August.l.*4.*de Ciuit.Dei, ca.*12. Lucina *quæ à parturientibus inuocetur, & illud Terentij in Andria: Iuno* Lucina *fer opem. Cicero enim (si Viui creditur) & Iunonem & Dianam fuisse* Lucinam *appellatam scribit alicubi: pro quo facit coniunctio:* &, *hic intermedia.*

448. dum per totam hebdomadam Iunoni mensa proponitur, &c.] *Tibullus: de Natali* Iunone:

Natalis *Iuno* sanctos cape thuris aceruos.

Videtur itaque, sicuti Genio, ita etiam Iunoni, mensa proponi *solere. Sicuti enim (vti mox adiungit Auctor)* omnibus Genii deputabantur, *ita etiam* Iunones *contra quam sentiunt quidam, qui viris Genios, mulieribus* Iunones *adtribui volunt. Pro nobis certe facit illud Plinij li.*1. *Quum singuli ex semetipsis totidem Deos faciant*, Genios Iunonesque *adoptando sibi. Et illud Senecæ alicubi: Singulis enim &* Genium *&* Iunonem *dederunt.*

449. dum vltima die fata scribunda aduocantur.] *De hoc sic etiam supra ca* 37. quum & fato iam inscribitur. *Ad hanc consuetudinem adludere Virgilium etiam adnotauit Turneb. Adu.l* 18.*c* 34. *dum, nato Salonino,*

Talia secla suis dixerunt currite fusis,
Concordes stabili *fatorum* numine Parcæ.

Quæ autem fata scriberentur, *indicat his verbis B. Aug. de Ciu Dei li.*5.*c.*9. *Omnia enim, inquit*, fato *fieri non dicimus, immo nulla* fato *fieri dicimus, quoniam* fati *nomen vbi solet à loquentibus poni, id est, in constitutione syderum, qua quisque conceptus aut natus est: quoniam res ipsa inaniter adseritur, nihil valere monstramus.*

450. Statinæ Deæ sacrum est.] *Quam hic Auctor* Statinam Deam *vocat, cui sacrabatur* prima constitutio infantis super terram, *B. August lib.*4.*de Ciuit.Dei, c.*21. *Statilinum Deum vocat his verbis, quibus tota puerperij superstitio egregie explicatur: Quid opus, inquit, erat parturientibus inuocare* Lucinam? *quid necesse erat Opi Deæ commendare nascentes? Deo Vagicano (sic enim lego, pro Vaticano) vagientes? Deæ Cuninæ iacentes, Deæ Ruminæ sugentes*, Deo Statilinio stantes? *Deæ Adeonæ adeuntes, Abeonæ abeuntes, Deæ Menti vt bonam haberent mentem, Deo Volumno & Deæ Volumnæ, vt bona vellent, Dijs nuptialibus, vt bene coniugarentur, Dijs agrestibus, vt fructus vberrimos caperent, & maxime ipsi Deæ Fructiferæ: Marti & Bellonæ, vt bene belligerarent, Deæ Victoriæ vt vincerent, Deo Honorino vt honorarentur, Deæ Pecuniæ vt pecuniosi essent, Deo Æsculano & filio eius Argentino, vt haberent æream argenteamque pecuniam? Hactenus ille. Quæ hic sequuntur, ad varia sacrificiorum Idololatricorum genera pertinent.*

451. quod dæmonum nomen est.] Genios *non aliud esse quam* dæmonas, *supra late deduxit Auctor Tom.*1. *Apolog.ca.*32. *vbi vide Adnot. nostras nu.*451. De Geniis *autem qui singulis pueris adtribuebantur, præter Auctores citatos paulo ante n.* 448. *videantur Censorinus de die natali, Plutarchus in Problem. & l. de Animi tranquill. Marcellinus Ammianus hist. li* 21. *Empedocles denique & Menander singulis duos adtribuebant, bonum & malum.*

452. Ceterum, inquit, immundi nascerentur.] Ceterum, *pro alioquin, etiam Tertullianicum est. Est autem pulcra expositio verborum Apostoli Pauli* 1.*Cor.* 7. Nunc autem sancti sunt. *id est, vti loquitur Auctor*, designati sanctitatis, & per hoc etiam salutis, alioquin, *inquit*, meminerat Dominicæ definitionis (*Ioan* 3.) Nisi quis nascatur ex aqua & spiritu, non introibit in regnum Dei, id est, non erit sanctus. *Pulcherrime sic vtrumque locum concordare faciens, vsque adeo vt nihil contra baptismum paruulorum (iuxta quod calumniantur Anabaptistæ) sed potius pro illo faciat, vti etiam adnotauimus supra li de Baptis.cap.*18.*n.*126. *vbi etiam necessitatem baptismi comprobatam videre est ca.*12.*nu.*89. *& cap.* 13. *num.* 96. *ac* 97. *Similis est etiam huius loci Paulini expositio apud B. August. li* 3. *De pecc. merit. & remiss. contra Pelag. ca* 12 *Illud, inquit, sine dubitatione tenendum, quæcumque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana & Ecclesiastica institutione & Sacramentis efficiantur fideles.*

CAP. XL.

453. Ita omnis Anima eousque in Adam censetur, &c.] *Titulum veterem ita locupletauimus:* Quomodo caro & Anima peccatrix dicatur.

454. secundum quam incedere prohibemur, &c.] *Adludit ad illud Gal.*5. Desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum. Manifesta sunt autem opera carnis, *&c. Atqui* carnales notantur infamia. 1.*Corinth.*3. *vbi dicitur:* Nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?

455. non tamen suo nomine caro infamis, &c.] *Ad hunc locum respexisse videtur Petrus Lombardus Sentent.li.*2 *ca.*31. *Putauerunt, inquit, quidam secundum* Animam *trahi originale peccatum, non solum secundum* carnem, *quia non solum* carnem, *sed &* Animam *ex traduce esse arbitrati sunt. Ideoque sicut de corrupta* carne caro *seminatur, ita etiam de* Anima peccatrice Animam peccatricem

corru-

A

corruptione originali infectam à gignentibus trahi. Hoc autem (addit idem) fides catholica respuit, & tanquam veritati aduersum damnat; quæ non Animas, *sed* carnem *solam, ex traduce esse admittit. Quare id quidem verum est, quod paulo prius dixit Auctor, quod* Anima recipiat ignominiam suam ex carnis societate, *at hic fallitur, dum Animam potius quam carnem peccatricem nititur ostendere. Certe contrarium docent BB. Ambros. in c.7. ad Romanos, & August. lib.4. contra Iulian. cap. 4. & 9. verbis ibidem à Lombardo citatis, Atqui noua vox Tertull.* peccatela, *pro peccato.*

456. Adeo nulla proprietas hominis in Choico, &c.] *De* Choico, *id est, terreno homine, quem illi à Psychico & spiritali homine distinguebant, vide supra lib. adu. Valentin. c 26. 29. & 32. Legimus autem cum Latinio*: vt instrumentum in officina vitæ, *pro*: in officia.

457. Denique sensus delictorum, etiam sine effectibus, imputari solent Animæ, &c.] *Nihil hoc facit vt peccatum originale Animæ imputetur; quia (inquit Apost. Rom. 7.)* iam non ego operor illud, sed quod habitat in me, hoc est, in carne mea, peccatum. *Quum autem & supra cap. 15. & infra lib. Exhort. ad castit. legat conformiter Euangelio*: Qui viderit mulierem ad concupiscendũ, *etiam hic addidimus*: mulierem *hic interim habet*, ad concupiscentiam, *sensum, non vocem transferens.*

CAP. XLI.

B

458. Malum igitur Animæ, &c.] *Titulum hic veterem retinuimus*: De malo & bono Animæ. *Atqui etiam hoc ad prius paradoxon pertinet, quod dicat* malum Animæ ex originis vitio antecedere.

459. naturale quodam modo, &c.] *Distinguit* naturale quodam modo, à naturæ corruptione *sic dictum, & c*: naturale proprie, *cuius adhuc reliquias agnoscit, nempe* boni illius quod principale erat in Anima *ante lapsum hominis in homine iam corrupto, & non* tam extinctum illud quam obumbratum. *Qui locus contra eos facit, qui Liberum Arbitrium, per peccatum illud originale in homine, non modo corruptum aut imminutum, sed extinctum volunt, atque adeo nullam agnoscunt Arbitrij libertatem. verum de eo latius infra l. 2. aduers. Marc.*

460. & solus homo sine peccato Christus, &c.] *Excipit non vno loco B. Augustin. B. Virginem Mariam Deiparam.*

461. Deus bonus est, Deus videt, & Deo commendo, &c.] *Scripsit de hoc Argumento librum integrum Auctor de Testimonio Animæ, quem habes supra Tom. primo.*

462. per secundam natiuitatem ex aqua & superna virtute, &c.] *Quam hic*: supernam virtutem, *mox* Spiritum sanctum *vocat, de quo latius: supra lib. de Bapt. cap. 5. num. 43.*

C

CAP. XLII.

463. De Morte iam supereſt, &c.] *Veterem titulum retinuimus*: De Morte. *Interim nihil adhuc certi de ea determinat, nisi infra c. 50. & 51.*

464. quamquam Epicurus, &c.] *Istud ibi etiam repetitur quum dicit*: vt iam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis debitum istud ad nos pertinere. *Verba similia* Epicuri, *quæ ab Auctore citantur, reperiuntur apud Lactant. inter reliqua eius dogmata, lib. 3. cap. 17. Quando nos, inquit, sumus, mors non est; quando nos non sumus, mors est*: mors ergo nihil ad nos. *Respondet autem: Quam argute nos fefellit? Quasi vero transacta mors timeatur, quia tam sensus ereptus est, ac non ipsum mori, quo sensus eripitur. Est enim tempus aliquod; quo & nos tam non sumus, & mors tamen nondum est; idque ipsum videtur miserum esse, quum & mors esse incipit, & nos esse desinimus. Porro in eadem epistola, nempe ad Menecœum, reperiuntur etiam verba hæc à Tertulliano in Latinum versa: ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Quæ citantur à Plutar. li. de Tranquill. animi; & ex illo tanquam Plutarchi lib. 2. de Homero, à Gell. Noct. Attic. lib. 2. cap. 8.*

465. Multo coactius Seneca: Post mortem omnia finiuntur, etiam ipsa.] *Bis eandem sententiam repetit Auctor, infra lib. de Resurr. car. cap. 1. & 3. Reperitur autem l. de Remed. fortuit.*

D

466. Denique nec speculum eius somnus, &c.] *Adludit ad illud Ouidij.*

Stulte, quid est *somnus*, gelidæ nisi *mortis* imago?

CAP. XLIII.

467. De somno prius disputemus, &c.] *Titulum capitis eundem seruauimus*: De somno pertinente ad tractatum mortis. *Est autem sic necessario distinguendus locus iste*: De somno prius disputemus, post, *id est, postea*, mortem qualiter Anima decurrat.

468. Non vtique extranaturale est somnus, vt quibusdam Philosophis placet, &c.] *Mox eos* Philosophos *recenset, contra quorum singulorum opinionem singulatim disputat Auctor.*

469. Stoici, somnum resolutionem sensualis vigoris adfirmant,] *Idipsum sic explicat Plutarchus lib. 5. de Philos. cap. 24. Plato, inquit*, & Stoici somnum fieri putant sensilis quidem spiritus remissione, *& tamquam laxatione, quemadmodum & super terram considente statu, eodem vero se recipiente ad superciliorum interstitium, id est, animæ principatum. Quorum sententiam latius explicat Auctor paulo post*: Supereſt si forte cum Stoicis, &c.

470. Epicurei diminutionem spiritus animalis.] *Cum hac opinione satis conuenire sententiam* Democriti & Stratonis *patet ex his infra verbis Auctoris*: Proinde deminutionem animalis spiritus, aut indigentiam spiritus, aut segregationem consati spiritus, immortalis anima non finit credi. Perit anima si minoratur. *Ad postremum autem etiam illud pertinet quod Plutarchus cap. 25. eiusdẽ libri Empedocli tribuit*: Somnum *vero alij ignis interni segregationem esse.*

E

471. Anaxagoras cum Xenophane, defetiscentiam.] *De* Anaxagora *paulo aliter Plutarchus*: Anaxagoras, *inquit*, somnum *corporalis functionis esse; corporalem enim esse, non animalem. Disputat contra hanc opinionem, non modo Auctor eo loco*: Neque enim credendum est, defetiscentiam esse somnum, &c. *sed etiam Aristoteles lib. de Somn. & vigil. cap. 3. Porro* Xenophanes, *qui inter alia, teste Suida, Elegiam scripsit de transitu animarum in alia corpora, Colophonius, Anaximandri ætate vixit.*

472. Empedocles & Parmenides, refrigerationem.] *De* Empedocle *sic, vt supra, Plutarchus.* Empedocles somnum *sanguinarij caloris* refrigerationem *esse.* Parmenidis *vero eandem fuisse opinionem non mirum est, quum discipulum eius fuisse* Empedoclem *scribat Suidas.*

473. Aristoteles, marcorem circumcordiali caloris.] *Confutat hoc paulo post Auctor, eandem faciens Empedoclis de refrigeratione sententiam, quum dicit*: Sed nec refrigescentiam admittam, &c. *Quam haud dubie clarius deducit* Aristoteles *loco mox citato, & etiam* refrigerationem *pro* marcore *vertunt Interpretes. Quam proinde etiam Plutarchus illi adtribuit dict. lib. cap. 25.* Aristoteles, *inquit, communem somnum corporis & Animæ autumat. Est enim eius functio, humor à pectore ad capitalia loca suffitus, subiectoque alimento feruor cordis refrigeratus. Verba eius sunt ista: Somnum esse concursum quendam caloris, ad interiores (cordis nempe) partes, & ἀνταναπλασιν naturæ conuenientem: siue vinculum cordis, in quo est fons sensuum, quo minus munere suo fungi possit.*

F

474. Porro somnum ratio præcipit, tam aptum, tam vtilem, &c.] *Istud præ ceteris agnouit ibidem Aristoteles, quum immediate subiungit: Atque ille quidem* necessario fit, & salutis gratia. *Conseruat enim requies animantia. Post illud autem*: nihil eiusmodi non rationale, *addidimus iterum ex Gagnæo*: nihil non naturale, *nam sequitur eius contrarium*: extra naturæ cardines.

475. Nam & æmulas somno valetudines, phreneticam atque cardiacam, &c.] *Ad* Phreneticos *pertinet, quod habet lococitato Aristoteles: Melancholicos haud somno indulgere, propterea quod refrigeratus est locus interior, vt non magna in ijs halituum copia oriatur. Et* cardiacos *cum* phreneticis *coniungit etiam Cicero lib. de Diuin. eo quod (Celso teste li. 3. cap. 19.) sæpius ad* phreneticos *transeant: in hoc differentes, quod in his mens labat, in illis constat: est autem καρδιακὸς morbi genus in ore ventriculi stomachi. Ad quem adeo pertinere puto illud quod ibidem subiungit Aristoteles: Porro atrabilis, qua natura frigida est, altricem officinam refrigerat, & proinde somnum impedit*

G

476. etiam in lethargo, &c.] Lethargi *ibidem meminit Aristoteles; qui non aliud est, quam inexpugnabilis somni necessitas cum mentis alienatione, atque adeo ad eum pertinet, quod de* enormitate *subiungit Auctor.*

477. Nam & in his plurima somni paratura est.] *Somnum conciliari cibo & potu, ibidem adnotauit Aristoteles. Est vero etiam hic vox Tertullianica*: paratura.

478. ille fons generis Adam, &c.] *Quum dicit* ante dormiuisse Adam quam laborauit, quam & edit, immo quam & profatus est: *subindicat illud Gen. 2.* Immisitque Dominus Deus soporem in Adam, &c. *etsi posterius positum prius tamen multo contigisse; nempe ante illud Gen. 1.* Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, *&c. quippe quod non ad* Adam *solum, sed & ad mulierem dixit Deus. Atqui quod hic de* somno naturali, *supra cap. 11. de* Ecstasi *interpretatus est, verum de eo latius Tom. sequ. ad fragmenta libri de Ecstasi.*

479. Si enim Adam de Christo figurabat, &c.] *Magis propria est hæc lectio Tertull. quam illa Gagnæi*: figuram dabat. *Similiter autem & Rufinus in Exposit. Symboli, inter opera B. Cypriani Tom. 3. interpretatur hunc Gen. locum, vt per Euam de latere Adam, intelligatur* vera mater viuentium Ecclesia.

H

480. paradigmate Platonico plenius.] *Quod hic παράδειγμα paulo ante* exemplar *dixit. Donatus & alij, exemplum, malunt vertere. Ad quod vero* paradigma Platonicum *adludat nescio, nisi forte ad Phædonem eius, vbi* somnum *& vigiliam vitæ & morti comparat, aut ad Dialog. 9. de Rep. cuius initio docet modum, quo suauis somnos possit contingere. Quod postremum confirmare videtur tota sequens & longa de sopore* Adam *narratio Auctoris. Atqui de Prouerbio*: lineas agere, *vide nostra Prolegomena.*

481. resurrectionem mortuorum tibi adfirmat, &c.] *De hoc latius lib. sequ. de* Resurr. carnis.

CAP. XLIV.

482. Ceterum de Hermotimo, &c.] *Verba hæc ipsa Auctoris veterem titulũ huius comprobant*: De Hermotimi Anima, *Huc pertinet quod supra cap. 2. habet Auctor*: vt Hermotimum, cui Clazomenii mortuo templum contulerunt; *fecit etiam* Hermotimi *mentionem, qui postea in Pythagora reuixerit, cap. 28. & 31. Scripsit etiam Lucianus Dialogum* Hermotimi *titulo. Historiam autem*

seu fabulas desumpsit Auctor ex Plin. nat. hist. li. 7. c. 52. Reperimus, inquit, inter exempla Hermotimi Clazomenii Animã relicto corpore errare solitam, vagamque è longinquo multa denuntiare, quæ nisi à præsenti nosci non possent, corpore interim semianimi, donec cremato eo inimici, qui Cantaridæ vocabantur, remeanti Animæ velut vaginam ademerint.

483. secessionem Animæ esse somnum, &c.] Ita prorsus legendum, pro eo quod erat: somnium. Quis autem hanc Somni definitionem primus somniarit, disquirat curiosus Lector. Est vero rursum vox Tertullianica: subornetur, de qua supra li. de Præscript. adu. hær. num. 38.

484. vt de incubone præsumptio est, &c.] Morbus incubonis etiam vulgo satis notus est, quam vero Soranus opponat valetudinis labem, nescio an apud Medicos reperiatur, quum illius operum fere nihil exstet.

485. quod etiam Epimenidem in fabulam impegit, &c.] Etiam hoc ex Plinio desumpsit, vbi supra: Et in Gnosio, inquit, Epimenide similiter accipio, Puerum æstu & itinere fessum in specu VII. & L. dormisse annis, rerum faciem mutationemque mirantem, velut postero experrectum die. Atqui de Nerone & Thrasymede infra latius c. 49. n. 551. ad 552.

486. Theopompus,] Verisimiliter, loquitur, non de Theopompo Atheniensi antiquæ Comœdiæ Poeta sed de Theopompo Chio, qui varias scripsit historias, Isocratis discipulo.

CAP. XLV.

484. Tenemur hic de somniis quoque, &c.] Retinuimus hic etiam veterem titulum: De somniis, quomodo ea patiatur Anima, & vnde eueniant. Atqui ea de re vide tum Aristotelem lib. de Insomniis, tum Platonem initio Dialogi 5. de Republica, Lactantium l. de Opific. Dei, c. 18. & Nyssen. l. de creat. hominis, cap. 24. Macrobium denique lib. 3. in Som. Scip. qui quinque ibi somniorum genera prosequitur.

488. Hanc vim ecstasin dicimus &c.] De Ecstasi. tractatum differimus ad Tomum seq in Præfat. ad Fragmenta librorum Tertulliani de Ecstasi.

489. si compotes somniaremus. Quod hic dubie, mox clare dicit: quam compotem esse non licet, nempe visionis in somnis bonorum aut malorum.

490. non magis enim ob stupri visionem damnabitur, &c.] Huc pertinet quod respondet B. Gregor. Augustino, Anglorum Episcop. ca. 11. de pollutione nocturna, quando celebrationem & communionem impediat.

CAP. XLVI.

491. Ecce rursum vrgemur, &c.] Capiti huic, quod à priori ob prolixitatem cum aliquot sequentib. distinximus, titulum dedimus: Quod vana non sint somnia.

492. Vana in totum somnia Epicurus iudicauit, &c.] Facile est credere quod Epicuri fuerit hæc opinio, quippe qui etiam, vti subiungit, liberarit à negotiis diuinitatem, de qua supra Apolog. c. 45. num. 569. & lib. aduers. Valentin. c. 7. n. 61. & dissoluerit ordinem rerum, vtpote qui prouidentiam Dei tollat: & in passiuitate, id est, licentia vitæ, omnia spargat, quippe qui voluptatem somnium bonum constituerit: & alia eiuscemodi diceret, quæ ad vitia pronum alioqui populum allicerent, sicuti late prosequitur Lactant. li. 3. c. 17. & Cicer. li. 1. de Diuinat.

493. Homerus duas portas diuisit somniis, &c.] Reperitur hoc apud Homerum Odysseæ T. cuius versus Græcos Virgilius Æneid. 6. sic vertit:

Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur,
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris.
Altera candenti perfecta nitens elephanto: (eburnea, nempe)
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.

Citatur enim in hanc sententiam Virgilius etiam à Lactantio lib. de Opific. Dei, capite 18. Desumpsit autem Homerus istud ex Platone in Charmide.

494. Aristoteles maiore sententiam mendacio recitans, agnoscit & verum.] Hoc vult dicere de Aristotele Auctor, quod quamquam putet maiorem partem somniorum mendacium esse, tamen etiam veram subinde in illis agnoscat. Ipse enim li. de Diuinat. per somn. neque contemnendam esse eam docet, nec ei fidem habendam, de quibusdam tamen ex somnijs diuinationem esse, non fieri incredibile. Quod autem ex Deo neget immitti, contra eos id dicit, qui omnium somniorum caussam Deum faciunt.

495. Telmessenses nulla somnia euacuant.] Euacuare videtur sumere auctor, pro vacua, id est, vana facere, quia teste Cicerone, vbi supra, Telmessenses, à Telmesso vrbe Cariæ sic dicti, erant admodum diuinationibus & Aruspicum responsis dediti, & proinde etiam verisimiliter diuinationi quæ fit per somnia.

496. Quis autem tam extraneus humanitatis, &c.] Huc pertinet illud quod infra habet Auctor ca. 57. At (inquit aliquis) somnia quæ videntur vera sunt. Respondet Auctor. Non enim quia videntur vera sunt, sed quia adimplentur. Fides somniorum de effectu, non de conspectu renuntiatur.

497. Astyages Medorum regnator, &c.] Hæc fuse prosequitur Herodotus, qui etiam ab auctore citatur, hist. l. 1.

498 Hoc etiam Charon Lampsacenus Herodoto prior.] Floruisse enim scribit Suidas Persicis temporibus Olympiade 75. Qui quum Persica inter cetera multa historica scripserit, verisimile est in illis contineri quod hic citat Auctor. Adlegatur idem subinde ab Athenæo & Plutarcho. Recte autem addit meo iudicio. Auctor: Qui filium eius tanto operi interpretati sunt non fefellerunt.

499. Philippus Macedo nondum pater, &c.] Adnotauit Latinius istud etiam à Plutarcho recenseri in Alexandro, sed paulo aliter initio.

500. quia leo semel pater est.] Videtur id sensisse, de quo Plin. li. 8. ca. 16. Semel, inquit, edi partum (& proinde semel duntaxat Leonem patrem esse) lacerato vnguium acie vtero in enixu; vulgum credidisse video. Aristoteles diuersa tradit l. de animal. sicuti etiam ipse Plinius.

501. Aristodemus vel Aristophon.] Quis sit iste Aristodemus, nescio, an ille qui, teste Suida, compendium vniuersæ Herodianæ scripsit, an vero qui collectarum fabularum, Plutarcho teste, aliquot libros edidit. A quo etiam citatur Aristophon Comicus, vti etiam à Laertio.

502. Ephorus scribit] Quum Ephorum Cumanum seniorem Theopompo æqualem faciat Suidas (quem ait Alexandrum laudibus ornasse) videtur non approbanda eorum sententia, qui hunc Philippum Macedonem antecessisse scribunt, sin secus. poterit de Ephoro Cumano iuniori Tertullian. intelligi.

503. Sed & Dionisii Siciliæ tyrannidem Himeræa quædam somniauit.] Rectius sic Basiliensis æditio, quam Gagnæi: Hemerea. Hinc autem castigandus est Valerius Max. li. 1. ca 7. de somnijs, & legendum Himeræa, pro eo quod est: Himera Neque enim proprium nomen esse Himeram, recte adnotauit Leopard. Emend. l. 8. ca. 7. sed gentile potius, ab Himera vrbe Siciliæ, Stesichori patria. Addens præterea, quod apud Suidam reperiatur ἱμεραίας ἐνύπνιον. De quo penes eum fides esto, quia in illo reperire non potui.

504. Heraclides prodidit.] Idem citatur etiam infra c. 57. de Oraculis. Verisimile est eundem esse, qui vtrobique citatur. qui autem ille fuerit inter tot eius nominis scriptores, dispiciat Lector curiosus.

505. Et Seleuco regnũ Asiæ, &c. Euphorion prouulgauit.] Euphorionem intelligit, qui (teste Suida) Bibliothecæ præfuit apud Magnum Antiochum Syriæ Regem, & libros sex de Oraculis ædidit. Fuerunt enim Seleuci duo Antiochi eius prædecessores, de quorum primo loqui videtur Auctor, qui iuxta Eusebij Chronicon, capto Demetrio, destructo Asiæ regno, ex vtroque vnum faciens, Syriæ & Asiæ pariter imperauit.

506. Mithridatem quoque, ex somnio Ponti potitum, à Strabone cognosco.] Habet id Strabo. li. 7.

507. Et Balaridem Illyricum, &c. de Callisthene, &c.] Callistenem illum intelligit hauddubie, cuius Rerum Macedonicarum libros citat Plutarchus, in Parallelis minoribus, c. 15. An idem sit qui ab Alexandro interfectus sit, nescio, qui quum non exstet, de Balaride historiam alibi quærat Lector.

508. Reformatorem Imperii, &c. Iulium Octauium tantum, &c. Marcus Tullius iam & Augustum, &c. de somnio norant. In Vitelliis Commentariis conditum est.] Quum non exstent Vitellii Commentarii, penes nostrum Auctorem fides esto: sufficit quod id ipsum repetiatur in vita Ciceronis apud Plutarch.

509. vt quum Cæsar, &c. alias maiestatem, alias discrimen ab hostibus relaturus.] Ex castigatione Harrisii: discrimen legimus, pro: crimen, eo quod de bello Cassii & Bruti in hunc modum scribat L. Florus li. 4. ca. 6. Primum adeo anceps fuit, & par vtrique certamini discrimen, vt exitus prælij docuit. Capta sunt hinc Cæsaris castra, inde Cassii. Atqui ad intellectum huius loci faciet, quod habet Lact. li. 2. c. 8. Illud quoque, inquit, somnium non minoris fuit admirationis, quo Cæsar Augustus dicitur esse seruatus. Nam, quum bello ciuili Brutiano, implicitus graui morbo, abstinere prælio statuisset: medico eius Artorio Mineruæ species obuersata est, monens ne propter corporis imbecillitatem, castris se contineret Cæsar. Itaque in aciem perlatus est, & eodem die à Bruto castra capta sunt. Atque hoc est quod dicit Auctor, destituto tabernaculo: de quo vide Suetonium Octauij cap. 91.

510. vt quum Polycrati Samio filia crucem prospicit, &c.] Quo tempore hic vixerit, explicat Plinius lib. 33. ca. 1. Polycrati (inquit) Sami tyranno, dilectus ille annulus in mare abiectus, capto relatus est pisce, ipso, circiter 230. annum Vrbis nostræ, interfecto.

511. de solis vnguine.] Explicat istud li. 3. Herodotus, scribens dictam Polycratis filiam vidisse per somnium patrem sublimem in aere, qui à sole vngueretur, quo prospexit in crucem actum solis ardore exsiccandum.

512 & lauacro Iouis.] Istud est quod ibidem Herodotus illam somniasse scribit, quod pater à Ioue lauaretur, hoc est, pluuiis, & imbribus quæ Ioui ethnici tribuebant, perfunderetur.

513. Ciceronis denique dignitatem, paruuli etiam nunc, gerula iam sua inspexerat.] Legimus iterum ex Gagnæo, gerula iam sua, pro quo irrepserat: suam. Vide vero istud apud Plutarch. initio vitæ Ciceronis.

514. Cycnus de sinu Socratis demulcens homines, discipulus Plato est.] De hoc ita Laertius in vita Platonis: Dicitur Socrates per somnium vidisse, se Cycni pullum inter genua habere, qui etiam e vestigio productis alis euolarit, iucundo clangore edito, & postridie Platonem ipsi commendatum esse, & ipsum dixisse hanc illam auem esse.

515. Cleonymus Pyctes ab Achille curatur in somniis.] Vide Homerum. Cleonymum etiam quendam insectatur Aristophanes

in Nu-

in Nubibus, tanquam fugacem & timidum, Pyctes *autem propugil, vox nota est.*

516. Coronam auream, &c. Sophocles Tragicus redinuenit.] *Vocat eundem Plinius lib. 7. c. 27.* Tragici *cothurni principem, Athenienſem facit Suidas, qui exhibuerit fabulas 123. victorias 29. reportauerit. Ipſum autem ſomnium eius habet Fulgoſius lib. 1.*

517. Neoptolemus Tragœdus apud Rheteum Troiæ ſepulcrum Aiacis, &c. *Sic reſtitui hunc locum cum Leopardo Emend. l. 3. cap. 15. ac 16. pro eo quod erat: apud* Erythreum. *Nam in hæc verba confirmat Plinius l. 5. c. 30. Extra ſinum ſunt (inquit)* Rhetea *littora,* Rheteo *& Dardanio oppidis habitata. Ac paulo poſt: In Sigæo fuit & Æantion Rhodiis conditum, in altero cornu* Aiacis ibi ſepulcrum.

518. Quanti autem Commentatores, &c.] *Varios hîc* Commentatores *citat, qui de Somniis ſcripſerunt. Atqui interpretationis ſomnij Auctor primus Amphictyon ponitur à Plinio lib. 7. c. 56.*

519. Artemon.] *Ex* Artemone *quantum apparet Medico, quædam deſcripſit Plinius lib. 28. cap. 1. Citatur etiam* Artemon *Clazomenius à Suida & Æliano.*

520. Antiphon.] *De hoc ita Suidas:* Antipho *Athenienſis coniector ſiue aruſpex (vt alibi idem loquitur) de interpretatione ſomniorum ſcripſit.*

521. Strato.] *Hunc idem de ſomno & de inſomniis ſcripſiſſe teſtatur Laertius, nempe Stratonem Lapſacenum.*

522. Philochorus.] *Etiam hic, Athenienſis Vates & Aruſpex de diuinatione partim libros 4. ſcripſit; atqui etiam ex ſomniis fiebat diuinatio. De hoc iterum paulopoſt Auctor:* cum Philochoro Athenienſi.

523. Epicharmus.] Epicharmi *carmina quædam habes ſupra & infra. Laertius vero ſcripſiſſe etiam eum tradit Commentarios de Natura & de Medicina. In illis itaque verisimile eſt eum etiam de ſomniis aliquid ſcripſiſſe. Videantur Romæ in Bibliotheca Vaticana. Certe Auctor paulopoſt*: Ceterum Epicharmus *(inquit)* etiam ſummum apicem inter diuinationes ſomniis extulit.

524. Serapion. *Ex* Serapione *quodam Plinius ſe quædam ſumpſiſſe adnotauit ad l. 2. & iterum ad l. 4. vbi eum Antiochenum vocat. Fuerunt vero etiam alij* Serapiones.

525. Cratippus.] *Philoſophus Peripateticus, ſcripſit libros De diuinatione & Somniis.*

526. Dionyſius Rhodius.] Dionyſium *Muſonij filium* Rhodium *à quibuſdam dici, adnotauit Suidas, qui fuerit hiſtoricus, & fani Solis ſacerdos.*

527. Hermippus.] *De hoc ſic paulopoſt Auctor:* Cetera cum ſuis & originibus & ritibus & relatoribus, cum omni deinceps hiſtoria Somniorum Hermippus Beritenſis quinione voluminum ſatiatiſſime exhibebit. *Hunc autem diſcipulum Philonis Biblij, ſub Adriano Imperatore, multa ſcripſiſſe tradit Suidas.*

528. Nam & oraculis hoc genus ſtipatus eſt orbis.] Oracula *varii generis adfert, & conuincit mendacij, Euſeb. lib. 5. De præpar. Euang. c. 10. & præſtigias appellat Lactant. l. 2. cap. 17. Plura autem diuinationis oraculorum genera enumerat Clemens Alexandr. Orat. ad Gentes, nempe lebetem Theſprotæum, tripodem Cyrrheum, æs Dodonæum, Gerandryon, fontem Caſtalion, fontem Colophonis, Clarium, Pythium, Didymeum, & Apollineum, præter ea, de quibus mox latius.*

529. vt Amphiarai apud Oropum.] *Sic legimus cum Leopardo, loco mox citando, pro:* Horopum: *quia* Oropus *oppidum in confinio Bœotiæ legitur apud Plin. libr. 4. cap. 7. qui etiam* Amphiarai *meminit, quod apud Thebas obierit vna ætate ante bellum Iliacum, cuius filio Tiburte vetuſtiores exſtent ilites tres in agro Tiburtino, apud quas inauguratus traditur. Certe* oraculum Amphiaraum *nominatim addit, vbi ſupra, Clemens Alexandrinus.*

530. Amphilochi apud Mallum.] *Legimus* Amphilochi *cum eodem Leopardo, pro:* Amphiloci. *Nam etiam Clemens Alex.* Amphilochum *oraculum celebrat, ſicuti etiam B. Iuſtinus Mart. Apolog. 2.* Mallum *vero oppidum Ciliciæ propinquum, cuius meminit Plin. lib. 5. cap. 27. ſubintelligit.*

531. Sarpedonis in Troade.] *De hoc ita Plinius lib. 13. cap. 13. Præterea Mutianus ter Conſul prodidit, ſe legiſſe, quum præſideret Lyciæ:* Sarpedonis à Troia *ſcriptam in quodam templo chartam. De oraculo autem eius, vide Philoſtratum in Heroicis.*

532. Trophonii in Bœotia.] *Idem Plinius lib. 34. laudat opus Euryceratis ſimulacrum* Trophonii, *ad oraculum, de quo ſic latius lib. 31. cap. 2. In* Bœotia *ad* Trophonium *Deum, iuxta flumen Orchomenon, duo ſunt fontes: quorum alter memoriam, alter obliuionem adfert, inde numinibus inuentis. Abiit autem hinc in Prouerbium: In antro* Trophonii *vaticinari, de quo late Eraſmus in Chiliadibus. Atqui ad iſtud oraculum etiam reſpexit Plutarchus l. de Deficiente oracul. citatus ab Euſeb. lib. 5. De præpar. Euang. c. 8. Nullibi nunc quam in Lebadia* Bœotiæ *oraculum in illis partib. inuenitur: Sic enim omnino ibi legendum eſt, pro eo quod erat corrupte:* Boetiæ.

533. Mopſi in Cilicia.] Mopſi *cuiusdam Vatis meminit Mela, qui in finibus Pamphyliæ Phaſelim vrbem condiderit; an idem ſit cum Apollinis filio, cum quo Calchas de peritia diuinandi certaſſe ſcribitur, Lectori iudicandum relinquo. Valerius Argonaut. ll. 1. Sacrum* Mopſum *quendam commemorat, de quo hic Auctor loquitur.*

534. Hermionæ in Macedonia.] *De oraculo* Hermionæ *ſic habet Suidas:* Hermione, *Peloponeſi oppidum eſt, Cereris, & Proſerpinæ aſylum. Ibi itaque verisimile eſt oracula pronuntiari ſolita.*

535. Paſiphaæ in Laconica.] *Sic legendũ omnino, pro* Paſiphaæ, *recte adnotauit Leopardus Emend. lib. 8. cap. 4. Nam conſentiunt Cicero lib. 1. De diuin. ac Plutarchus in vita Agidis & Cleomenis. Qui præerant (inquit Cicero) Lacedæmoniis (hinc* in Laconica *addit Auctor) non contenti vigilantibus curis in* Paſiphaæ *fano, quod eſt in agro propter vrbem, ſomniandi cauſſa excubabant, quia vera quietis oracula ducebant. Conſentit etiam cum Plutarcho Pauſanias in fine Laconic. ſcribens: In Thalamis (quam Stephanus dicit fuiſſe Meſſeniæ vrbem) fuiſſe Iouis oraculum Graece μαντεῖον, & fanum, in quo futura diuinantes prouiderent, erectaque eſſe ex ære ſigna in ea fani parte quæ ſub dio eſt,* Paſiphaæ *(ſic enim recte etiam illum locum reſtituit, pro:* Paphiæ) *vnum, Solis alterum. Nec mirum, quum Solis fuerit filia* Paſiphaë *vxor Minois Cretæ Regis.*

536. Sed & Stoici Deum malunt, &c.] *Hæc deſumpta videntur ex lib. 1. de Nat. Deorum Ciceronis, vbi ſimilia videre eſt, ſicuti etiam apud Plutarch. lib. 5. de Plac. Philoſ. cap. 1.*

537. Nam de oraculis etiam ceteris, &c.] *Similiter ſupra Auctor Tom. 1. Apolog. cap. 22. de* dæmonica virtute: Æmulantur *(inquit)* diuinitatem, dum furantur diuinationem. In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in euentus, ſciunt Crœſi, ſciunt Pyrrhi, &c. *ne prolixior ſim, remittens Lectorem ad Adnotat. illic noſtras n. 349. 350. 351. 353. Eodem pertinet illud c. 23. de Magis:* ſi pueros in eloquium Oraculi eliciunt.

538. etiam per beneficia fallentes medicinarum, &c.] *Similiter Auctor loco iam citato:* Benefici *(inquit)* plane & circa curas valetudinum. Lædunt enim primo, dehinc remedia præcipiunt ad miraculum noua ſiue contraria; poſt quæ deſinunt lædere, & curaſſe creduntur.

CAP. XLVII.

539. Definimus enim à Dæmoniis plurimum incuti ſomnia, &c.] *Titulum huic capiti, à præcedentibus recens diſtincto, dedimus:* Quæ ſit de ſomniis Chriſtiana ſententia, quod nempe plerumq; à Dæmonio aut Deo immittantur, aut ad Ecſtaſin pertineant. *Atqui prius illud etiam ſupra adſeruit Auctor dicti Apolog. c. 23. de Magis:* ſi & ſomnia immittunt.

540. A Deo autem, &c.] *Latum habes tractatum huic fere ſimilem de* ſomniis quæ à Deo incutiuntur, *apud B. Gregor. Nyſſ. lib. de creat. hom. cap. 14.*

541. pollicito ſcilicet & gratiam Spirituſſancti, &c.] *More ſolito magis ſenſum citat ſcripturæ Ioel. 1. quam verba, qua ipſa inuenire eſt Act. 2. Hiſtoria autem ſomnij Nabuchodonoſor, Daniel. 2. notiſſima eſt, quam etiam Nyſſ. citat.*

545. ex viſionibus Deum diſcunt.] *De* viſionibus *ſupra Tom. 2. l. de Idololatria, cap. 15. numer. 121. Hic autem etiam de* viſionibus ethnicorum *loquitur; quippe qui ſint* maior pene vis hominum.

543. ita & tentatio Mali in ſanctos, &c.] *Iterum hîc* Malus *ſubſtantiue pro diabolo accipitur; de quo quod dicit:* à quibus nec interdiu abſiſtit, *videtur pertinere ad illud Pſal. 90.* A ſagitta volante in die, ab incurſu & dæmonio meridiano. *Locus vero* Epicharmi *allegari non poteſt, quod non exſtet eius opus de Somniis. Atqui de* Ecſtaſi *infra Tom ſequ. Legimus autem mox cum Gagnæo & Gelenio:* neque ab anima videbuntur accidere, *pro eo quod irrepſerat in edit. Lugdun.* occidere.

CAP. XLVIII.

544. Certiora & colatiora ſomniari affirmant, &c.] *Caput hoc, etiam ab aliis ſeparatum, inſcripſimus:* Quod reliqua quæ de ſomniis ſcribuntur, ingenioſe magis quam conſtanter probentur. *Atqui huic opinioni quod ſtatim poſt cibum minus occurrant ſomnia, fauet Plinius libr. 10. cap 75. quum dicit: A vino & à cibis proxima, atque in redormitione vana eſſe viſa, prope conuenit. Alioqui videtur propius cum Auctore ſentire, quod* caſu procedant.

545. Ex temporibus autem anni, &c.] *Haud abſimile eſt illud Plin. l. 28. cap. 4. Ariſtoteles (inquit) & Fabianus, plurimum ſomniari* circa vernum & autumnum, *magiſque ſupino cubitu, at prono nihil, à quibus interim diſſentire Auctor videtur his verbis:* ſi neque reſupina, neque dextro latere decumbat; *ſicuti etiam, quod* verno magis quietam eſſe Animam *præmiſit. Etſi autem pro ſe* Platonem *citet, non potui apud illum reperire; permittens Lectori inquiſitionem diligentiorem.*

546. Superſtitio, vt quum apud Oracula, &c.] *Rurſus* Oraculorum, *de quibus ſup. c. 46. meminit, &* ieiunium *inſuper addit,* quod indicebatur apud Oracula incubaturis, *de quo iterum paulo poſt:* Sic enim & dæmonia ſobrietatem expoſtulant à ſuis ſomniatoribus. *De* præſumptione *vero* Pythagoricorum fabam reſpuentium, *vide ſupra cap. 31. nu. 381.*

547. Atquin trina illa cum Daniele fraternitas, &c. *Latius hæc Danielis 2. cap. hiſtoria tractatur infra lib. de Ieiunio. Tom. 5.*

548. trium hebdomadarum ſtatione.] Stationem *hîc etiam pro ſtato ieiunio accipit Auctor, de quo latius ſupra lib. de Orat. cap. vlt. num. 58. & l. 2. ad Vxorem, cap. 4. num. 24. Mirum eſt autem, quod* trium hebdomadarum ſtationis, *id eſt, ieiunii, meminerit, quum nuſquam apud Danielem, neque infra l. de Ieiunio adu. Pſych. certi temporis vlla fiat mentio.*

CAP. XLIX.

549. Infantes qui non putant somniare, &c.] *Titulum huic capit, etiam ab aliis distincto, damus:* Quod & infantes & omnis omnino gens somnia patiantur. *Atqui diserti verbis hanc opinionem quod* Infantes non somnient, *tradit Aristoteles lib. de Insomn. cap. 3. At etiam ante Auctorem contra sentit Plin. li b. 10. cap. 75. Somniat (inquit) statim infans: nam & pauore expergiscitur, & suctum imitatur.*

550. Sed & quod Libyca gens Atlantes, &c.] *Etiam hoc non solum Herodotus habet, quem citat Auctor, in Melpomene (vti ante me adnotauit Leopardus Emend. l. 8. cap. 2.) sed etiam Plin. tum loco iam dicto, vbi quosdam numquam somniare scribit, tum l. 5. ca. 8.* Atlantes *(inquit) degeneres sunt humani ritus? neque insomnia visunt, qualia reliqui mortales. Locum vero* Aristotelis de heroe quodam Sardiniæ, *quærat Lector, nam nobis ad alia properandum.*

551. vt Neronis quoque seri somniatoris, &c.] *Latius de hoc supra Auctor ca. 44.* Sed & Neronem *(inquit)* Suetonius negat vmquam somniasse, nisi in vltimo exitu post pauores suos. *Verba* Suetonii *in* Nerone, *c. 46. hæc sunt: Terrebatur ad hæc euidentibus portentis* somniorum, *& auspiciorum, & ominum; tum veteribus tum nouis,* numquam antea somniare solitus. *Adludere eodem videtur Plin. dict. c. 75. l. 10. Mortiferum fuisse signum contra consuetudinem somniorum, inuenimus exempla.*

552. & Trasymedis.] *Similiter etiam Auctor supra loco iam citato:* Sed & Thrasymedem Theopompus negat vmquam somniasse. *Reperitur idipsum apud Plutarchum (iuxta quod loco citato adnotauit Leopardus) li. de defect. Orac.*

553. quia nulla iam gens Dei extranea est.] *Vide de hoc supra li aduers. Iudæos ca. 7. vbi, post enumerationem variarum gentium, sic concludit:* Christi autem regnum & nomen vbique porrigitur, vbique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur, vbique regnat, vbique adoratur, omnibus vbique tribuitur æqualiter. *Eodem pertinet quod habet Auctor sequ. ca.* quum contra, omnes iam nationes ascendant in montem Domini, & in ædem Dei Iacob.

CAP. L.

554. Satis de speculo mortis, &c.] *Huius capitis titulum hoc modo auximus:* De mortis vi in omnes, a qua Menander falso per suum baptisma discipulos suos eximit. *Atqui de* morte *prosequitur ad finem libri vsque, quem cœperat tractatum supra c. 42.*

555. Finem omnium quæstionum, &c.] *Huc pertinent illa etiam Ethnicorum sententia. Cicer. l. 6. Epist. 21. Extremum omnium rerum mors: Horatij l. 1. Epist. 1. Mors vltima linea rerum. Sicuti etiam ad id quo appellatur:* Debitum naturæ. *tum hic, tum infra li. de Monogam. ab Auctore. illud Horatii li. de Arte: Debemur morti nos nostraque. Addens autem:* hoc Dei vocem stipulatam, *adludit ad illud Gen. 2.* Quacumque hora comederis ex eo, morte morieris.

556. Sed hæretici Magi Menandri Samaritani furor, &c.] Menandri, *quem hic, B. Iust. Mart. Apolog. 2. ac Irenæum secutus,* Samaritanum *vocat, varios errores recenset supra Auctor l. de Præscript. adu. hær. ca. 46. hær. 2. n. 302. Vbi etiam* baptismi eius *sit mentio, sed hic præterea additur, quod diceret* immortales & incorruptibiles, & statim resurrectionis compotes: qui baptisma eius induerint. *Quod ipsum etiam ex Irenæo desumpsit li. 1. cap. 21. Resurrectionem enim, per id quod est in eum baptisma, accipere eius discipulos, & vltra non posse mori, sed perseuerare non senescentes & immortales. Item ex B. Iustino Mart. Apologet. 2. qui illum ait sectatoribus suis, minime morituros esse, persuasisse. Quod ipsum in suam historiam transtulere Euseb. & Niceph. locus supra citatis. Atqui infra li. de Resurr. carnis, errorem alterum eius recenset Auctor de* carne hominis ab angelis procreata.

557. Sed aut ebriosos reddit Lynceſtarum vena vinosa, &c.] *Supra li. adu. Valentin. ca. 15. similiter Auctor:* & Lynceſtarum quæ ebrios efficit, *vbi in hæc verba Rhenan.* Lynceſtæ *Macedoniæ sunt populi. vnde* Lynceſtis *Græca forma, cuius vim describit Plinius lib. 2. Nat. hist. ca. 103. quod est de miraculis aquarum, fontium, & fluminum:* Lynceſtis *(inquit) aqua quæ vocatur acidula, vini modo temulentos facit. Item in Paphlagonia & in agro Caleno, fontis Paphlagonici meminit & Marcus Vitruuius. Idem prodit de* Lynceſti *Seneca Nat quæst. li. 3. c. 20. adiiciens hos duos versiculos ex Ouidio:*

Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quam si merâ vina bibisset.

358. aut Lymphaticos efficit Colophonis scaturigo dæmonica.] *De Lymphaticis aliquid supra diximus li. de Baptismo, c. 5. n. 38.* Colophone *auoem (inquit, vbi supra, Plinius li. 2. c. 106.) in Apollinis Clarij specu lacuna est, cuius potu mira redduntur oracula, breuiore vita. Meminerunt eiusdem Clemens Alexandr. li. adu. Gentes, & Eusebius de Præpar. Euang. li. 2. ca. 5.*

559. aut Alexandro accidit Nonacris Arcadiæ venenata] *Haud absimiliter loco citato supra Auctor adu. Valentin.* vt & Nonacris, quæ Alexandrum occidit. *Vbi sic Rhenanus: Libet hic (inquit) M. Vitruuii verba adscribere, Tertulliano, quantum ad Alexandri Magni mortem adtinet, consentientis, li. de Architectura octauo: Est (inquit)* in Arcadia Nonacris *nominata terra regio, quæ habet in montibus è saxo stillantes humidissimos humores. Hæc autem aqua Stygos hydor nominatur, qua neque argenteum neque æneum, neque ferreum vas potest subsistere, sed dissilit & dissipatur. Conseruare autem eam & continere, nisi mulina vngula, potest. Quæ etiam memoratur ab Antipatro in prouinciam vbi erat Alexander, per Iollam filium perlata esse, & ab eo ea aqua regem esse necatum. Hactenus ille. De aqua variant Plinius & Quintus Curtius, cum Vitruuio & Tertulliano consentit Pausanias. De aqua etiam* Nonacride *non tacet Seneca Nat. quæst. li. 3. Quædam (inquit) aquæ mortiferæ sunt, nec odore notabiles, nec sapore, Circa* Nonacrin *in* Arcadia *Styx appellata ab incolis, aduenas fallit: quia non facie, non odore suspecta est, qualia sunt magnorum artificum venena, quæ deprehendi nisi morte non possunt. Atqui habent id Pausanias & Q. Curtius, vti ante me adnotauit Leopardus Emendat. l. 4. c. 8. qui insuper etiam Plutarchum citat in* Alexandro, *& Ioannem Monachum eius verba citantem: item Ælian. l. 10. c. 40. histor. animal. Trogum siue Iustinum, Herodotum in Erato, Arrianum, Ianum Parrhasium in Claudianum & Celium, denique etiam Plinium lib. 30. ca. 6. Atqui non variant hi Auctores de aqua huius venenato nomine, vti putat Rhenanus, sed Stygiam nuncupant.*

560. Fuit & Iudææ lacus medicus ante Christum.] *Probaticam piscinam intelligit, de qua Ioan. 5.*

561. Plane Stygias paludes Poeta tradidit mortem diluentes, &c.] *Miraphrasis;* mortem diluentes, *quantum apparet, pro: morti sua dilutione occasionem dantes: cui fere similis est illa Iulij Cæsar. 2. lib. Bell. ciuil. Super lateres corio inducuntur, ne canalibus immissa aqua lateres diluere posset, id est, dilutione exstirpare, mea quidem sententia. Atqui videtur Auctor* Stygias paludes *à* Nonacri *distinguere, quum tamen eodem Vitruuius, Plinius, Q. Curtius, & alii plerique* Stygem *pro eodem habere videantur, & nominatim, sicut & Seneca, circa Nouacrin Arcadiæ* Stygem *collocent. Nisi quis malit (quod vero similius videtur)* Stygias paludes *eas dumtaxat ab Auctore intelligi, quas* Poeta *(Virgilius nempe, aut Homerus) in inferno collocat. Pro quo facere videtur quod Auctor subiungit:* Sed & Thetis filium plangit, *nempe mater Achillem iam mortuum, atque adeo* Stygis paludibus *dilutum, cuius planctum videre est apud Platonem l. 2. de Repub. ex Æschylo. Item illud:* moriendum erit nihilominus vt ad Stygem venias. Apud inferos enim dicitur.

562. Quod hoc Menandri balneum, Comicum credo] *Metaphorios à Menandro hæretico transit ad* Menandrum *Poetam* Comicum, *imitatus in hoc B. Iren. li. 2. ca. 72. qui verisimiliter alicubi* Balnei *meminit alicuius, vti fere solent* Comici.

563. apud quod nec pro Deo ipso mori lex est.] *Insinuat Menandrum vnum fuisse ex Martyrii refragatoribus, cum quibus disputat infra Scorpiaco adu. Gnosticos. Atqui* Medeæ *venefica historia omnibus nota est, Addit autem:* etsi licuit in veruecem, *propter subreptum ab ea vellus aureum.*

564. Translatus est Enoch & Helias, &c.] *Similiter Auctor Tomo primo, lib. adu. Iudæos, ca. 2.* Nam & Enoch iustissimum non circumcisum nec sabbatizantem, de hoc mundo transtulit, qui necdum mortem gustauit, vt æternitatis candidatus iam nobis ostenderet, nos quoque sine Legis Moysi onere Deo placere posse. *Et infra lib. de Resurr. carnis, c. 58.* Quod hodie *(inquit)* Enoch & Helias, nondum resurrectione discuncti, quia nec morte functi, qua tamen de orbe translati, & hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria, & contumelia immunitatem carnis ediscunt, cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet, hæc futuræ integritatis esse documenta? *Et supra huius quoque li. ca. 35.* Helias *(inquit)* non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est, nec corpori restituendus, de quo non est exemptus, sed mundo reddendus, de quo est translatus: non ex postliminio vitæ, sed ex supplemento prophetiæ, idem & ipse & sui nominis & sui hominis. *Quæ expresse militant aduersus Iudaizantem Aben Esra, qui illud:* transtulit eum Dominus, *Gen. 5. de morte intelligit: quum contra sentiant cum Auctore Philo Iudæus, lib de Vit. sapient. Iren. l. 1. cap. 5. & li. 4. ca. 30. Hieronym. adu. Pelagian. lib. 3. & Patres omnes. Immo ipse Apostolus Paulus Heb. 11.* Fide *(inquit)* translatus est Enoch, ne videret mortem.

565. Ceterum morituri reseruantur, &c.] *Adludit ad Apoc. ca. 11.* Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti stolis, *&c.* Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos *&c.* Et post tres dies & dimidium, spiritus vitæ à Deo intrauit in illos, & steterunt super pedes suos, *&c.* Et ascenderunt cœlos in nube. *Hoc est enim quod subiungit:* vt Antichristum sanguine suo extinguant. *Ceterum vel hinc patet verior tum Auctoris, tum BB. Hieron. epist. 148. ad Marcellam, & Augustin. in Gen. ad litt. l. 7. & l. de peccat. meritis, cap. 3. sententia: quod* morituri reseruantur: *quam aut Procopii, qui immortalitate donatum putat, aut Gregorii Nazianzeni dubia hac de re opinio.*

566. Obiit & Ioannes, &c. frustra fuerat spes, &c.] *Idem habet Beatus Hieronymus Catal. Script. Eccles. addens insuper* obiisse Ioannem *sub Traiano, anno post passionem Domini 68. item Euseb. hist. Eccles. libr. 3. capite 25. adiiciens quod Ephesi obierit, ex Epistola Polycratis, cuius ipsa verba etiam postea in suam historiam transtulit Nicephor. Nec dissentit B. Augustin. Serm. de fer. 4. Paschæ, vbi tractat illud, ad quod hic Auctor adludit:* Extiuit ergo sermo ille inter fratres, quod discipulus ille non moritur; *vtpote interpretatus verba Christi:* Si eum volo manere donec veniam, *de Ioanne, quod non esset cruenta morte moriturus, ac si mortuum*

fateatur. cui in hoc astipulantur etiam Beda & Smaragdus serm. in Euangel. in festo B. Ioannis Euangelistæ. Consentiunt Martyrologia omnia, & vsus Ecclesiæ, qua festum Natalis eius, id est, obitus, obseruat 3. post Natalem Domini feria. Atqui illis verbis, quem in aduentum Domini remansurum frustra fuerat spes, *ostendit se illis non adsentiri, qui eum cum Enoch & Helia translatum fuisse, & rediturum putant ad aduentum Domini, quod videntur sentire Freculphus Chron. Tom. 2. li. 2. ca. 9. & Metaphrastes in vita B. Ioannis. Verum cum Auctore faciunt dicta verba Apocal. de duobus dumtaxat Prophetis, & ipsa verba Ioannis*: Et non dixit Dominus: Non moritur. *Ceterū omnino legimus paulopost*: videat illos meus Thomas (*vbi adludit ad B. Thomæ Apostoli incredulitatem Ioan. 20.*) audiat, contrectet, & credat: *pro eo quod erat*: & credidit.

CAP. LI.

567. Opus autem mortis in medio est, &c.] *Veterem hic titulum retinuimus*: Nihil animæ in corpore sub remanere post mortem. *Accipit autem Auctor*: in medio esse, *pro: in manifesto, iuxta illud Virgil. Æneid. 2. interprete Seruio:*

--medios dilapsus in hostes.

568. discretio corporis Animæque.] *Similiter supra Auctor ca.* 27. Si mors non aliud determinatur quam disiunctio corporis animæque. *& c. seq.* Hoc igitur opus mortis, separationem carnis atque animæ. *Quomodo etiam eandem definiunt B. August. li. 13. de Ciuit. Dei, c. 6. & Gregor. Nyss. li. de creat. homin. c. 30. ac Philosoph. li. 2. c. 2. ex sententia Chrysippi.*

569. Ad hoc enim & Plato, etsi, quas vult, &c.] *De animabus quibusdam ad cœlum expeditis iuxta sententiam* Platonis, *latius infra c. 54. Alter autem locus* in Politia, *id est, Republ. li. 10. habetur: At non referam tibi (inquit) Alcinoi Apologum, sed fortis viri Eris Ægyptii, genere Pamphylij: qui aliquando in bello occisus, quum decimo die mortui iam putrefacti tollerentur, sanus quidem & integer corpore sublatus est: domum vero delatus, vbi 12. die sepeliendus esset, in pyra positus reuixit. Quod ita interpretatur Tertull. ac si dixerit*: longo tempore sine vlla labe, præ animæ scilicet indiuiduitate, seruatum. *Vide de eodem Valerium Max. li. 1. c. 8. & Macrobium in Somn. Scip.*

570. Ad hoc & Democritus, &c.] Democritum *eius fuisse sententia, quod* post mortem animæ adhæreant corporibus, *fortassis ex eo colligit Auctor, quod vel Plinio teste li. 7. c. 55. asseruari voluerit corpora hominum, eo quod reuiuiscendi promitteret. Argumentum autem eius ad hanc rem de* crementis comarum & vnguium in sepulturis, *pulchre refellit Auctor, causas naturales adferens.*

571. propterea nec ignibus funerandum aiunt.] *Hunc morem non probat Auctor, sed causam qua quidam eum improbabant, immo* crudelitatis *accusat, non hic modo, sed etiam li. de Resurr. carnis, cap. 1.*

572. Ceterum Anima indiuisibilis, &c.] *Hoc supra late docuit Auctor ca. 14. ex quo proinde concludit*: etiam mortem indiuisibilem credi.

573. & morante adhuc sepultura, interim oratione Presbyteri componeretur, &c.] *Facit etiam hoc ad vetustatem* Orationis pro defunctis *comprobandam, cui similes locos videat supra Lector in Adnot. nostris Tom. 2. li. de Orat. n. 1. ac li. de Coron. milit. ca 3. nu. 36. Hic certe proprie de* Oratione Presbyteri, *id est, iuxta vsum Tertullian. sacrificio in sepultura mortuorum, nam & illa verba*: ad primum habitum orationis, *&*: rursumque condita pace, *ad sacrificium magis quā ad orationem pertinere dignoscuntur, maxime quum etiam* fœminam mortuam manus in habitum supplicem (*quali presbyteri potius in sacrificio quam alia oratione supplici vti solent*) conformasse, *addat.*

574. Est & alia relatio apud nostros, &c.] *En* alterum, *vti vocat Auctor*, ostentum, quo in cœmiterio corpus corpori iuxta collocando spatium recessu communicauit, *Atqui de* Cœmiteriis *Christianorum (quæ extra portam fuisse, olim constructa, supra adnotauimus Tom. 1. lib. de Testim. Animæ, ca. 4. n. 19.) vide Adnotationes nostras in B. Cyprian. Epist. 68. ad Stephan. numer. 25. Atqui an etiam apud ethnicos tale quid tradatur, inquirendum relinquo Lectori curioso.*

575. sibimetipsi refrigerasset.] *Similiphrasi supra Tom. 1. lib. ad Scapulam dixit Auctor, ca. 4.* indigentibus refrigeramus, *id est, refrigerium adferimus.*

576. signis potius & ostentis.] Ostentum *Labeo definit (inquit Vlpianus l.* ostentum. *ff. de verb. & rerum signific.) omne contra naturam cuiusque rei factum. Atqui Cicero lib. 2. de Natur. Deor. ab ostendendo, monstrando, portendendo, dicta scribit* ostentum, *monstrum, portentum.*

CAP. LII.

577. Hoc igitur opus mortis, &c.] *Huic capiti, à præcedenti distincto, hunc titulum dedimus*: Quod omnis mors ex culpa sit, non ordinaria aut naturalis, quamquam tamen naturalis ex accidentia dicatur. *Eiusdem itaque pene argumenti est cum ca. 41. supra præterquam quod hic exempla quædam adferat* mortis violentæ, *quam ethnici extraordinariam vocabant.*

378. & arbitrio hominis addicens mortis euentum, &c.] *Locus hic iterum facit pro* hominis libero arbitrio, *quod ipsum vocat mox satis noue* oblationis potestatem, *eo quod posset acceptare per voluntatem vitam aut mortem sibi à Deo oblatam.*

579. Nam, etsi præ gaudio quis spiritum exhalet, vt Chilon Spartanus, &c.] *Sumpsit hoc, sicuti alia multa, Auctor ex Plinio lib. 7. ca. 32. vbi sic ait: Quin & funus* Chilonis Lacedæmonii, *quum*, victore filio Olympiæ, expirasset gaudio, *tota Græcia prosecuta est. Quod ipsum non illi modo, sed & Sophocli ac Dionysio Siciliæ tyranno accidisse, accepto Tragicæ victoriæ signo, idem scribit capite 53.*

580. etsi præ gloria, vt Clidemus Athenienſis, &c.] Clidemi *cuiusdam scripta adlegant Athenæus & Plutarchus in Aristide. An idem sit nescio: neque enim apud alium reperire hoc exemplum mortis licuit.*

581. etsi per somnium, vt Plato.] *Idipsum confirmat Suidas*: Epulatus (*inquit*) Plato *in festo, &* dormiens, vita excessit.

582. etsi per risum, vt P. Crassus.] *Peculiare hoc est Auctori, si modo idem sit P. Crassus Lucij Crassi Oratoris frater, quem scribit Volaterr. li. 12. c. 2. sibi ipsi vim intulisse.*

583. longe a Caphareis saxis, &c.] *De his ita Propertius lib. 3. Eleg. 7. adludens (sicut & Auct. r) ad classem Græcorum: quæ apud Promontorium Euboeæ, versus Hellespontum, valde afflicta fuit.*

Saxa triumphales fregere *Capharea* puppes,
Naufraga quum vasto Græcia tracta solo est.

Atqui de Decumanis *vide supra To. 1. li. de Pallio, c. 2. n. 22. Denique pro*: naufragia *fortassis non male Gagnæus* naufrangia, *voce obsoleta.*

CAP. LIII.

584. Sed quo deinde Anima nuda & exposa deuertet, &c.] *Titulum hic veterem retinuimus*; De excessu Animarum, *id est, de modo seu causis excessus animarum è corpore.*

585. Medicis potius relinquendas.] *Hoc per præoccupationem Auctor, verum paulopost non paucas causas* defectionis corporis in mortem *explicat, vtpote* quæ sit euersio (*inquit*) aut materiarum, vt fellis & sanguinis, aut regionum, vt cordis & iecoris: aut viarum vitalium, vt venarum & arteriarum.

568. Non alio modo quam quo & aurigam, &c.] Animam *facit* aurigam corporis, *sicuti alicubi Plato. Siue autem legas*: actu languens, *siue*, elanguens *perinde est.*

587. Sic & rapida quæque mors, &c.] *Enarrantur hic aliquot perquam eleganter* rapidæ mortis *genera*, vt ceruicum messis semel tantam ianuam pandens (*vbi omitto*: ac) vt ruinæ vis semel omnia vitalia (*addo id iterum ex Gagnæo*) elidens: vt apoplexis interior ruina. *Atqui paulopost legimus iterum cum Gagnæo*: nec quia exigua est, statim & ipsa peritura est. *Pulchre denique describit* mortem, totius vltimum totum.

588. Hinc denique euenit, sæpe animam, &c.] *Egregie explicat vide* sollicitior obtutus & extraordinaria loquacitas, *sub inde moriturus contingant. Est vero rursus vox Tertullianica*: suggestu.

589. Si enim corpus istud Platonica sententia carcer.] *Similiter supra ex sententia Carpocratis cap. 35.* corporis carcerem *dixit. Verum ait, e contrario ab* Apostolo Dei templum *dici: quamquam interim fateatur (sicuti etiam supra c. 40. docuimus)* Animam concretione carnis infæcari & obscurari. *Similis est autem locus apud B. August. li. 13. de Ciuit. Dei, ca. 16. vbi docet non corpus, sed corpus corruptibile esse Animæ onerosum. Hinc etiam B. Hier. cum sibi obiectum esset à Rufino, quod in Commentario epist. ad Eph. dixisset*, corpus animæ carcer: *respondit se id ex Orig. sententia dixisse, quippe qui, vti in multis, etiam in hoc Plat. sit imitatus. Porro* corneum specular *vocatur etiam caro à Platon. in Charmide.*

590. prout paraturam diuersorii sui sentit.] *Ex Gagnæo reposuimus*: deuersorii, *& ca. sequent.* deuersoriorum, *pro*: diuersorii, *ac*: diuersoriorum, *eo quod initio huius capitis omnes cod. legant*; deuertet, *quod Tertulliano est frequentissimum.*

591. de ipsius statim angeli facie, &c.] *Sicuti supra c. 37. indicauit. à natiuitate statim singulis hominibus vnum angelum deputari, sic hic quoque in fine vitæ vnicuique apparere angelum*, de cuius facie paraturam sui deuersorii sentit Anima, *siue in cœlum, siue in infernum.*

592. euocatoris animarum Mercurii Poetarum.] *Adludit imprimis ad Platonem in Phædone*: *Sic narrant (inquit) quod vnumquemque mortuum cuiusque dæmon, qui viuum sorte obtinuit, ad quendam locum ducere aggreditur, vbi congregatos iudicari oportet, &c. ne prolixiores simus. Deinde ad* Mercurium Poetarum, *quem illi animarum caduceatorem faciebant.*

CAP. LIV.

593. Quo igitur deducetur Anima, iam hinc reddimus, &c.] *Etiam hic rursum inscriptionem huius capitis antiquam retinuimus*: De receptu Animarum: *addentes*; & de inferis secundum Philosophos. *vtpote quorum hic sententiam dumtaxat adferat, Christianorum vero, ca. sequ.*

594. Omnes ferme Philosophi, qui immortalitatem Animæ, &c.] *Vide B. August. lib. de Immortalit. Animæ, vbi & Pythagoræ & Platonis, aliorumque de eadem Philosophorum testimonia asserit. Recte autem addit Auctor* : qualiter volunt, tantum vindicant: *quia, Beatus Gregor. Nyss. teste, Philos. libr. 2. capite 7. Ethnici omnes.*

qui

qui animam immortalem *dixerunt, Animarum transmigrationem vnanimi consensu adstruunt, circa formas Animarum diuersi. Quod ipsum de* Pythagora *supra satis deduxit Auctor, & item de* Platone, *cap.* 28. 29. 31. *& de* Empedocle, *ac iterum de* Pythagora, *cap.* 32. Platonis *item aliquot locos adnotatos habes supra non vno in loco, inter quos præcipuus est, vbi rē ex professo tractat, in Phædone, siue de Anima libro. Atqui* Cicero *Tuscul. libr.* 1. *Pherecydem Syrum primum dixisse Animas sempiternas, ait.*

595. quique aliquod illi tempus indulgent, &c. vt Stoici.] *De his in hac verba* Cicero *Tusc.* 1. Stoici *vsuram nobis largiuntur tamquam cornicibus; diu mansuras Animas aiunt, semper negant. Quorum interim de* conflagratione vniuersitatis, *id est, mundi, opinio Christianis satis conformis est.*

596. Plato quidem non temere, &c.] *Habes hoc* Platonis *paradoxon partim in Phædone, partim in Phædro, denique & in Timæo, vbi docet (quod etiam ca. sequ. repetit Auctor.)* in ætherem *(siue, vti loquitur, puram habitationem seu cœlum)* sublimari Animas sapientes cum pueris, *quod etsi Auctor aliter interpretetur, Marsilius tamen mauult referre ad eos qui Philosophiæ institutionem puerorum coniunxerant.*

597. apud Arium, in aerem.] *Idipsum repetit cap. sequ.* aut in aere, *inquit,* cum Ario. *Quid autem* aer *ab* æthere *differat, omnibus notum est, nempe quod* aer *vnum sit ex quatuor elementis* æther *plerumque pro cœlo accipiatur. Quis autem iste* Arius, *dispiciat diligens Lector. Huius sententiam sequi mihi videtur* Cicero *lib. de Repub. 6. & aliquidam, qui in circulo Lacteo Animas virorum fortium collocant.*

598. apud Stoicos sub lunam.] *De hoc iterum cap. sequ.* aut circa lunam, cum Endymionibus Stoicorum. *Horum vero sententiam, præterquam quòd sequi videatur* Cicero *Tuscul.* 1. *(vti ante me adnotauit* Turneb. *Aduersar. lib. 26. cap. 28.) Lucanus his amplexus est versibus:*

Quodque patet terras inter, Lunæque meatus.
Semidei manes habitant, quos ignea virtus.
Innocuos vita patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animum collegit in orbes.

599. Hos (inferos *nempe*) Plato velut gremium terræ describit in Phædone, &c.] *Paraphrasticōs magis istud, quam ad verbum ex* Phædone *citat Auctor, quippe qui ibidem non aliud habeat, de Tartaro, quam quod in eum hiatum confluant omnes fluuii, & ex hoc rursus effluant, fiant autem tales, qualis est terra, per quam fluxerint. Atqui rursum phrasis est Tertullianica:* aerem stipare, *pro:* obstipare.

CAP. LV.

600. Nobis inferi, non nuda cauositas, &c.] *Titulum huius capitis auctiorem hoc modo reddidimus:* Inferi quid Christianis, & an illuc omnes Animæ conueniant.

601. sed in fossa terræ, &c.] *Paulo clarius istud paulopost:* Habes, *inquit,* & regionem inferûm subterraneam credere, *& supra Tomo* 1. *Apolog. cap.* 47. *vbi* gehenna *ab eo definitur:* ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus. *Hæc autem scripturis tum iis quæ hic habemus, cum aliis confirmat B. Irenæus lib.* 5. *adu. hæres. contra eos agens, qui mundum hunc* Inferos *adserebant. Nec absimiliter B. Hieron. in Epist. ad Ephes. cap.* 4 *adducens in eandem rem, præter verba Apostoli ibidem, quæ mox citat Auctor, scripturas Num.* 16. *Psal.* 54 *&* 105 *Item B. Augustin. lib.* 2. *Retract. cap.* 24. *retractans dubiam suam sententiam lib.* 12. *de Genesi ad litt. cap.* 34. *De* inferis, *inquit, magis mihi videor dicere debuisse, quod sub* terris *sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur siue dicantur, quasi non ita sit.*

602. Siquidem Christum in corde terræ, &c.] *Adludit ad illud Matth.* 12. Sic erit filius hominis in corde terræ per triduum, *quod ipsum citat etiam Irenæus vbi supra. Est autem etiam illa vox:* expunctum, *Tertullianica.*

603. forma humanæ mortis apud inferos functus, &c.] *De* Christi descensu & functione apud inferos, *supra Auctor:* Ad quod & Christus moriendo descendit, puto ad animas Patriarcharum, *pro quo hic paulo apertius:* vt illic Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret. *De quo vide etiam Lector Adnotat. nostras in cap.* 12. *lib. de Præscript. adu. hær. nu.* 86.

604. nec ante ascendit, &c.] *Adlegat hic præter scripturas ibi citatas (quemadmodum & B. Hieronym. & Iren. ac Ambros.) illud Ephes.* 4. Quod autem ascendit *(cui addit Auctor explicationis gratia:* in sublimiora cœlorum *)* quid est nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ, *pro quo apud Iren. & hic:* in inferiora terrarum, *qui non videntur legisse vocem μέρη, quæ hodie in omnibus codicibus Græcis, & ex translatione in Latinis legitur. Adlegari præterea solent ad huius articuli confirmationem scripturarum testimonia Zachar.* 9. *Eccles.* 24. *Act.* 2. *Os.* 13. *Denique illud Hierem. quod Iustinus Martyr aduers. Tryphon. Iudæos rescuisse dicit:* Recordatus est Dominus Deus mortuorum suorum ex Israel, qui obdormierunt in terra aggeris siue sepelitionis, & descendit ad eos vt Euangelizaret, & læto eis significaret nuncio salutare suum. *Quod ipsum quum citetur ab Irenæo loco iam citato, omnino ibi legendum: in terra sepelitionis, pro stipulationis. Patrum vero testimonia hæc citat Feu-ardentius in Irenæum: Thaddæi apud Eusebium lib.* 1. *cap. vlt. Dionys. Areop. li. de cœl. Hier. c.* 4. *Ignat. Epist. ad Trall. Clement. Alexand. lib.* 2. *&* 6. *Strom. Origen. in cap.* 5. *Roman. Basil. in Psal.* 48. *Gregor. Nazianz. Orat. de Paschate, Epiphan. hær.* 46. *ac* 77. *& in Anchor. denique & Arnob. in Psal.* 15. 87. *ac* 137. *Quibus adde præter Iren. Cypr. & Hieron. locis citatis, alterum BB. Hieronym. locum in Osee cap.* 13. *& Nazianzen. Orat.* 3. *Theolog. August. Epist.* 57. *ad Dardan. & ad Euod.* 99. *Gregor. Nyss. Orat.* 2. *de Resurr. Fortun. Hymno de Pascha, qui perperam Lactantio adscribitur, ipsum Lactant. lib.* 4. *cap.* 19. *& German. Constantinop. versu de Cruce Christi. Quid: quod Augustinus etiam idipsum adstruat, vbi quintum articulum Symboli tractat, lib.* 4. *de Symb. ad Catechum. cap.* 6. *& disertus verbis beatus Cyrillus Hierosol. Catech.* 4. *inter sepulturæ mentionem & resurrectionis interponit (sicuti nos etiamnum) illud:* Descendit ad Inferos. *Immo & caussam eandem cum Auctore addens vt & iustos liberaret, subiungit quasi cum stomacho quodam: Cur enim vellet viuentes quidem frui gratia, quamuis ex his sancti non essent, qui vero cum Adam à longo tempore concluſi erant, non potiri libertate? &c. ne prolixiores simus, hoc addito, quod in confirmationem adleget etiam illud Matth.* 11. Tu es qui venturus es? *Ipsi interim magis videntur coniunxisse hunc articulum cum præcedenti:* Et sepultus est; *vnde & Rufinus in Symbolo dicit, vim verbi eandem videri esse in eo, quod sepultus dicitur. Valeat itaque Erasmus cum suis Catechesibus, vbi non veretur dubitare, an Thomas Aquinas primus hanc clausulam Symbolo fidei Apostolico addiderit, maxime quum manifeste tria hæc coniungat Auctor:* mortuus secundum scripturas, sepultus, ac descendit ad inferiora terrarum.

605. habes & regionem inferûm subterraneam credere, &c.] *Nescio quid hic in mentem Gelenio venerit, quod substituerit* originem inferûm *pro:* regionem, *quod habebat Gagnæus, qui etiam rectius legebat:* & illos cubito pellere *(de quo Prouerbio inter Prolegomena latius)* qui satis superbe, *quam ille:* quia satis superbe.

606. aspernati si forte in sinu Abrahæ, exspectandæ resurrectionis solatium carpere. &c.] *Etiam hoc Gagnæi magis placet quam alterius:* capere. *Accipitur vero, sicuti alibi frequenter:* si forte, *pro:* forte. *Atqui paradoxon Auctoris de* Abrahæ sinu, *siue de* Paradiso *(quod iterum repetit cap. sequenti, cap.* 57. *ac cap. vlt. huius libri, & lib.* 4. *aduers. Marcionem)* quo ipse constituebat omnem animam sequestrari vsque in diem Domini, *vti loquitur in fine huius capitis, latius infra inter Fragmenta libri de Paradiso, ac in Prolegomenis. Possunt interim aliquo modo commodam interpretationem hi loci accipere, si dicamus Auctorem sentire, quod nondum perfecta cœli fruantur beatitudine, quam post corporis resurrectionem pleniorem exspectant Animæ.*

607. Sed in hoc, inquiunt, Christus inferos adiit, &c.] *Istud argumentum, quod tacite sibi obiicit, non solum ab Auctore, sed nec à nobis probatur; alioqui enim inde concluderetur, eum qui semel Christianus factus fuerit, inferos promereri non posse.*

608. Quomodo ergo Anima exhalabit, &c.] *Nec tamen etiam istud e contrario quicquam facit pro paradoxo Auctoris, quippe quum nihil obstet* Christum adhuc sedere ad dexteram patris, *& tamen aliquos in cœlum recipi: nam* 1. *Petri* 3. *legitur de Christo:* Qui est in dextera Dei degl'utiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur, profectus in cœlum. *Si autem hæredes, & cohæredes Christi, simul cum illo glorificabimur, atque adeo in cœlum recipiemur. Alioqui certe frustra diceret Apostolus Gal.* 2. Cupio dissolui & esse cum Christo.

609. nondum Dei iussu per turbam Archangeli audito, &c.] *Quum hæc ad tempus resurrectionis corporum pertinere confiet, facit hoc pro sana illa interpretatione, de qua paulo ante nu.* 607. *Sunt autem rursus verba illa ex persona Philosophorum & aliorum ironicè dicta:* sed in æthere dormitio nostra, &c. *Ridens autem Stoicos, vocat* Animas eorum: Endymiones circa Lunam; *eo quod* Endymion *ille Poeticus, longissimi temporis somniator, à Luna adamatus fertur, quod, teste Plinio lib.* 2. *cap.* 7. *multa ad* Lunæ *cursum pertinentia primus deprehenderit.*

610. Immo (inquis) in paradiso, &c.] *Sed neque hoc probatur; quod credamus ex Ecclesiæ præscripto:* Patriarchas & Prophetas appendices dominicæ resurrectionis, *id est, qui cum illo resurrexerunt,* ab inferis migrasse *in cœlum, non in paradisum secundum quosdam, aut in sinum Abrahæ, qualem Auctor somniat. Alioqui enim verum non esset illud Psal.* 67. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: *quod explicans Apostolus Ephes.* 4. *interpretatur illud: in altum* supra omnes cœlos.

611. Et quomodo Ioanni in spiritu, paradisi regio reuelata, &c.] *Hic* altare *illud, cuius sit mentio Apoc.* 6. paradisum *interpretatur, in quo solos videtur collocare Martyras, reliquis non concedens nisi sinum Abrahæ. Nos vero & B. Cyprianus Epist.* 52. *ad Antonianum, Martyribus cœlum, reliquis Purgatorij locum tribuimus, vti videre est Adnotat. nostris in eandem Epist. n.* 59. *& de hoc Apoc. loco latius in prolegomenis, & infra Tom.* 4. *ad fragmenta lib. de Paradiso. Interrogandi autem notæ, isti & duabus sequentibus periodis addendæ sunt.*

612. Quomodo Perpetua fortissima Martyr, &c.] *Loquitur de* Perpetua, *quæ in Mauritania, (vti legitur in Martyrol.* 7. *Martii) ciuitate Thuburbitanorum cum Fœlicitate passa est, sub Seuero Principe, de quibus indicat Possidius in Indiculo tres Sermones B. Augustini, nunc in postrema Plantini editione, n.* 103. 104. *ac.* 105. *recens additos, qui etiam eiusdem meminit lib.* 3 *de Anim. orig. cap.* 9 *& in Psal.* 47. *versus finem, ac vtriusque libri de temp. barbar. cap.* 5. *sicuti ante me adnotauit Dominus Ioannes Molanus Louanienſis Theologus. In quorum* 1. *serm. huc illud pertinet: Exhortationes earum in reue-*

A *lationibus triumphisque passionum audiuimus. Porro adnotandus hic locus, quod in materia graui & fidei, etiam Passionis Sanctorum auctoritate vtatur, contra eos qui illam modis omnibus eleuare non verentur.*

713. Non in Adam noua mors pro Deo, &c.] Non, *rursus hic accipitur ab Auctore, pro:* Nonne. *Pulcra autem Martyrij periphrasis:* noua mors pro Deo, & extraordinaria pro Christo. *Quum autem hic rursum* Paracleti *meminerit, patet conscriptum hunc librum, quum iam Montanizaret.*

Cap. LVI.

614. Occurrit disceptatio, an hoc ab excessu statim fiat, &c.] *Veteris tituli retinuimus priorem partem:* An commorentur hic Animæ post mortem, *& alteram partem sequenti capiti adposuimus. Definit autem, quod hic non detineantur.*

615. Creditum est, insepultos non ante ad inferos redigi, quam iusta perceperint, &c.] *Locus ad quem adludit, de Homerico Patrocli, reperitur Iliad.* φ.

θάπτε με ὅττι τάχιστα πύλας ἀίδαο περήσω
τῆλέ με εἴργουσι ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων, *&c.*

Legimus autem paulopost iterum cum Gagnæo: cui non imputabitur, *pro:* imputatur, *quia præcedit:* Amabit.

616. Aiunt & immatura morte præuentas, &c. *Nescio an simile* B *quid insinuet Homerus vbi supra, his verbis:*

ἀλλ' αὔτως ἀλάλημαι ἀν' εὐρυπυλὲς ἄϊδος δῶ.

617. isthic, &c.] *Vox est Tertullianica:* isthic, *pro hic, quam etiam B. Cypriano vsitatam, adnotauimus ad Epist. eius 42. n. 5.*

618. donec reliquatio compleatur ætatis.] *Similiter paulopost:* nulla erit reliquatio temporum. *Eleganter admodum vocem illam Iureconsultorum transtulit ad ætatis residuum, quod desideratur in immatura morte præuentis. Nam à Paulo l. qui nominibus. D. de admin. & peric. tut. accipitur* reliquatio, *pro eo quod rationibus deductus est reliquum, & eadem significatione ab eodem reliquari accipitur l. L. Titius. D. de administr. tutor. ac ab Vlpiano, l. rescripto. D. de muner. ac honor. denique etiam* reliquator, *qui reliquum debiti non soluit, à Scæuola, l. creditor. D. de solut. & liber.*

619. & constituta præripi posse non credam, &c.] *Omnino sic legendum, pro:* præcipi. *vel ex eo patet, quod paulopost sequatur:* hos præreptos, *ac deinde:* prærepta tempora, *&:* vi ereptas; *quum etiam sensus id necessario requirat. Atqui de vocibus:* inuestis, *pro pubere, &* vesticeps, *pro impubere, vide supra Tom. 2. lib. de Veland. virgin. cap. 8. nu. 60.*

620. qui tamen octoginta annos victurus fuisset, &c. *Videtur* C *respicere ad illud Psal. 89.* Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.

621. Nostri autem illud quoque recogitant, &c.] *Ad Christianorum adludit sententiam, de qua libro post hunc secundo latius, de Resurrectione carnis.*

622. ab infantia pueritiæ delegata, &c. *Quinque hic enumerat hominis ætates,* infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentam, *(quibus adde virilem) &* senectam, *de quibus vide Cebetis Tabulam.*

623. Proinde extorres inferûm habebuntur, quas vi ereptas arbitrantur, &c.] *Absurditatem huius opinionis vel inde probat, quod alioqui* scelestæ quæque animæ inferis exulabunt, *vtpote quæ* præcipua atrocitate *(vti legit Gagnæus) seu* præcipue per atrocitates suppliciorum *(vti Gelenius)* eripiantur; crucis dico, & securis, & gladii, & feræ. *De quibus omnibus supra Tom. 2. libr. ad Martyras cap. 4. num. 46. Lego autem paulopost:* dignas inferis non iudicas? *addita negandi particula, quia id sensus omnino requirit.*

Cap. LVII.

624. Aut optimum est hic retineri, &c.] *Caput hoc, à præcedenti separatum, posteriori parte tituli antiqui insigniuimus, nempe:* An huc animæ ab inferis commeent, *hoc addito:* imperio dæmonum per Magicam.

625. secundum Ahoros, aut pessimum secundum Biæothanatos, &c.] *Similiter paulopost:* Itaque inuocantur quidem Ahori & Biæothanati. *Atqui* Ahori *dicuntur, præcoci morte præuenti,* D Biæothanati, *violenta morte necati.* Biæothanatos enim à βιαίῳ θανάτῳ, *id est, violenta morte dicitur, quam illi iudicabant optimam.*

626. Magica.] *Quam hic* Magicam, *mox non semel* Magiam *vocat. Quam etiam supra impugnat Tom. 1. Apolog. cap. 23. & Tom. 2. lib. de Idolol. cap. 9. maxime autem hoc loco, dum paulo post subiungit:* Quid ergo dicemus Magiam? Quod omnes pene *(ipse etiam Plinius quum alibi, tum maxime l. 30. c. 1.)* fallaciam, *& postea iterum:* fallaciam spiritus nequam, sub personis defunctorum delitescentis. *Similiter autem aduersus eandem scribunt Clemens Alexandrinus Orat. ad Græcos, B. August. l. 8. de Ciuitate Dei, c. 19. & Lactant. l. 2. c. 17. Quid? quod etiam Apuleius crimen huius artis duabus Apologiis à se alienum esse defendit.*

627. Hostanes.] *Sic omnino legendum, non* Ostanes, *præterquam quod censuimus legendum Adnot. nostris in l. B. Cypriani de Idolor. vanit. n. 53. confirmatur ex Plinio vbi supra, apud quem duo* Hostanes *leguntur. Ita enim de priori: Primus, quod exstet, vt equidem inuenio, commentatus de Magia est* Hostanes, *qui ad rabiem non auiditatem modo scientiæ eius, Græcorum populos egit. Deinde de altero: Non leuem & Alexandri Magni temporibus auctoritatem addidit, professione secundus* Hostanes. *De primo autem loqui Auctorem patet, ex eo quod alij quos hic commemorat, plerique ante secundum illum vixisse, ex eodem Plinij loco deprehendantur.* E

628. & Typhon.] *Fortassis idem est, qui Osiridis frater, actus inuidentia terras & maria turbauit, quem Plutarchus alicubi (si Viui creditur in B. August. lib. de Ciuit. Dei) dæmonem dicit.* Typhonis *etiam cuiusdam facit mentionem Herodotus in Euterpe.*

629. & Dardanus.] *De hoc, & aliis aliquot, ita Plinius loco modo citato: Democritus Apollonicem,* Capridenem *&* Dardanum *è Phœnice illustrauit, voluminibus* Dardani *è sepulchro eius petitis, suis vero ex disciplina eorum æditis. Vnde & Dardanias, artes Magicas à Columella appellari, adnotauit hunc locum citans Turnebus aduers. l. 9. cap. 17. Sic etiam vsurpat Stephanus. An idem fuerit qui (Clem. Alexandr. teste, Orat. aduers. Græcos) matris Deûm ostendit mysteria iudicent alij.*

630. & Damigeron.] *Qui hic* Damigeron, *si Wyero creditur, ab alijs Demogorgon appellatur.*

631. & Nectabis.] *Apud quosdam legitur* Nectanebus *Rex Ægypti temporibus Platonis. An idem appellatus fuerit* Nectabis, *disquirat Lector curiosus.*

632. & Berenice.] *De* Nectabis & Berenices *scriptis Magicis nihil hactenus reperire potui, nescio an eadem sit illa* Berenice *Ptolomæi mater & vxor, cuius topasium insignem celebrat Plinius lib. 37. cap. 8.*

633. Publica iam litteratura est, quæ Animas etiam iusta ætate sopitas, &c.] *De hac etiam supra sic Auctor Tom. 1. Apolog. cap. 23.* Porro si & Magi phantasmata ædunt, & iam defunctorum inclamant Animas. *Verum hic latissime hanc Magiæ speciem impugnat, idque potissimum ex eo, quod* dæmones se mortuos fingant, & hi vel maxime qui in ipsis tunc fuerunt, vel præfuerunt, quum aduiuerent, *(id est adhuc viuerent)* Idque etiam rebus probari, quum in exorcismis, primum, se ex parentibus alicuius esse adfirmans dæmon, instantia tamen diuinæ gratiæ victus, id quod verum est, inuitus confitetur. *Similiter autem etiam Lactantius libr. 2. cap. 17. hanc Magiæ speciem, quam Necromantiam vocant, dæmonibus adscribit, quemadmodum etiam beatus Augustinus libr. 7. cap. 35. Quam adeo recte etiam Auctor* secundum idololatriam *vocat, addens etiam* phantasma præstari, quia & corpus adfigitur.

634. Nam & suggessimus, nullum pene hominem carere dæmonio.] *Supra, nempe integro capite 39.*

635. quum in exorcismis: &c.] *Ad eosdem spectat, quod paulo prius dixit:* ne inuitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus. *Verum de his latius supra Tom. 1. Apolog. cap. 23. num. 370. & cap. 27. ad num. 426. ac cap. 32. ad num. 453. & cap. 43. num. 561.*

636. Corpora denique videbantur Pharaoni, &c.] *Præstigias fuisse, non vera miracula* dracones magicarum virgarum, *Exod. 7. cum Auctore sentiunt etiam Philo Iudæus, B. Gregor. Nyss. alicubi* G *Auctor quidam Græcus, & Rupertus verbis à Lippomanno citatis Cathena in Exod. & ipse quoque Lippomannus, eo quod addatur: per incantationes Ægyptias, Græce* ταῖς φαρμακείαις. *Item B. Iustin. Mart. aduersus Tryphonem duobus locis, & Auctor Quæst. & respons. lib. aduers. eundem, quæst. 26. Quorum Rupertus etiam consentit Auctori, quod* exteriores oculos circumscripserint. *Lippomannus vero putat subtractas virgas, & dracones suppositos, sicut de cerua pro Iphigenia factum commemorat B. Augustin. lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 18. vbi etiam magis videtur in hanc propendere sententiam, alicubi dubitans, adserens interim nullo modo creationem dæmonibus attribui posse.*

637. Simon dedit & Elimas Magi.] *De his Act. 8. & 13. De Simone vero hæretico latissime supra lib. de Præscription. aduers. hæret. cap. 46. hæres. 1. nu. 301. & supra cap. 34.*

638. Nec enim Pythonico tunc spiritu minus licuit Animam Samuelis effingere.] Samuelis Animam, 1. *Reg.* 28. non vere à dæmonio extractam, sed phantasma *dumtaxat, adfirmat Tertull. Item Auctor dictarum Quæst. quæst. 52. B. August. lib. 2. ad Simplic. qu. 3 Contra sentit B. Iustin Mart. adu. Tryphon. ex quo confirmatur eorum sententia, qui dictum librum Quæst. & respons. illius esse negant, quamquam interim antiqui etiam alicuius sit Auctoris, pro quo facere videtur Eccles. c. 46. In summa adhuc sub iudice lis est.* H

639. Nasammonas, &c.] Nasammonas *collocat Plin. lib. 5. cap. 5. in ora Syrtis, quos Græci Mesammones appellarunt, ab argumento loci, medios inter harenas sitos. Ab his addit idem lib. 7. c. 2. gentem Psyllorum propriæ interemptione sublatam.*

640. vel Nymphodorus.] *Verisimile citari hic* Nymphodorum *Syracusanum, cuius liber de Siciliæ (cui Nasammones vicini) mirabilibus citatur ab Athenæo. Fortassis idem qui citatur etiam à Plinio inter Auctores, lib. 3. cap. 5.*

641. & Celtas apud virorum fortium busta eadem de caussa abnoctare.] Celtas *tradit Plinius lib. 3. cap. 1. à Celtiberis ex Lusitania in Hispaniam aduenisse, eosque Hispalensis conuentus facit, quamquam tamen ab aliis magis Celtæberi illi vocentur, à Celtis Gallis in Iberiam profectis. Nam (eodem Plinio teste lib. 4. cap. 17.) Galliæ Comatæ tertia pars* Celtica *appellatur, ea quæ est inter Sequanam & Garumnam, quæ & Lugdunensis dicitur.*

642. vt Nicander adfirmat.] Nicandrum *Colphonium Medi-*

cum intelligit; qui, testibus Athenæo & Suida, scripsit de Oraculis libros tres. Citatur eiusdem liber quintus τῶν ἐθνικῶν à Stephano. At qui de alio Nicandro, *quantum apparet, pictore & hæretico, infra sub initium Scorpiaci adu. Gnosticos.*

643. Nulli autem animæ, &c.] *Istud etiam pertinet ad paradoxon Tertulliani, quo videtur sensisse omnem mortuorum exhibitionem incorporalem, præstigias esse; de quo latius in Prolegomenis. Hic duntaxat remittimus Lectorem ad B. Augustinum de Cura pro mortuis, vbi quamquam raras, quasdam tamen admittit mortuorum apparitiones. Et verum quidem esse* nulli animæ patere inferos, *ita vt exire possit proprio arbitrio; sed non negat speciali Dei priuilegio id fieri posse; quum agnoscat etiam hoc loco* quasdam animas in corpora Dei virtute reuocari. *quidni ergo etiam extra corpus, sicuti vel ipsa scriptura adtestantur de Hieremia & aliis qui apparuisse leguntur.*

CAP. LVIII.

644. Omnes ergo Animæ penes inferos, inquis; &c.] *Postremi huius capitis titulum veterem retinuimus*: An aliquid interim patiantur apud inferos Animæ. *Quod ipsum definiens, de* suppliciis, *concordat cum reliquis Patribus; at de* refrigerio *post Christi ad inferos descensum, aliter sentiunt. Verum etiam istud ad paradoxon de Paradiso quum pertineat, de eo latius in Prolegomenis; nam etiam Auctor supra c. 7. ad tractatum pleniorem Lectorem remittit.*

645. Cur enim non putes animam & puniri & foueri, &c.] *Auctor quæ. & resp. apud B. Iustin. Mar. qu. 75. in hoc differt ab Auctore, quod hic vtrasque ad infernum migrare putet, ille vero iustorum animas in Paradisum statim post exitum è corpore transferri tradat, vbi visione etiam Christi perfruuntur iuxta illud Apostoli 2. Cor. 5.* Peregre absumus à corpore, & præsentes sumus apud Dominum; *iniustorum vero in ipsius Orci loco. Nec absimiliter B. Augustinus l. 13. de ciuita. Dei, c. 8. Animas piorum in requie esse, impiorum vero pœnas luere. Atqui quomodo* anima puniri *possit, quum sit immortalis, tractat Lactantius l. 7. c. 20. primum quidem ex sententia Stoicorum, qui animas iustorum ad cœlestem sedem remeare dicebant, impios vero puniri ob labem quandam terrenam ex contagione carnis contractam; deinde Vero ex sua, quod licet spiritus sit Anima, & sua tenuitate incomprehensibilis, Deo tamen sit comprehensibilis. B. Augustinus etiam l. 21. de Ciuit. Dei, c. 9. & 10. postquam permisisset vnicuique libertatem sentiendi de igne animarum quod vellet, tandem tamen definit, quamuis miris, tamen veris modis, posse etiam spiritus incorporeos, dæmones, & proinde etiam animas, pœna corporalis ignis affligi.*

646. quotiens illæso corpore anima sola torquetur bile, &c.] *Hic Auctor aliam rationem similitudinis adfert; quod non secus post hanc vitam* anima sola torqueatur *igne, sicuti hic* bile, ira, tædio.

647. Respice ad Mutii Animam, &c.] *Vide supra To. 1. Apolog. c. vlt. n. 621. ac Tom. 2. l. ad Martyras, c. 4. n. 48.*

648. Respice ad Zenonis, &c.] *De hoc etiam iam dicto loco priori, n. 625.*

649. vt in Cyro vsi circatrices.] *Vide Xenophontem in vita Cyri.*

650. Sed nec omnia opera cum carnis ministerio Anima patitur, &c.] *Pulcre reddit eausam, cur anima sine corpore patiatur; quod etiam quædam solo cogitatu peccata committit, (sicuti etiam supra docuit, cap. 40) & quod in carnalibus etiam prior Animæ peccatum quam corpus concipiat, mandet & impellat.*

651. In summa, quum carcerem illum, &c.] *De hoc supra latius c. 35. n. 421. & 424.*

652. Hoc etiam Paracletus, &c.] *Rursum hic cum* Paracleto *suo Montanizat, de quo in Prolegomenis latius.*

ARGVMENTVM LIBRI DE CARNE CHRISTI, PER IACOBVM PAMELIVM.

DE Carnis Christi veritate disputaturus Tertullianus, imprimis scripti occasionem significat, quod, qui resurrectionis fidem inquietarent, etiam carnem Christi quæstionibus distraherent.

Ad institutum autem veniens, aduersus Marcionem, qui eius historiam ex Euangelio auferebat, traditionis Apostolicæ præscriptione Christi natiuitatem probat.

Deinde neque impossibilem fuisse aut inconuenientem Deo.

Neque etiam Deo indignam, neque stultam.

Neque itaque in phantasmate, *sed vere crucifixum & mortuum (quantumuis etiam id negaret Marcion) vere quoque natum Christum.*

Iam aduersus Apellem deducit; *Christum de sideribus & substantiis superioris mundi carnem non esse mutuatum.*

Interserens, nihil pro illis facere illud Christi: Quæ mihi mater, & qui mihi fratres?

Addens, angelum illum igneum Apellecianorum, secundum eos etiam cœlestia ex pœnitentia delicti institutisse, atque adeo si de sideribus structa, peccatricem fuisse carnem Christi.

Et vero, omnia veræ carnis signa in Christo fuisse.

Rursum, aduersus alios quosdam, neque animalem fuisse Christi carnem deducit.

Neque etiam carnalem.

Veniisse etiam Christum, non vt anima seipsam cognosceret, sed vt ipsam saluam faceret.

Fuisse item in Christo diuersas substantias, carnem, & animam.

Solum etiam Christum fuisse salutificatorem, non angelum.

Aduersus autem Valentinum, Christi carnem spiritalem non fuisse, prosequitur.

Sicuti etiam aduersus Alexandrum quendam, peccatricem non fuisse carnem Christi, & etiamsi non ex semine, veram tamen.

Obiter probans ex scripturis, Christum de Virgine nasciturum.

Non competere etiam ex semine humano Dei filium nasci, ne si esset totus filius hominis, iuxta Hebionis opinionem, non crederetur Dei filius.

Neque tamen Valentino fauere illud ab eo adulteram: Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, sed ex Deo natus est.

Porro aduersus eosdem non per virginem, sed ex Virgine natum Christum, latissime ex scripturis demonstrat.

Non hoc competere nouitati vt quemadmodum non ex semine viri, ita nec semine mulieris Verbum Dei fieret caro, ex scripturis deomonstrat.

Amplius testimoniis Matthiæ, Pauli & Esaiæ institutum euincit.

Proinde adimpleri in his omnibus Propheticam vocem Simeonis de Christo: Ecce hic positus est in signum cui contradicetur.

Et suggillatos esse hæreticos illos omnes, prædictosque in scripturis.

Denique Epilogi vice repetens quid hoc libro probauerit, ad sequentem DE RESVRRECTIONE CARNIS LIBRVM *transitum facit.*

Ceterum Tertullianus præterquam quod librum iam dictum de Resurrectione carnis citat infra librum 5. aduersus Marcionem, in illo etiam argumenti & tituli huius fit mentio: Propterea (*inquit c. 2.*) & nos volumen præmisimus DE CARNE CHRISTI, quo eam & solidam probamus aduersum phantasmatis natiuitatem, & humanam vindicamus aduersus qualitatis proprietatem *Et rursum:* Igitur quantum ad hæreticos, demonstrauimus, quo cuneo occurrendum sit à nobis, & occursum est iam suo quoque titulo DE CARNE DOMINI ADVERSVS QVATVOR HÆRESES, ad hanc maxime quæstionem præstruendam. *Præterquam autem, quod MS. viderunt olim hunc librum Trithemius Abbas & Politianus locis sæpe citatis, ædidit primus in lucem ex Hirsaugiensi & Paterniacensi Rhenanus cum Scholiis: deinde & Adnotationibus illustratum casligauit ex Gorziensi codice. Interea vero, quod desideraretur in Lælandi Britannico codice, quum à Gelenio non sit recognitus, operæpretium fuit conferre cum tribus MS. Vaticanis Codicibus, è quibus non paucos locos restituimus, additis etiam Argumento nouo, & Adnotationibus nostris.*

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE CARNE CHRISTI, [1] ADVERSVS QVATVOR HÆRESES, LIBER.

VI[2] FIDEM resurrectionis[3] ante istos Sadducæorum propinquos sine controuersia[4] moratam, student inquietare, vt eam spem negent etiam ad carnem pertinere, merito quoque carnem Christi quęstionibus distrahunt, tanquam aut nullam omnino, aut quoquo modo aliam præter humanam: nec si humanam constiterit fuisse, præiudicatum sit aduersus illos eam resurgere omni modo, [5] quæ in Christum resurrexerit. Igitur vnde illi destruunt carnis vota, inde nobis erunt præstruenda. Examinemus corporalem substantiam Domini: de spiritali enim certum est. Carnis quæritur veritas, [6] & qualitas eius retractatur, an fuerit, & vnde, & cuiusmodi fuerit. 7 Renuntiatio eius dabit legem nostræ resurrectioni. [8] Marcion vt carnem Christi negaret, negauit etiam natiuitatem: aut vt natiuitatem negaret, negauit & carnem: scilicet ne inuicem sibi testimonium redderent & responderent natiuitas & caro, quia nec natiuitas sine carne, nec caro sine natiuitate: quasi non eadem licentia hæretica & ipse potuisset, [9] aut admissa carne natiuitatem negare, vt Apelles discipulus, & postea desertor ipsius: aut & carnem & natiuitatem cõfessus, [10] aliter illas interpretari, vt condiscipulus & condesertor eius Valentinus. [11] Sed & qui carnẽ Christi putatiuã introduxit, æque potuit natiuitatis quoque phantasmata confingere, vt & conceptus, & [12] prægnatus, & partus virginis, & ipsius exinde infantis ordo [13] τὸ δοκεῖν haberetur. Eosdẽ oculos, eosdemq; sensus fefellissent, quos carnis opinio inluserit. [14] Plane natiuitas à Gabriele annunciatur. Quid illi cũ angelo creatoris & virginis vtero? Conceptus inducitur, quid illi cũ essentia creatoris? Odit moras, qui subito Christũ de cœlis deferebat. [15] Auferhinc, inquit, molestos semper Cęsa is census, & diuersoria angusta, & sordidos pannos, & dura præsepia. [16] Viderit angelica multitudo Dominum suum noctibus honorans. Seruent potius pecora pastores: & Magi ne fatigentur de longinquo, dono illis aurũ suũ. [17] Melior sit & Herodes, ne Hieremias glorietur. Sed nec circuncidatur infans, ne doleat: nec ad templũ deferatur, ne parentes suos oneret sumptu oblationis: nec in manus tradatur Simeonis, ne senem motiturum exinde contristet. Taceat & anus illa, ne fascinet puerum. [18] His opinor consiliis tot originalia instrumenta Christi delere Marcion ausus est, ne caro eius probaretur. [19] Ex qua, oro te, auctoritate? si Propheta es, prænuntia aliquid: si Apostolus, prædica publice: si Apostolicus, cũ Apostolis senti: [20] si tantummodo Christianus es, crede quod traditum est: si nihil istorum es, merito dixerim morere: nam & mortuus es, qui non es Christianus, non credendo quod creditum Christianos facit. Et eo magis mortuus es, quo magis [21] non es Christianus: qui cum fuisses, excidisti, reicindendo quod retro credidisti. [22] sicuti & ipse confiteris in quadam epistola, & tui non negant, & nostri probant. Igitur rescindens quod credidisti, iam non credens rescidisti: non tamen quia credere desiisti, recte rescidisti. Atquin rescindendo quod credidisti, probas, antequam rescinderes aliter fuisse quod credidisti aliter. Illud ita erat traditum. porro quod traditũ erat, id erat verum, vt ab eis traditum, quorum fuit tradere. Ergo quod erat traditum rescindens, quod erat verum rescidisti. Nullo iure feci sti. Sed plenius eiusmodi præscriptionibus aduersus omnes hæreses, alibi iam vsi sumus. Post quas nunc ex abundanti retractamus, desiderantes rationem qua non putaueris natum esse Christum. [23] Necesse est quatenus hoc putas arbitrio tuo licuisse, vt aut impossibilem, aut inconuenientem Deo existimaueris natiuitatem. Sed Deo nihil impossibile, nisi quod non vult. An ergo voluerit nasci (quia si voluit, potuit, & natus est) consideremus. Ad compendium decurro. Si enim nasci se Deus noluisset, quacumque de causa, nec hominem se videri præstitisset. Nam quis hominem videns, eum negaret natum? Itaque quod noluisset esse, nec videri omnino voluisset. Omnis rei displicentis etiam opinio reprobatur. Quia nihil interest, vtrum sit quid, an non sit: si cum non sit esse præsumitur. Plane interest illud, vt falsum non patiatur, quod vere non est, Sed satis erat illi, inquis, conscientia sua. Viderint homines, si natum putabant, quia hominem videbant. Quanto ergo dignius, quantoque constantius humanam sustinuisset existimationem vere natus, eandem existimationem etiam non natus subiturus cum iniuria conscientiæ suæ, quam tu ad fiduciam reputas, vt non natus aduersus conscientiam suã natũ se existimari sustineret. [24] Quid tanti fuit, edoce, vt consciens Christus quid esset, esse se quod non erat, exhiberet. non potes dicere, si natus fuisset, & hominem vere induisset, Deus esse desisset, amittens quod erat, dum assumit quod non erat. Periculum enim status sui Deo nullum est. Sed ideo, inquis, nego Deum in hominem vere conuersũ, ita vt & nasceretur, & carne corporaretur: quia qui sine fine est, etiã inconuertibilis sit, necesse est. Cõuerti enim in aliud, finis est prioris. Non cõpetit ergo conuersio, cui non cõpetit finis. [25] Plane natura conuertibiliũ ea lege est, ne permaneant in eo quod conuertitur in eis: & ita nõ permanendo pereant, dum perdunt cõuertendo quod fuerunt. sed nihil [26] Deo par est, natura eius ab omniũ rerũ conditione distat. Si ergo quæ à Deo distant, à quibus Deus distat, cũ conuertuntur, amittunt quod fuerunt: vbi erit diuersitas diuinitatis à ceteris rebus, nisi vt contrarium contineat, id est, vt Deus & in omnia conuerti possit, & qualis est, perseuerare? alioquin par erit eorum quæ conuersa amittunt quod fuerunt: quorum vtique Deus in omnibus par non est, si nec in exitu conuersionis. [27] Angelos creatoris conuersos in effigiem humanam aliquando legisti, & credidisti, & tantam corporis gestasse veritatem, vt & pedes eis lauerit Abraham & manibus ipsorũ ereptus sit Sodomitis Loth: conluctatus quoque homini angelus toto corporis pondere dimitti desiderauit, ab eo à quo detinebatur. Quod ergo angelis inferioribus Deo licuit, vti conuersis in corpulentiam humanam, angeli nihilominus permanerent, hoc tu potentiori Deo aufers, quasi nõ valuerit Christus vere hominem indutus, Deus perseuerare? Aut nunquid & angeli illi phantasma carnis apparuerunt? sed non audebis hoc dicere. nam si sic apud te angeli creatoris, sicut & Christus: eiusdem substantiæ erit Christus, cuius angeli: angeli tales, qualis & Christus. Si scripturas opinioni tuæ resistentes, non de industria alias reiecisses alias corrupisses, confudisset te hinc Euangelium Ioannis, prædicans [28] Spiritum columbæ corpore lapsum descendisse super Dominum. Qui Spiritus cum hoc esset, [29] tam vere erat & columba, quam & Spiritus: nec inter fecerat substantiam propriam, assumpta substantia extranea. Sed quæris corpus columbæ vbi sit resumpto Spiritu in cœlum. æque & angelorum, & eadem ratione interceptum est; qua & editũ fuerat. si vidisses cum de nihilo proferebatur, scisses cum in nihilum subducebatur. Si non fuit initium visibile, nec finis. Tamen corporis soliditas erat, quo momento corpus videbatur. Non potest non fuisse quod scriptũ est. [30] Igitur si neque vt impossibilem, neque vt periculosam Deo repudias corporationem, superest vt quasi indignã reiicias & accuses. Ab ipsa quidem oxorsus odio habita natiuitate, [31] perora age iã spurcitias genitaliũ in vtero elementorum

torũ, humoris & sanguinis fœda coagula, carnis ex eodem cœno alendę per nouem menses: describe vterum de die in diem insolescentẽ, grauem, 32 anixum, nexũ, 33 totum incertum libidinibus fastidii & gulæ. Inuehere iam & in ipsum mulieris enitentis pudorem, vel pro periculo honorandũ, vel pro natura religiosum. Horres vtique & infantem 34 cum suis impedimentis profusum, vtiq; & oblitum. Dedignaberis quod pannis dirigitur, quod vnctionibus formatur, quod blanditiis deridetur. 35 Hanc venerationem ô Marcion, naturæ despuis: & quo modo natus es? odisti nascentem hominẽ: & quo modo diligis aliquem? te quidem plane non amasti, cum ab Ecclesia & fide Christi recessisti. Sed videris, si tibi displices, aut sit aliter natus es. Certe Christus dilexit hominem illum in immundicitiis, in vtero coagulatum, illum per pudenda prolatum, illum per ludibria nutritum. Propter eum descendit: propter eum prædicauit: propter eũ omni se humilitate deiecit vsq; ad mortem, & mortẽ crucis: amauit vtiq; 36 quem magno pretio redemit. 37 Si Christus creator eius est suum merito amauit: si ab alio Deo est, magis adamauit, quando alienum redemit. Amauit ergo cum homine etiam natiuitatem, etiam carnem eius. Nihil amari potest sine eo per quod est, id quod est. Aut aufer natiuitatem, & exhibe hominem, adime carnem, & præsta quẽ Deus redemit. Si hæc sunt homo quem Deus redemit, tu hæc erubescenda illi facis, quæ redemit, & indigna, quę nisi dilexisset, nõ redemisset? 38 Natiuitate reformata regeneratione cœlesti, carnẽ ab omni vexatione restituit, leprosam emaculat, cæcã perluminat, paralyticam redintegrat, dæmoniacam expiat, mortuam resuscitat, & nasci in illam erubescit? Si reuera de lupa, aut sue, aut vacca pdire voluisset, & feræ aut pecoris corpore indutus, regnum cœlorũ prædicaret, tua opinor, illi censura præscriberet? Turpe hoc Deo, & indignum hoc Deo filio, & stultum propterea qui ita credat. Sit plane stultũ, si de nostro sensu iudicemus Deum. Sed circumspice Marcion, si tamen nõ deleasti: 39 *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientiam.* Quęnam hęc stulta sunt? conuersio hominis ad cultũ veri Dei, reiectio erroris, disciplina iustitiæ, pudicitiæ, patientiæ, misericordiæ innocentiæ: omnia hæc quidem stulta non sunt. Quære ergo de quibus dixerit. Et si te præsumpseris inuenisse, non erit iam stultum credere in Deum, natum & quidem ex virgine: & quidem carneum, qui per illas naturæ contumelias volutatus, sit. Dicat hæc aliquis stulta nõ esse: & alia sint, quæ Deus in æmulationem elegerit sapientiæ secularis; & tamẽ apud illam facilius creditur. 40 Iupiter taurus factus aut cygnus, quã vere homo Christus penes Marcionẽ. [41 Sunt plane & alia tam stulta, quæ pertinent ad cõtumelias & passiones Dei. 42 Aut prudentiã dicant Deũ crucifixum. Aufer hæc quoq; Marcion, immo hoc potius. Quid enim indignius Deo? quid magis erubescendum, nasci, an mori? carnem gestare, an crucem? circumcidi, an suffigi? educari, an sepeliri? in præsepe deponi, an in monumentum recondi? Sapientior eris, si nec ista credideris. 43 Sed nõ eris sapiens, nisi stultus seculo fueris, Dei stulta credendo. an ideo passiones à Christo non rescidisti, 44 quia vt phantasma vacabat à sensu earum? Diximus retro æque illum & natiuitatis & infantiæ imaginaria & vacua ludibria subire potuisse. Sed iam hic responde 45 interfector veritatis. 46 Nonne vere crucifixus est Deus? nonne vere mortuus, vt vere crucifixus? nonne vere resuscitatus, vt vere scilicet mortuus? Falso ergo statuit inter nos scire Paulus tantum crucifixum: falso sepultum ingessit, falso resuscitatum inculcauit. Falsa est igitur & fides nostra, & phantasma est totum quod speramus à Christo. Sceleratissime hominum, qui interemptores excusas Dei nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil vere est passus. Parce vnicæ spei totius orbis, qui destruis necessaritum decus fidei. Quodcumque Deo indignũ est mihi expedit. Saluus sum, si non confundar de Domino meo. 47 *Qui me*, inquit, *confusus fuerit, confundar & ego eum.* Alias non inuenio materias confusionis, quæ me per contemptũ ruboris probent, bene impudentem, & fœliciter stultum. Natus est Dei filius: non pudet, quia pudendum est & mortuus est Dei filius: prorsus credibile est, quia ineptum est & sepultus, resurrexit: certum est, quia impossibile est. Sed hæc quom. do in illo vera erunt, si ipse non fuit verus, si non vere habuit in se quod negaretur, quod moreretur, quod sepeliretur & resuscitaretur? 48 carnem scilicet hãc sanguine suffusam, ossibus instructam, neruis intextam, venis implexam, quæ nasci & mori nouit, humanam sine dubio, vt natam de homine? Ideoque mortalis hæc est in Christo, quia Christus homo & filius hominis. Aut cur homo Christus & filius hominis, si nihil hominis & nihil ex homine? nisi si aut aliud est homo quam caro, aut aliunde caro hominis quã ex homine, aut aliud est Maria quam homo. Deus, Marcion, haud aliter non diceretur homo Christus sine carne: nec hominis filius sine aliquo parente homine: sicut nec Deus sine spiritu Dei, nec Dei filius sine Deo patre. 49 Ita vtriusq; substantiæ cẽsus hominem & Deũ exhibuit: hinc natum, inde non natum: hinc carneum, inde spiritalem: hinc infirmum, inde præfortem: hinc morientem, inde viuentem. Quæ proprietas conditionum diuinæ & humanæ, æqua vtique naturæ veritate cuiusque dispuncta est, eadem fide spiritus & carnis: virtutes spiritum Dei, passiones carnem hominis probauerunt. Si virtutes non sine spiritu, proinde & passiones non sine carne. Si caro cum passionibus ficta, & spiritus ergo cum virtutibus falsus. Quid dimidias mendacio Christum? totus veritas fuit. Maluit, crede, nasci, quam ex aliqua se parte mentiri, & quidem in semetipsum: vt carnem gestaret, sine ossibus duram, sine musculis solidam, sine sanguine cruentã, 50 sine tunica vestitam, sine fame esurientem, sine dentibus edentem, sine lingua loquentẽ, vt phantasma auribus fuerit sermo eius per imaginem vocis. Fuit itaque phantasma etiam post resurrectionem, cum manus & pedes suos discipulis inspiciendos offerret: *Aspicite*, dicens, *quod ego sum, quia spiritus ossa non habet, sicut me habentem videtis*, sine dubio manus & pedes & ossa quæ spiritus non habet, sed caro. Quomodo hanc vocem interpretaris Marcion, qui à Deo optimo, & simplici, & bono tantum infers Iesum? Ecce fallit & decipit, & circunuenit omnium oculos, omnium sensus, omnium accessus & contactus. Ergo iam Christum non de cœlo deferre debueras, sed de aliquo 51 circulatorio cœtu, nec Deum præter hominem, sed Magum hominem, nec salutis pontificem, sed spectaculi artificem, nec mortuorum suscitatorem, sed viuorum euocatorem. Nisi quod erat Magus fuit, natus est. [52 Sed quid iam discentes Pontici illius, supra magistrum sapere compulsi, concedunt Christo carnis veritatẽ, sine præiudicio tamen renuendæ natiuitatis. Habuerit, inquiunt, carnẽ, dum omnino non natam. Peruẽimus igitur de calcaria (quod dici solet) in carbonariã, à Marcione 53 ad Apellem, qui posteaquam à disciplina Marcionis in mulierem carne lapsus est, & dehinc in virgine Philumene spiritu euersus est, solidũ Christi corpus & sine natiuitate susceperit ab ea, prędicans 54 vt angelus quidẽ illius Philumenes. eadẽ voce Apostolus respondebit, qua ipsum illũ iam tunc præcinebat, dicens: 55 *Etiamsi angelus de cœlo aliter euangelizauerit vobis, quam nos euangelizauimus, anathema sit.* His vero qui insuper argumentatur, nos resistemus, confitentes vere corpus habuisse Christum. Vnde materia, si non ex ea qualitate, in qua videbatur? Vnde corpus, si non caro corpus? Vnde caro, si non nata? quia nasci haberet ea futura quæ nascitur. 56 De sideribus, inquiunt, & de substantiis superioris mũdi mutuatus est carnem. Et vtique proponunt, non esse mirandũ corpus sine natiuitate, cum & apud nos angelis licuerit, nulla vteri opera in carnem processisse. Agnoscimus quidem ita relatum, sed tamen quale est, vt alterius regulę fides, ab ea fide quam impugnat, instrumentum, argumentationibus suis mutuetur? 57 Quid illi cum Moyse, qui Deum Moysi reiicit? Si alius Deus est, aliter sint res eius. Sed vtantur hæretici omnes scripturis eius, cuius vtun-

A tur etiam mundo. Erit illis hoc quoque in testimonium iudicii, quod de exēplis ipsius blasphemias suas instruunt. Facile est veritati etiam nihil tale aduersua eos præscribenti obtinere. Igitur qui carnem Christi ad exemplum proponunt angelorum, non natam dicentes scilicet carneam, comparent velim, & causas tam Christi quam & angelorum, ob quas in carnem venerūt. Nullus vnquam angelus ideo descendit vt crucifigeretur, vt mortem experiretur, vt à mōrte resuscitaretur: Si nūquam eiusmodi fuit causa angelorum corporādorum, habes causam cur non nascendo accepetint carnem. Non venerant mori, ideo nec nasci. At vero Christus mori missus, nasci quoq; necessario habuit, vt mori posset. Non enim mori solet, nisi quod nascitur. Mutuum debitum est inter se natiuitati cum mortalitate. Forma moriendi, causa nascendi est. Si propter id quod moritur, mortuus est Christus, id autem moritur quod & nascitur, consequens item erat, immo præcedens, vt æque nasceretur propter id quod nascitur (quia propter

B idipsum mori habebat) quod, quia id quod nascitur, moritur, non competebat non nasci, pro quo mori cōpetebat. 58 Atquin tunc quoque inter illos angelos ipse Dominus apparuit Abrahæ sine natiuitate, cum

Gen.18. carne scilicet, pro eadem causæ diuersitate 59 Sed vos hoc non recipitis, non eum Christum recipientes, qui iam tunc & adloqui, & liberare, & iudicare humanum genus ediscebat in carnis habitu non natæ adhuc, quia nondum morituræ, nisi prius & natiuitas eius & mortalitas adnunciarentur. Igitur probent angelos illos de sideribus accepisse substantiam carnis. si non probant, quia nec scriptum est, nec Christi caro inde erit, cui angelorū accommodant exemplum. 60 Constat angelos carnem non propriam gestasse, vtputa naturæ substantiæ spiritalis, & si corporis alicuius, sui tamen generis: in carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus, vt videri & congredi cum hominibus possent. Igitur cum relatum non sit, vnde sumpserint carnem, relinquitur intellectui nostro non dubitare, hoc esse, proprium angelicæ potestatis ex nulla materia corpus sibi

C sumere. quanto magis, inquis, ex aliqua certum est. 61 sed nihil de eo constat, quia scriptura non exhibet. Ceterum qui valent facere semetipsos quod natura non sunt, cur non valeant etiam ex nulla substantia facere? si fiunt quod non sunt, cur non ex eo fiant, quod non est: Quod autem non est, cum fit, ex nihilo est. Propterea nec requiritur, nec ostenditur, 62 quid postea factum sit corporibus illorum. Quod de nihilo fuit, nihil factum est. Possunt nihil ipsum conuertere in carnem, qui semetipsos potuerunt conuertere in carnem. Plus est naturam demutare, quam facere materiam. Sed si de materia necesse fuisset angelos sumpsisse carnem, credibilius vtique est de terrena materia, quam de vllo genere cœlestium substātiarum: cum adeo terrenæ qualitatis extiterit, vt terrenis pabulis pasta sit. Fuerit nunc quoque siderea, eodem modo terrenis pabulis pasta, quando terrena non esset, quo terrena cœlestibus pasta est, quando cœlestis non esset (legimus enim manna e-

Psal.77. sui populo fuisse. *Panem, inquit, angelorum edit homo*) non tamen infringitur semel separata conditio Dominicæ

D carnis, ex causa alterius dispositionis. Homo vere futurus vsque ad mortem, eam carnem oportebat vt induceret, cuius est mors. Eam porro carnem, cuius est mors, natiuitas antecedit. [63 Sed quotiens de natiuitate cōtenditur, omnes qui respuunt eam vt præiudicantem

Cap. VII. *Matth.13.* *Luc.8.* de carnis in Christo veritate, ipsum Deum volunt negare esse natum, quod dixerit: 64 *Quæ mihi mater, & qui mihi fratres?* Audiat igitur & Apelles 65 quid iam RESPONSVM SIT à nobis MARCIONI, EO LIBELLO, QVO EVANGELIVM IPSIVS PROVOCAVIMVS, considerandam scilicet materiam pronuntiationis istius. Primo quidem nunquam quisquam adnuntiasset illi matrem & fratres eius foris stare, qui non certus esset habere illum matrē & fratres, & ipsos esse quos tunc nuntiabat, vel retro cognitos, vel tunc ibidem cōpertos. 66 Licet propterea abstulerint hæreses ista de E-

Matth.13. uangelio, 67 quod & creditum patrem eius Ioseph fabrum, & matrem Mariam, & fratres, & sorores eius optime notos sibi esse dicebant, qui mirabantur doctrinam eius. Sed tentandi gratia nuntiauerant ei matrem & fratres, quos non habebat. Hoc quidem scriptura nō dicit, alias non tacēs, quum quid tentationis gratia factum est circa eum: *Ecce, inquit, surrexit legis doctor, tentans eum.* Et alibi: *Et accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes.* Quod *Matth.22.* *Matth.19.* nemo prohibeat hic quoque significari tentandi gratia factum. Non recipio, quod extra scripturam de tuo infers. Dehinc materia tentationis debet subesse, quid tentandum putauerunt in illo, vtique natusne esset, an non? Si enim hoc negauit responsio eius, hoc captauit nuntiatio tentatoris. Sed nulla tentatio tendens ad agnitionem eius, de quo dubitando tentat, ita subito procedit, vt non ante præcedat quæstio, quæ dubitationem inferens cogat tentationem. Porro si nusquam de natiuitate Christi volutatum est, quid tu argumentaris, voluisse illos per tentationem scisciscitari, quod nunquam produxerunt in quæstionem? Eo adiecimus, etiam si tentandus esset de natiuitate, non vtiq; hoc modo tentaretur, earum personarum adnuntiatione, quæ poterant etiam nato Christo non fuisse. Omnes nascimur, & tamen non omnes aut fratres habemus aut matrem. Adhuc potest & patrem magis habere quam matrem, & auunculos magis quam fratres: adeo nō competit tentatio natiuitatis, quam licebat & sine matris, & sine fratrum nominatione constare. Facilius plane est, vt, certi illum & matrem & fratres habere, diuinitatem potius tentauerint eius quam natiuitatem, an intus agens, sciret quid foris esset, mendacio petitus præsentię eorum, qui in præsenti non erant, nisi quod etsi vacuisset tentationis ingenium, poterat euenire vt quos illi nuntiabant foris stare, ille eos sciret absentes esse, vel valetudinis, vel negotii, vel peregrinationis nota iam necessitate. Nemo tentat eo modo, quo posse se sciat ruborem tentationis referre. Nulla igitur materia tentationis competente, liberatur simplicitas nuntiatoris, quod vere mater & fratres eius superuenissent. Sed quæ ratio responsi matrem & fratres ad præsens negantis. discat etiam Appelles. *Fratres Domini non crediderunt in illum,* 68 sicut & in Euangelio ante Marcionem ædito cōtinetur. 69 Mater æq; non demonstratur adhæsisse illi, cum Martha & Maria alia in commercio eius frequententur. Hoc denique in loco apparet incredulitas eorū, *Luc.10.* *Matth.11.* *Luc.8.* cum iis doceret viam vitæ, cum Dei regnum prædicaret cum languorib. & vitiis medendis operaretur, extraneis, defixis in illum. 70 tam proximi aberant. Denique superueniunt, & foris substiterunt, nec introeunt, non computantes scilicet quid intus ageretur, nec sustinent saltem, quasi necessarius aliquid adferrent eo quod ille tū maxime agebat, sed amplius interpellant, & à tanto opere reuocatum volunt. Oro te Apelles, vel tu Marcion, 71 si forte tabula ludens, 72 vel de histrionibus, aut aurigis contendens, tali nuntio auocareris, nonne dixisses, quę mihi mater, aut qui fratres? Deum prædicans & probans Christus, Legem & Prophetas adimplens, tanti retro æui caliginem dispargens, indigne vsus est hoc dicto ad percutiendam incredulitatem foris stantium, vel ad excutiendam importunitatem ab opere reuocantium? Ceterum ad negandam natiuitatem, alius necessarius fuisset ei locus, & tempus, & ordo sermonis, non eius qui possit pronuntiari etiam ab eo, cui & mater esset & fratres, 73 quum indignatio parentes nō neget, sed obiurget. Denique potiores fecit alios, & meritum prælationis ostendens, audientiam scilicet verbi, demonstrat qua conditione negauerit matrem & fratres. Qua enim alios sibi adoptauit, qui ei adhærebant, ea abnegauit illos qui ab eo absistebant, Solet etiam id implere Christus quod alios docet. Quale ergo erat, si docens 74 non tanti facere matrem aut fratres, quanti *Matth.10.* Dei verbum, ipse Dei verbum nuntiata matre & fraternitate desereret? Negauit itaque parentes; quomodo docuit negandos pro Dei opere. 75 Sed alias figura est synagogæ in matre abiuncta, & Iudæorum in fratribus

E F G H

incredulis. Foris erat in illis Israel, discipuli autem noui intus audientes, & credentes, & cohærentes Christo, Ecclesiam deliniabant, quam potiorem matrem, & digniorem fraternitatem, recusato carnali genere nuncupat. Eodē sensu denique & illi exclamationi respondit, non matris vterū & vbera negans, [76] sed fœliciores designans, qui verbū Dei audiunt. [77 Solis istis capitulis, quibus maxime instructi videntur sibi Marcion & Appelles, secundū veritatē integri & incorrupti Euangelii interpretatis, satis esse debuerat, ad probationem carnis humanæ in Christo, per defensionem natiuitatis. Sed quoniam & isti Appelleciani carnis ignominiā prætendunt maxime, [78] quā volunt ab igneo illo. [79] Præside mali solicitatis animabus adstructam, & idcirco indignam Christo, & idcirco de sideribus illi substantiam competisse, debeo illos de sua [80] paratura repercutere. Angelum quendam inclytum nominant, qui mundum hunc instituerit, & instituto eo [81] pœnitentiā admiserit. Et hoc suo loco tractauimus. [82] Nā est nobis ADVERSVS ILLOS LIBELLVS, an qui spiritū & voluntatem & virtutem Christi habuerit ad ea opera, dignum aliquid pœnitentia fecerit, cum angelum etiam de figura erraticæ ouis interpretentur. Teste igitur pœnitentia institutoris sui delictum erit mundus, [83] siquidem omnis pœnitentia confessio est delicti, quia locum non habet nisi in delicto. Si mundus delictum est, quia corpus: & membra, delictum erit: proinde & cœlū & cœlestia cum cœlo. Si cœlestia, & quicquid inde conceptum prolatumq; est, mala arbor malos fructus ædat, necesse est. Caro igitur Christi de cœlestibus structa, de peccati constitit elementis, peccatrix de peccatorio censu, & par erit eius substantiæ, id est, nostræ, quam vt peccatricē Christus dedignatur induere. Ita si nihil de ignominia interest, aut aliam purioris notæ materiā, excogitent Christo, quibus displicet nostra, aut eā cognoscant, qua etiam cœlestis melior esse non potuit. Legimus plane, [84] *Primus homo de terræ limo, secundus homo de cœlo.* Non tamen ad materiæ differentiam spectat, sed tantum terrenæ retro substantiæ carnis, primi hominis, id est, Adæ, cœlestem de spiritu substantiam opponit, secundi hominis, id est Christi. Et adeo ad spiritum, non ad carnem, cœlestem hominem refert, vt quos sic cōparat, constet in hac carne terrena, cœlestes fieri, spiritu scilicet. Quod si secundum carnem quoq; cœlestis Christus, non compararentur illi non secundum carnē, cœlestes. Si ergo qui fiunt cœlestes qualis est Christus terrenam carnis substantiam gestant: hinc quoque confirmatur ipsum etiam Christum in carne terrena fuisse cœlestē, sicut sunt qui eiadæquantur. [85] Prætendimus adhuc, nihil quod ex alio acceptum sit, vt aliud sit, quā id de quo sit acceptum, ita in totum aliud est, cui non suggerat vnde sit acceptum. Omnis materia sine testimonio originis suæ non est, etsi demutetur in nouā proprietatem. Ipsum certe corpus nostrum, [86] quod de limo figuratum etiam ad fabulas Nationum veritas trāsmisit, vtrunque originis elementum confitetur. Carne terrenam, sanguine aquanā, licet alia sit facies qualitatis. Hoc est quod ex alio aliud fit. Ceterum quid est sanguis, quam rubens humor? quid caro, quam terra conuersa in figuras suas? Considera singulas qualitates, musculos vt glebas, ossa vt saxa, etiam circum papillas calculos quosdā. Aspice neruorū tenaces connexus, vt traduces radicum, & venarum ramosos discursus, vt ambages riuorum. Et lanugines vt muscos, & comam vt cespitem, & ipsos medullatū in abdito thesauros, vt metalla carnis. Hæc omnia terrenę originis signa & in Christo fuerunt, hæc sunt quæ illum Dei filium cælauere, non alias tantummodo hominem existimatum, quam ex humani substantia corporis. Aut ædite aliquid in illo cœleste [87] de Septentrionibus [88] & Vergiliis [89] & Succulis emendicatū. Nā quę enumerauimus, adeo terrenæ testimonia carnis sunt, vt & nostræ. Sed nihil nouum, nihil peregrinum deprehendo. Denique verbis tantummodo & factis, doctrina & virtute sola Christi, homines obstupescebant. Notaretur etiā carnis in illo nouitas miraculo habita. Sed carnis terrenæ nō mira cōditio, ipsa erat quæ cetera eius miranda faciebat, cū dicerent: [90] *Vnde huic doctrina & signa ista?* etiam despicientium formā eius, hæc erat vox. Adeo nec [91] humanæ honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque Prophetis [92] de ignobili aspectu eius, ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur. Passiones quidē humanam carnē, contumeliæ vero inhonestam probauere. An ausus esset aliquis vngue summo perstringere corpus nouum, vllam sputaminibus contaminare faciem nisi merentem? Quid dicis cœlestem carnem quam vnde cœlestem intelligas, non habes? Quid terrenam negas quam vnde terrenam agnoscas, habes? Esuriit sub diabolo, sitiit sub Samaritide, lachrymatur super Lazarū, trepidat ad mortē. *Caro enim*, inquit, *infirma*, Sanguinem fudit postremo. Hæc sunt opinor, signa cœlestia. Sed quomodo, inquam, contemni & pati posset, sicut & dixi, si quid in illa carne de cœlesti generositate radiasset? Ex hocergo conuincimus nihil in illa de cœlis fuisse, propterea vt contemni & pati posset. [93] Conuertor ad alios æque sibi prudentes, qui carnem Christi animalem affirmant, quod anima caro sit facta, ergo & caro anima. Et sicut caro animalis, ita & anima carnalis. Et hic itaq; causas requiro. [94] Si vt animā saluā faceret in semetipso susceptit animam Christus, quia salua non esset nisi per ipsum, dum in ipso, non video cur eam carnē fecerit animalē, induendo carnē, quasi aliter animam saluam facere non posset, nisi carneam factam. Cū enim nostras animas non tantum non carneas, sed etiam à carne disiunctas saluas præstet: quanto magis illam, quam ipse susceptit, etiam non carneā redigere potuit in salutem? Item cum præsumant [95] non carnis. sed animæ nostræ solius liberandæ caussa processisse Christum: primo quam absurdum est, vt animā solam liberaturus, id genus corporis eam fecerit, quod non erat liberaturus. Deinde si animas nostras per illam q̄ gestauit, liberare susceperat, illam quoq; quā gestauit, nostrā gestasse debuerat, id est, nostræ formæ, cuiuscunque formæ est in occulto anima nostra, nō tamē carneæ. Ceterū non nostrā animā liberauit, si carneā habuit, nostra enim carnea nō est. [96] Porro si nō nostrā liberauit, quia carneā liberauit, nihil ad nos quia non nostrā liberauit. Sed nec liberanda erat, q̄ non erat nostra, vt scilicet carnea: non n. periclitabatur, si non erat nostra, id est non carnea. Sed liberatam constat illam. Ergo non fuit carnea, & fuit nostra, si ea fuit quæ liberaretur, q̄n periclitabatur. Iam ergo si anima nō fuit carnalis in Christo nec caro potest animalis fuisse. [97] Sed aliā argumentationē eorum conuenimus exigētes cur animalem carnē subeundo Christus, animā carnalem videatur habuisse. Deus enim, inquiunt, gestiuit animam visibilem hominibus exhibere, faciendo eam corpus, quæ retro inuisibilis extiterit, natura nihil, nec semetipsam videns, præ impedimento carnis huius, vt etiam disceptaretur nata anima an non, mortalisne sit, an non? Itaque animam corpus effectam in Christo, vt eam & nascentem & morientem, & quod sit amplius, resurgentem videremus. Ex hoc autem quale erit, vt per carnem demonstraretur anima sibi aut nobis, quæ per carnem non poterat agnosci, vt sic ostenderetur, dum id fit cui latebat, id est, caro? tenebras videlicet accepit, vt lucere posset. Denique adhuc prius retractemus, an isto modo ostendenda fuerit anima, dehinc in totū inuisibilem eam retro allegent, vtrum quasi incorporalē, an etiā habentē aliquod genus corporis proprii? & tamen cum inuisibilē dicant, corporalem eam constituunt, habentem quod inuisibile sit. Nihil enim habens inuisibile quomodo potest inuisibilis dici? sed ne esse quidem potest, nisi habens per q̄ sit. Cum autē sit, habeat necesse est, aliquid, per q̄ est. Si habet aliquid per quod est, hoc erit corpus eius. [98] Omne q̄ est, corpus est sui generis, nihil est incorporale, nisi quod non est. Habente igitur anima inuisibile corpus qui visibilē eā facere susceperat, vtique digniusid eius visibile fecisset q̄ inuisibile habebatur. Quia nec hic mendacium, aut infirmitas Deo competit, Mendaciū

si aliud

A Luc. 11.
Cap. VIII.
Luc. 15.
B Matth. 7.
1. Cor. 15.
C
Cap. IX.
D
E Matth. 4. Isai. 53. Matth. 26. & 27.
Matth. 4. Io. 4. & 11. Matt. 26.
Cap. X.
Luc. 9.
F
G
Cap. XI.
H

A si aliud animam quam quod erat demonstrauit; Infirmitas, si id quod erat demonstrare non valuit. Nemo ostendere volens hominem, 99 cassidem aut personam ei inducit. Hoc autem factum est animę,[100] si in carne conuersam, alienam induit superficiem. Sed etsi incorporalis anima deputetur, vt aliqua vi rationis occulta sit quidem anima, corpus tamen non sit, quicquid est anima: proinde impossibile Deo non erat, & proposito eius congruentius competebat, noua aliqua corporis specie eam demõstrare, quam ista communi omnium, [101] alterius iam notitiæ, ne sine causa visibilem ex inuisibili facere gestisset animã, istis scilicet quæstionib. opportunam, par carnis in illam humanæ defensionẽ. Sed non poterat Christus inter homines, nisi homo, videri. Redde igitur Christo fidem suam, vt qui homo voluerit incedere, animam quoq; humanæ conditionis ostẽderit, non faciens eam carneam, sed induens eam carne, [102] Ostensa sit nunc anima per carnem, si constiterit illam ostendẽdam quoquo modo fuisse, id est, incognitam sibi & nobis. Quanquam in hoc vana distinctio est, quasi nos seorsum ab anima simus, cum totũ quod sumus, anima sit. Denique sine anima nihil sumus, ne hominis quidem, sed cadaueris nomen. Si ergo ignoramus animam, ipsa se ignorat. Itaq; supereſt hoc solummodo inspicere, an se anima hic ignorarit, vt nota quoquo modo fieret. Opinor, sensualis est animæ natura. Adeo nihil animale sine sensu, nihil sẽsuale sine anima. [103] Et vt impressius dixerim, [104] animæ anima sẽsus est. Igitur cum omnibus anima sentire præstet, & ipsa sentiat omnium etiam sensus, nedũ qualitates, cui verisimile est, vt ipsa sensum sui ab initio sortita non sit? Vnde illi scire quod interdum sibi sit necessarium, ex naturali necessitate, si non scit suam qualitatẽ, cui quid necessarium est: Hoc quidem in omni anima recognoscere est, notitiã sui dico, sine qua notitia sui nulla anima à se ministrare potuisset. Puto autem magis hominem, animal solum rationale, compotem & animam esse sortitum, quæ illũ facit animal rationale, ipsa in primis rationalis. Porro quomodo rationalis quæ efficit hominẽ rationale animal, si ipsa rationem suam nescit, ignorans semetipsam? Sed adeo non ignorat, vt auctorem & arbitrum & statũ suum norit. Nihil adhuc de Deo discẽs,

B

C Deum nominat Nihil adhuc de iudicio eius admittẽs, Deo commendare se dicit. Nihil magis audiens, quam spem nullam esse post mortem, & bene & male defuncto cuique imprecatur. [105] Plenius hæc prosequitur LIBELLVS QVEM SCRIPSIMVS DE TESTIMONIO ANIMAE. Alioquin si anima semetipsam ignorans erat ab initio, nihil à Christo cognouisse debuerat, nisi qualis esset. Nunc autem non effigiem suam didicit à Christo, sed salutem. Propter ea filius Dei descendit & animam subiit: non vt ipsa se anima cognosceret in Christo, sed vt Christum in semetipsa: Non n. se ignorando de salute periclitatur, sed Dei verbum. *Vita*, inquit, *manifestata est*, non anima. *Et veni*, inquit, *animam saluam facere*. Non dixit, ostendere. Ignorabamus nimirum animã licet inuisibilem, nasci & mori, nisi corporaliter exhiberetur. Ignorauimus plane resurrecturam cum carne: hoc erit quod Christus manifestauit, Sed & hoc non aliter in se, quam in Lazaro aliquo, cuius caro nõ erat animalis, ita nec anima carnalis. Quid ergo amplius innotuit nobis de animæ ignoratæ retro dispositione; Quid inuisibile eius fuit, quod visibilitatem per carnẽ desideraret? [106] Caro facta est anima, vt anima ostenderetur: Nunquid ergo & caro anima facta est, vt caro manifestaretur: Si caro anima est, iam nõ anima est, sed caro. Si anima caro est, iam non caro est, sed anima. Vbi ergo caro, & vbi anima est, alterutrum facta est. Immo si neutrũ sunt, dũ alterutrum alterũ fiunt, certe peruersissimum, vt carnẽ nominantes, animam intelligamus: & animam significantes, carnem interpremur. Omnia periclitabuntur aliter accipi quã sunt, & amittere quod sunt, dum aliter accipiuntur, si aliter quam sunt cognominantur. Fides nominum, salus est proprietatum. [107] Etiam quum demutantur qualitates, accipiunt vocabulorũ possessiones. Verbi gratia: Argilla excocta, testæ vocabulũ suscipit. Nec communicat vocabulo pristini generis, quia nec cum ipso genere. Proinde & anima Christi caro facta, non potest non id esse quod facta est, & id non esse quod fuerit, aliud scilicet facta: Et quoniam proximũ adhibuimus exemplum, plenius eo vtemur. Certe n. testa ex argilla vnum est corpus, vnumque vocabulum vnius scilicet corporis nec potest dici testa & argilla, quia quod fuit non est: quod autem non est, & non adhæret, & anima non adhæret. Ergo & anima caro facta vniformis, solidata: sed singularitas tota est, & indiscreta substantia. In Christo vero inuenimus animam, & carnem simplicibus & nudis vocabulis æditas, id est, animam animam, & carnem carnem: nusquam animam carnem, aut carnem animam, quando ita nominari debuissent, si ita fuissent. Sed etiam sibi quamque substantiã diuise pronunciata sub ipso, vtique pro duarum qualitatum distinctione seorsum animam, & seorsum carnẽ. Quid [108] *anxia est*, inquit, *anima mea vsque ad mortem*. Et, [109] *Panis quem ego dedero pro salute mundi, caro mea est*. Porro si anima caro fuisset, vnum esset in Christo carnea anima. aut caro animalis. at quum diuidit species, carnem & animam, duo ostendit. Si duo, iam non vnum: si nõ vnũ, iam nec anima carnalis, nec caro animalis. Vnum n. est anima caro, aut caro anima. Nisi & seorsum aliam gestabat animam, præter eam quæ caro erat, & aliam circũferebat carnem, præter illam quæ anima erat: Quod si vna caro, & vna anima, illa tristis vsq; ad mortem, & illa panis pro mundi salute, saluus est numerus duarũ substantiarum, in suo genere distantium, excludens carneę animæ vnicam speciem. [110] Sed angelum, aiunt, gestauit Christus. Qua ratione; qua & hominem. Eadem ergo est & causa, vt hominẽ gestaret. Christus salus hominis fuit. causa scilicet ad restituendũ quod perierat. Homo perierat, hominem restitui oportuerat. vt angelum gestaret Christus, nihil tale de causã est: nam etsi angelis perditio reputatur, [111] in ignem præparatum diabolo & angelis eius, nunquam tamen illis restitutio repromissa est. Nullũ mandatum de salute angelorũ susceptit Christus à patre. Quod pater neque repromisit, neq; mandauit, Christus administrare non potuit. Cui igitur rei angelum quoque gestauit, nisi vt satellitem fortẽ, cum quo salutem hominis operaretur? [112] Idoneus enim non erat Dei filius, qui solus hominem liberaret, à solo & singulari serpente deiectum. Ergo iam non vnus Deus, nec vnus [113] salutificator, si duo salutis artifices, & vtiq; alter altero indigens. An vero vt per angelum liberaret hominem? cur ergo descendit ad id quod per angelũ erat expediturus: Si per angelum, quid & ipse; Si per se, quid & angelus? [114] Dictus est quidem magni consilii angelus, id est nuntius: officii nõ naturæ vocabulo. Magnum enim cogitatum patris, super hominis scilicet restitutione, annuntiaturus seculo erat. Non ideo tamen sic angelus intelligendus: [115] vt aliqui Gabriel aut Michael. Nam & filius à Domino vineæ mittitur ad cultores, sicut & famuli, de fructibus petitum. Sed non propterea vnus ex famulis deputabitur filius, quia famulorum succesſit officio. Facilius ergo dicam si forte ipsum filium angelum, id est, nuntium patris, quam angelum in filio. Sed quum de filio ipso sit pronuntiatum, [116] *Minuisti eum modicum quid citra angelos*, quomodo videbitur angelum induisse, sic infra angelos diminutus, dum homo fit, qua caro & anima & filius hominis? qua autem spiritus Dei & virtus altissimi, non potest infra angelos haberi, Deus scilicet & Dei filius. quanto ergo dum hominem gestat, minor angelis factus est: tanto nondum angelum gestat. [117] Poterit hæc opinio Hebioni conuenire, qui nudum hominem, & tãtum ex semine Dauid natum non item & Dei filium, constituit Iesum, [118] plane Prophetis aliquo glorioſiorem, vt ita in nonnullis angelum fuisse dicatur, quemadmodum in aliquo Zacharia, nisi quod à Christo nunquam est dictum: [119] *& ait mihi angelus qui in me loquebatur*. Sed nec quotinianum illud omnium Prophetarum: *Hæc dicit Dominus*. Ipse enim erat Domitus coram, & sua auctoritate pronũ-

Cap. XII. Ioan. 1. Luc. 9. Ioan. 11. Cap. XIII. Matt. 26. Ioan. 6. Cap. XIV. Matth. 25. Matth. 18. Ioan. 1. Psal. 8. Zach. 1. Isai. 1. Isai 63.

tians. *Ego autem dico vobis.* Quid vltra? ad Esaiam exclamantem audi. 120 Non angelus neque legatus, sed *ipse Dominus saluos eos fecit.* [121 Licuit & Valentino ex priuilegio hæretico carnem Christi spiritalem comminisci. Quiduis eam fingere potuit, quisquis humanam credere noluit. Quando quod ad omnes dictum est, si humana non fuit, nec ex homine, non video ex qua substantia se Christus hominem, & filium hominis pronuntiarit. *Nunc autem vultis occidere hominem, veritatem ad vos loquutum,* Et, 122 *Dominus est sabbati filius hominis.* De ipso enim Esaias, 123 *Homo in plaga, & sciens ferre imbecillitatẽ.* Et Hieremias, 124 *Et homo est, & quis cognoscet illũ?* Et Daniel, 125 *Et super nubes tanquam filius hominis.* Etiam Paulus Apostolus *Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Item Petrus in Actis Apostolorũ, 126 *Iesum Nazarenum virum vobis à Deo destinatum,* vtique hominem. Hæc sola sufficere vice præscriprionis debuerunt ad testimonium carnis humanæ & ex homine sumptæ, & non spiritalis, sicut nec animalis, nec fidereæ, nec imaginariæ, si sine studio & artificio contentionis hæreses esse potuissent. 127 Nam vt penes quendam ex Valẽtini factione legi, primo non putant terrenam & humanam Christo substãtiam informatam, ne deterior angelis Dominus deprehendatur, qui non terrenæ carnis extiterunt: Dehinc ꝙ oporteret similem nostri carnem similiter nasci, non de spiritu, nec de Deo, sed ex viri voluntate. Et cur non de corruptela, sed de incorruptela? Et quare non, sicut & illa resurrexit, & in cœlo resumpta est, ita & nostra par eius statim assumitur, aut cur illa par nostræ non æque in terram dissoluta est? Talia & ethnici volutabant. Ergo Dei filius in tantum humilitatis exhaustus, etsi resurrexit in exemplum spei nostræ, cur nihil tale de nobis probatum est? Merito ethnici talia, sed merito & hæretici. Nũquid enim inter illos distat? nisi quod ethnici non credendo credunt, ad hæretici credendo non credunt. Legunt denique, *Minorasti eum modico citra angelos,* & negant inferiorem substantiam Christi, nec hominem se, sed vermem pronuntiantis, qui nec formam habuit, nec speciem, sed forma eius ignobilis, 128 defecta citra omnes homines. *Homo in plaga, & sciens ferre imbecillitatem.* 129 Agnoscunt hominem Deo mixtum, & negat hominem. Mortuum credunt, & quod est mortuum, ex incorruptela natum esse contendant, quasi corruptela aliud sit à morte. Sed & nostra caro statim resurgere debebat. Expecta, nondũ inimicos suos Christus oppressit, vt cum amicis de inimicis triumphet. [130 Insuper argumentandi libidine ex forma ingenii hæretici locũ sibi fecit 131 Alexander ille, quasi nos affirmemus idcirco Christum terreni census induisse carnem, vt euacuaret in semetipso carnẽ peccati. Quod etsi diceremus, quacunq; ratione, muniremus sententiã nostrã, dum ne tanta amẽtia qua putauit, tanquam ipsam carnem Christi opinemur, vt peccatricem, euacuatam in ipso, cum illam & ad dexteram patris in cœlis præsidere meminerimus, & venturam inde suggestu paternæ claritatis prædicemus. Adeo vt euacuatam non possimus dicere ita nec peccatricem. Nec euacuatam in qua dolus non fuit. Defendimus autem, non carnem peccati euacuatã esse in Christo, sed peccatum carnis: nõ materiam, sed naturã: nec substantiam, sed culpam, secundũ Apostoli auctoritatem dicentis: 132 *Euacuauit peccatum in carne.* Nam & alibi, In similitudinem, inquit, carnis peccati fuisse Christum: non quod similitudinẽ carnis acceperit, quasi imaginem corporis, & non veritatem, sed similitudinẽ peccatricis carnis vult intelligi. Quod ipsa nõ peccatrix caro Christi eius fuit par, cui[9] erat peccatum, genere, non vitio Adæ, quando hinc etiã confirmamus eam fuisse carnem in Christo, cuius natura est in homine peccatrix. Et sic in illa peccatum euacuatũ, quod in Christo sine peccato habeatur, quæ in homine sine peccato nõ habebatur. Nam neque ad propositum Christi faceret euacuantis peccatum carnis, non in ea carne euacuare illud, in qua erat natura peccati: Neque ad gloriam: quid enim magnum, si in carne meliore & alterius, id est, nõ peccatricis naturæ, næuum peccati redemit? Ergo, inquis, si nostram induit, peccatrix fuit caro Christi. Noli constringere explicabilẽ sensũ: nostrã enim induens, suam fecit: suã faciens, non peccatricem eam fecit. Ceterũ quod ad omnes dictũ sit, qui ideo nõ putant carnem nostrã in Christo fuisse, quia non fuit ex viri semine, recordentur Adã ipsũ in hanc carnẽ, non ex semine viri factũ Sicut terra conuersa est in hanc carnẽ sine viri semine, ita & Dei verbũ potuit sine coagulo in eiusdẽ carnis transire materiã. [133 Sed remisso Alexandro cũ suis syllogismis, quos in argumentationibus torquet, etiam 134 cum psalmis Valentini, quos magna impudentia quasi idonei alicuius auctoris interserit, 135 ad vnãiam lineã congressionẽ dirigamus: An carnẽ Christus ex virgine acceperit, vt hoc præcipue modo humanam eam cõstet si ex humana matrice substantiã traxit. 136 Quanquã liquit iam & de nomine hominis, & de statu qualitatis, & de sensu tractationis, & de exitu passionis humanam cõstitisse. Ante omnia autẽ commendanda erit ratio quæ præfuit, vt Dei filius de virgine nasceretur. Noue nasci debebat, nouæ natiuitatis dedicator. De qua signum daturus Dominus, ab Esaia prædicabatur: Quod est istud signum? *Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium.* Concepit igitur virgo & peperit 137 Emmanuelem, nobiscum Deum. Hæc est natiuitas noua, dum homo nascitur in Deo. In quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis susceptã, sine semine antiquo vt illã nouo semine, id est, spiritaliter reformaret, exclusis antiquitatis sordibus expiatã. Sed tota nouitas ista, sicut & in omnibus, de veteri figurata est, rationali per virginem dispositione homine Domino nascente. Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressã, nõdum sementi subacta: ex ea hominẽ factum accipimus à Deo in animam viuam. Igitur si primus Adam de terra traditur, merito sequens, vel nouissimus Adam, vt Apostolus dixit, proinde de terra, id est, carne nondum generationi resignata in spiritũ viuificantẽ à Deo est prolatus. 138 Et tamen næ mihi vacet incursus in Christum (Adam ab Apostolo dictus est) si terreni non fuit census homo eius. Sed & hic ratio defendit, quod Deus 139 imaginem & similitudinẽ suam à diabolo captam æmula operatione recuperauit. In virginem enim adhuc Euam irrepserat verbũ ædificatorium mortis. In virginem æque introducendum erat Dei verbum extructorii vitæ, vt quod per eiusmodi sexũ abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit. Sed Eua nihil tunc concepit in vtero ex diaboli verbo. 140 Immo cõcepit. Nam exinde vt abiecta pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit. Enixa est dẽiq; diabolũ fratricidã. Contra Maria eum ædidit, qui cã: nalẽ fratrem Israel interemptorem suum saluum quãdoq; præstaret. In vuluam ergo Deus verbum suum detulit, bonũ fratrem, vt memoriã mali fratris eraderet. Inde prodeũdum fuit Christo, ad salutem hominis, quo homo iam dãnatus intrauerat. [141 Nunc vt simplicius respondeamus, non cõperebat ex semine humano Dei filiũ nasci, ne si totus esset filius hominis, non esset & Dei filius, 142 nihilque haberet amplius Salomone, & amplius Iona, & de Hebionis opinione credendus erat. Ergo iam Dei filius ex patris Dei semine, id est, Spiritu, vt esset hominis filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumẽda, sine viri semine. Vacabat enim viri semẽ, apud habentẽ Dei semen. Itaque sicut nondum natus ex virgine, patrem Deũ habere potuit sine hominẽ matre: æque cũ de virgine nasceretur, potuit matrem habere hominem sine homine patre. Sic denique homo cum Deo, dum caro hominis cum spiritu Dei. Caro sine semine, ex homine: spiritus cũ semine, ex Deo. Igitur si fuit dispositio rationis super filium Dei ex virgine proferendũ, cur non ex virgine acceperit corpus, quod de virgine protulit: Quia aliud est quod à Deo sumpsit: quoniam, inquiunt, *Verbum caro factum est.* vox ista quid caro factum sit cõtestatur: nec tamen periclitatur, quasi statim aliud sit factũ caro, & non verbum. Si ex carne factum est verbum ca-

ro, 143

A Cap. XV. Ioan. 8. Matth. 12. Isai. 53. Hier. 17. Dan. 7. 1. Tim. 2. Act. 2. B Psal. 8. Psal. 21. Isai. 53. Psal. 109. Cap. XVI. C Matth. 25. D Rom. 8 Hebræ. E Gen. 2. Ca. XVII. Isai. 7. F Gen. 2. 1. Cor. 15. G Gen. 3. Luc. 1. Gen. 3. Cap. XVIII. H Ioan. 1.

A

ro, 143 aut si ex semine ipso factum, est, scriptura dicat. Quum scriptura non dicat nisi ꝙ sit factum, & non vnde sit factum: ergo ex alio, non ex semine ipso suggerit factum. Si non ex semine ipso, sed ex alio, iam hinc tracta, ex quo magis credere congruat, carnem factum verbum, nisi ex carne, in qua & factum est: vel quia ipse Domini sententialiter & definitiue pronuntiauit: 144

Ioan. 3. *Quod in carne natum est, caro est: quia ex carne natum est.* Sed si de homine tantummodo dixit, non & de semetipso: plane nega hominem Christum, & ita defende non & in ipsum competisse. Atquin subiicit:

Ioan. 4. *Et quod de spiritu natum est, spiritus est. Quia Deus spiritus est, & de Deo natus est.* Hoc vtique vel eo magis in ipsum tendit, si & in credentes eius. Si ergo & hoc ad ipsum, cur non & illud supra? neque enim diuidere potes hoc ad ipsum, illud supra ad ceteros homines, qui vtramque substantiam Christi, & carnis & spiritus non negas. Ceterum si tam carnem habuit quam spititum, cum de duarum substantiarum conditione pronuntiat, quas & ipse gestat, non potest videri de spiritu quidem suo, de carne vero non sua determinasse. Ita cum ipse sit de spiritu

B

Cap. XIX. Ioan. 1. Dei, *& spiritus Deus est, ex Deo natus ipse est*, & ex carne hominis, homo in carne generatus. [145 Quid est ergo: *Non ex sanguine, neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri sed ex Deo natus est?* Hoc quidem capitulo ego potius vtar, quum 146 adultoratures eius 147 obduxero. Sic enim scriptum esse contendunt: *Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, sed ex Deo natus est*: Quasi supra dictos credentes in nomine eius designet, 148 vt ostendat esse semen illud arcanum electorum, & spiritualium, quod sibi imbuunt. Quomodo autem ita erit, quum omnes 149 qui credunt in nomine Domini, communi lege generis humani ex sanguine, & ex carnis, & viri voluntate nascantur? etiam Valentinus ipse; Adeo singulariter, 150 vt de Domino scriptum est: *Et ex Deo natus est.* Merito, quia verbum Dei, & cum verbo Dei spiritus, & in spiritu Dei virtus, & quicquid Dei est Christus. Qua caro autem, non ex sanguine, nec ex carnis & viri voluntate: quia ex Dei voluntate verbum caro factum est. Ad carnem enim, non ad verbum pertinet negatio formalis nostræ natiuitatis, quia caro sic habebat nasci, non verbũ. Negans autem ex carnis quoq;

C

voluntate natum, cur non negauit etiam ex substantia carnis: neq; enim quia ex sanguine negauit, substantiam carnis renuit, sed materiã seminis, quã constat sanguinis esse calorem: vt despumationẽ in coagulum sanguinis fœminæ. Nã ex coagulo in caseo vis est substantiæ, quã medicando constringit, id est, lactis. Intelligimus ergo ex concubitu natiuitatem Domini negatam, quod sapit voluntas viri, & carnis, non ex vuluæ participatione. Et quid vtique tam exaggeranter inculcauit, non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, aut viri natum: nisi quia ea erat caro, quam ex concubitu natam nemo dubstaret? Negans porro ex concubitu, non negauit ex carne, immo confirmauit ex carne: quia nõ proinde negant ex carne, sicut ex concubitu negauit. 151 Oro vos, si Dei filius nõ de vulua carnem participaturus descendit in vuluam, cur descendit in vuluam? potuit enim extra eam fieri caro spiritalis simplicius multo quã intra vuluã fieret. Sine causa eo se intulit, vnde nihil extulit. Sed non sine causa descendit in vuluam, ergo ex illa accepit. Quia si non ex illa accepit, sine causa in illam descendit, maxime eius qualitatis caro futurus, quæ nõ erat vuluę, id est, spiritalis. [152 Qualis est autem tortuositas vestra,

D

Cap. XX. vt ipsam, Ex, syllabam Præpositionis officio ad scriptam auferre quæratis: & alia magis vti quę in hac specie non inuenitur, penes scripturas sanctas. Per virginem dicitis natum, non ex virgine: & in vulua, non ex vulua. quia & angelus in somnis ad Ioseph: *Nam quod in ea natum est*, inquit, *de Spiritu sancto est.* non dixit, ex ea. Nempe tamẽ, etsi ex ea dixisset, in ea dixerat: In ea enim erat quod ex ea erat, tantundem ergo & cum dicit, in ea, & ex ea consonat: quia ex ea erat, quod in ea erat. Sed bene, quod idem dicit Matthæus, originem Domini decurrens ab

Matth. 1. Abraham vsque ad Mariam: *Iacob*, inquit, *generauit Ioseph, virum Mariæ, ex qua nascitur Christus.* Sed & Paulus Grammaticis istis silentium imponit. *Misit*, inquit, *Deus filium suum factum ex muliere.* Nunquid per mulierem, aut in mulierem? Hoc quidem impressius, quod *factum* potius dicit: quam *natum*: simplicius enim enuntiasset *natum*. Factum autem dicendo, & *verbum caro factum est*, consignauit, & carnis veritatem ex virgine factam adseuerauit. Nobis quoque ad hanc speciem Psalmi patrocinabuntur, non quidem apostatę & hæretici, & 153 Platonici Valentini, sed sanctissimi & receptissimi Prophetæ. Dauid ille apud nos canit Christum, per quem se cecinit ipse Christus. Accipe Christum, & audi Dominum patri Deo colloquentem: 154 *Quia tu es qui auulsisti me ex vtero matris meæ.* ecce vnum. *Et spes mea ab vberibus matris meæ, super te fum proiectus ex vulua.* ecce aliud, *& ab vtero matris meæ Deus meus es tu*, ecce aliud. Nunc ad sensus ipsos decertemus. *Auulsisti*, inquit, *ex vtero.* Quid auellitur, nisi quod inhæret, quod infixum, innexum est ei à quo vt auferatur, auellitur? Si non adhæsit vtero, quomodo auulsus est? si adhæsit qui auulsus est, quomodo adhæsisset, nisi dum ex vtero est: 155 per illum neruum vmbilicarem quasi folliculi sui traducẽ adnexus origini vluę? Etiam cum quid extraneum extraneo agglutinatur, ita conçarnatur & conuisceratur cum eo cui agglutinatur, vt cum auellitur, rapiat secum ex corpore aliquid à quo auellitur, quasi sequelam quandam abruptæ vnitatis, & traducis mutui coitus. Ceterũ quæ vbera matris suæ nominat? sine dubio quæ hausit. Respondeant obstetrices, medici & physici de vberum natura, an aliter manere soleant sine vuluæ genitali passione 156 pendentibus exinde venis sentinam illam interni sanguinis in mamillam, & ipsa translatione decoquentibus in materiam lactis lętiorem. Inde adeo fit, vt vberum tempore, menses sanguinum vacent. Quod si verbum caro ex se factum est, non ex vuluæ communicatione, nihil operata vulua, nihil functa, nihil passa quomodo fontem suum transfudit in vbera, quæ nisi habendo non mutat: Habere autẽ sanguinem non potuit lacti subministrando, si non haberet causas sanguinis ipsius, auulsionẽ scilicet suæ carnis. Quid fuerit nouitatis in Christo ex virgine nascendi, palam est: scilicet solummodo hoc quod ex virgine, secundum rationem quam ædidimus; & vti virgo esset 157 regeneratio nostra spiritaliter ab omnibus inquinamentis sanctificata per Christum virginem, & ipsum etiam carnaliter vt ex virginis carne. [158 Si ergo contendunt hoc competisse nouitati, vt quemadmodum non ex viri semine, ita nec ex virginis carne caro fieret Dei verbum: quare nõ hoc sit tota nouitas, vt caro non ex semine nata, carne processerit: accedant adhuc comminius ad congressum *Ecce*, inquit, *virgo concipiet in vtero.* Quidnam? vtiq; Dei verbum, non viri semen certe vt pareret filium. Nam & *pariet*, inquit, *filium*, Ergo vt ipsius fuit concepisse, ita ipsius est quod peperit: licet non ipsius fuerit quod concepit. Contra, si verbum ex se caro factum est, iam ipsum se concepit & peperit, & vacat Prophetia. Non enim virgo concepit, neque peperit, si non quicquid peperit ex verbo cõcepto, caro ipsius est sola. Hæc autem Prophetæ vox euacuabit? 159 an & angeli conceptũ & partũ virginis adnuntiantes? 160 an & omnis iam scriptura quæcunq; matrem pronuntiat Christi? Quomodo enim mater, nisi quia in vtero eius fuit? Sed nihil ex vtero eius accepit, quod matrem eam faceret, in cuius vtero fuit. Hoc nomen non debet caro extranea. Matris vterum non appellat, nisi filia vteri caro. Filia vteri porro non est, si sibi nata est. Tacebit igitur & Elizabeth Prophetã portans, iam Domini sui consciũm infantem, & insuper spiritu sancto adimpleta. Sine causa enim dicit: *Et vnde mihi vt mater Domini mei ad me veniat?* Si Maria non filiũ, sed hospitem in vtero gestabat Iesum, quomodo dicit: 161 *Benedictus fructus vteri tui?* Quis hic fructus vteri, qui non ex vtero germinauit, qui non in vtero radicẽ egit? Qui non eius est, cuius est vterus? Et qui vtiq; fructus vteri? Christus. 162 An quia ipse est flos de virga profecta ex radice Iesse: radix autẽ Iesse, genus Dauid: virga ex radice, Ma-

Ibidem.

Psal. 21.

Luc. 1.

Matth. 1. Luc. 1.

Cap. XII.

Isai. 7.

ria ex Dauid: flos ex virga, filius Mariæ, qui dicitur Iesus Christus, ipse erit & fructus? Flos enim fructus: quia per florem & ex flore omnis fructus eruditur in fructū. Quid ergo? negant & fructui suum florem, & flori suam virgam, & virgæ suam radicem, quo minus suam radix sibi vendicet per virgam proprietatem eius quod ex virga est floris & fructus. Siquidem omnis gradus generis ab vltimo ad principalem recensetur, vt iam nunc carnem Christi, non tantum Mariæ, sed & Dauid per Mariam, [163] & Iesse per Dauid, sciant adhærere. Ideo hunc fructū [164] ex lumbis Dauid, id est, ex posteritate carnis eius iurat illi Deus confessurū in throno ipsius. Si ex lūbis Dauid, quanto magis ex lumbis Mariæ, ob quā in lūbis Dauid? [165] Deleant igitur & testimonia dæmonum [166] filium Dauid proclamantia Iesum: sed testimonia Apostolorum delere non potuerunt, si dæmonū indigna sunt. Ipse in primis [167] Matthæus fidelissimus Euangelii commentator, vt comes Domini: non aliam ob causam, quam vt nos originis Christi carnalis compotes faceret, ita exorsus est: [168] *Liber genituræ Iesu Christi filii Dauid, filii Abraham.* His originis fontibus genere manante cum gradatim ordo deducitur ad Christi natiuitatem, quid aliud quam caro ipsa Abrahæ & Dauid, per singulos traducem sui faciens in virginem vsque describitur inferens Christum: immo ipse Christus producitur de virgine? Sed & Paulus, vtpote eiusdem Euangelii & discipulus, & magister, & testis, qua eiusdem ipsius Christi Apostolus, confirmat Christum ex semine Dauid secundum carnem, vtique ipsius. Ergo ex semine Dauid caro Christi. Sed secundum Mariæ carnem ex semine Dauid: ergo ex Mariæ carne est, dum ex semine est Dauid. Quodcunque detorseris dictum, aut ex carne est Mariæ, quod ex semine est, Dauid aut ex Dauid semine est, quod ex carne est Mariæ. Totam hanc controuersiam dirimit idem Apostolus, ipsum definiens esse Abrahæ semen. Cū Abraham, vtique multo magis Dauid, quasi recentioris. Retexens enim promissionem benedictionis nationum in nomine Abraham, [169] *Et in semine tuo benedicentur omnes nationes: non,* inquit, *dixit seminibus tanquam de pluribus, sed semini, tanquam de vno, quod est Christus.* Qui hæc legimus & credimus, quam debemus & possumus agnoscere in Christo carnis qualitatem? vtique non aliam quam Abraham, siquidem semen Abraham Christus: nec aliam quam Iesse, siquidem ex radice Iesse flos Christus. Nec aliam quam Dauid, siquidem fructus ex lumbis Dauid Christus. Nec aliam quam ex Maria, siquidem ex Mariæ vtero Christus. Et adhuc superius: nec aliam quam Adam, siquidem secundus Adam Christus. Consequens ergo est, vt aut illos spiritalem carnem habuisse contendant, quo eadem conditio substantiæ deducatur in Christo: aut concedant carnē Christi spiritalem non fuisse, quæ nō de spiritali stirpe censetur. [170] Sed agnoscimus adimpleri Propheticam vocē Simeonis, super adhuc recentem infantem Dominum pronuntiatam: *Ecce hic positus est in ruinam & suscitationem multorum in Israel,* [171] *& in signum cui contradicetur.* Signum enim natiuitatis Christi, secundum Esaiam, [172] *Propterea dabit vobis Dominus ipse signum, Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium.* Agnoscimus ergo signum contradicibile, conceptum & partum virginis Mariæ: de quo [173] Academici isti, Peperit, & non peperit: Virgo, & non virgo: quasi non etsi ita dicendum esset, à nobis magis dici conueniret. Peperit enim, quæ ex sua carne, & non peperit, quæ non ex viri semine. Et virgo quantum à viro, [174] non virgo quantum à partu. Non tamen vt ideo non peperit: & ideo virgo, quæ non virgo, quia non de visceribus suis mater. Sed apud nos nihil dubium, nec retortum in ancipitem defensionem: Lux, lux: & tenebræ, tenebræ. & *est, est:* & *non, non. Quod amplius, hoc à malo est.* Peperit, quæ peperit. Etsi virgo concepit, in partu suo nupsit, ipsa patefacti corporis lege: inquo nihil interfuit de vi masculi admissi, an emissi, id est, illud sexus resignauit. Hæc denique vulua est, propter quā & de aliis scriptū est: [175] *Omne masculinū adaperiens vuluam, sanctum vocabitur Domino.* Quis vere sanctus, quā Dei filius? Quis proprie vuluam adaperuit, quam qui clausam patefecit? Ceterum omnibus nuptiæ patefaciunt. Itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa. Vtique magis non virgo dicenda est quam virgo, saltu quodam mater antequam nupta. Et quid vltra de hoc retractandum est? cum hac ratione Apostolus non ex virgine, sed ex muliere æditum filium Dei pronuntiauit, agnouit adapertæ vuluæ nuptialem passionem. [176] Legimus quidem apud Ezechielem de vacca illa quæ peperit, & non peperit. Sed videte ne vos iam tunc prouidens spiritus sanctus notarit hac voce, disceptaturos super vterum Mariæ. Ceterum non contra illam suam simplicitatem pronuntiasset dubitatiue, Esaia dicente; *Concipiet & pariet.* [177] Quod enim Esaias iaculatur in suggillatione hæreticorū ipsorū, & in primis, [178] *Væ qui faciunt dulce amarum & tenebras lucem:* istos scilicet notat; qui nec vocabula ista in luce proprietatum suarum conseruant: vt anima non alia sit, quam quæ vocatur, & caro non alia sit quam videtur; & Deus non alius, quā qui prædicatur. Ideo etiam Marcionem prospiciens, [179] *Ego sum* inquit, *Deus: & alius absque me non est.* Et cum alias idipsum eodem modo dicit: [180] *Ante me Deus: non fuit:* nescio quas illas Valentinianorum Æonum genealogias pulsat. Et *Non ex sanguine, neque ex carnis & viri voluntate, sed ex Deo natus est,* Hebioni respondit. Æque: *Etiamsi angelus de cœlo aliter euangelizauerit vobis quam nos, anathema sit:* energema Apelliacæ virginis Philumenes filiū dirigit. certe [181] *qui negat Christum in carne venisse, hic Antichristus est:* Nudam & absolutam & simplici nomine naturæ suæ pronuntians carnem omnes disceptatores eius ferit: [182] Sicut & definiens ipsum quoque Christum vnum, multiformis Christi argumentatores quatit, qui alium faciunt Christum, alium Iesum: alium elapsum de mediis turbis, alium detentum: alium in secessu montis, in ambitu nubis sub tribus arbitris clarum, [183] alium ceteris passiuum, ignobilem: alium, magnanimum, alium vero trepidantem: nouissime alium passum, alium resuscitatum: [184] per quod suam quoque in alia carne resurrectionem adseuerant. [185] Sed bene quod idem veniet de cœlis, qui est passus: idem omnibus apparebit, qui est resuscitatus. [186] *Et videbunt & agnoscent, qui eum confixerunt:* vtique ipsam carnem in quam sæuierunt: sine qua, nec ipse esse poterit nec agnosci. Vt & illi erubescant, [187] qui adfirmant carnem in cœlis vacuam sensu, vt vaginā exempto Christo sedere: aut qui carnē & animam tantundē, aut tantum modo animam, carnem vero non iam. [188] Sed hactenus de materia præsenti satis. Iam enim arbitror instructam esse carnis in Christo, & ex virgine natæ & humanæ probationem. Quod & solum discussum sufficere potuisset citra singularum ex diuerso opinionum congressionem, quam & argumentationibus earum, & scripturis quibus vtuntur prouocauimus ex abundanti, vti eo quod probauimus, quid, & vnde fuerit Christi caro, quid non fuerit, aduersus omnes præiudicauerimus. [189] Vt autem clausulam de præfatione communi faciat RESVRRECTIO CARNIS NOSTRAE ALIO LIBELLO DEFENDENDA, hic habebit præstructionem: [190] manifesto iam, quale fuerit quod in Christo resurrexit.

ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM DE CARNE Christi.

1. ADVERSVS QVATVOR HAERESES.] *Istud adiecimus ex libro sequenti de Resurrectione carnis, vbi verbis sub finem Argumenti citatis, iste titulus reperitur. Maxime quum in 1. cap. (de quibus nu. 7. 8. 9. & 10. latius)* quatuor hæreses de carne Christi *recensentur ab Auctore, nempe* Marcionis, Apellis, Valentini, & eius qui carnem Christi putatiuam introduxit, *vtpote, Saturnini.*

CAP. I.

2. Qui fidem resurrectionis, &c.] *Primum hoc caput inscribitur à nobis:* De libri huius scribendi occasione.

3. ante istos Sadducæorum propinquos.] Sadducæi (*inquit Rhenanus suus in hunc librum Adnotationibus*) *qui* iusti *interpretantur, Auctore D. Hieronymo in Matthæum, nec angelum, nec spiritum, nec resurrectionem corporum confitentes, etiam animarum interitum prædicabant, recipiebantque tantum quinque libros Moysis, vaticinijs Prophetarum reiectis, à Pharisæis dissentientes, quæ duæ erant in Iudæis hæreses. Itaque* Sadducæorum propinquos, *hoc est, cognatos, esse dicit hæreticos resurrectionem carnis pernegantes, velut qui hunc errorem ab illis sumpserint.* Sadducæorum *ipse Tertull. meminit l. de Præscript. adu. hær.* Paulus, *inquit*, in 1. ad Cor. epistola notat negatores & dubitatores resurrectionis. Hæc opinio prima Sadducæorum. Partem eius vsurpat Marcion, & Apelles, & Valentinus, & si qui alij resurrectionem carnis infringunt. *Vide etiam Adnot. nostras in dict. l. c. 33. n.* 192. *& in c. 45. n.* 297.

4. moratam.] Moratam, *inquit idem, fidem vocat stabilem ac firmam, atque inconcussam. Sic lib. de Patientia cap.* 15. In nobis morabitur semper, *hoc est, stabilis consistet. vide ibi etiam Adn. nostras num.* 105.

5. quæ in Christum resurrexerit.] *Accusatiuum, inquit idem in hoc genus locutionibus, sæpe pro Ablatiuo ponit, & hunc rursum pro Accusatiuo. Vt*: Et in cœlo resumpta est. *Et l. de Patientia c.* 7. ipse ferrum in corpore suo ducit. *Et alibi* in carcere introiit.

6. & qualitas eius retractatur.] Retractare, *pro tractare, præterquam alibi, etiam hoc libro non semel vsurpat Auctor. Sic infra cap.* 2. Post quas nunc exabundanti retractamus, *& c.* 11. Denique adhuc prius retractemus. *Item c.* 23. Et quid vltra de hoc retractandum est?

7. Renuntiatio.] Renuntiantur (*inquit Rhenanus*) *Magistratus, quum eliguntur*, renuntiatur *amicitia, quæ dissoluitur. Hic* renuntiatio, *demonstratio est & definitio. Sic in libr. de Resurrect. carnis, cap.* 18. Vt exinde à cadendo cadauer renuntietur, *id est, denominetur.*

8. Marcion vt carnem Christi negaret, negauit etiam natiuitatem, &c.] *Adtribuit etiam hunc errorem Cerdoni* Marcionis *magistro Auctor supra libr. de Præscript. aduers. hæret. cap.* 51. *hær.* 17. *num.* 322. *& ipsi Marcioni infra libr. 3. aduers. Marcionem. Est autem hæc prima hæresis, aduersus quam disputat infra c. 2. 3. 4. & 5. Atqui legimus ex ms. Vatic. 2. addita Coniunctione* redderent & responderent. *Atque adeo non est opus figura Asyntheto, quam hic adnotarat Rhenanus.*

9. aut admissa carne natiuitatem negare, vt Apelles.] *Est hæc secunda hæresis, aduersus quam hunc librum conscripsit; nominatim autem contra* Apellem *& Apelletianos agit infra c. 6. 7. 8. & 9. Cui etiam eandem impingit Auctor dict. l. de Præscript. eodem cap. hær* 19. *num.* 324.

10. aliter illas interpretari, vt condiscipulus, & condesertor eius Valentinus.] *En tertiam, contra quam agit hæresin. Valentini nempe; contra quam posissime agit infra cap.* 15. 16. 17. *& sequentib. meminit etiam Auctor lib. supradicto cap.* 49. *hæresi* 12. *n.* 315. *Atqui* condiscipulum & condesertorem Apellis Valentinum *vocat Auctor, quod Marcionis discipulus fuerit, sicuti Apelles, & quod eodem tempore eiusdem hæreseos condiscipulus & Ecclesiæ catholicæ condesertor fuerit, sicuti patet eiusdem l. c.* 30. *num.* 167.

11. Sed & qui carnem Christi put. tiuam introduxit, &c.] *Quartam denique hic adtingit hæresin, quæ introducta fuit à Saturnino, sicuti patet ex sæpedict. lib. c.* 46. *hær.* 3. *n.* 303. *quam interim etiam sectatum eius discipulum Basilidem, eiusque sectatores Gnosticos omnes, ibidem videre est hær.* 4. *n* 304. *Aduersus hanc ex proposito hic non disputat Auctor, sed adtingit cap.* 3. 5. *ac* 9. *& magis impugnat infra adu. Marcion. l.* 3. *quippe qui etiam illam hæresin secutus sit.*

12. prægnatus & partus.] Prægnatum (*inquit Rhenanus*) *sub forma quartæ inflexionis vsurpat pro imprægnatione, gaudens huius terminationis vocabulis, vt docuimus, & adhuc docebimus. Similis locus est supra Tomo* 1. *lib. adu. Iudæos, cap.* 9. *n.* 101.

13. τὸ δοκεῖν.] *Synecdochica, inquit idem, locutio est. Subauditur præpositio κατὰ τὸ δοκεῖν, hoc est, secundum existimationem, vt videlicet ita videretur. licet re ipsa non esset.*

CAP. II.

14. Plane natiuitas à Gabriele adnuntiatur, &c.] *Capiti* 2. *titulum dedimus*: Aduersus Marcionem, natiuitatis Christi ex traditione comprobatio. *De* Deo *autem* creatore, *infra latius lib.* 1. *adu. eundem.*

15. Auferhinc, inquit, &c.] *Verba hæc ex persona Marcionis efferri, recte adnotauit Rhenanus (quæ finiuntur ibi:* his opinor, &c.) *Nam ille ex Euangelio Lucæ, quod solum agnoscebat. capita illa prima, quibus hæc continentur, rescindebat, vti mox num.* 18. *& infra lib.* 4. *aduers. Marcion. dicemus alicubi latius. Omnia autem hæc Ironicè dicta sunt.*

16. Viderit angelica multitudo, &c.] *Festiue (inquit Rhen.) dictum etiam hoc per Irontam, quod nocturnum tempus aptum sit ad fallendum, quasi & angeli decipi potuerint. Commemorata Lucæ res est in initio historiæ suæ Euangelicæ, alioqui legi quoque poterat*: vocibus honorans. *Sed respexit illud Euangelicum*: ἡ φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὸ ποίμνιον αὐτῶν. *Sic & paulopost loquitur. cap.* 3. Viderint homines si natum putabant, quia hominem videbant, *& in l. de Patientia cap.* 1. Sed viderint illi, quos mox sapientiæ suæ cum seculo destructæ ac dedecoratæ pudebit. *Rursum in fine eiusdem opusculi*: Sed viderint suam sui præsides. *Similes phrases etiam apud B. Cypr. per me adnotatæ sunt ad epist.* 2. *nu.* 53. *ad epist.* 34. *nu.* 18. *ad epist.* 63. *n.* 54. *& in Tertullian. alicubi. Haud aliter etiam dixit infra c.* 4. Sed videris si tibi displices.

17. Melior sit & Herodes, ne Hieremias glorietur.] *At si dicat: Non interfecerit Herodes parvulos in Bethleem, ne Hieremias de sua Prophetia, quæ citatur etiam Matth.* 2. *glorietur tanquam iam completa. Est autem etiam illud Ironicûs dictum*: ne fascinet puerum; *nam* fascinare, *ad incantamenti genus spectare supra alicubi diximus.*

18. His opinor consiliis tot originalia instrumenta Christi delere Marcion ausus est.] *Similes sunt loci infra, non solum de his Euangelij Lucæ capitibus, sed & alijs, infra c. sequ.* Si scripturas opinioni tuæ resistentes, non de industria alias reiecisses, alias corrupisses, confudisset te hinc Euangelium Ioannis, *& c.* 4. Sed circumspice Marcion, si tamen non delesti: Stulta mundi, &c. *& c.* 5. Auferhæc quoque Marcion. *item c.* 22. Deleant igitur & testimonia dæmonum, filium Dauid proclamantia Iesum. *De alijs similiter hæreticis c.* 7. Licet propterea abstulerint hæreses ista Euangelio, &c. *Addere vero etiam solere, ibidem docet, quum dicit*: Non recipio quod extra scripturam de tuo infers. *Et vero etiam adulterare, c.* 19. *his verbis*: Hoc quidem capitulo ego potius vtar, quum adulteratores eius obduxero. Sic enim scriptum esse contendunt, &c. *Atque adeo recte dixit supra libr. de Præscript. adu hær. c.* 17. Ista hæresis non recipit quasdam scripturas, &c. *vbi de hoc latius, num.* 105. *& in cap.* 22 *nu.* 136.

19 Ex qua, oro te, auctoritate, &c.] *Recte infra subiungit*: Sed plenius. eiusmodi præscriptionibus aduersus omnes hæreses, alibi iam vsi sumus; *adludens nempe ad eius tituli librum mox citatū, præsertim cap.* 20. 21. 31. 32 35. *& 36.*

20. si tantummodo Christianus es, crede quod traditum est.] *Pulcher locus contra eos, qui quum neque Apostoli sint, neque Apostolici, perpetuo tamen de fide ex scripturis disputant; quum sufficere eis debeat traditio, de qua latissime tractauimus supra To.* 2. *l. de Corona milit. c.* 3. *nu.* 27. *Atqui* tantummodo tantum, *legimus ex tribus Vatic. ms. cod.*

21. non es Christianus, qui quum fuisses, excidisti, &c.] *Adnotandus etiam hic locus, contra eos qui hæreticos* Chiistianos *dicere non verentur; quum eo nomine nolit Auctor appellari, qui* resciderunt quod retro credidermnt, *& (vti infra de eodem Marcione loquitur)* ab Ecclesia & fide recesserunt. *Quo pertinet etiam illud infra cap.* 15. hæretici credendo non credunt. *Atqui de hoc Marcionis à fide & Ecclesia recessu, vide supra libr de Præscript. aduers. hæret. cap* 30. *num.* 166. *& 167.*

22. sicuti & ipse confiteris in quadam Epistola.] *De* Epistolis, *aliisque scriptis* Marcionis, *infra latius l.* 1. *aduers. Marcion. nu.* 1. *Legimus autem ex ms.* 3. *Vatic. cod.* Atquin, *pro*: Atqui; *nam præterquam quod illa vox sit Tertullianica, etiam infra legitur in excus. cod. c.* 18. Atquin subiicit.

CAP. III.

23. Necesse est quatenus hoc putas, &c.] *Titulum huic capiti adposuimus*: Aduersus eundem, quod neque impossibilis neque inconueniens Deo. *Atqui paulopost vbi legitur*: Plane interest illud, vt falsum non patiatur, quod vere non est, *videtur conuenientior lectio vnius Vatic. ms. cod.* non putetur, *verum quod reliqui duo illud legant. nihil immutaui, maxime quum videar mihi alicubi similem phrasin legisse in Tertulliano. Omnino autem legimus cum* 3 *illis & Rhenano*: Viderint homines, *pro*: Viderunt.

24. Quid tantifuit, edoce, vt consciens Christus quid esset, &c.] *Istud iterum lego ex Adnotationibus Rhen. pro eo quod substitutum erat*: quum sciens, *nam sensus id exposcit vt sit* consciens, *inquit ille, versum Latine, quod Græcis est* συνειδώς. *Dicebat autem Marcion suffecisse Christo conscientiam suam.*

25. Plane natura conuertibilium, &c.] *Locus adnotatu dignus pro transsubstantiatione panis Eucharistiæ in corpus Domini, quod ad eam comprobandam, sufficiat testimonia Patrum varia, qui conuerti dicunt panem in corpus Domini, etiamsi non vtantur transsubstantionis voce, quia*: natura (*inquit Auctor*) conuertibilium est ea lege, ne permaneant in eo quod conuertitur in eis. *Cuiusmodi loci reperiuntur etiam supra li. adu. Hermog. c.* 34 sed mutari, perire est pristino statui, quem dum mutantur, amittunt, *& etiam infra cap.* 13. *vbi ex similitudine testæ ex argilla factæ, quanon est amplius argilla, docet*, quum demutantur qualitates, etiam mutari vocabulorum possessiones. *Denique lib. aduers. Praxean:* Transfiguratio, *inquit*, interemptio est prioris. Omne autem quod transfiguratur in aliud, definit esse quod fuerat, & incipit esse quod non erat.

26. Deo par.] *Præter locos Tertulliani, quibus* par *cum Genitiuo construitur supra li. de Patientia, To.* 1. *c.* 16. *nu.* 109. *adnotandi veniunt, qui frequentes sunt in hoc libro. Ita palulopost legitur*: par erit eorum, *&*: quorum, &c. par non est, *ac cap.* 8. par erit eius substantiæ, *c.* 15. par eius, *ac*; par nostræ, *denique c.* 16. eius fuit par.

27. Angelos creatoris conuersos effigiem humanam, &c.] *Idem latius tractatur infra ab Auctore cap.* 6. *& lib.* 3. *adu. Marc. quo Lectorem remittimus, hic dumtaxat addit tertium testimonium Gen.* 22. quod colluctatus sit homini, *nempe Iacob*, Angelus.

28. spiritum columbæ corpore lapsum descendisse. super Dominum, &c.] *Sic ex Vatic.* 3. *ms. cod. pro*: descendisse, *nam Ioan.* 1. *illud legitur & Græce & Latine. Admiranda est autem illa lectio Auctoris hoc loco*: columbæ corpore, *quum non modo exemplaria omnia tam Græca ac Syriaca legant*: quasi columbam, *& Ioan.* 1. *&*

Matth. ac Luc. 3. sed ipse etiam auctor supra li. de Baptis. ca. 8. columbæ figura: *atque adeo putarim, etiam sic legendum hoc loco, sed nihil immutare volui, tam quod conformiter ita legant Vat. ms. 3. cod. tum quod illam lectionem explicare videatur verbis illis*: Sed quæris corpus columbæ, *&c.*

29. tam vere erat & columba, quam & Spiritus, &c.] *Consentit in hac huius loci expositione Tertulliano, auctor li. de Agone Christiano inter opera B. Augustini. c.* 22. *sed ipse Augustinus Epistola* 102. *ad Euodium, & li.* 2. *de Trinitate, cap.* 5. *contra sentit*: columbam *illam non veram fuisse creaturam, sed speciem creaturæ: cui consentiunt etiam BB. Ambros. li.* 1. *de Sacrament. c.* 5. *Chrysost. hom.* 12. *in Matth. & Procop. in c.* 18. *Gen. id colligentes ex verbis illis*: quasi columba, & in specie columbæ. *Atqui legimus ex* 3. *Vatic. ms. cod.* adsumpta substantia extranea, *pro*; *contraria, neque enim esse columbæ* contrariam substantiam *Spiritui sancto, sed conuenientem, auctor loco citato li. de Baptism. his verbis indicat*; vt natura spiritus sancti declararetur, per animal simplicitatis & innocentiæ.

CAP. IV.

30. Igitur si neque vt impossibilem, &c.] *Inscriptionem damus huic capiti*: Aduersus eundem, quod neque indigna fuerit Deo, neque stulta, Christi corporatio. *Cui similis est plane locus infra li.* 4. *adu. Marc. Quemadmodum vero hic* corporationem, *auctor, sic infra c.* 6. corporandorum *dixit, idque vt magis explicaret veram corporis adsumptionem.*

31. perora age iam spurcitias, &c.] *Marcionem iterum adloquitur.* Perorare *autem (inquit Rhenanus) etiam cum Accusatiuo construit lib. de Resurr. carn.* Vltimaque dispersionis exitum perorant. *Cum præpositione In l. adu. Marc.* 2. Hæc dignissime peroraturus in creationem, *& l.* 3. Age iam perora in illa sanctissima & reuerenda opera naturæ. Inuehere in totum quod es; *vbi totus hic locus reperitur.*

32. anxium, nexum.] Nexum *dicit, inquit idem, propter colligantiam nerui vmbilicaris cum matrice. Exponunt enim quod hic significat, verba quæ infra leguntur huiusmodi* c. 20. Quid auellitur, *inquit*, nisi quod inhæret, quod infixum, innexum est ei: à quo vt auferatur, auellitur? si non adhæsit vtero, quomodo auulsus est: si adhæsit qui auulsus est, quomodo adhæsisset, nisi dum ex vtero est per illum neruum vmbilicarium quasi folliculi sui traducem adnexus origini vuluæ? *Rursum li.* 4. *adu. Marc.* Et primo, *inquit*, retinaculi sui vulnere nec multum ablutus. *Pertinet interim istud ad paradoxon auctoris, quod Christus natus sit aperto vtero virginis; de quo latius inter Prolegomena.*

33. totum incertum libidinibus fastidii & gulæ.] Libidines *etiam alibi accipi ab auctore pro appetitibus & inclinationibus, adnotauimus supra l. aduers. Hermog. c.* 36. *n.* 128.

34. cum suis impedimentis.] *Inuolucra illa (inquit Rhenanus) fœtus significant. Mox autem prorsus cum Latinio legendum*, quod panis dirigitur, quod vinctionibus formatur, *pro*: vnctionibus.

35. Hanc venerationem, ô Marcion, naturæ, &c.] *Scripsimus (inquit Rhenanus)* venerationem, *pro*: venationem, *consentientibus exemplaribus antiquis. Intelligit* venerationem *quæ naturæ debetur. Sensus est, Quod* venerari *debueras, tu despuis. Sic li.* 3. *aduersus Martionem*: Sanctissima, *inquit*, & reuerenda opera naturæ. *Latinius quidem ex coniectura legit*: Hanc ne rationem, *quæ fortassis melius conueniret cum proposita materia, verum nolui immutare; quod Rhenani lectioni consentiant Vatic.* 3. *ms. cod. Maxime quum videatur ex proposito* venerationem naturæ *vocare, quam hæretici contumeliam vocabant, contra quos ijsdem pene verbis B. Hieron. haud dubie hunc locum imitatus, li. adu. Heluid. Iunge, si libet, & alias naturæ contumelias, nouem mensibus vterum infolescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos. Ipse tibi describatur infans, tegmine membranarum solito conuolutus.*

36. quem magno pretio redemit.] *Addidimus*: pretio, *ex iisdem Vatic.* 3. *cod. ms conformiter Apostolo, quem citat* 1. *Cor.* 7. *qui habet*: Empti, *seu* redempti *(vti legit auctor)* estis pretio magno, *maxime quum id vbique legat B. Cyprian. Vox Græca ἠγοράσθητε, & redimere & emere significat. Quanquam autem* magno *Græce non legatur hodie: quum etiam B. August. id legerit Epist.* 66. *videntur plerique Latini id non omisisse.*

37. Si Christus creator eius est, &c.] *Adludit hic, tum capit. præcedentibus & sequenti, ad errorem Marcionis de duplici Deo, altero* creatore, *id est, nostro, altero Deo suo: quem late confutat libr.* 1. *adu. Marc. Auctor.*

38. Natiuitate reformata regeneratione cœlesti.] *Agit de Natiuitate Christi ita reformata, vt peccati expers fuerit. Miraculorum autem, de quibus hic, fit mentio Matth.* 11.

39. Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientiam.] *Quum supra li. de Baptis. c.* 2. *n.* 13. *adnotauerimus veram hanc esse lectionem Tertulliani, substituimus* sapientiam, *pro eo quod erat*: sapientes, *maxime quum sequatur*, quæ Deus *in æmulationem elegerit (non*: sapientum: *sed)* sapientiæ secularis, & tamen apud illam.

40. Iupiter Taurus factus aut Cygnus.] *De* Ioue, *inquit Rhenanus, in* Taurum *mutato, fabulam habes apud Ouidium Metamorph. l.* 2. *in* Cygnum, *li.* 6.

CAP. V.

41. Sunt plane & alia tam stulta, &c.] *Titulum damus huic capiti*; Aduersus eundem & alios quosdam quod non phantasma, sed veræ fuerint Christi & Natiuitas & passiones.

42. Aut prudentiam dicant Deum crucifixum.] *Adludit ad illud eiusdem* 1. *Cor.* 1. *à contrario sensu.* Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Gentibus stultitiam.

43. Sed non eris sapiens, nisi stultus seculo fueris.] *Hic similiter ad illud.* 1. *Cor.* 3. Stultus fiat vt sit sapiens.

44. quia vt phantasma vacabat à sensu earum.] *Hoc est (inquit Rhenanus) carebat sensu earum passionum. Similiter autem dixit infra c.* 17. Et tamen næ mihi vacet incursus: *& c.* 18. Vacabat enim viri semen: *& c.* 20. menses sanguinum vacent: *item cap.* 21. & vacat Prophetia. *Plures similes locutiones vide supra l. adu. Valent in. c.* 10. *num.* 112. *Siue autem legas*: & infantiæ imaginaria & vacua ludibria *cum exc. sine cum ms.* 3. *Vatic.* imaginariæ, *perinde est.*

45. interfector veritatis.] *Haud absimiliter paulopost*; qui destruis necessarium decus fidei, *& rursus*: Quid dimidias mendacio Christum: *Loci adnotandi contra eos, qui non nisi blandis verbis compellari volunt hæreticos, certe occurrunt adhuc atrociora longe aduersus hæreticos verba, apud auctorem, maxime initio l.* 1. *adu. Marc. quo lectorem remittimus.*

46. Nonne vere crucifixus est Deus, &c.] *Ex Vatic* 3. *ms. cod. sequentia sic distinguimus & immutamus*: nonne vere mortuus, vt *(pro*; &) vere crucifixus; nonne vere resuscitatus, vt vere scilicet mortuus: Falso ergo statuit, *&c.* Paulus.

47. Qui me, inquit, confusus fuerit, confundar & ego eum.] *Sic ex vno Vat. cod. pro*; eius: *quæ lectio magis placet, tum quod Marc.* 8. *Græce legatur*; ἐπαισχυνθήσεται αὐτὸν, *tum quod etiam sic legat B. Cyp. l. de Lapsis, & Epist.* 6 :. *vbi vide Adnotationes nostras n.* 47. Neque vero etiam confundi *pro erubescere alicubi quam cum Accusatiuo constructum reperitur. Denique si*: eius *legeretur, etiam*: mei *legendum foret, at*: me *habent ms.* 3. *Vatic. cod. Est interim adnotanda varia auctoris à Cypr. & vulgatis codicibus lectio*; confundar & ego *pro*; confundetur enim filius hominis. *Atqui* figi, *pro*: crucifigi, *auctori visitatum esse etiam alicubi diximus.*

48. carnem scilicet hanc sanguine suffusam, &c.] *Veræ carnis has qualitates latius repetit auctor infra c.* 9. *Lego autem omnino*: Ideoque mortalis, *pro*: Ideo quia, *& tum Rhenano paulopost*: Deus Marcion (*vt Vocatiui sit casus*) haud aliter, *pro*: Deus Marcionis.

49. Ita vtriusque substantiæ census.] *Varias huius vocis significationes apud auctorem supra adnotauimus l. de Præscript. adu. har c.* 32. *n.* 184. *nempe vt accipiatur pro recensu, diuitiis & auctoritate. Hic certe medio modo accipi videtur, infra vero c.* 8. *vbi legitur* de peccatoris censu, *pro recensu seu origine. Similiter etiam infra cap.* 17. *quum dicitur*: si terreni non fuit census homo. *Sunt vero etiam Tertullianica*: dispuncta est, *pro absoluta: ac*: dimidiare mendacio;

50 sine tunica.] Tunicæ *vocabulo, inquit Rhenanus; tutem intelligit. Sic in li sequenti de Resurrect. carnis*: Carnem, *inquit*, quam postea pelliceæ tunicæ, id est, cutes superductæ vestierunt, *& mox*: Hinc, *inquit*, & Apostolus circumcisionem, despoliationis carnis appellans, tunicam cutem adfirmauit.

51. circulatorio cœtu.] *Istud per id quod sequitur, explicatur*: sed magum hominem, *nam etiam supra Tom* 1. *Apolog. c.* 23. multa miracula circulatoriis præstigiis ludere Magos *dixit; vbi vide Adnotat. nostras n.* 356.

CAP. VI.

52 Sed quid iam discentes Pontici illius, &c.] *Inscriptionem huic capiti dedimus*: Aduersus Apellem, quod Christus non sit mutuatus carnem ex sideribus. Discentes *autem pro discipulis, auctori frequentissimum* De Pontico *Marcione nempe, infra latius l.* 1. *adu. eund. Prouerbium*: de calcaria in carbonariam, *tractabimus inter Prolegomena.*

53. ad Apellem.] *De* Apelle *latius infra To.* 5. *ad fragmentum li. adu.* Apellem, *& remittimus etiam lectorem ad ea quæ diximus lt. supra de Præscript. adu. har. c.* 51. *har.* 19. *nu.* 324. *Atqui lego cum ms.* 3. *Vatic. cod.* in virgine Philumene.

54. vt angelus quidem illius Philumenes.] *Sic lego prorsus, pro*: illi *De hoc vero sic supra li. iam dicto c.* 6. Prouiderat iam tunc Spiritus sanctus futurum in virgine quadam Philumene angelum seductionis, transfigurantem se in angelum lucis, cuius signis & præstigiis Apelles inductus nouam hæresim induxit, *vel vide Adn. nostras n.* 35. *& infra c.* 24. Æque, *inquit*, etiamsi angelus, &c. ad energema Apelliacæ virginis Philumenes filium dirigit.

55. Etiamsi angelus è cœlo.] *Legimus cum* 3. *Vat. ms. cod.* de cœlo, *tum hic, cum infra c.* 24. *& similiter l. de Præscript. adu. har. ca.* 6. *pro eo quod erat*: de cœlo, *tum quod etiam Græce legatur* ἐξ οὐρανοῦ, *tum etiam quod infra sic legatur l.* 5. *adu. Marc. de Epist. ad Galat. Irrepserat etiam mendum in editione Lugdunensi, vt legeretur* nobis, *quum legendum sit*: vobis.

56. De sideribus, inquiunt, & de substantiis, &c.] *Istud his verbis repetit infra l.* 3. *adu. Marc.* Nam & Philumene illa persuasit Apelli, ceteriisque desertoribus Marcionis, ex fide quidem Christum circumtulisse carnem: nullius tamen natiuitatis, vtpote de elementis eam mutuatum. *Quod ibidem etiam confutat, maxime scripturis illis quibus infra c. sequenti.*

57. Quid illi cum Moyse, qui Deum Moysi reiicit.] *De hoc latius infra libr.* 1. *adu. Marc. Siue autem legas cum excus. cod.* reiicit,

A

siue cum Vatic. 3. ms. cod. reiecit, *parum refert, quomodo etiam si paulopost legas*: ob quas in carnem venerunt, *aut* processerunt. *Atqui pulcre diuersitatis reddit causſam, cur Christus nasci debuit, angeli non item, infra l. 3. adu. Marc.* Angeli, *inquit*, neque ad moriendum pro nobis dispositi, breuem carnis commeatum, non debuerunt nascendo sumpsisse, quia nec moriendo desituri eam fuerunt.

58. Atquin, tunc quoque inter illos angelos ipse Dominus apparuit Abrahæ, &c.] *Haud aliter etiam ibidem Auctor*: Ideoq; & ipse cum angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, sed nondum natæ, quia nondum morituræ, sed discentis iam inter homines conuersari. *Quamquam interim hæc interpretatio, quæ ortum inde habere videtur, quod legatur Gen. 8.* Tres vidit, vnum adorauit, *à B. Augustino non probetur, quem adeo videat lector l. 2. de Trinit. c. 10. Porro legimus iterum ex ms. Vat. 3. cod.* Atquin *pro* Atqui.

59. Sed vos hoc non recipitis, &c.] *Similiter etiam loco citato*: Primo non admitteris ad eius Dei exemplo quem destruis.

60. Constat angelos carnem non propriam gestasse, &c.] *Etiam hoc repetitur, vbi supra*: In ista quæstione quum putaueras opponendos esse nobis angelos creatoris, quasi & illi in phantasmate putatiuæ vtique carnis egerint apud Abraham, & Loth, & tamen vere congressi (*id est, cum hominibus conuersati*) & pasti, & operari quod eis mandatum fuerat. Scito nec illud tibi concedi, vt putatiua fuerit in angelis caro, sed veræ & solidæ substantiæ humanæ. Si enim difficile non fuit illi, putatiuæ carnis verus & sensus & actus exhibere, multo facilius habuit, veris & sensibus & actibus veram dedisse substantiam carnis, vel quæ proprius auctor & artifex eius, &c. *ne prolixiores simus. Porro B. Augustinus quæstionem hanc perplexam reperiens l. 3. de Trinit. c. 1. fatetur excedere vires intentionis suæ, quem secutus & B. Bernardus hom. 5. in Cantic. Cant. ic. hanc controuersiam indiscussam reliquisse videtur, ita concludens*: Ceterum, *inquit, vtrum ipsis spiritibus naturalia corpora sint sicut hominibus sua, an vero ipsi spiritus corpora, cum opus est, sumant, rursumque expleto opere ponant in eandem, de qua sumpta sunt, materiam dissoluenda, nolo vt à me requiratis, videntur Patres de huiusmodi diuersa sensisse, nec mihi perspicuum est vnde alterutrum doceam, & nescire me fateor, sed & nostris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam. Hactenus ille, nec aliter etiam P. Lombardus Sent. l. 2. dist. 8. §. 4. Quid? quod etiam Auctor neutribi aliquid certi definiat.*

61. Sed nihil de eo constat, quia scriptura non exhibet, &c.] *Ne forte quis istud detorqueat contra traditiones Ecclesiasticas meminerit Auctorem docuisse supra Tom. 2 l. de Coron. Milit. c. 3.* etiam traditionem non scriptam debere recipi, *quo adeo Lectorem remittimus. Legimus autem mox*: etiam ex nulla substantia, *pro & ex 3. Vatic. ms. cod.*

62. quid postea factum sit corporibus illorum.] *Latinissime dictum, inquit Rhenanus, id est, quo peruenerint. Subauditur De, Præpositio. Sic Cicero in Verrem*: *Quid te futurum est? quo confugies? Plautus: Quid argento factum est quod dedi. Rursum Cicero pro Cluent. Quod hoc homine factum est?*

CAP. VII.

63. Sed quotiens de natiuitate, &c.] *Caput hoc inscripsimus*: Respondeo ad illud Christi Matth. 12. Quæ mihi mater, & qui mihi fratres. *Quippe ex Marcion & Appelles veram natiuitatem Christi negandam comprobare nitebantur sed falso, quemadmodum etiam pulchre eundem locum interpretatur B. Augustin. contra Manichæum eodem errore lapsum, Epist. 18. & li. de fide contra Manichæos cap. 22. item Epiphan. hær. 42. contra Marcion. Confutat. 12. Auctor etiam quæst. & Respons. inter opera B. Iustini Mart. qu. 136.*

64. Quæ mihi mater, & qui mihi fratres?] *Eodem modo citatur hæc scriptura infra lib. 4. adu. Marc. quum interpretes alii malint ex Græco,* τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου, *vertere*, quæ est mater mea, *&* ἀδελφοί μου *fratres mei.*

65. quid iam RESPONSVM SIT à nobis MARCIONI EO LIBELLO QVO EVANGELIVM IPSIVS PROVOCAVIMVS.] *Intelligit hauddubie 4. lib. adu. Marc. Ibi enim etiam ijsdem pene, sed paulo paucioribus hanc scripturam explicat verbis, paulopost adlegandis. Proinde etiam hinc constat verum esse quod adnotauimus supra Præfatione nostra in hunc Tomum 3. eodem pene tempore scriptos hunc & sequentem de Resurr. carn. libros ac libros quatuor primos adu. Marc. his vero absolutis, tum demum esse conscriptum quintum librum aduersus eundem.*

66. Licet proterea abstulerint hæreses ista de Euangelio.] *Quomodo hunc Lucæ 8. locum mutilauerint, indicat Epiphan. vbi supra Schol. 12. Non habet, inquit, mater ipsius & fratres ipsius, sed solum*: mater tua, & fratres tui. *Cuius rationem addens: Etiamsi (inquit)* superiora rescideris, ô Marcion, Euangelii verba, *quo facias Euangelistam non suffragari dictioni à quibusdam relatæ nempe*: mater tua, & fratres tui. *non potes transgredi veritatem, cur enim non multas dixit matres.*

67. quod & creditum patrem eius Ioseph fabrum.] *Istud desumpsit, præcipue eodem ex Matth. c. 13. & Marc. 3. partim tamen etiam ex Lucæ 4. cap. Nam ibi legitur*: Nonne hic est filius Ioseph, *quum alii duo habeant*: nonne hic est fabri filius? *Atqui cum Vatic. 3. ms. cod. omittimus paulopost particulam*: est, *vbi legitur.* Sed nulla tentatio tendens, *&c.* procedit, *omnino legimus deinceps*: nisi quod etsi vacuisset tentationis ingenium, *quia præter alios locos supra citatos nu 44. similiter dixit Auctor supra To. 1. lib. de Pallio cap. 4.* Vacuerat ab vberum gustu, *vti etiam adnotauimus supra l. adu. Valentin. nu 112.*

68. sicut & in Euangelio ante Marcionem ædito continetur.] *Euangelium Ioannis intelligit cap. 7. quod non agnoscebat Marc.*

69. Mater æque non demonstratur adhæsisse illi, &c.] *Istud potest intelligi de adhæsione perpetua in Christi concionibus, quas frequentabant Martha & Maria. Deinde id quod sequitur* incredulitas eorum *ad fratres Domini, non ad Mariam referri debet. Quare calumniatur Rhenanus in argumento huius libri, dum non modo Tertullianum dicit hic dissentire à placitu recentiorum Theologorum de B. Mariæ impeccantia, sed etiam pro se Origenem citat, Augustinum & Chrysostomum. Nam imprimis Origenes semper Mariam immaculatam vocat, & iubet nos respondere hæreticis, si quid aduersus illam obijciant. B. Aug. li. de natura & grat. cap. 36. postquam dixisset, nullum sanctorum esse sine peccato subiecit: excepta sancta virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem, Chrysostomi denique loci quomodo sane intelligi possint, vide Sixtum Senensem Biblioth. Sanct. l. 5. Adnot. 104. & li 6. Adnot. 58. & 138. vbi etiam & Adnot. 139. ac 140. explicat, quomodo intelligi possint quidam loci Origenis & Augustini ac Euthymij, qui Rhenano fauere videntur. Quæ omnia latius, vt iuxta Expurgatorium Librum expungantur, in omnibus libris hactenus excusis Rhenani calumniæ.*

70. tam proximi.] Tam (*inquit Rhenan.*) *iungit cum superlatiuo* proximi, *vti etiam infra l. 4. adu. Marc. Deinde quum dicitur*: necessarius aliquid, *comparatiue hic etiam accipitur, vti adnotauimus supra To. 2 l. de Patient. 1. 11. nu. 69.*

71. si forte tabula ludens.] *Campum (inquit Cælius Calcagninus tract. de tesserarum ludo) in quo tesseraria pugnat iam olim exercebatur, ab antiquis, nunc abacum, nunc alueolum siue alueum, nunc tabulam lusoriam, modo* πλίνθιον, *sed & fribillum appellatum video, reclamantibus licet Grammaticis, qui ex auctoritate Porphyrionis, non ad tesseras, sed ad talos fribillum pertinere arbitrabantur. Campus ligneus etiam appellatur in ænigmate Diomedis. Quo loco latissime tractat quicquid ad hæc lusus genera pertinet. De aleæ interim tabula ludo, vide tractatum de Aleatoribus inter opera B. Cypr. Tom. 3. Quam sit pernicioſa eius consuetudo.*

72. vel de histrionib. aut autigis contendens,] *Adludit, inquit Rhenanus, ad spectacula & factiones* autigarum. *Nam suo quisque fauebat. Ideo dicit*: contendens. *De quo nos latius supra Tom. 2. libr. de spectaculis, potissimum capit. 15. num. 138. & 139. & ac capit 16. num. 141.*

73. quum indignatio parentes non neget sed obiurget.] *Similiter infra lib. 4. adu. Marc.* Tam proximas enim personas foris stare, extraneis intus defixis ad sermones eius, amplius & auocare eum à sollemni opere quærentes, merito indignatus est, non tam negauit quam abdicauit. *Epiphan. mauult hanc obiurgationem referre ad eum, qui nuntiabat foris stare matrem & fratres.*

74. non tanti facere matrem aut fratres, quanti verbum Dei] *Adludit ad illud Matth. 10.* Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. *cuius ipsa verba citauit supra libr. de Baptis. c. 12 hic vero sensum dumtaxat.*

75. Sed alias figura est synagogæ, &c.] *Alium hunc mysticum sensum reperire est apud BB. Hilarium & Hieron. in Matt. c. 12. Ambros. & Bedam in Lucæ cap. 8. Ibi autem*: nuncupat, *recte à Rhenano intelligitur Christus.*

76. Sed feliciores &c. qui verbum Dei audiunt.] *Infra libr. 4. adu. Marcion. additur. sicuti etiam in Euangelio Lucæ*: & faciunt, *quod verisimiliter etiam hic addi debet, sed nolui id facere, repugnantibus ms. 3. Vatic. cod.*

CAP. VIII.

77. Solis istis capitulis, &c.] *Titulum huic capiti dedimus*: Aduersus Apellecianorum angelum igneum carnis creatorem. *Omnino enim lego*: Appelleciani, *pro eo quod erat*: Apellaciani, *neque enim ab Apella, sed ab* Apelle *hæretico nomen habent. quare neque placet adlusio quam adfert Rhenanus, vt dicantur* Apellaciani, *quasi appellæ, quum ipse etiam fateatur potius appellari* Apellitas & Apellitacos, *nam & infra cap. 24.* Apellitica virgo Philumene *nuncupatur. Eosdem* Apelleianos *vocat Epiph. hær. 44. B. vero Cypr. epist. 73.* Apelletianos.

78. quam voluntab igneo illo, &c.] *Huius ipsorum erroris mentionem habes supra l. de Præscript. aduers. hæret. c. 51. hær. 19. nu. 324. & latiorem tractatum l. de Anima c. 23. num. 298. vbi etiam similem Tertulliani locum citatum habes ex l. de Resurr. carnis. Faciunt interim ad loci huius intellectum maxime illa verba dict. c. 23.* Apelles sollicitatas refert animas terrenis escis de supercælestibus sedibus ab igneo angelo Deo Israelis & nostro, qui exinde illis peccatricem circumfinxerit carnem. *Ibi enim habes quid significet illud*: sollicitatis animabus, *quodque ibi* circumfingere, *hic* adstruere *dixit, & de* peccatrice carne *hic multo latius.*

79. præside mali.] *Hoc delirium (inquit Rhenan.) etiam notat in l. de Præscript. adu. hær. c. 24.* Nemo alterum Deum ausus est suspicari (facilius de filio quam de patre hæsitabatur) donec Marcion præter creatorem alium Deum solius bonitatis induceret. Apelles creatorem angelum nescio quē glorioſum superioris Dei, faceret Deum legis & Israelis, illum igneum adfirmans. *hacille.*

Quanto

Quando vero dicit, præside mali, *id est, seui Dei, videtur loqui de* Apelle *& Apellecianis, antequam à Marcione seiungerentur. Nam post eam diuisionem, vnum tantum Deum adseruit Apelles.*

80. paratura.] Paraturam *vocat, inquit idem, id quod præstat materiam. Sic in lib. de Pallio, cap.* 3. lanam *vocat* paraturam materiarum. Tantam igitur paraturam materiarum, *inquit*, ingenia quoque vestificinæ prosecuta. *Ergo*: de sua paratura, *hoc est, de sideribus & cœlo, quæ corporis materiam Christo subministrarint.*

81. pœnitentiam admiserit.] *De hoc ita loco supra scripto de Præscript. l. adu. hær. Tertulliani c.* 31. Cui mundo permiscuisse pœnitentiam, quia non illum tam perfecte fecisset, quam ille superior mundus institutus fuisset.

82. Nam est nobis ADVERSVS ILLOS LIBELLVS.] *De hoc* LIBELLO, *an idem sit qui à Rhenano & aliis* ADVERSVS APELLITAS *inscribitur, an alius, infra latius, Tomo quarto ad fragmenta eiusdem libri.*

83. siquidem omnis pœnitentia confessio est delicti.] *Non ergo sufficit Lutheranorum definitio:* Pœnitentia, *nouæ vitæ. Verum de* Pœnitentiæ *tribus partibus, contritione, confessione, & satisfactione, late supra Tom.* 2. *integro libro de* Pœnitentia. *Recte autem supplet Rhenanus in hunc modum*: & membra delictum, *subaudi: erunt.* Erit proinde & cœlum, *subaudi: delictum.* Et cœlestia cum cœlo, *delictum erunt. Maulet esse breuis & obscurus quam perspicuus. Legimus vero ex Vatic.* 3. *ms. cod.* de peccati constitit elementis, *pro*: de peccatis, *& cum Basil. cod.* de peccatorio censu, *pro eo quod in additionem Lugdunenses irrepserat.* sensu.

84. Primus homo de terræ limo, secundus homo de cœlo.] *Etiam hic à communi lectione Apostoli* 1. *Cor.* 15. *variat; transferens*: terræ limo, *pro*: terra, *quod etiam Græce dumtaxat legitur. & omittens*: terrenus, *ac deinde*: cœlestis.

CAP. IX.

85. Prætendimus adhuc, &c.] *Caput hoc inscripsimus*: Quod constet veram carnem fuisse in Christo.

86. quod de limo figulatum etiam ad fabulas Nationum veritas transmisit, &c.] *Sic legimus ex* 3. *Vatic. ms. cod. omissa vocula*: est. *Significat autem (inquit Rhenan.) Prometheifabulam, qui primus è limo hominem finxerit, Iapeti filius. Ouidius lib.* 1. *Metamorphoseon:*

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cetera posset,
Natus homo est, Siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo;
Siue recens tellus, seductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat semina cœli;
Quam satus Iapeto mixtam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Huc adludit etiam Iuuenalis Satyra 13.

--Vnus & alter
Forsitan hæc spernant iuuenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit præcordia Titan.

Id vero Ethnici sunt à nostris mutuati, videlicet de libris Mosaicis. Porro Tertullianus noster l. 1. *adu. Marc. eleganter Deum creatorem appellat*, verum Prometheum. *Atqui noua vox est*: aquana, *pro*: *aquea, vbi legitur*: sanguine aquanam. *Habent denique Vatic.* 3. *ms. paulopost.* Hæc sunt quæ illum filium Dei cælauerunt, *pro*: cælauere, *sed perinde est.*

87. de Septentrionibus.] *Hoc sidus (inquit Rhen.) quod à figura posituraque ipsa, quia simile plaustri videtur, antiqui Græcorum ἅμαξαν dixerunt, nostri quoque veteres à bubus iunctis* Septentriones *appellarunt, id est, à septem stellis, ex quibus quasi iuncti triones figurantur. Sunt autem Triones rustico vocabulo boues, quasi teriones, à terenda terra, id est, aranda colendaque. hæc ex Aulo Gellio.*

88. & Vergiliis.] Vergiliæ, *inquit idem, circa æquinoctium oriuntur, vnde nomen habent à vere. Græcis πλειάδες sunt, quod ex compluribus stellis constent.*

89. & Suculis.] *Quæ stellæ Græcis, inquit idem, ὑάδες, à nobis primo Syades, deinde* Suculæ *sunt dictæ. Auctor Gellius. Sunt autem in capite Tauri. Porro vsurpat* emendatum *pro perfecto siue illustrato, atque nitente. Atqui quum secundum posteriores editiones legatur*: emendicatum, *non opus est cum Rhenano explicare quid hic significet* emendatum.

90. Vnde huic doctrina & signa ista?] *Vox Græca: σοφία, vertitur ab Auctore Matth.* 13. doctrina, *nam etiam Plato pro scientia vsurpat, quum dixit* 2. *de Repub. σοφίαν δημηγορικὴν, & Aristophan. in Pluto, σοφῶν μελετῶν. Addit autem*: etiam despicientium vox erat, *quia sequitur ibidem*: & scandalizabantur in eo.

91. humanæ honestatis.] Honestatem (*inquit Rhenan.*) *hic accipit pro pulchritudine, sicut mox*: Contumeliæ vero inhonestam probauere, *id est, deformem. Ita Virgilius:*

Et quocunque Deus circum caput egit honestum.

Horatius satyra 2. *lib.* 1.

--Neque siquid honesti est,
Iactat haberque palam.--

92. de ignobili aspectu eius, &c.] *Quod transtulit ex Græco τὸ εἶδος ἄτιμον, Tertull. supra lib. adu. Iud. c.* 14. *& infra lib.* 3. *adu. Marc.* speciem inhonoratam; *hic*: aspectum ignobilem: *quamquam primo loco etiam dicat*: nec aspectu quidem honestus. *De Prouerbio*: vngue summo perstringere, *Prolegomena nostra videat Lector. Quid autem sibi velit illud*: nisi merentem, *nescio. Legas denique*: sanguinem tudit *cum excusis, aut*: fundit, *cum* 3. *Vatic. ms. cod perinde est. In sequentibus vero imitatur B. Irenæum libro* 3. *capit.* 32.

CAP. X.

93. Conuertor ad alios æque sibi prudentes, &c.] *Titulum huius capitis ipse Auctor indicat*: Aduersus alios qui carnem Christi animalem adfirmant, quive salutis animæ solius causa Christum professisse volunt. *Recte autem*: sibi prudentes *appellat hæreticos, quia* hæreses de arbitrio suo sibi inducunt, *vt habet Auctor supra lib. de Præscript. aduers. hæret. c.* 6. *& nos ibidem in Adnot. latius nu.* 32. *&* 34.

94. si vt animam saluam faceret, &c.] *Adludit hauddubie ad illud Luc.* 9. Filius hominis non venit animas perdere, sed salutare, *sicuti etiam infra c.* 12. *his verbis*: Et veni (*inquit*) animam saluam facere.

95. non carnis; sed animæ nostræ solius liberandæ causa.] *Hunc errorem adscripsit supra lib. de Præscript. aduers. hæret. Basilidi, c.* 46. *hær.* 4. *n.* 304.

96. Porro si non nostram liberauit, quia carneam, &c.] *Ex Latinio legimus*, carneam, *pro*: carnem, *id requirente sensu. Variam autem hic lectionem habet Vatic.* 1. Porro si non nostram liberauit, nihil ad nos, quia carnea non est; *sed aliorum lectio vulgata magis placet.*

CAP. XI.

97. Sed aliam argumentationem eorum conuenimus, &c.] *Capiti huic inscriptionem damus*: Aduersus eosdem, quod anima Christi carnalis non sit. *Atqui Vatic.* 3 *ms. cod. omittunt quidem illud*: mortalisne sit an non, *sed retinere maluimus. Siue autem cum iisdem legas*: Sed nec esse quidem potest, *siue cum excusis*: ne esse, *non refert.*

98. Omne quod est, corpus est sui generis, &c.] *Pertinet istud ad paradoxon de Anima corporea Tertulliani, de qua partim supra lib. de Anima, cap.* 5. 6. 7. 8. *& 9. partim in Prolegomenis, quamquam hic videatur adhuc suam suspendere sententiam, vt fortassis scriptus sit iste liber ante librum de Anima, sed quia ille ante librum de Resurr. carnis est editus, & iste cum illo quasi coniunctus est, oportuit illum præmittere. Interim rursus* effigiem *animæ tribuit cap. sequenti.*

99. cassidem aut personam ei inducit.] *Adnotauit Rhenanus ad marginem: Istud oppositum esse illi, quod est*: detrahere personam, *verum de his latius in Prolegomenis inter Prouerbia.*

100. si in carne conuersam alienam induit superficiem.] *Intellige (inquit Rhenanus) si Christus* induit alienam superficiem, conuersam *supple animam in carne. Sic dicimus: Induere tunicam.*

101. alterius iam notitiæ.] Alterius (*inquit idem*) *dixit, pro aliius, id est, diuersæ. Sic infra cap.* 16. Si in carne meliore & alterius, id est, non peccatricis naturæ næuum peccati redemit. *Similes sunt etiam infra loci lib. de Resurr. carnis*: alterius diuinitatis, *bis, ac*: ad alterius spei auctorem.

CAP. XII.

102. Ostensa sit nunc anima per carnem, &c.] *Inscribimus caput istud*: Quod Christus venerit, non vt seipsam, sed vt Christum anima cognosceret. *Legimus autem cum Vatic.* 1. *cod.* Itaque supereſt.

103. Et vt impressius dixerim.] *Similiter infra cap.* 20. hoc quidem impressius, *& lib.* 3 *aduers. Marc.* Impresse Apostolus mandat. *Quæ accipit pro*: explicate dicere.

104. animæ anima sensus est.] *Vide de hac re latius dictum librum de Anima cap.* 18.

105. Plenius hæc prosequitur LIBELLVS, QVEM SCRIPSIMVS DE TESTIMONIO ANIMÆ.] *Habentur hæc eadem animæ adhuc Deum ignorantis testimonia, dicto lib. capit.* 2. *&* 4.

CAP. XIII.

106. Caro facta est anima, vt anima ostenderetur.] *Titulum huic capiti damus*: Quod & anima & caro in Christo diuersæ sint substantiæ, *cuius etiam meminit infra Auctor c.* 18. *quum* duas substantias *in Christo pronuntiat. Hæc interim prima verba non Auctoris sunt, sed aliorum contra quos disputat, quibus respondet*: Num quid ergo, &c. *Eadem latius l. aduers. Praxean, vbi etiam easdem pleraſque scripturas citat.*

107. Etiam quum demutantur qualitates, &c.] *Vide supra ca.* 3. *nu.* 25. *Legimus autem ex* 3. *Vatic. ms. cod.* nec potest dici testa & argilla, *addita voce*: testa.

108. Anxia est, inquit, anima mea vsque ad mortem.] *Ad verbum*

A *bum expreſſit vocem Græcam περίλυπος, quia illud περὶ exceſſum triſtitiæ ſignificat, idque non hic modo ſed etiam infra Tomo 5. lib. de Fuga in perſec. Pro quo vertit*: trepidat, *l. de Reſurr. carn. c.* 18.

109. Panis quem ego dedero pro ſalute mundi, caro mea eſt.] *Videtur ex propoſito tranſpoſuiſſe Auctor voces illas*: pro ſalute mundi, *quæ alioqui in Latinis exemplaribus poſtponuntur, & in Græcis neceſſario poſtponi debent, quia additur*: ἣ ἐγὼ δώσω, *idque vt tanto ſignificantius intelligatur, Chriſtum veram carnem habuiſſe. Quod quum ex eo loco comprobet, certe excluditur eorum interpretatio, qui etiam eo loco apud Ioannem ſpiritualiter* carnem *intelligi volunt, eo quod ſciant, quem alium locum certe iſtum, facere pro veritate corporis Chriſti in Euchariſtia Ego nihilominus putaſſem tranſmutandam dictam lectionem, niſi ſequeretur paulopoſt*: & illa, *nempe caro*, panis pro mundi ſalute: *vbi etiam* ſalutem *vertit Græcam vocem* ζωὴ *paraphraſticῶs, neque enim aliud vita, quam ſalus ſeculi.*

CAP. XIV.

110. Sed angelum (aiunt) geſtauit Chriſtus, &c.] *Caput hoc inſcripſimus*: Aduerſus alios quoſdam, quod ſolus Chriſtus ſit ſalutificator noſter, non angelus quem induerit.

111. in ignem præparatum diabolo & angelis eius.] *Omittit quidem*: æternum *hic Auctor, ſed quod eum ſubintelligat, verbis hiſce ſubſequentibus indicat*: numquam tamen illis reſtitutio repromiſſa eſt. *Quæ ſententia adnotanda contra dæmoniacos quoſdam noſtri temporis hæreticos, qui reſtitutionem etiam dæmonib. pollicentur, qui error iam olim in Origeniſtis damnatus eſt.* B

112. Idoneus enim non erat Dei filius, &c.] *Ironicῶs iſtud Auctor ex perſona hæreticorum. Similiter infra lib. ſequent. cap.* 11. Et vtique idoneus eſt reficere.

113. ſalutificator.] *Hanc vocem explicat, quum ſubdit*: ſi duo ſalutis artifices. *Vtitur vero eadem voce infra lib. 5. aduerſ. Marc. in translatione verborum Apoſtoli* 1. *Theſſ.* 5. in aduentu Domini & ſalutificatoris noſtri.

114. Dictus eſt quidem magni conſilii angelus, id eſt, nuntius, &c.] *Eodem modo hunc locum explicant, vt* ἄγγελος *proprie accipiatur pro nuncio, infra Tomo 5. Nouatianus lib. de Trinitate, B. Cyprian. Teſt. lib. 2. cap. 21. Hieron. in Comment. Hilar. lib. 4. de Trinit. Auguſt. de Trinit. l. 2. c. 13. l. 18. de Ciuitate Dei, cap. 35. & alibi, Athanaſ. lib. de beatit. Filij, Iuſtinus Apol. 2. pro Chriſtian. & adu. Tryphonem, Dionyſ. Areop. lib. de Cœleſti Hierar. cap. 4. Epiphan. in Arrianos, & B. Ambroſ. in cap. 10. ad Rom. aliique complures, quorum ingentem copiam citat in hunc locum Iſai. 9. Leo de Caſtro, aduerſum modernos quoſdam Typographos, à quibus omittitur*: angelus, *quam tamen vocem habent Patres omnes, quotquot ſecundum ædit. 70. locum hunc citarunt, pro quo ex Hebræo admirabilis conſiliarius recte à B. Hieronymo vertitur nam illud*: θαυμαστὸς σύμβουλος *ex margine variæ lectionis Aquilæ, in textum 70. irrepſiſſe: patet ex Euſebio li. 9. Demonſtr. Euang. cap. 8.* C

115. vt aliqui Gabriel aut Michael.] *Adiecimus*: aliqui, *ex vatic. 3. ms. cod. Sunt enim ſimiles phraſes ſupra cap* 12. in Lazaro aliquo, *& hoc cap. paulopoſt*: in aliquo Zacharia, *& alibi frequentiſſime. Siue autem legas paulopoſt*: de familiis *cum 1. vat. ms. cod. ſiue*: ex *cum reliquis, perinde eſt.*

116. Minuiſti eum modicum quid citra angelos.] *Sic caſtigauimus ex 3. ms. cod pro*: modico quid. *Legitur quidem cap. ſequent.* Minoraſti eum modico, *ſed etiam ea lectio bona eſt, omiſſo*: quid. *Interim prius illud habet Auctor, eundem locum citans & ſupra Tom. 1. lib. adu. Iudæos, cap. 14. ac Tom. 2. lib. de Corona milit. cap. 14. & infra lib. 3. adu. Marcion. quare etiam infra ſic legendum cenſerem, niſi obſtarent ibi ms. Vatican. 3 cod. Accipi autem ab Auctore pro iiſdem*: citra, *&* infra, *&* circa, *&* ſupra, *priori loco adnotauimus num. 162. Tertullianicæ item phraſes ſunt*: ſi forte, *&*: qua caro, qua autem ſpiritus.

117. Poterit hæc opinio Hebioni conuenire, qui nudum hominem, & tantum ex ſemine Dauid natū, non item & Dei filium conſtituit Ieſum.] *Sic omnino lego, addens*: natum, *ex 2. Vatic. ms. cod & cum iiſdem legens*: non item, *pro eo quod proxime accedens 1. ædit.* non idem, *pro quo coniecerat quidem legendum*: id eſt non, *Rhenanus, ſed illud magis placet. Plura vero de* Hebione *ſupra adnotauimus lib. de Præſcr. adu. hæret cap. 33. num. 192. & 48. hæreſ. 11. num. 313. Quibus hic addo, quod eiuſdem hæreſeos etiam meminerint*: de Chriſto nudo homine, *B. Ignatius Epiſt. ad Trallian. Irenæus, quamquam tacite ſatis, lib. 1. cap. 26. lib. 3. cap. 1. & aperte lib. 4. cap. 59. Euſebius Eccleſ. hiſtor. libr. 3. cap. 21. alias 27. Hilar. li. 1. de Trinit. Epiphan. hæreſ. 30. Philaſtrius, Auguſt. Theodor. Damaſc. Honor. Iſid. ac Hrabanus lib. de hæreſ. Contra alteram eius hæreſin, quod Chriſtus ex ſemine viri natus ſit, diſputat Auctor infra cap. 16. 17 ac 18. Aduerſus vero vtramque facit illud quod habet infra. cap. 24.* Et: Non ex ſanguine, neque ex carnis & viri voluntate, ſed ex Deo natus eſt, Hebioni reſpondit, *nempe ſcriptura.* D

118. plane Prophetis aliquo glorioſiorem.] *Adnotat Rhenanus* aliquo *accipi pro*: *in aliquo.*

119. & ait mihi angelus qui in me loquebatur.] *Recte prius* Zachariæ *mentionem fecit, quia legitur iſtud Zachar. 1. 2. & ſequ. cuius etiam eſt frequens* quotidianum illud omnium Prophetarum: Hæc dicit Dominus. *vbi interim ad marginem adnotauimus Iſai. 1. & ſic de alijs. Legimus autem cum Vatic. 3. ms. cod. eo quod ſit ſignificantius*: coram, & ſua auctoritate, *pro*: ex. E

120. Non angelus neque legatus, ſed ipſe Dominus ſaluos eos fecit.] *Inuenitur hic locus Iſai. 63. iuxta 70. pro eo quod ex Hebræo vertit B. Hieron.* Non eſt tribulatus, & angelus faciei eius ſaluauit eos in dilectione ſua, & indulgentia ſua ipſe redemit eos, *vnus ex illis locis, quibus potiſſimum ſolent veteres probare Chriſti diuinitatem, vti recte ante me adnotauit iam dictus Leo de Caſtro doctiſſ. ſuo in Iſaiam Comment. citans non modo Tertullian. infra lib. 4. aduerſ. Marc. ac B. Cypr. lib. 2. Teſtimon. adu. Iud. cap. 7. ſed præterea BB. Iren. lib. 3. cap. 32. Higin. Pap. Epiſt. 1. decretali, Hilar. in Pſal. 52. Athan. lib. 1. de fid. vnit. & trinit. & libr. 2. de Spiritu ſancto contra Apollin. in fine. Ambroſ. de fide, libr. 2. cap. 9. Cyrill. contra hæret. lib. 5. cap. 7. ac lib. 12 cap. 10. Epiph. in Aetio, Chryſoſt. hom. 7. ad popul. Antioch. & lib. de Cognit. Dei, citato ab Euthym. Panopl. part. 1. tit. 8. Pelagium Papam Epiſt. ad Virgil. Epiſc denique & Synod. Nic. 2. act. 6. Quibus adde etiam B. Auguſt. tract. 24. in cap. 6. Ioannis: vbi concordiam docet, quomodo alibi magni conſilij angelus dicatur, & hic tamen non angelus nos ſaluos feciſſe, ſed ipſe Dominus. Tranſpoſitæ ſunt autem hic voces* angelus *&* legatus, *eo quod hic de* angelo *agat, infra legitur, ſicuti apud alios Patres*: Non legatus neque angelus, ſeu nuncius. *Peculiare eſt etiam B. Cyprian. vbi ſupra, vt transferat ſenior, pro*: legatus, *vox interim Græca πρέσβυς pro ſeniore, etiam Plutarcho ſic vſurpatur.* F

CAP. XV.

121. Licuit & Valentino, &c.] *Inſcriptionem huic capiti damus*: Aduerſus Valentinum, quod caro Chriſti ſpiritalis non ſit, ex ſcripturis probari. *De hoc enim errore* Valentini *ſic ſupra. lib. de Præſcript. aduerſ. hæreſ. cap.* 49. Hunc autem (*nempe Chriſtum*) in ſubſtantia corporis noſtri non fuiſſe, ſed ſpiritale neſcio quod corpus de cœlo deferentem. *Contra eundem ſic Polycarpus Epiſt. ad Philipp.* Omnis qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, hic Antichriſtus eſt, *qualis fuit* Valentinus. *Similiter Epipha. hær 31. ac alii qui de hæreſ. ſcripſerunt, Philaſtr. Auguſt. Theodor. Damaſc. Honorius, Iſidorus, & Hrabanus.*

122. Dominus eſt Sabbati filius hominis.] *Videtur legendum*: etiam Sabbati, *quia ſic habetur Matth. 12. verum refragantibus exemplaribus Vaticanis, nolui quid immutare.*

123 Homo in plaga, & ſciens ferre imbecillitatem.] *Etiam hic deſideratur vox*: poſitus, *nam non Græce modo & Latine Iſai. 53. ſecundum 70. ſed etiam ſupra Tom. 1. lib. aduerſ. Iud. cap. 9. legitur*: Homo in plaga poſitus *Verum non habent ms cod. Vatican. neque Ambroſ. in Pſal. 61. vbi ad idem inſtitutum hæc ſcriptura citatur, neque etiam B. Cyprian. lib. 2. Teſtim. adu. Iud. cap. 13. neque ipſe Auctor paulopoſt eandē ſcripturam repetens, neque etiam dicto l. aduerſ. Iud. cap. 14 aut infra lib. 3. adu. Marc.* G

124. Et homo eſt, & quis cognoſcet illum?] *Omnino caſtigaui*: cognoſcet, *pro*: cognouit, *quia præterquam quod Græce eſt illud & in Hebræis, Chaldæis, ac Latinis exemplaribus, etiam Auctor id legit infra lib. 3. adu. Marc. & ſupra dicto lib. adu. Iud. cap. 14. vbi vide Adn. noſtras num. 163. Eodem vero modo etiam Epiph. legit hær. 30 contra Hebionem agens.*

125. Et ſuper nubes tamquam filius hominis.] Super nubes *paraphraſticῶs tranſtulit Auctor, pro eo quod Græce & Latine eſt Dan. 7. & ipſe Auctor legit ſupra lib. adu. Iud. cap. 14. & infra lib. 4. adu. Marc.* cum nubibus. *Deſiderantur hic etiam voces*: ecce, *&*: cœli, *quæ alibi habentur,*

126. Ieſum Nazarenum virum vobis à Deo diſtenatum.] *Quum* deſtinatum *verterit Auctor, debuit legiſſe Græce, ſicuti exemplaria quædam Græca moderna,* ἀποδεδειγμένον, *id eſt.* demonſtratum, declaratum, ſiue exhibitum, *quod etiam legit hauddubie qui in Syriacam linguam vertit, ex qua Latinus interpres*: qui à Deo apparuit apud vos. *Alij codices legunt.* ἀποδεδειγμένον, *quod recte vertit vulgatus interpres,* approbatum. *Accipit itaque*: deſtinatum *Auctor, pro, velut addictum, propoſitum, id eſt, demonſtratum, non ſecus atque dixit ſupra lib. adu. Valent. cap.* 1. *num.* 10. quos nunc deſtinamus hæreticos. *Interpretatur autem* virum *Auctor,* vtique hominem.

127. Nam vt penes quendam ex Valentini factione legi, &c.] *Videtur intelligere* Alexandrum, *de quo cap. ſequ. eo quod addat*: ille, *tamquam de quo prius ſit locutus. Legimus autem cum 2. Vatic. cod.* Talia & ethnici volutabant, *addita Coniunctione.* H

128. defecta citra filios hominum.] *Recte ſic legunt Vat. 3. ms. cod. pro*; deſpecta, *more Tertullianico, qui paſſiuis pro actiuis vti ſolet, nam & ſupra lib. adu. Iud. cap. 14. & infra li. 3. adu. Marc. legitur apud Auctorem*: deficiens citra filios hominum, *cui correſpondet vox Græca ἐκλεῖπον apud 70. & veterum Græcorum lectio, immo & ea quæ hodie exſtat ad verbum ex Hebræo translatio.*

129. Agnoſcunt hominem Deo mixtum.] *Hunc locum imitatus videtur B Cyprian. lib. de Idolor. vanit. quum dixit*: Deus cum homine miſcetur. *Quod quomodo intelligatur, explicat Auctor ſupra c. 3. dum dicit*: Non potes dicere: ſi natus fuiſſet, & hominem vere induiſſet, Deus eſſe deſiſſet, amittens quod erat, dum adſumit quod non erat. Periculum enim ſtatus ſui Deo nullum eſt. *Non accipitur itaque illa mixtio, vt vna fuerit natura, ſed duæ ſecundum orthodoxos Patres naturæ in Chriſto agnoſcendæ ſunt,*

diuina

diuina & humana. Itaque dumtaxat eo loquendi genere significare volebat, licet Deus sit & homo, tamen non duos, sed vnum esse Christum. Non tamen conuersione diuinitatis in carnem, sed adsumptione humanitatis in Deum.

CAP. XVI.

130. Insuper argumentandi libidine ex forma ingenii hæretici.] *Titulum huic capiti damus:* Quod Christus carnem veram adsumpserit, etiamsi neque peccatricem, neque ex semine, contra Alexandrum hæreticum. *Est autem adnotanda* argumentandi libido in hæreticis, *quam hic adtingit, de qua latius supra lib. de Præscr. aduers. hær. c. 7.*

131. Alexander ille.] *Quin iste Valentinianus fuerit, non est dubium: colligitur enim id tum ex verbis supra indicatis n.* 127. *tum etiam ex his verbis sequentis capitis:* Sed remisso Alexandro, cum suis syllogismis, quos in argumentationibus torquet, etiam cum Psalmis Valentini, quos magna impudentia quasi idonei alicuius Auctoris interserit. *Nescio an fortassis idem sit cum Alexandro Hierapolis Episcopo, quem scribit Suidas 9. capitibus conscripsisse, quid nouæ Christus in mundum intulerit, addens eam Orationem recondititis (forte ita obscurus, vt deprehendi error facile non posset) sententiis refertam esse. Pro quo facit, quod subinde in sequent. Auctor* nouitatis nascendi Christi *meminerit, præsertim capite* 20. & 21. *ita tacite, quantum apparet, ad titulum libri* Alexandri *adludens. Est autem paulopost vox Tertullianica:* suggestu, *pro ornatu seu maiestate.*

132. Euacuauit peccatum in carne, &c.] *Præponit institutæ materiæ gratia, quod Apostolus postponit Rom. 8. ibi n. sic legitur:* Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit, (*siue, vt Auctor,* euacuauit) peccatum in carne. *Quæ voce* euacuauit, *videtur exprimere voluisse Auctor energiam vocis* Grace κατήργησε, *qua non tam damnare quam ad mortem damnare, atq; adeo euacuare quodammodo significat. Atqui:* in similitudinem *legimus ex 2 Vatic. ms. cod. cum vulgata editione Latina, pro:* in similitudine.

CAP. XVII.

133. Sed remisso Alexandro, &c.] *Hoc caput inscripsimus:* Quod carnem Christus ex virgine sumpserit. *Quod ipsum Argumentum late etiam tractatum habes supra, ex iisdem pene scripturis, libr. adu. Iud. c 9. & infra aduers. Marc. li. 3.*

134. cum Psalmis Valentini.] *Eorundem infra fit mentio iterum c.* 20. Nobis quoque ad hanc speciem Psalmi patrocinabuntur, non quidem Apostatæ & hæretici, & Platonici Valentini, &c. *Videtur autem ex posteriori loco, Valentinus vna cum Nicolaitis & Gnosticis (quibus eum errorem adscribit Philastrius) non agnouisse Psalmos Dauid. Quos postea imitatus Paulus Samosatenus (Euseb. teste Eccles. hist. l. 7. ca.* 24.) *Psalmos qui in Dominum Iesum dicebantur, cessare fecit, velut neotericos & nuper inuentos, à se vero compositos, diebus Paschæ, in medio Ecclesiæ, mulieres canere iussit, ita vt horresceret si quis audiret. Quæ verba ideo in medium adducta, vt agnoscant quos Auctores imitentur nostri moderni Maroticorum potius quam Christi Psalmorum cantores, & cantatrices, idque tali cum boatu, vt animus audientium perhorrescat.*

135. ad vnam iam lineam congressionem dirigamus.] *De hac prouerbiali formula inter Prolegomena.*

136. Quamquam liquit iam.] *Præteritum* liquit (*inquit Rhen.*) *vsurpat à verbo liquere, pro claruit. Videl. de Pœnit. n.* 34. *& de* dedicandi *verbo ibidem, n.* 8.

137. Emmanuelem nobiscum Deum.] *Sic restituimus ex lib. 3. adu. Marc. vti etiam supra l. adu. Iud. n.* 97. *adnotauimus. Item paulopost cum prima editione.* Igitur si primus Adam de terra traditur, *pro eo quod Rhenanus substituerat:* Adam ita traditur. *Atqui verbis illis:* Virgo erat adhuc terra, &c. *imitatus est Auctor Iren. l.* 3 *c.* 31. *ac* 32 *sicuti & in sequentibus.*

138. Et tamen næ mihi vacet (*id est, frustraneus fuerit*) incursus in Christum Adam ab Apostolo dictus est.] *Sic iterum lego ex Vat. 3. ms. cod. cum Rhenano, pro eo quod irrepserat:* incursus Adæ (vnde Christus Adam ab Apostolo dictus est:) *quod qui dem paulo significantius est. sed illud Tertullianicũ est.* Næ *autem (inquit idem Rhenan.) id est, certe, profecto, quasi dicat: Sane vocaret mihi. Sic rursum li. de Resurr. carnis, c.* 8. Næ illa beatissima & gloriosissima, *loquitur de carne resurrectura. Vtitur etiam alibi frequenter. Secundum hanc nostram sententiam & istud interpretatur Latinius:* Quasi dicat, Patiar primi & nouissimi Adæ similitudinẽ tanquam inanem mihi eripi: si terreni non fuit census homo eius. *Solet enim quadam Ironia quasi aduersario concedere, id quod causæ suæ maxime fauet, vt aduersarium debilem ostendat.*

139. imaginem & similitudinem suam, &c.] *Hic hæc duo coniungit, quum alibi separare soleat, de quo vide supra libr. de Baptis. cap. 5. num.* 42.

140. Immo concepit, &c. verbum diaboli semen illi fuit, &c.] *Caute hæc legenda, sicut & illud:* Euixa est denique diabolum fratricidam. *Vehementia enim disputationis aliquando in eiusmodi phrases erumpunt Veteres, priusquam animaduertant. Nam non vere* diabolum *fuisse Cain fratricidam patet vel ex eo, quod paulopost eundem* malum fratrem *vocet: neque enim Cain vere frater Abel dici potuit: si ille ex diaboli, hic vero ex Adæ semine natus fuit.*

CAP. XVIII.

141. Nunc vt simplicius respondeamus, &c.] *Inscripsimus caput istud:* Quod Christus, quum esset Dei filius, non comperebat ei ex semine nasci.

142. nihilque haberet amplius Salomone, & amplius Iona.] *Tacite* opinionem Hebionis, quod Christus non esset Dei filius, *his scripturis Matt. 12. refutat:* Ecce plus quam Ionas hic, *&:* Ecce plus quam Salomon hic, *iterum transponens verba textus.*

143. aut si ex semine ipso factum est, dicat scriptura, &c.] *Adnotatu digna est etiam ista ex cod. ms. Vatican. 3. restitutio, pro eo quod erat mendosissime:* ex semetipso, *neque hic modo, sed & bis postea, vbi legimus:* non ex semine ipso suggerit factum, *&:* Si non ex semine ipso, sed ex alio. *Quæ aduersatiua fortassis occasionem dedit erroneæ lectionis, sed etiam illa constat cum nostra lectione.*

144. Quod in carne natum est, caro est, &c.] *Ad eundem modum loquitur Auctor infra lib. adu. Praxean:* Discе igitur cum Nicodemo: Quia quod in carne natum est, caro est, & quod de spiritu, spiritus est. *Est igitur peculiaris hæc Auctori lectio:* in carne, *pro eo quod codices omnes tam Græci quam Latini & Syriaci, Ioan. 3. & Veterum Commentarij tam Græcorum quam Latinorum:* ex carne *inter quos Beat. Chrysost nominatim etiam ex hoc loco incarnationem Christi probat, hom. 25. in Ioan. Quamquam interim ca.* 20. *infra docet:* in ea, *&:* ex ea, *pro ijsdem in scripturis haberi.*

CAP. XIX.

145. Quid est ergo: Non ex sanguine, &c.] *Capiti huic inscriptionem damus:* De loco scripturæ à Valentinianis adulterato: Non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. *Est autem hoc peculiare hic etiam Tertulliano ipsi cum Valentinianis, quod legunt singulari numero:* ex sanguine, *pro eo quod vocem Græcam αἱμάτων rectius vertit vulgatus interpres:* sanguinibus, *quomodo etiam Veteres, quos vidi hactenus.*

146. adulteratores eius.] *Recte vocat,* adulteratores scripturæ *hæreticos hoc loco, quia, pro eo quod omnia exemplaria Græca, Latina, Syriaca, & Patres omnes constanter legunt, vti etiam haudquaquam dubie Euangelista Ioannes:* ex Deo nati sunt, *ipsi singulari numero legerunt.* natus est. *Hoc interim mirum, quod eodem modo citet illam scripturam aduersus Hebionem, infra c.* 24.

147. obduxero. [Obducere (*inquit Rhenan.*) *pro conuincere, profligare, atque delere. Cui similes loci libro sequenti de Resurrect. carnis, c.* 2. proinde & obducimus, *ac:* Obducti dehinc de Deo. *Vide plures eiusce modi locos supra Apolog. nu.* 572. *ac* 618. *& lib adu. Hermog. nu.* 134.

148. vt ostendat esse semen illud arcanum electorum & spiritalium.] *Vide de hoc supra li. aduers. Valentinian. c.* 25.

149 qui credunt in nomine Domini.] *Hic, etsi Græce habeatur* εἰς ὄνομα, *id est,* in nomen, *tamen Latinorum versionem sequitur Auctor:* in nomine, *idque non hic modo, sed & paulo ante, quum dixit:* credentes in nomine eius.

150. vt de Domino scriptum est: & ex Deo natus est.] *Ista l. auctor, ex sententia non sua, sed secundum præditam lectionem adulteratam Valentini, quia nusquam in scripturis alibi legitur illud de Christo:* & ex Deo natus est.

151. Oro vos, si Dei spiritus non de vulua, &c.] *Quum sic habuerint ms cod. Rhenani, & consentiant Vatic. 3. ms. cod. non placet quod substituit Rhenanus ex coniectura.* Dei filius, *quia etsi impropria sit illa locutio, non tamen propterea immutanda germana lectio, maxime quum Veteribus etiam aliis vsitata sit ea loquendi forma, vti adnotauimus ex B. Hieronymo ad lib. B. Cypriani de idolor. vanit. n.* 71. *Et vero aliquo modo dicitur Christus Dei spiritus, quia Deus, sed proprie id non dicit auctor ipse indicat infra sub finem li. aduers. Praxean, quum disertis verbis* Spiritum sanctum *vocat* tertium numen diuinitatis, *&* tertium nomen maiestatis. *Omnino autem omittimus paulopost superfluum illud, & quod in se contradictionem continebat:* extra vuluam, *quum immediate præcedat:* intra vuluam fieret.

CAP. XX.

152. Qualis est autem tortuositas vestra, &c.] *Titulum huic capiti dedimus:* Aduersus eosdem, quod non ex virgine, sed per virginem natum Christum agnoscerent. *Valentinum enim scribit apertius Auctor supra l. de Præscript. adu. hær. c.* 49. *asseruisse:* Christum quasi aquam per fistulam, sic per Mariam virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem vel mutuantem. *Item libr. adu. Valentin. c.* 27. Christum (inquiunt) in præpositionum quæstionibus positum, id est, per virginem, non ex virgine æditum, quia delatus in virginem transmeatorio potius quam generatorio more processerit, per ipsam, non ex ipsa, non matrem eam, sed viam passus. *Eundem etiam errorem illis adscribunt BB. Iren. l. 1. ca. 1. eundem confutans l. 3. c. 18. 31. ac* 32. *(quomodo etiam Virgilius l. 3. contra Eutychen) Epiphan. hær.* 31. *Aug. Theodor. Damasc. Honorius, Isidorus, Hrabanus, & Gratianus, tractantes de hæresibus.*

153. Platonici Valentini.] *Similiter supra lib. de Præscript. adu. hæret. cap* 7. *de eodem:* Platonicus, fuerat, *& cap.* 30. Platonicæ sectator. *In omnibus autem Platonem secutum Valentinum, tum*

A *ibidem num.39.tum pluribus locis lib.radu.Valent.oſtendimus. De* Pſalmis *autem* eius *vide ſupra num.* 134.

154. Quia tu es qui auulſiſti me ex vtero matris meæ, &c.] *Vocem* ἐκσπάσας *tranſtulit* auellere, *quam alij extrahere, addens illud* matris meæ, *ex ſequentibus verbis, ad maiorem emphaſin. Deinde vocem* γαστρὸς, vterum, *pro quo alij: ventrem &* μήτραν, vuluam *vertit, ſunt enim omnia hæc ſynonyma. Legimus autem etiam ſecundo loco:* Ecce aliud, *ex 2 Vat.cod.ms. pro* Ecce aliter.

155. per illum neruum vmbilicarem.] *Etiam hoc ad paradoxon pertinet auctoris, de aperto vtero virginis Mariæ in Chriſti natiuitate, de quo inter Prolegomena.*

156. pendentibus exinde venis ſentinam illam, &c.] *Vox:* pendentibus, *à pendo deriuari hic debet, non à pendeo, ac ſi dicat:* Venis *naturæ quodam debito perſoluentibus ſentinam illam, non ſecus atque pendere naulum dicimus.*

157. regeneratio noſtra ſpiritaliter ab omnibus inquinamentis ſanctificata.] *Locus adnotandus contra eos, qui per baptiſmum negant* omnia inquinamenta noſtra ſanctificari, *ſed reatum manere, de quo vide Adn. noſtras ſupra lib. de Baptiſ. ca.1. nu.4.*

CAP. XXI.

B 158 Si ergo contendunt hoc competiſſe nouitati, &c.] *Hoc caput inſcripſimus,* Quod vere ex virgine natus ſit Chriſtus, per ſcripturas probari. *In quo Auctorem imitatur multis iiſdem ſcripturis adductis B.Cypr.Teſt.adu.Iud.l.2.c.8.9.10. &* 11. *Atqui ibi*: accedant adhuc communius ad congreſſum, *noue comparatiuum deducit à cominus, ſiue comminus.*

159. an & angeli conceptum & partum virginis adnuntiantes?] *Intelligit tum angelum, qui in ſomnis apparuit Ioſeph, Matth.*1. *tum Gabrielem angelum, qui miſſus ad Mariam virginem, Chriſti* conceptum & partum adnuntiauit.

160. an & omnis iam ſcriptura quæcunque matrem pronuntiat Chriſti?] *Reperiuntur hæ ſcripturæ Matt.*1.2.12.13. *Mar.*3.*Luc.* 1.2.8.*Ioan.*2.6.19.*& Act.*1.

161. Benedictus fructus vteri tui.] *Sic omnino reſtituimus ex Vat.2.ms.cod.pro* Beatus, *quia & Græce eſt* εὐλογημένος, *& non modo B.Cypr. ſed & Patres omnes ita vertere ſolent.*

162. An quia ipſe eſt flos de virga profecta ex radice Ieſſe, &c.] *Omnino lego*: profecta, *pro eo quod erat nullo ſenſu bono*: proiecta, *nam Iſaiæ* 11. *legitur* ἐξελεύσεται, *id eſt,* egredietur, *ſeu, vti legit auctor infra lib.5.adu.Marc.* Prodibit virga de radice Ieſſe, *pro quo interim paraphraſticῶs ſupra libr.adu. Iud.cap.7. naſcetur, vbi & l. adu.Marc.3. locum hunc eodem modo explicatum videre eſt. Atqui legunt quidem ms.3.Vat.cod.* eruitur in fructum, *ſed*: eruditur, *Tertullianicum eſt.*

C 162. & Ieſſe per Dauid ſciant adhærere. Ideo hunc fructum, &c.] *Etiam hic locus ita reſtituendus, pro eo quod erat*: & Ieſſe per Dauid ſciant adhærere Deo. Hunc fructum, *nihil enim ad inſtitutum faciebat illud:* Deo, *& ſenſum obſcurabat.*

164. ex lumbis Dauid, &c.] *More ſuo adludit ad duas ſcripturas Auctor, Pſal. nempe* 131. *& Act. 2. aut ſaltem, ſicuti Lucas ibidem, ita etiam ventris nomine* lumbos *intelligit hic Auctor. Nam pro eo quod legitur Pſal.*131. *ſecundum omnes, & ipſum Auctorem infra l. aduerſ.Marc.*3. Iurauit Dominus Dauid, &c. de fructu ventris tui (*Græce* τῆς κοιλίας) ponam ſuper thronum tuum, *Act. 2. ſic interpretatur Petrus*: Propheta igitur quum eſſet, & ſciret quia iureiurando iuraſſet illi Deus, de fructu lumbi eius (*Græce* τῆς ὀσφύος) *ſedere ſuper ſedem eius.*

CAP. XXII.

165. Deleant igitur & teſtimonia dæmonum, &c.] *Quum eiuſdem ſit argumenti hoc caput cum præcedenti, nouo titulo non eſt opus.*

166. Filium Dauid proclamantia Ieſum.] *Etiam hunc locum reſtitui ex Vat.3.ms. cod. omiſſa Præpoſitione*: Ad, *plane ſuperflua. Porro mirum eſt, ad quem locum hic adludat Auctor, quum nuſquam legantur apud aliquem Euangeliſtarum* dæmonia filium Dauid proclamantia Ieſum, *ſed dumtaxat ab iis dicatur Marc.* 1. *& Luc.* 4. Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? *& Luc.* 4. Quia tu es filius Dei, *item Matth.*8. Quid nobis eſt tibi Ieſu fili Dei, *nuſ-*
D *quam vero* fili Dauid, *niſi forte ipſi codices ita legerint, verum, quod illud magis miraculo conueniat. Videtur etiam hic memoria lapſus, vt alibi non ſemel, qui illud Chananææ matris, Matth.*15. miſerere mei fili Dauid, *filiæ eius à dæmonio vexatæ adſcripſerit, aut putauerit matrem id ex ore filiæ dixiſſe. Certe ipſe auctor infra l.4.adu.Martractans 4.cap.Lucæ, legit, & pulcherrime explicat illud:* Ieſu Nazarene, *& rurſum* Tu es filius Dei.

167. Matthæus fideliſſimus Euangelii commentator, &c.] *Magna (inquit Rhenan.) laus* Matthæi Euangeliſtæ.

168. Liber geniturae Ieſu Chriſti. &c] *More ſuo* genituram *dixit Auctor, pro generatione, ſicuti etiam libr. ſequenti de Reſurrect. carn.* à conditione geniture.

169. & in ſemine tuo benedicentur omnes nationes, &c.] *Etiam iſtud partim ſumpſit ex veteri Teſtamento, Gen.*22. *ac* 26. *partim ex nouo, Gal.3. quia pro illo quod illic legitur*: in ſemine tuo, *legit Apoſtolus*: in te; *qui tamen etiam, verbis non multo poſt ſequentibus hic citatis, illud explicat*: Non dixit ſeminibus, tamquam de pluribus, ſed, ſemini, tamquam de vno, quod eſt Chriſtus. *Omnino enim lego*: ſemini, *pro eo quod erat*: ſemine, *& addo*
E *ſecundo*: tamquam, *quia ſic legunt Apoſtoli exemplaria Græca, Latina, & Syraica. Atque adeo videtur etiam Apoſtolus reſpexiſſe, non ſolum ad illum locum Gen.22. ſed ad alias promiſſiones, quæ Abrahæ dictæ ſunt, &* ſemini *eius, Gen.* 12.13.15. *&* 17. *aut fortaſſis etiam (ſi hic in ſenſu abundare liceat) reſpexit Apoſtolus ad illud Cantici Mariæ, Luc.*1. Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham & ſemini eius. *Atqui cum Apoſtolo omittit hic Auctor,* terræ, *quod habetur additum in Geneſi, & etiam ſupra reperitur l. adu.Iud.c.*1. *Diſſentit autem in hoc à vulgato interprete, quod vertat*: de ſeminibus, ac de vno, *quod ille* in, *vtrobique, vox Græca* ἐπὶ *vtrumque ſignificat, Syriaca translatione neutrum habet.*

CAP. XXIII.

170. Sed agnoſcimus adimpleri. &c.] *Titulum huic capiti ipſe Tertullianus indicat*: Quod in illis adimpleatur Prophetia Simeonis, de ſigno cui contradicetur..

171. & in ſignum cui contradicetur.] *Sic legimus partim ex* 1. *editione, partim ex* 1.*Vat.ms.cod.pro*: quod contradicetur. *tum quod appelletur paulopoſt*: ſignum contradicibile, *tum quod Græce ſit Luc.2.* ἀντιλεγόμενον, *quod denique etiam ſic legant B. Aug. in Pſal.* 88. *& Origenes in homiliis alicubi.*

F 172. Propterea dabit vobis Dominus ipſe ſignum.] *Omnino ſic legendum patet, tum ex voce Græca:* κύριος, *tum ex voce Hebræa Adonai, Iſai.7. quare etiam ſupra Tom.1. lib.adu. Iud. cap.9. & apud B.Cypr. Teſtim. l.2. c.9. vbi hactenus:* Deus *legitur.*

173. Academici iſti, &c] *Propterea* Academicos *vocat hos hæreticos, quod, ſicuti illi certi adfirmarent.*

174. non virgo quantum à partu.] *De hoc paradoxo Auctoris, quod pro ſe etiam Heluidius citabat (quod repetitur infra Tom.5.lib. de Monogam.) inter Prolegomena noſtra latius. Omittimus autem cum 3.Vatic.cod.ms.particulam*: hoc *bis repetitam, legentes cum Euangeliſta Matth.*5. Quod amplius, hoc à malo eſt, *& illud*: non nupſit, *ſuperfluum, vbi legimus,* in partu ſuo nupſit, ipſa patefacti corporis legi, *de quo altero paradoxo etiam inter Prolegomena latius, hic dumtaxat, ſanum aliquem ſenſum ſcripturæ ſequentis adferemus.*

175. Omne maſculinum adaperies vuluam, &c.] *Hanc ſcripturam citat Auctor, ſicuti eſt Luc.* 2. *Nihil interim hæc ſcriptura facit pro opinione Auctoris, quia ſic poteſt intelligi, vt Chriſtus quidem naturalia virginis Mariæ membra aperuerit, ſic tamen vt pudicitiæ virginitatis clauſtra non conuelleret. Proinde eleganter quidam Græcus (à Reuerend. Domino Ianſſenio citatus Comment. Concord Euang.cap.*10.*) Solus (inquit) Chriſtus nondum apertam ſupernaturaliter aperuit, & clauſam naturaliter ſeruauit. Et B. Hieron.lib.*
G *2.aduerſ.Pelagian. Solus Chriſtus clauſas portas vuluæ virginalis aperuit: quæ tamen clauſæ iugiter permanſerunt. Hæc eſt enim porta Orientalis clauſa, per quam ſolus Pontifex ingreditur & egreditur, & nihilominus ſemper clauſa eſt. Siue autem legas cum excuſ.* Dei filius, *ſiue cum Vatic. 3.ms. cod.* ſancti filius, *perinde eſt, ſicuti etiam legendo*: clauſam patefecit, *aut*: cluſam.

176. Legimus quidem apud Ezechielem de vacca illa quæ peperit, & non peperit, &c.] *Addimus ex 3. Vatic. ms. cod. & quærat autem diligens Lector, vbi hæc ſcriptura reperiri poſſit. Reperitur quidem Iob. 21. iuxta translationem Hieronym.* Vacca peperit, & non eſt priuata fructu ſuo, *pro quo quis poſſet coniicere lectum eſſe: & eſt priuata fructu ſuo, niſi longe aliter Græce eſſet, & hic Ezechiel citaretur. Ex iiſdem legimus*: ne vos iam tunc prouidens (*aut* peruidens) Spiritus ſanctus, *pro eo quod erat*: ne nos iam nunc, *corruptiſſime.*

CAP. XXIV.

177. Quod enim Eſaias iaculatur, &c.] *Caput hoc inſcripſimus*: Quod eoſdem hæreticos etiam aliæ ſcripturæ ſuggillent.

178. Væ qui faciunt dulce amarum, & tenebras lucem.] *Infra haud abſimiliter Scorpiaco adu.Gnoſticos, cap.*1. Væ qui dulce in amarum, & lumen in tenebras conuertunt, *vtrobique ſenſum potius*
H *quam verba Iſai.2.citans; nam ibi legitur verbis tranſpoſitis etiam ſecundum* 70. Væ potentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum dulce, & dulce amarum. *Lege autem ex 3.Vatic. ms.cod.* & caro non alia ſit quam videtur.

179. Ego ſum (inquit) Deus, & alius abſque me non eſt.] *Videtur hoc ſumptum ex Iſai.45, cap vbi legitur*: Ego Dominus Deus, & non alius, *& rurſum* & non eſt Deus præter me, *vti etiam ſupra adnotauimus lib. aduerſ.Hermogen.cap.6.num.26. Simile eſt etiam illud Iſai.*46. Ego ſum Deus, & non eſt Deus præter me, *& Deut.* 32. Videte quod ego ſum, & non eſt Deus præter me. *Lego autem ex dictis 3.Vat.ms.cod.* Et cum alias (*id eſt, ſicuti loqui ſolet, alio loco*) *pro* alio.

180. Ante me Deus non fuit.] *Etiam hoc ex Iſai. ſumptum c.* 46. *vbi ſecundum* 70. *legitur*: Ante me non fuit alius Deus, *quod quum alii quidam ad filium, Auctor potius ad patrem Deum refert, dum addit*: neſcio quas illas Æonum Valentinianorum Genealogias pulſat, *de quibus vide ſupra integrum librum aduerſ.Valentin. cum Genealogia dictorum Æonum à nobis reſtituta. De ſcriptura vero quæ* Hebioni reſpondetur, *ſupra cap.*19. *ſecundum quod omittimus*: &, *cum 3. Vatic. ms. cod. legentes vtrobique*: de cælo *pro* de cælis. *Quid denique* energema, *libr. de Præſcript. adu.hær.capit.*30.

numero 175. & de prouerbio: signum dirigit, *vide nostra Prolegomena.*

181. Qui negat Christum in carne veniſſe, hic Antichriſtus eſt.] *Quum iſtud reperiatur in 2. Epiſt. Ioan. patet Auctorem epiſtolam illam non minus quam primam pro authentica habuiſſe, de qua alicubi ſupra latius. quam etiam Ioannis Apoſtoli Epiſtolam vocat Aurelius à Chullabi Epiſcopus in Synodo Africana ſub Cypriano.*

182. Sicut & definiens ipſum quoque Chriſtum vnum.] *Intelligit Apoſtolum Paulum, apud quem 1. Cor. 8. legitur:* & vnus Dominus Ieſus Chriſtus. *Valentiniani autem ſunt:* qui alium faciunt Chriſtum, alium Ieſum. *De quibus vide ſupra li. adu. Valentin. c. 27. Siue autem legas* ſub tribus arbitris, *cum excuſis, ſiue cum ms. 3. Vatic. cod* tertibus, *perinde eſt.*

183. alium ceteris paſſiuum.] Paſſiuum ceteris (*inquit Rhen.*) *vocat communem ceteris, hoc eſt, non differentem à ceteris, nec eximium, ſed vulgarem, vilemque. Sic* paſſiuum nomen Dei *dicit,* & paſſiuum coniugium *adu. Marcion. li. 1. pro communi & promiſcuo. Item* paſſiuos diſcipulos *adu. Valentin. hoc eſt, inconſtantes atque paſſim vagos, nec vni magiſtro addictos. Rurſus* licentiam paſſiuum *lib. 1. Ad vxorem,* & paſſiuum cenſum *lib. de Monogam. Porro videtur hoc vocabulum Afris fuiſſe peculiare. Nam quum Decretorum ingens illud volumen, quod Burchardus Vvormatienſis Antiſtes congeſſit ante Gratianum, aliquando euoluerem, reperi illud in tertia conſtit. Carthaginienſis Concilij, quæ ſic habet: Martyrum dignitatem nemo prophanus infamet, nec* paſſiua *corpora, quæ ſepulturæ tantum propter miſericordiam Eccleſiaſticam commendari mandatum eſt, redigant, vt aut inſania præcipitatos, aut alio peccato diſcretos non ratione vel tempore competenti, quo martyria celebrantur, martyrum nomine appellent. Geterum eius Synodi conſtitutiones perſcriptiſſe fertur Aurelius Carthaginienſis Epiſcopus.* Paſſiua *corpora, vocat quælibet.* Paſſiuitatem *etiam vſurpat Tertullianus plus ſemel in ſequentibus opuſculis, pro libertate in malam partem, qua homo fit inconſtans, & nunc ad hoc, nunc ad illud verſabilis. Addit Latinius eſſe illum Canonem à Rhenano citatum 1. Carthag. concilij capit. 2. & quod eiuſdem Concilij capit. 7. legatur:* communio paſſiua, *id eſt, indifferens, cuius nullo habito diſcrimine paſſim permiſſa.*

184. per quod ſuam quoque in alia carne reſurrectionem aſſeuerant.] *Vide de hoc errore Valentinianorum ſupr. lib. Præſcr. adu. har. c. 49. nu. 315. ad illud:* Reſurrectionem huius carnis negat, ſed alterius. *Videntur enim* aliam carnem, *id eſt, non eandem, reſuſcidam adfirmaſſe.*

185. Sed bene, quod idem veniet de cœlis, qui eſt paſſus, &c.] *Adludere mihi viuetur ad illud Act. 1.* Hic Ieſus qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.

186. Et videbunt & agnoſcent qui eum confixerunt.] *Citat hanc ſcripturam, non tam ſicuti Zachar. 12. atque Ioan. 19. reperitur, quamquam etiam in hoc diuerſus ſit, quod explicationis gratia addat:* & agnoſcent, *deinde legat:* qui eum confixerunt, *pro eo quod Euangeliſta,* in quem confixerunt, *Grace, Latine, & Syriace. Quomodo interim etiam legunt Vat. 3. ms. cod. infra lib. de Reſurr. carn. c. 26.*

187. qui adfirmant carnem in cœlis vacuam ſenſu, vt vaginam exempto Chriſto ſedere.] *Hunc abſurdiſſimum errorem qui adfirmauerint, quærat diligens Lector. Illum autem, quo Chriſtum ſine carne cœlos aſcendiſſe dicebant, adtribuit Philaſtrius Paſſioniſtis, & Seleuci anis, ac Hermianis, quod carnem exſpoliatam; quum in cœlum aſcenderet, in ſole poſuerit Chriſtus, iuxta illud:* In ſole poſuit tabernaculum ſuum, *ad quem poſſet videri adludere Auctor, ſi legeret:* in ſole vacuam, *vbi legitur:* in cœlis, *ſed ea caſtigatio nimis foret libera, maxime cum Tertulliano illi poſteriores videantur.*

CAP. XXV.

188. Sed hactenus de materia præſenti, &c.] *Titulum* Epilogi *huic capiti dedimus. Lego autem omnino:* aduerſus omnes præiudicauerimus, *pro eo quod erat:* prædicauerimus.

189. Vt autem clauſulam de Præfatione communi faciat RESVRRECTIO CARNIS NOSTRAE ALIO LIBRO DEFENDENDA.] *Sic hunc locum diſtinximus & correximus ex 1. Vatic. ms. cod. pro eo quod erat:* Vt autem clauſula de Præfatione communi faciat, reſurrectio, &c. *Vult enim Præfationem communem ſequentis libri* de Reſurrectione carnis, *facere clauſulam huius libri.*

190. manifeſto iam.] *Subauditur (inquit Rhenan.) exiſtente, vt* Graci δῆλον ὄντος.

ARGVMENTVM LIBRI DE RESVRRECTIONE CARNIS, PER IACOBVM Pamelium.

DE Reſurrectione carnis ſcripturus Auctor, imprimis tradit eam etiam ſeculo, & præſertim Platonicis ac Pythagoricis non ignotam fuiſſe.

Hæreticos vero, etſi cum Sadducæis non agnoſcant, reuincit tamen tum libro præmiſſo DE CARNE CHRISTI, *tum* DE DEO CARNIS AVCTORE, ET CHRISTO CARNIS REDEMPTORE; *libris* ADVERS. MARCIONEM *ſcriptis: quod* Animæ reſurrectionem non negent, præter ſolum Lucanum, contra quem Animæ immortalitatem libro DE ANIMA tutatus ſit.

Proinde hæreticos non debere vulgi in ea deneganda ignorantiam ſequi.

Neque enim obſtare carnis, quam prætendunt, ignobilitatem.

Primum, quod a Deo facta ſit.

Item, quod Dei manu exſtructa.

Quod iam limus in carnem reformatus & immutatus ſit.

Quod apud Chriſtianos caro abluatur, vnguatur, ſignetur, manuſimpoſitione adumbretur, corpore & ſanguine Chriſti veſcatur, denique poſt conflictationes animæ, ieiunia, virginitatem, viduitatem, pro nominis Chriſti fide moriatur.

Quod Chriſtus, carnem etſi infirmã, & peccatricem, dilexerit.

Quod denique ſcripturis caro illuſtretur.

Neque vero Dei potentiam excedere Reſurrectionem carnis.

Diuinæ enim potentiæ exemplum eſſe, diei ac noctis, hyemis & æſtatis, veris ac autumni, viciſſitudines.

Phœnicẽ etiã Orientis alitẽ, qui ſemetipſum funerans renouat.

Atqui, & cauſſam reſtitutionis carnis idoneam ſubeſſe, Deo in bono remunerando & malo puniendo iudicium.

Quum enim operarum inter ſe anima & caro ſocietatem habeant, oportere etiam, aut pœnæ aut gratiæ communicare mercedem.

Etſi enim vas animæ caro appelletur, non tamen propterea, non & meritis animæ communicare.

Atque adeo, quum Animæ facta per carnem adminiſtrentur, non ſufficere, animam foueri aut cruciari ſine carne, pro operibus carnis.

Deinde apud omnes edictum Dei pendere: Reſurrectionem mortuorum.

Quam quidã male in imaginariam ſignificationẽ diſtorquẽt.

Non omnia enim Prophetas per imagines concionatos, tum quod, ſi omnia figuræ, quid erit illud cuius figuræ, tum quod in ipſum Chriſtum inſigniora quæque luce clarius, vere non figurate, adimpleta ſint.

Tot quoque eſſe inſtrumenta diuina ita aperte corporalem conteſtantia reſurrectionem, vt nullam admittant figuratæ ſignificantiæ ſuſpicionem.

Reſpiciendum eſſe denique ad illas ſcripturas, quæ non ſinunt credere, reſurrectionem aut iam factam, aut ab exceſſu ſtatim viræ fieri.

Etſi autem Apoſtolus ad Coloſſenſes, ſpiritaliter nos reſuſcitatos dicat, non negare tamen, etiam corporaliter reſurrecturos.

Quippe, quum ipſe Epiſtolis ſuis ad Theſſalonicenſes, reſurrectionem aperte confirmet.

In Apocalypſi ſimiliter Ioannis, ipſa tempora reſurrectionis indicari.

Quid? quod liceat etiam corporalem reſurrectionem de patrocinio figurati eloquii Prophetici vindicare, tum terræ, tum veſtimentorum nomine.

Immo, ſicut vocibus, ita & rebus ac factis prophetatam reſurrectionem.

Manifeſtiſsimã deniq; eſſe de eadẽ Ezechielis determinationẽ.

Eamque talem, vt figurate aut allegorice non poſſit intelligi.

Quũ aliis quoque manifeſtis Prophetarũ probetur teſtimonijs

Iiſque eiuſcemodi, quibus prædicatur etiam corporum inſepultorum reſurrectio.

Porro etiam in Euangeliis, non omnia in parabolis à Domino pronuntiata.

Immo in omni Reſurrectionis mentione, corporalitatem carnis à Domino proprie ſignificari.

XXXVI. A *Quamquam adeo carnem Christus dicat nihil prodesse, ex materia dicti, sensum esse dirigendum.*

XXXVII *Maxime, quum etiam factis mortuos resuscitando, futuram resurrectionem significarit.*

XXXVIII. *Resurrectionem quoque Apostolicorum Actorum instrumenta testari.*

XXXXIX. *Perperam proinde, suo etiam more hæreses pro se interpretari, interiorem, & exteriorem hominem, quasi per corruptionem, exterioris carnis corruptelam intelligat.*

XL. *Sicuti etiam illud de domo tabernaculi nostri, quæ dissoluitur.*

XLI. *Sed demutari dumtaxat cadauera, non morte deuorari, quum Gigantum antiquissimorum crates adhuc supersint, sicuti etiam dixerit Auctor alibi.*

XLII. *Neque vero etiam peregrinationem à corpore pro ipsis facere, quod addat Apostolus, reportare debere per corpus secundum quæ gesserit quis, bonum siue malum.*

XLIII. *Item etiam inde quod dicat: Vitam Iesu manifestandam in corpore.*

XLIV. B *Alia etiam cæcitate eos impingere, in veterem & nouum hominem.*

XLV. *Sicuti idem Apostolus carnem damnare videatur, carnis opera damnando.*

XLVI. *Carni enim salutem repromittere.*

XLVII. *Apertissime denique* 1. Cor. 15. *Resurrectionem carnis ab illo confirmari.*

XLVIII. *Atque adeo ex antecedentibus disci, quali conditione exhæredauerit à regno Dei carnem & sanguinem, nempe carnis opera.*

XLIX. *Immo, omissis eiusmodi interpretationibus, ipsas quoque substantias carnis & sanguinis, non aliter quam sunt, intellectas, licere resurrectioni vindicare.*

L. *Vel per Christum idipsum probari, qui carnem & sanguinem secum vexerit in cœlum.*

LI. *Et vero, etiam eodem corpore venturos mortuos, disputare Apostolum.*

LII. *Neq; enim corpus animale, posse animam intelligi, sed carnem.*

LIII. *Nec etiam, vt supra adtigit, carnem à vita deuorari, sed id quod in ea mortale est.*

LIV. *Aliud insuper esse demutationem, aliud perditionem carnis.*

LV. *Alioqui absurdum esse, aliam substantiam, nempe carnis, operari; aliam, nempe animæ, mercede dispungi.*

LVI. E *Oportere etiam resurrectionem integram credere, scripturis id adfirmantibus.*

LVII. *Et carnem itaque & animam, sententiam salutis aut pœnæ subituram.*

LVIII. *Sexu etiam & membris saluum hominem resurrecturum, etsi vacent à solitis officiis vitæ necessariis.*

LIX. *Præsertim quum quædam illorum officia, quibus Deum laudamus & prophetamus, remansura sint? & etiam in hac vita vacent cibis ieiunio functi? & sexum à genitura subducant spadones voluntarii, & Christo maritatæ virgines.*

LX. *Futuros denique nos, non angelos, sed sicut angelos Dei.*

LXI. *Quocirca concludi, Resurrecturam carnem, & quidem omnem, & quidem ipsam, & quidem integram.*

LXII. LXIII. *Ceterum, præterquam quod dicto* 11. *cap. citentur Libri de Anima, de Carne Christi, & aduersus Marcionem Libri secundus & tertius, sicuti horum alter iterum cap.* XIIII. *ac denuo Liber de Anima, cap.* XVII. *&* XLV, *qui omnes absque controuersia Tertulliani sunt, etiam nominatim fit huius Libri mentio (vnde colligitur, quod in huius Tomi Præfatione diximus, eodem fere hos conscriptos tempore) tum supra sub finem libri de Carn. Christi, tum infra lib.* 5. *aduers. Marcionem, cap.* x. *Prioris loci hæc sunt verba:* RESVRRECTIO NOSTRÆ CARNIS, *alio libello defendenda; hic habebit præstructionem, manifesto iam, quale fuerit quod in Christo resurrexit. Posterioris, vbi Epistolam* 1. *ad Corinthios explicat:* Reuertamur (*inquit*) nunc ad RESVRRECTIONEM, *cui & alias quidem proprio volumine satisfecimus. omnibus hæreticis resistentes; sed nec hic desumus, propter eos qui illud opusculum ignorant. Atqui Librum hunc MS. viderunt Trithemius & Politianus. In lucem primus edidit Rhenanus ex Paterniacensi & Hirsaugiensi codicibus, cum Scholiis; deinde castigatiorem ex Gorziensi, cum Adnotationibus, castigauit deinde Gelenius ex Britannico codice Lælandi. Nos denique iterum recognomimus ex Vaticanis tribus, & Anglico Ioannis Clementis MS. exemplaribus, ac Latinii coniecturis, & nouo Argumento ac Adnotationibus auximus.*

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE RESSVRRECTIONE CARNIS LIBER.

Cap. I. EIDVCIA[1] Christianorum, resurrectio mortuorum: illam credentes sumus, hoc credere veritas cogit. Veritatem Deus aperit. Sed vulgus inridet, existimans nihil superesse post mortem:[2] Et tamen defunctis parentant, & quidem impensissimo officio pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum, vt quos negant sentire, quicquam, etiam desiderare præsumant. At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque, quum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem ignibus & promerens & offendens. O pietatem de crudelitate ludentem. sacrificat, an insultat, 3 quum crematis crematt. Plane cum vulgo interdum & sapientes sententiam suam iungunt. 4 Nihil esse post mortem, Epicuri schola est. Ait & Seneca. omnia post mortem finiri, etiam ipsam. Satis est autem, 5 si non minor Philosophia Pythagoræ & Empedocli. Sed Platonici immortalem animã econtrario reclamant: immo adhuc proxime etiam in corpora remeabilem affirmant, etsi non in eadem, 6 etsi non in humana tantummodo, 7 vt Euphorbus in Pythagoram, Homerus in pauum recensentur. 8 Certe reciduatum animæ corporalem pronuntiauerunt, tolerabilius mutata quam negata qualitate: pulsata salute, 9 liceat non addita veritate. Ita seculũ resurrectionem mortuorum, nec quum errat, ignorat. [10 Si vero & apud Deum aliqua secta est, Epicureis magis adfinis quam Prophetis, sciemus quid audiãt à Christo 11 Sadducæi. Christo enim seruabatur omnia retro occulta nudare, dubitata dirigere, prælibata supplere, prædicata repræsentare: mortuorum certe resurrectionem, non modo per semetipsum, verum etiam in semetipso probare. Nunc autẽ ad alios Sadducæos præparamur, 12 partiarios sententiæ illorum. Ita dimidiam agnoscunt resurrectionem, solius scilicet animę, aspernati carnem sicut & ipsum dominum carnis. Nulli denique alii salutem corporali substantiæ inuident, quam 13 alterius diuinitatis hæretici. Ideoque & Christum aliter disponere coacti, ne creator carnis habeatur, in ipsa prius carne eius errauerunt, 14 aut nullius veritatis contendentes eam secundum Marcionem, & Basilidem, aut proprię qualitatis, secundum hæreses Valentini, & Apellem. Atque ita sequitur, vt salutem eius substantiæ excludant, cuius Christum consortem negant, certi illam summo præiudicio resurrectionis instructam, si iam in Christo resurrexit caro. 15 Propterea & nos volumen præmisim[9] DE CARNIS CHRISTI, quo eam & solidam probamus aduersum phantasmatis natiuitatem, & humanam vindicamus aduersus qualitatis proprietatem. 16 cuius conditio Christum & hominem & filium hominis inscripserit. Carneum enim atque corporeum probantes eum, proinde 17 & obducimus, præscribendo nullum alium credendum Deum præter

Cap. II. *Matth.* 22.

creato-

creatorem: dum talem ostēdimus Christum in quo dinoscitur Deus, qualis promittitur à creatore. Obducti dehinc de Deo carnis auctore, & de Christo carnis redemptore, iam & de resurrectione carnis reuincentur, congruenter scilicet & de Deo carnis auctore, & de Christo carnis redemptore. [18] Hoc ferme modo dicimus ineundam cum hæreticis disceptationem. Nam & ordo semper à principalibus deduci exposcit, vt de ipso prius constet à quo dicatur, dispositum esse quod quæritur. Atque adeo & hæretici ex conscientia infirmitatis, nunquam ordinarie tractant. Certi enim quam laborent in alterius diuinitatis insinuatione, aduersus Deum mundi omnibus naturaliter notum de testimoniis operum, certe & in sacramentis priorem, & in prædicationib. manifestiorem, sub obtentu quasi vrgentioris causę, id est, ipsius humanę salutis ante omnia requirendæ, à quæstionibus resurrectionis incipiūt: quia durius creditur resurrectio carnis, quam vna diuinitas: atque ita tractatum viribus ordinis sui destitutū, & scrupulis potius oneratum depreciantibus carnem, paulatim ad alterius diuinitatis temperant sensum, ex ipsa spei concussione & dematatione. Deiectus enim vnusquisque motus de gradu eius spei quam susceperat apud creatorem, facile iam declinatur ad alterius spei auctorem, etiam vltra suspicandum. Per diuersitatem enim promissionum, diuersitas insinuatur Deorum. Sic multos inretitos videmus, dum ante de resurrectione carnis eliduntur, quam de vnione diuinitatis elidunt. Igitur quantum ad hæreticos, demonstrauimus quo cuneo occurrendum sit à nobis: & occursum est iam suo quoque titulo [19] de DEO quidem VNICO, ET CHRISTO EIVS ADVERSVS MARCIONEM: [20] de CARNE vero DOMINI, etiam ADVERSVS QVATVOR HAERESES: ad hanc maxime quæstionem præstruendam, vti nunc de sola carnis resurrectione ita digerendum sit, tanquam penes nos quoque incerta, id est, penes creatorem. Nam & multi rudes, & pleriq; sua fide dubii & simplices: plures quos instrui, dirigi, muniri oportebit, [21] quia & hoc latere vnio diuinitatis defendetur: sicuti enim negata carnis resurrectione concutitur, ita vindicata constabilitur: Animæ autem salutem credo retractu carere. Omnes enim fere hæretici eam quoquo modo volunt, tamen non negāt. [22] Viderit vnus aliqui Lucanus, nec huic quidem substantiæ parcens, [23] quam secundum Aristotelem dissoluens, aliud quid pro ea subiicit, tertium quiddam resurrecturus, neque anima, neq; caro, id est, non homo, [24] sed vrsus forsitan, qua Lucanus. [25] Habet & iste à nobis plenissimum DE OMNI STATV ANIMAE stylum, quam in primis immortalem tuentes, solius carnis & defectionem agnoscimus, & refectionem cum maxime adserimus, redactis in ordinarium materiæ corpus, siqua & alibi pro causarum incursione perstricta distulimus. Nam vt quædam prælibari sollenne est, ita & differri necesse est, dummodo & prælibata suppleantur suo corpore, & dilata reddantur suo nomine. [26] Est quidem & de communibus sensibus sapere in Dei rebus, sed in testimonium veri, non in adiutorium falsi: quod sit secundum diuinam, non contra diuinam dispositionem. Quædam enim & natura nota sunt, vt immortalitas animæ penes plureis, vt Dei nostri penes omneis. [27] Vtar ergo & sententia Platonis alicuius pronuntiantis, *Omnis anima immortalis.* [28] Vtar & conscientia populi, contestantis Deum Deorum; vtar & reliquis communibus sensibus, qui Deum iudicem prædicant: *Deus videt.* Et, *Deo commendo.* At cum aiunt, *Mortuum quod mortuum*, &, *Viue dum viuis*: &, *Post mortem omnia finiuntur, etiam ipsa*: tunc meminero [29] & cor vulgi cinerem à Deo deputatum, & ipsam sapientiam seculi, stultitiam pronuntiatam. Tunc si & hæreticus ad vulgi vitia, vel seculi ingenia confugerit, discede (dicam) ab ethnico hæretice, etsi vnum estis omnes. [30] qui Deum fingitis, dum hoc tamen in Christi nomine facis, dum Christianus tibi videris, alius ab ethnico es: redde illi suos sensus, quia nec ille de tuis instruitur. [31] Quid cæco duci inniteris, si vides? Quid vestiris à nudo, si Christum induisti? Quid alieno vteris clypeo, si ab Apostolo armatus es? Ille potius à te discat carnis resurrectionem confiteri, quam tu ab illo diffiteri. Quia si à Christianis negari eam oporteret, sufficeret illis de sua scientia, non de vulgi ignorantia instrui. Adeo non erit Christianus, qui eam negabit, quam confitentur Christiani, & his argumentis negabit, quibus vtitur non Christianus. Auser denique hæreticis, quæ cum ethnicis sapiunt, vt de scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt. Communes enim sensus simplicitas ipsa commendat, & [32] compassio sententiarum, & familiaritas opinionum, eoque fideliores existimantur, quia nuda & aperta & omnibus nota definiunt. Ratio autem diuina in medulla est, non in superficie, & plerunque æmula manifestis. [33] Itaque hæretici inde statim incipiunt, [34] & inde præstruunt, dehinc interstruunt vnde sciunt facile capi mentes, de communione fauorabili sensuum. An aliud prius vel magis audias ab hæretico quam ab ethnico? & non protinus, & non vbique conuicium carnis, in originem, in materiam, in casum, in omnem exitum eius, immundæ à primordio ex fœcibus terræ, immundioris deinceps ex seminis sui limo, friuolæ, infirmæ, criminosæ, onerosæ, molestæ? & [35] post totum ignobilitatis elogium, caducæ in originem terram, & cadaueris nomen, & de isto quoque nomine perituræ in nullum inde iam nomen, in omnis vocabuli mortem? Hanc ne ergo vir sapiens & visui & contactui [36] & recordatui tuo ereptam persuadere? quod se receptura quandoque sit in integrum de corrupto, in solidum de casso, in plenum de inanito, in aliquid omnino de nihilo? [37] Et vtique redhibentibus eam ignibus & vndis, & aluis ferarum, [38] & rursus alitum, [39] & lactibus piscium, [40] & ipsorum temporum propria gula. [41] Adeone autem eadem sperabitur quæ intercidit, vt claudus, & luscus, & cæcus, & leprosus, & paralyticus reuertantur, vt redisse non libeat ad pristinum? an integri, vt iterum talia pati timeant? Quid tum de consequētiis carnis? Rursus ne omnia necessaria illi, & in primis pabula atque potacula, & pulmonibus natandum, & intestinis æstuandum, & pudendis non pudendum, & omnibus mēbris laqorandum? Rursus vlcera, & vulnera, & febris, & podagra, & mors redoptanda? Nimirum hæc erunt vota carnis recuperandæ, iterum cupere de ea euadere. Et nos quidem hæc aliquanto honestius pro styli pudore. [42] Ceterum quantum etiam spurciloquio liceat illorum in congressibus experiri, tam ethnicorum quam hæreticorum, [43] Igitur quoniam & rudes quique de communibus adhuc sensibus sapiunt, & dubii & simplices per eosdem sensus denuo inquietantur, & vbique primus iste in nos aries temperatur, quo carnis cōditio quassatur, necessario & à nobis carnis primum conditio munietur. Vituperationem laudatione depellas. Ita nos rhetorica quoque prouocant hæretici, sicut etiā philosophari. Futile & friuolum illud [44] corpusculum, quod malum deniq; appellare non horrent, [45] etsi angelorum fuisset operatio, vt Menādro & Marcoplacet, [46] etsi ignei alicuius exstructio æque angeli, vt Appelles docet, sufficeret ad auctoritatem carnis, secundæ diuinitatis patrociniū. Angelos post Deum nouimus. Iam nunc quisquis ille summus Deus hæretici cuiusq; est, non immerito ab ipso quoq; deducerē carnis dignitatem, à quo voluntas producendæ ei adfuisset. Vtique enim prohibuisset fieri, quā fieri sciſſet, si fieri noluisset. Ita & secundum illos æque caro, Dei res. Nihil operis, non eius est, qui passus est esse. Bene aūt quod plures [47] & duriores quæq; doctrinæ totam hominis figulationē Deo nostro cedunt. Quantus hic sit, satis nosti, qui vnicum credidisti. Incipiat iam tibi caro placere, cuius artifex tantus est. [48] Sed & mundus, inquis, Dei opus est, & tamen *præterit habitus huius mundi*, Apostolo quoque auctore: nec idcirco restitutio mundi præiudicabitur, quia Dei opus est, & vtique si vniuersitas irreformabilis post decessū, quid portio? Plane, si portio vniuersitati

adequa-

A — B — C — D — E — F — G — H

Cap. III. — 1. Cor. 1. — Matth. 15. — Cap. IV. — Cap. V. — 1. Cor. 7. — Ioan. 1.

adequatur. 49 Ad distantiam enim prouocamus: primo quidem, quod *omnia sermone Dei facta sunt*, 50 *& sine illo nihil*. Caro autem & sermone Dei constitit propter formam, ne quid sine sermone. *Faciamus* enim *hominem*, ante præmisit: Et amplius, manu propter prælationem, ne vniuersitati compararetur. *Et finxit*, inquit, *Deus hominem*. Magnæ sine dubio differentiæ ratio, pro conditione scilicet rerum. Minora enim quæ fiebant, eo cui fiebant. Siquidem homini fiebant, cui mox à Deo addicta sunt. Merito igitur vt famula, iussu & imperio, & sola vocali potestate vniuersa processerant. Contra, homo vt dominus eorum, in hoc ab ipso Deo exstructus est, vt dominus esse posset, dum fit à Domino. Hominem autem memento carnem proprie dici, quæ prior vocabulum hominis occupauit: 51 *Et finxit Deus hominem, limum de terra*. Iam homo, qui adhuc limus. 52 *Et insufflauit in faciē eius, flatum vitæ, & factus est homo*, id est, limus, *in animam viuam*, 53 *Et posuit Deus hominem quem finxit, in paradiso*. Adeo homo figmentum primo, dehinc totus. Hoc eo commendarim, vti quicquid omnino homini à Deo prospectum atque promissum est, non soli animæ, verum & carni scias debitum: vt si non ex consortio generis, certe vel ex priuilegio nominis. [54 Persequar itaq; propositum, si tamen tantum possim carni vindicare, quantum contulit ille qui eam fecit, iam tunc gloriantem quod illa pusillitas, limus, in manus Dei, quæcunque sunt, peruenit, satis beatus etsi solummodo contactus. Quid enim si nullo amplius opere, statim figmentum de contactu Dei constitisset? Adeo magna res agebatur, qua ista materia exstruebatur. Itaque totiens honoratur, quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. 55 Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis adfectione, quæ lineamēta ductabat. Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod & limus, & Sermo caro, quod & terra tunc. Sic enim præfatio Patris ad Filium: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et fecit hominem Deus*, id vtique quod finxit, *ad imaginem Dei fecit illum*, scilicet Christi. Et sermo enim Deus, 56 *qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimauit pariari Deo*. Ita limus ille iam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed & pignus. Quo nunc facit, ad infuscandam originem carnis, nomen terræ ventilare, vt sordentis, vt iacentis elemēti? cum etsi alia materia excudendo homini competisset, 57 artificis fastigium recogitari oporteret, qui illam & elegendo dignam iudicasset, & tractando fecisset, 58 Phidiæ manus Iouem Olympium ex ebore molitur, & adoratur: nec iam 59 bestiæ & quidem insulsissimæ dens est, sed summum seculi numen, non quia elephantus, sed quæ Phidias tantus: Deus viuus & Deus verus, quamcunque materiæ vilitatem non de sua operatione purgasset, & ab omni infirmitate sanasset? An hoc supererit, vt honestius homo Deum, quam hominem Deus finxerit? Nunc etsi scandalum limus, alia iam res est. Carnem iam teneo, non terram licet & caro audiat, *Terra es, & in terram ibis*: origo recensetur, non substantia reuocatur. Datum est esse aliquid origine generosius, & demutatione fœlicius. Nam & aurum terra, quia de terra: hactenus tamen terra: ex quo aurum, longe alia materia splendidior atque nobilior 60 de obsoletiore matrice. Ita & Deo licuit carnis aurum, de limi, quibus putas, sordibus excusato censu eliquasse. [61 Sed dilutior videatur auctoritas carnis, quia non & ipsam proprie manus diuina tractauit, sicuti limum. Quando in hoc tractauit limum, vt postmodum caro fieret ex limo, carnis vtique negotium gessit. Sed adhuc velim discas, quando & quomodo caro floruerit ex limo. 62 Neque enim, vt quidam volunt, illæ pelliceæ tunicæ, quas Adam & Eua paradisum exuti induerunt, ipsæ erunt carnis ex limo reformatio: 63 quum aliquanto prius & Adam, substantiæ suæ traducem, in fœmina iam carnem recognouerit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea*; & ipsa delibatio masculi in fœminam carne suppleta sit: limo opinor supplenda, si Adam adhuc limus. Oblitteratus igitur & deuoratus est limus in carnem. Quando? quum factus est homo in animam viuam, de Dei flatu, vapore scilicet, idoneo torrere quodammodo limum in aliam qualitatem, quasi in testam, ita in carnem. Sic & figulo licet argillam temperato ignis adflatu in materiam robustiorem recorporare, & aliam ex alia fingere speciem, aptiorem pristina, & sui iam generis ac nominis. Nam etsi scriptum est, 64 *Nunquid argilla dicet figulo*, id est, homo Deo? etsi Apostolus in testaceis ait vasculis, tamen & argilla homo, quia limus ante, & testa caro, quia ex limo per adflatus diuini vaporem, quam postea pelliceæ tunicæ, id est, cutes superductæ vestierunt. Vsque adeo, si detraxeris cutem, nudaueris carnem: Ita quod hodie spolium efficitur, si detrahatur, hoc fuit indumentum cum superstruebatur. 65 Hinc & Apostolus circumcisionem, despoliationem carnis appellans, tunicam cutem confirmauit. Hæc cum ita sint, habes & limum de manu Dei gloriosum, & carnem de afflatu Dei glorioſiorem, quo pariter caro & limi rudimenta deposuit, & animæ ornamenta suscepit. Non es diligentior Deo, vti tu quidem Scythicas & Indicas gemmas, & rubentis maris grana candentia, non plumbo, non ære, non ferro, 66 ne argento quoque oblaquees, sed electissimo & insuper operosissimo describes auro: vinis item, & vnguentis preciosissimis quibusque vasculorum prius congruentiam cures: proinde perspectæ ferruginis gladiis vaginarum adæques dignitatem: Deus vero animæ suæ vmbram, spiritus sui auram, oris sui operam vilissimo 67 alicui commiserit capulo, & indigne collocando vtique damnauerit. Collocauit autem an potius inseruit & immiscuit carni, tanta quidem concretione, vt incertum haberi possit, vtrumne caro animam, an carnem anima circumferat: vtrumne animæ caro, 68 an anima appareat carni: sed etsi magis animam inuehi atque dominari credendum est, vt magis Deo proximam, hoc quoque ad gloriam carnis exuberat, quod proximam Deo & continet, & ipsius dominationis compotem præstat. Quem enim naturæ vsum, quem mundi fructum, quem elementorum saporem, non per carnem anima depascitur? quidni? per quam omni instrumento sensuum fulta est, visu, auditu, gustu, odoratu, contactu: per quam diuina potestate respersa est, nihil non sermone perficiens, vel tacite præmisso. Et sermo enim de organo carnis est, Artes per carnem: studia, ingenia, per carnem: opera, negotia, officia, per carnem: atque adeo totum viuere animæ carnis est, vt non viuere animæ nil aliud sit, 69 quā à carne deuertere. Sic etiam ipsum mori carnis est, cuius & viuere. Porro si vniuersa per carnem subiacent animæ, carni quoq; subiacent. per quod vtaris, cum eo vtaris necesse est: ita caro dum ministra & famula animæ deputatur, consors & cohæres inuenitur: si temporalium, cur non & æternorum?

[70 Et hæc quidem velut de publica forma humanæ condtionis in suffragium carni procurauerim: videamus nunc de propria etiam Christiani nominis forma, quanta huic substantiæ friuolæ ac sordidæ, apud Deum prærogatiua sit: & si sufficeret illi quod nulla omnino anima salutem possit, adipisci, nisi, dum est in carne, crediderit: adeo caro salutis est cardo, de qua 71 quum anima Deo allegitur, ipsa est quæ efficit, vt anima allegi possit. 72 Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur: 73 Caro vnguitur, vt anima consecretur. 74 Caro signatur, vt & anima muniatur. 75 Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur. 76 Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur. 77 Non possunt ergo separari in mercede, quas opera coniungit. Nam & sacrificia Deo grata, conflictationas dico animæ, 78 ieiunia, & feras, & aridas escas, 79 & adpendices huius officii sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat. 80 Virginitas quoque & viduitas, 81 & modesta in occulto matrimonii dissimulatio, 82 & vna notitia eius de bonis

carnis

carnis Deo adolentur. Age iam, quid de ea sentis quum 83 pro nominis fide in medium extracta, & odio publico exposita decertat, quum in carceribus maceratur, terterrimo lucis exilio, penuria mundi, squalore, pædore, contumelia victus, ne somno quidem libera, quippe ipsis etiam cubilibus vincta, ipsisque stramentis lancinata, quum iam & in luce omni tormentorum machinatione laniatur, quum denique suppliciis erogatur enisa reddere Christo vicem, moriendo pro ipso, & quidem per eandem crucem sæpe, nedum per atrociora quoque ingenia pœnarum. Næ illa beatissima & gloriosissima, quæ potest apud Christum Dominum parere debito tanto, vt hoc solum debeat ei, quod ei debere desierit? hoc magis vincta, quo absoluta.

[84 Igitur, vt retexam, quam Deus manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo adflatu ad similitudinem suæ viuacitatis animauit: quam incolatui, fructui, dominatui, totius suæ operationis præposuit: quam de Sacramentis suis disciplinisque vestiuit, cuius mundicias amat, cuius castigationes probat, cuius passiones sibi adpreciat, hæccine non resurget totiens Dei? Absit, absit vt Deus manuum suarum operam, ingenii sui curam adflatus sui vaginam, molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, religionis suæ sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem, in æternum destituat interitum. Bonum Deum nouimus: 85 solum optimum à Christo eius addiscimus, qui dilectionem mandans post suam in proximum, faciet & ipse quod præcepit: diliget carnem tot modis sibi proximam: & si infirmam, sed *virtus in infirmitate perficitur*: & si imbecillam, sed 86 *medicum non desiderant, nisi male habentes*: & si inhonestam, sed 87 inhonestoribus maiorem circundamus honorem: & si perditam, sed, 88 *ego*, inquit, *veni, vt quod periit, saluum faciam*: & si peccatricem, sed, 89 *malo mihi*, inquit, *salutem peccatoris, quam mortem*: & si damnatam, sed, *ego*, inquit, *percutiam, & sanabo*. Quid ea exprobras carni, quæ Deum expectant, quæ in Deum sperant, quæ honorantur ab illo, quibus subuenit? Ausim dicere, si hæc carni non accidissent, benignitas, gratia, misericordia, 90 omnis vis Dei benefica vacuisset. [91 Tenes scripturas, quibus caro infuscatur? tene etiam quibus inlustratur: Legis tum quando deprimitur? adige oculos, & tum quando releuatur. *Omnis caro fœnum*, non solum pronuntiauit Esaias, sed &: 92 *Omnis caro videbit salutare Dei*. 93 Notatur in Genesi, dicens Deus: *Non manebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt*. Sed & auditur per Iohelem: *Effundam de spiritu meo in omnem carnem*. Apostolum quoque ne de vno stylo noris, quo carnem plerumque compungit. Nam etsi negat habitare boni quicquam in carne sua: etsi adfirmat eos qui in carne sint, Deo placere non posse, quia concupiscat aduersus spiritum: etsi qua alia ita ponit, vt carnis non tamen substantia, sed actus inhonoretur: dicemus quidem alibi nihil proprie carni exprobrari oportere, nisi in animæ suggillationem, quæ carnem ministerio sibi subigit. Verum interim & in illis litteris Paulus est; 94 quum stigmata Christi in corpore suo portat: 95 quum nostrum vt Dei templum vitiari verat: quum corpora nostra, membra Christi facit: 96 quum monet: tollere & magnificare Deum in corpore nostro. Itaque si ignominiæ carnis resurrectionem eius expellunt, cur non dignitates potius inducent? Quoniam Deo magis congruit in salutem redigere, quod reprobarit interdum, quam in perditionem dedere, quod etiam aliquando probauit. [97 Hucusque de præconio carnis aduersus inimicos, & nihilominus amicissimos eius. Nemo enim tam carnaliter viuit, quam qui negant carnis resurrectionem. Negantes enim eius pœnam, despiciunt, & disciplinam. 98 De quibus luculenter & Paracletus per prophetidem Priscam, *Carnes sunt, & carnem oderunt*. Quam si tanta auctoritas munit, quanta illi ad meritum salutis patrocinari possit, numquid etiam Dei ipsius potentiam, & potestatem, & licentiam recensere debemus, an tantus sit qui valeat dilapsum & deuoratum, & quibuscunque modis ereptum tabernaculum carnis reædificare, atque restituere? an & aliqua nobis exempla huius sui iuris in publico naturæ promulgarit, ne qui forte adhuc sciant Deum posse, qui non alia lege credendus est, quam vt omnia posse credatur? Plane apud Philosophos habes, qui mundum hunc innatum infectumque defendant: sed multo melius quod omnes fere hæreses natum & factum mundum annuentes, conditionem Deo nostro adscribunt. Igitur confide illum totum hoc ex nihilo protulisse, & Deum nosti fidendo quod tantum Deus valeat. Nam & quidam infirmiores, hoc prius credere de materia potius subiacenti volunt ab illo vniuersitatem dedicatam secundū Philosophos. Porro etsi ita in vero haberetur, quum tamen longe alias substantias, longeque alias species ex reformatione materiæ diceretur protulisse, quam fuisset ipsa materia, non minus defenderem ex nihilo eum protulisse, si ea protulerat, quæ omnino non fuerant. Quo enim interest ex nihilo proferri, an ex aliquo, dum quod non fuit, fiat? quando etiam non fuisse, nihil sit fuisse. Sic & fuisse econtrario, nonnihil est fuisse. Nunc etsi interest, tamen 99 vtrumque mihi adplaudit. Siue enim ex nihilo Deus molitus est cuncta, poterit & carnem in nihilum productam exprimere de nihilo: Siue de materia modulatus est alia, poterit & carnem quocunque dehaustam euocare de alio. Et vtique idoneus est reficere, qui fecit: quanto plus est fecisse, quam refecisse: initium dedisse, quam reddidisse. Ita restitutionem carnis faciliorem credas ínstitutione. [100 Aspice nunc ad ipsa quoque exempla diuinæ potestatis. Dies moritur in noctem, & tenebris vsquequaque sepelitur. Funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta: 101 vbique iustitium est, quies rerum. Ita lux amissa lugetur. Et tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem & integra & tota vniuerso orbi reuiuiscit, interficiens mortem suam noctem, rescindens sepulturam suam tenebras, hæres sibimet existens, donec & nox reuluiscat cum suo & illa suggestu. Redaccenduntur enim & stellarum radii, quos matutina succesio extinxerat. Reducuntur & siderum absentiæ, quas temporalis distinctio exemerat. Redornantur & specula lunæ, quæ menstruus numerus adtriuerat. Reuoluuntur hyemes & æstates, & 102 verna, & autumna, cum suis viribus, moribus, fructibus. Quippe etiam terræ de cœlo disciplina est, arbores vestire post spolia, flores denuo colorare herbas rursus imponere, exhibere eadem quę absumpta sint semina: nec prius exhibere, quam absumpta. Mira ratio: defraudatrice seruatrix: vt reddat, intercipit: vt custodiat, perdit: vt integret, vitiat: vt etiam ampliet, prius decoquit. Siquidem vberiora & cultiora restituit quam exterminauit. Re vera fœnere interitu, & iniuria vsura, & lucro damno semel dixerim vniuersa conditio recidiua est. Quodcunque conueneris, fuit: quodcunque amiseris, nihil non iterum est. Omnia in statum redeunt, quum abscesserint: omnia incipiunt, quum desierint. Ideo finiuntur: vt fiant. Nihil deperit, nisi in salutem. Totus igitur hic ordo reuolubilis rerū testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus eam præscripsit Deus ante, quam litteris: viribus prædicauit ante, quam vocibus. Præmisit tibi naturam magistram, submissurus & Prophetiam, quo facilius crepas Prophetiæ, discipulus naturæ: quo statim admittas, quum audieris, quod vbique iam videris: nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium noris restitutorem. Et vtique si omnia homini resurgunt, cui procurata sunt, porro non homini, nisi & carni, quale est vt ipsa depereat in totum, propter quam & cui nihil deperit?] 103 Si parum vniuersitas resurrectionem figurat: si nihil tale conditio signat, quia singula eius nō tam mori quā desinere dicantur, nec redanimari, sed reformari existimentur, accipe plenissimū atq; firmissimū huius spei specimen. Siquidem animalis est res & vitæ obnoxia &

A morti, [104] illum dico alitem Orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate mõstruosum: qui semetipsum lubenter funerans renouat, natali fine decedens atque succedens iterum Phœnix. [105] Vbi iã nemo, iterum ipse: quia nõ iã, alius idem. Quid expressius atque signatius in hãc causam, aut cui alii rei tale documentum? Deus etiam scripturis suis: [106] *Et florebit enim*, inquit, *velut phœnix*, id est, de morte, de funere: vti credas, de ignibus quoq; substantiam corporis exigi posse. [107] Multis passeribus antistare Dominus pronuntiauit: si non & phœnicibus, nihil magnum: sed homines semel interibũt, auibus Arabiæ de resurrectione securis. [108] Talia interim diuinarum virium liniamenta, non minus parabolis operato Deo, quam locuto, veniamus & ad ipsa edicta atque decreta eius, quo quum maxime diuisionem istam materiæ ordinamus. Exorsi enim sumus ab auctoritate carnis, an ea sit cui dilapsæ salus cõpetat: dehinc prosecuti de potentia Dei, an tanta sit quę salutem conferre dilapsæ rei soleat: nunc si probauimus vtrunque, velim etiam de causa requiras: an sit aliqua tam digna quæ resurrectionem carnis necessariã, & rationi certe omni modo debitã vindicet: quia subest dicere, etsi caro capax restitui, etsi diuinitas idonea restituendi, sed causa restitutionis præesse debebit. Accipe igitur & causam, qui apud Deum meum discis tam optimum, quam & iustum: de suo optimum, de nostro iustum. Nisi enim homo deliquisset, optimum solummodo Deum nosset, ex naturæ proprietate, at nunc etiam iustum eum patitur, ex causæ suæ necessitate: tamen & hoc ipso optimum, dum & iustum. Et bono enim iuuando, & malo puniendo iustitiam exhibens, vtranque sententiã bono præstat: hinc vindicans istud, inde remunerans illud. [109] Sed CVM MARCIONE PLENIVS DISCES, an hoc sit Dei totum. Interim talis est noster, merito iudex, quia Dominus: merito Dominus, quia auctor: merito auctor, quia Deus. Hinc & ille, nescio quis, hæreticorum: Merito non iudex, non enim Deus. Merito nõ Dominus, nõ enim auctor. [110] nescio iam si Deus, qui nec auctor ꝙ Deus, nec Dominus ꝙ auctor Igitur si Deo & Domino & auctori congruentissimum est, iudicium in hominem destinare, de hoc ipso an Dominum & auctorem suum agnoscere & obseruare curarit: an non id quoque iudicium resurrectio expunget? Hæc erit tota causa, immo necessitas resurrectionis, [111] congruentissima scilicet Deo destinatio iudicii: de cuius dispositione dispicias, an vtrique substãtię humanæ diiudicandæ censura diuina præsideat, tam animæ quam & carni. Quod enim congruet iudicari, hoc competet etiam resuscitari. Dicimus plenum primo perfectumque credendum iudicium Dei: vt vltimũ iam atque exinde perpetuum: vt sic quoq; iustum, dum non in aliquo minus: vt sic quoque Deo dignum, dum pro tanta eius patientia, plenum atque perfectum: itaque perfectam plenitudinem perfectionemque iudicii, nõ nisi [112] de totius hominis repręsentatione constare: Totum porro hominem ex vtriusq; substantię concretione patere: idcircoque in vtraque exhibendum, quem totũ oporteat iudicari: qui nisi totus, vtrique nõ vixerit: Qualis ergo vixerit, talem iudicari: quia de eo quod vixerit, habeat iudicari. Vita est enim causa iudicii: per tot substantias dispungenda, per quot & functa est. [113] Age iam, scindant aduersarii nostri carnis animæque cõtextum, prius in vitæ administratione, vt ita audeant scindere illud etiam [114] in vitæ remuneratione. [115] Negent operarum societatem, vt merito possint etiam mercedẽ negare. Non sit particeps in sententia caro, si non fuerit & in causa. Sola anima reuocetur, si sola decedit. At enim non magis sola decedit, [116] quam sola decucurrit illud vnde decedit: vitam hanc dico. Adeo autem non sola anima transigit vitam, vt nec cogitatus, licet solos, licet non ad effectum per carnem deductos, auferamus a collegio carnis. Siquidem in carne, & cum carne, & per carnem agitur ab anima, quod agitur in corde. Hãc denique carnis speciem, [117] arcem animæ etiam Dominus in sugillatione cogitatũ taxat. *Quid cogitatis in cordibus vestris nequam?* Et, [118] *Qui conspexerit mulierem ad concupiscendum, iam adulterauit in corde.* Adeo & sine opere & sine effectu, cogitatus, carnis est actus. Sed etsi in cerebro, vel in medio superciliorum discrimine, vel vbi vbi Philosophis placet, principalitas sensuum consecrata est, quod Hegemonicon appellatur, caro erit omne animæ cogitatorium. Nunquam anima sine carne est, quandiu in carne est. Nihil non cũ illa agit, sine qua non est. Quæ adhuc an cogitatus quoque per carnẽ administrentur, qui per carnem dinoscuntur extrinsecus. Voluret aliquid anima, vultus operatur indiciũ: facies intentionum omnium speculum est. Negent factorum societatem, cui negare non possunt cogitatorum. Et illi quidem delinquentias carnis enumerant: ergo peccatrix tenebitur supplicio. Nos vero etiam virtutes carnis opponimus: ergo & bene operata tenebitur præmio. Et si anima est, quę agit & impellit in omnia, carnis obsequium est Deum non licet aut iniustum iudicem credi aut inertem: iniustum, si sociam bonorum operum à præmiis arceat; inertem, si sociã malorũ à suppliciis secernat: quum humana censura eo perfectior habeatur, quo etiam ministros facti cuiusq; deposcit nec pareens, nec inuidens illis, quo minus cũ auctoribus, aut pœnæ, aut gratiæ communicent fructum. [119] Sed quũ imperium animę, obsequiũ carni distribuimus, prospiciendũ est, ne & hoc alia argumẽtatione subuertãt; vt velint carnem sic in officio animæ collocare, non quasi ministrã; ne ex hoc sociam cogantur agnoscere. Dicent enim ministros & socios habere arbitrium ministrandi atque sociandi, & potestatem suę voluntatis in vtrunque, homines scilicet & ipsos: [120] idcirco cum auctoribus merita communicare, quibus operam spõte accõmodant. Carnem autem nihil sapientem, nihil sentientem per semetipsam, non velle, non nolle de suo habentem, vice potius vasculi apparere animæ, vt instrumentum, nõ vt ministerium. Itaque animæ solius iudiciũ præsidere, qualiter vsa sit vasculo carnis: vasculum vero ipsum nõ esse sententiæ obnoxiũ: quia nec calicẽ damnari, si quis eum veneno temperarit: nec gladiũ ad bestias pronuntiari, siquis eo latrocinium fuerit operatus. Iã ergo innocens caro, ex parte qua non reputabuntur illi operæ malæ: & nihil prohibet innocentiæ nomine saluam cã fieri. Licet enim nec bonæ operæ reputentur illi, sicut nec malæ, diuinæ tamẽ benignitati magis competit innocentes liberare: beneficis enim debet. Optimi est autem etiam quod non debetur offerre. Et tamen calicẽ, [121] non dico venenarium, in quem mors aliqua ructarit, sed frictricis, [122] vel archigalli, [123] vel gladiatoris, aut carnificis spiritu infectum, quæro an minus dãnes, quã oscula ipsorum? nostris quoque sordibus nubilũ, vel nõ pro animo temperatũ elidere solemus, quo magis puero irascamur, gladium vero latrociniis ebriũ quis non à domo tota, nedum à cubiculo, nedum à capitis, sui officio relegarit: præsumens scilicet, nihil aliud se quam [124] inludia animarum somniaturum, vrguentiũ & inquietantium sanguinis sui concubinum? At enim & calix bene sibi conscius, & de diligentia ministerii commendatus, [125] de coronis quoq; potatoris sui inorabitur, aut aspergine florum honorabitur: & gladius bene de bello cruentus, & melior homicida, [126] laudem suam consecratione pensabit. Est ergo & in vasculo & in instrumenta sententiam figere, vt dominorum & auctorum meritis & ipsa cõmunicent? vt huic quoque argumentationi satisfecerim, licet ab exemplo vacet diuersitas rerum. Omne enim vas vel instrumentũ aliunde in vsus venit, extranea omnino materia à substantia hominis. Caro autem ab exordio vteri consata, conformata, congenita animæ etiam in omni operatione miscetur illi. [127] Nam etsi vas vocatur apud Apostolum, quam iubet in honore tractari, eadem tamen ab eodem homo exterior appellatur: ille scilicet limus, qui prior titulo hominis inciſus est, non calicis, aut gladii, aut vasculi vllius. [128] Vas enim capacitatis nomine dicta est, qua animã capit & continet: homo vero de cõmunione naturæ, quæ eam non instrumentum in operationibus

Psal. 91. Matth. 10

Ca. XIV.

Ca. XVI.

Matth. 9. Matth. 5.

Cap. XV.

1. Thess. 4.

præstat, sed ministerium. Ita & ministerium tenebitur iudicio, etsi de suo nihil sapiat: quia portio est eius, quæ sapit, nō suppellex. Hoc & apostolus sciens, nihil carnē agere per semetipsam, & non animæ deputetur, nihilominus peccatricem iudicat carnē: ne eo quod ab anima videtur impelli, iudicio liberata credatur. Sic & cum aliquas laudis operas carni indicit, *Glorificate*, inquit, *& tollite Deum in corpore vestro*, certus & hos conatus ab anima agi, idcirco tamen & carni eos mandat, quia & illi fructum repromittit. Alioquin nec exprobatio cōperisset [129] in alienam culpæ, nec adhortatio in extraneam gloriæ: & exprobratio enim, & exhortatio vacarent erga carnem, si vacaret & merces, quæ in resurrectione captatur. [130] Simplicior quisque fautor sententiæ nostræ putabit, carnem etiam idcirco repræsentandā esse iudicio: quia aliter anima nō capiat passionē tormenti seu refrigerii: vtpote incorporalis; hoc enim vulgus existimat. Nos autem ANIMAM corporalem, & hic profitemur, & IN SVO VOLVMINE PROBAMVS, habentem proprium genus [132] substantiæ, soliditatis, per quam quid & sentire & pati possit. Nam & nunc animas torqueri, fouerique penes inferos, licet nudas, licet adhuc exules carnis, probauit Lazari exēplū. [133] Dedim igitur aduersario dicere: Ergo quæ habet corpulentiam propriam, de suo sufficiet ad facultem passionis & sensus, vt non egeat repræsentatione carnis: Immo eatenus egebit, non qua sentire quid sine carne non possit, sed qua necesse est illam etiam cū carne sentire. Quantum enim ad agendnm de suo sufficit, tantum & ad patiendum. Ad agendum autē minus de suo sufficit. Habet enim de suo solummodo cogitare, velle, cupere, disponere: ad perficiendum autem operā carnis expectat. Sic itaque & ad patiendum societatem carnis expostulat, vt tam plene per eam pati possit, quā sine ea plene agere nō potuit. Et ideo in quæ de suo sufficit, [134] eorum interim sententiā pendit, concupiscentiæ, & cogitatus, & voluntatis. Porro si hæc satis essent ad plenitudinem meritorum, vt non requirerentur & facta, sufficeret in totum anima ad perfectionem iudicii, de his iudicanda, in quæ agenda sola sufficerat. Quū vero etiam facta deuincta sint meritis, facta autem per carnem administrentur, iam non sufficit animā sine carne foueri, siue cruciari, pro operibus etiā carnis, etsi habet corpus, etsi habet membra, quæ proinde illi nō sufficiunt ad sentiendum plene, quemadmodum nec ad agendum perfecte. Idcirco pro quoquo modo egit, pro eo & patitur apud inferos, prior degustans iudiciū, sicut prior induxit admissum: expectans tamen & carnē, vt per illam etiā facta compensēt, cui cogitata mādauit. Deniq; hæc erit ratio in vltimum finem destinati iudicii, vt exhibitione carnis omnis diuina censura perfici possit. Alioquin non sustineretur in finē, quod & nunc animæ decerpunt apud inferos, si solis animabus destinaretur. [135] Hucusque præstructionibus egerim ad muniendos sensus omnium scripturarum, quæ carnis recidiuatū pollicentur. [136] Cui quū tot auctoritates iustorum patrociniorū procurent, honores dico substantiæ ipsius, tum vires Dei, tum exempla earum, tum rationes iudicii & necessitates ipsius vtique secundū præiudicia tot auctoritatum, scripturas intelligi oportebit, nō secundū ingenia hæreticorum, de sola incredulitate venientia: quia incredibile habeatur restitui substantiā interitu subductā, non quia aut substantiæ ipsi inemeribile sit, aut Deo impossibile, aut iudicio inhabile: plane incredibile, si nec prædicatum diuinitus fuerit: nisi quod etsi prædicatū id à Deo nō fuisset, vltro præsumi debuisset, vt propterea nō prædicatum, quia tot auctoritatibus præiudicatum. At cum diuinis quoq; vocibus personat, tāto abest vt aliter intelligatur quā desiderāt illa à quibus etiam sine diuinis vocibus persuadetur. Videamus igitur hoc primum, [137] quonam titulo spes ista perscripta sit. Vnum (opinor) apud omnes edictū Dei pendet, resurrectio mortuorum. Duo verba expedita decisa, detersa: ipsa conueniam, ipsa discutiam, cui se substantiæ addicant. Quum audio resurrectionem homini imminere, quætam necesse est quid eius cadere sortitū sit. Siquidē nihil resurgere expectabit, nisi quod ante succiderit. Qui ignorat carnē cadere per mortem, potest eam nec stantem nosse per vitā. Sententiam Dei, natura pronunciat: *Terra es, & in terram ibis.* Et qui non audiuit, videt. Nulla mors non ruina membrorum est. Hanc corporis sortem Dominus quoque expressit, quū ipsa substantia indutus: [138] *Diruite*, inquit, *templum istud, & ego illud triduo resuscitabo.* Ostēdit enim cuius sit dirui, cuius elidi, cuius iacere, eius & releuari, & resuscitari: quanquam & animam circumferret, trepidantem vsque ad mortem, sed non cadentem per mortem. Quia & scriptura, *de corpore*, inquit, *suo dixerat.* Atque adeo caro est, quæ morte subruitur, vt exinde à cadēdo cadauer renūtietur. Anima porro nec vocabulo cadit, quia nec habitu ruit. Atquin ipsa est quæ ruinam corpori infert, quum efflata est: sicut ipsa est, quæ illud de terra suscitabit ingressa. Non potest cadere, quæ suscitabit ingressa. Non potest ruere, quæ elidit egressa. Artius dicam, ne in somnum quidem cadit anima cum corpore, nē tum quidē sternitur cum carne; etenim agitatur in somnis & iactitatur; quiesceret autē si iaceret, & iaceret si caderet. Ita nec in veritatem mortis cadit, quæ nec in imaginem eius ruit. Sequens nunc vocabulum mortuorum æque dispice cui substantiæ insidat: quanquam in hac materia admittamus, interdum mortalitatem animæ assignari ab hæreticis: vt si anima mortalis resurrectionem consecutura est, præiudiciū sit & carni non minus mortali resurrectionē communicaturæ. Sed nūc proprietas vocabuli vindicanda est suæ sorti. Iam quidem eo ipso quod resurrectio caducæ rei est, id est, carnis, eadem erit & in nomine mortui: quia caducæ rei est resurrectio, quæ dicitur mortuorū. Sic & per Abraham patrē fidei diuinæ familiaritatis virū discimus. [139] Postulans enim Saræ humandæ locum de filiis Chet: *Date ergo*, inquit, *mihi possessionem sepulcri vobiscum, & humabo mortuam meā*, carnem scilicet, Neq; enim animæ humandæ spatium desideraſſet, etsi anima mortalis crederetur, etsi mortuus dici mereretur. Quod si mortuus corpus est, corporum erit resurrectio, quum dicitur mortuorum. [140] Et hęc itaq; dispectio tituli, & præconiis ipsius, fidem vtique defendens vocabulorum, illuc proficere debebit, vt si quid pars diuersa turbat obtentu figurarum & ænigmatū manifestiora quæque præualeant, & de incertis certiora præscribant. Nacti enim quidam solennissimā eloquii prophetici formam, allegorici & figurati plerūque, non tamen semper, resurrectionem quoque mortuorum manifeste annuntiatam, in imaginariam significationem distorquens, asseuerantes ipsam etiam mortem spiritaliter intelligendam. Non enim hanc esse in vero, quæ sit in medio, [141] discidium carnis atque animæ, sed ignorantiam Dei, per quā homo mortuus Deo non minus in errore iacuerit quam in sepulcro. [142] Itaque & resurrectionem eam vindicandam, qua quis à dita veritate redanimatus & reuiuificatus Deo, ignorantiæ morte discussa, velut de sepulcro veteris hominis eruperit: quia & [143] Dominus Scribas & Pharisæos sepulcris delabatis adæquauerit. Exinde ergo resurrectionē fide consecutos cum Domino esse, quū eum in baptismate induerint. Hoc deniq; ingenio etiam in colloquiis sæpe nostros decipere consueuerunt: quasi & ipsi resurrectionem carnis admittant, Væ, inquiunt, qui non in hac carne resurrexerit: ne statim illos percutiāt, si resurrectionē statim abnuerint. Tacite autem secundū conscientiā suā hoc sentiunt: Væ qui nondū in hac carne est, cognouerit [144] arcana hęretica: hoc est enim apud illos resurrectio. Sed & plerique ab excessu animę resurrectionē vindicantes, de sepulcro exire, de seculo euadere interpretantur, quia & seculum mortuorū sit habitaculū, id est, ignorantiū Deum: Vel etiam de ipso corpore, quia & corpus vice sepulcri cōclusam animā, in secularis vitæ morte detineat. [145] Ob huiusmodi igitur cōiecturas primā præstructionē eorū depellam, qua volūt omnia prophetas per imagines cōcionatos: quādo si ita esset, ne ipsæ quidē imagines distingui potuis-

A

sent, si non & veritates prædicatæ fuissent, ex quibus imagines deliniarentur.146 Atque adeo si omnia figurę, quid erit illud cuius figuræ? quomodo speculum obtendes. si nusquam est facies? Adeo autem non omnia imagines, sed & veritates: nec omnia vmbræ, sed & corpora: vt in ipsum quoque Dominum insigniora quæque luce clarius prædicarentur. Nam & virgo concepit in vtero, non figurate, & peperit Emmanuelem, 147 nobiscum Deum Iesum, non oblique: 148 Et si oblique, Accepturum virtutem Damasci & spolia Samariæ, 149 sed manifeste: Venturum in iudicium cum Presbyteris & Archontibus populi. Nam & *tumultuatæ sunt gentes* in persona Pilati, *& populi meditati sunt inania*, in persona Israelis. *Astiterunt reges terræ.* Herodes: *& Archontes congregati sunt in vnum*, Annas & Caiphas, *aduersus Dominum & aduersus Christum eius.* 15 *Qui, & tanquam ouis ad victimam adductus est: & tanquam agnus ante tondentem*, scilicet Herodem, *sine voce, sic non aperuit os suum:* 151 *dorsum suum ponens ad flagella, & maxillas ad palmas, & faciem non auertens à fœditate sputaminum: deputatus etiam inter iniquos*, 152 *perfossus manus & pedes: sortem passus in vestimento*, 153 *& potus amaros*, 154 *& capitum irridentium nutus*, 155 *triginta argenteis appreciatus à proditore.* Quæ hic figuræ apud Esaiam? quæ imagines apud Dauid? quę ænigmata apud Hieremiam? ne virtutes quidem eius per parabolas profatos. Aut nunquid nec oculi patefacti sunt cæcorum, 156 nec inclaruit lingua mutorum, 157 nec manus aridæ & genua dissoluta reualuerunt, nec claudi salierunt vt ceruus: quæ etsi ipsi spiritaliter quoque interpretari solemus secundum comparationem animalium vitiorum à Domino remediatorum, quum tamen & carnaliter adimpleta sunt, ostendunt Prophetas in vtramque speciem prædicasse, saluo eo quo plures voces eorũ nudæ & simplices, & ab omni allegoriæ nubilo putæ defendi possint; 158 vt quum exitus gentium & vrbiũ resonant, Tyri & Ægypti, & Babylonis, & Idumææ, & Carthaginiensium nauium: 159 vt quum ipsius Israelis plagas, aut venias, captiuitates, restitutiones, vltimæque dispersionis exitum perorant. Quis hæc interpretabitur magis quã recognoscet? res in litteris tenentur, vt litteræ in rebus legantur. Ita nõ semper, nec in omnibus allegorica forma est Prophetici eloquii, sed interdum & in quibusdã.

Ca. XXI.

C

[160 Si ergo interdum & in quibusdã, inquis, cur non & in edicto resurrectionis spiritaliter intelligendæ? quoniam quidẽ plurima ratio intercedit. Primo enim quid facient tot ac talia instrumenta diuina, ita aperte corporalem contestantia resurrectionem, vt nullã admittant figuratæ significantiæ suspicionem? Et vtiq; æquũ sit, quod & supra demandauimus, incerta de certis, & obscura de manifestis præiudicari: vel ne inter discordiã certorum & incertorum, manifestorum & obscurorũ, fides dissipetur, veritas periclitetur, ipsa diuinitas vt inconstans denotetur: 161 Tum quod verisimile non est, vt ea species sacramenti, in quam fides tota committitur, in quam disciplina tota connitatur, ambigue annũtiata, & obscure proposita videatur: quando spes resurrectionis nisi manifesta de periculo & præmio, neminem ad eiusmodi præsertim religionem publico odio & hostili elogio obnoxiam persuaderet. Nullum opus certum est mercedis incertæ. Nullus timor iustus est periculi dubii. Et merces autem, & periculum, in resurrectionis pendet euentu. 162 Sed etsi temporalia & localia & personalia Dei decreta atque iudicia in vrbes & gentes, & reges, tam aperta Prophetia iaculata est, quale est, vt æternæ dispositiones eius & vniuersales in omne hominum genus lucem sui fugerint: quæ quanto maiora, tanto clariora esse deberent, vt maiora crederentur? 163 Et puto, Deo nec liuorem nec dolum, nec inconstantiam, nec lenocinium ascribi posse, per quæ fere promulgatio maiorum cauillatur.

Ca. XXII.

[164 Post hæc ad illas etiam scripturas respiciendum est, quæ non sinunt resurrectionem secundum animales istos, ne dixerim spiritales, aut hic iam in veritatis agnitione præsumi, aut ab excessu statim vitæ vindicari.

Quum enim & tempora totius spei fixa sint sacrosancto stylo nec liceat eam ante constitui, 165 quam in aduentum (opinor) Christi, vota nostra suspirant in seculi huius occasum, in transitum mundi quoque 166 ad diem Domini magnum, diem iræ & retributionis, diem vltimum, & occultum, nec vlli præterquam patri notum, & tamen signis atque portentis, & concussionibus elementorum, & conflictationibus nationum prænotatum. Euoluerem Prophetias, si Dominus ipse tacuisset, nisi quod & Prophetiæ vox erant Domini: sed plus est quod illas suo ore consignat. 167 Interrogatus à discipulis quando euentura essent, quæ interim de templi exitu eruperant, ordinem temporum primo Iudaicorum vsque ad excidium Ierusalem, dehinc communium vsque ad conclusionem seculi 168 dirigit.

Nam posteaquam edixit, 169 *& tunc erit Ierusalem conculcatui nationibus, donec adimpleantur tempora* nationum allegandarum scilicet a Deo, & congregandarum cum reliquiis Israelis: inde iam in orbem & in seculum prædicat. 170 secundum Ioelem & Danielem 171 & vniuersum concilium Prophetarum, futura signa in sole & in luna & in stellis, 172 conclusionem nationum, cum stupore sonitus maris, 173 & motus refrigescentium hominum, præ metu & expectatione eorum, quæ immineant orbi terræ. *Virtutes enim*, inquit, *cœlorum commouebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum plurimo potentatu & gloria. Vbi autem cœperint ista fieri, emergetis & eleuabitis capita vestra, quod redemptio vestra adpropinquarit.* Et tamen adpropinquare eam dixit, non adesse iam: & quum cœperint ista fieri, non quum facta fuerint: quia quum facta fuerint, tunc aderit redemptio nostra, quæ eo vsque adpropinquare dicitur: erigens interim & excitans animos ad proximum iam spei fructum.

Cuius etiam parabola subtexitur 174 tenerescentium arborum in caulem floris, & dehinc florem frugis antecursorem: *Ita & vos quum videritis omnia ista fieri, scitote in proximo esse regnum Dei. Vigilate ergo omni tempore*, 175 *vt digni habeamini effugere omnia ista, & stetis ante filium hominis*: vtique per resurrectionem omnibus ante transactis. Ita etsi in agnitione sacramenti fruticat, sed in Domini repræsentatione floresci atque frugescit.

Quis ergo Dominum tam intempestiue, tam acerbe excitauit iam ad dexteram Dei, 176 ad confringendam terram secundum Esaiam, quæ (puto) adhuc integra est? Quis inimicos Christi iam subiecit pedibus eius secundum Dauid, quasi velocior patre, omni adhuc popularium cœtu clamante, 177 *Christianos ad leonem*? Quis cœlo descendentem Apostoli viderant, 178 secundum angelorum constitutum? 179 Nulla ad hodiernum tribus ad tribum pectora cæciderunt, agnoscentes quem pupugerunt.

Nemo adhuc excepit Heliam: 180 nemo adhuc fugit Antichristum, nemo adhuc Babylonis exitum fleuit, & est iam qui resurrexerit nisi hæreticus? 181 Exiit plane iam de corporis sepulcro etiam nunc febribus & hulceribus obnoxius, & conculcauit iam inimicos, etiam nunc luctari habens cum mundi potentibus. Et vtique iam regnat, etiam nunc Cęsari quæ sunt Cæsaris debens.

[182 Docet quidem Apostolus Colossensibus scribens, mortuos fuisse nos aliquando alienatos & inimicos sensus Domini, quum in operibus pessimis agebamus, 183 dehinc: consepultos Christo in baptismate, & conresuscitatos in eo per fidem efficaciæ Dei, qui illum suscitarit à mortuis. *Et vos quum mortui essetis in delictis & præputiatione carnis vestræ, viuificauit cum eo, donatis vobis omnibus delictis.* Et rursus: 184 *Si cum Christo mortui estis ab elementis mundi, quomodo quasi quidam viuentes in mundo sententiam fertis?* Sed quum ita nos mortuos

E

Sopho. 1. Isai. 62. Iob. 39. Matt. 24. Luc. 21.

Isai. 7. Isai. 8. Isai. 3. Psal. 2.

Isai. 53. Luc. 23. Isai. 50. Isai. 53. Psal. 68. Psal. 21. Hier. 32. Matt. 27. Isai. 35. Matth. 11. & 15.

B

Isai. 23. & 19. ac 13. & 21. & 24. vsq; ad 32.

Ioel. 2. Dan. 7. Abac. 3. Isai. 13. Ezech. 32. Matth. 21.

F

Matt. 24

G

Isai. 2. Psal. 109.

Act. 4. Zach. 12. Mal. 4. Apoc. 8. Ephes. 5. 2. Matt. 2.

H

Isai. locis o citatis.

D

Ca. XVIII. Coloss. 2. Ibidem.

faciat spiritaliter, vt tamen & corporaliter quandoque morituros agnoscat, vtique & resuscitatos proinde spiritaliter deputans, æque non negat etiam corporaliter resurrecturos. 851 Denique; *Si resurrexistis*, inquit, *cum Christo, ea quæ sursum sunt quærite, vbi est Christus in dextera Dei residens: ea quæ sursum sunt sapite, non quæ deorsum.* Ita animo ostendit resurgere, quo solo adhuc possumus cœlestia attingere: quæ non quæreremus, nec saperemus, si possideremus. Subiicit etiam: *Mortui enim estis*, scilicet delictis, non vobis: *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Nondum ergo apprehensa est, quæ abscondita est. Sic & Ioannes: *Et nondum*, ait, *manifestatum est, quid futuri simus.* 186 *Scimus quia si manifestauerit, similes eius erimus.* Tanto abest vt simus iam quod nescimus: vtique sciturí si iam essemus. Adeo contemplatio est spei in hoc spatio per fidem, non repræsentatio: nec possessio, sed expectatio. De qua spe & expectatione Paulus ad Galatas: *Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus*: non ait, tenemus. Iustitiæ autem Dei dicit ex iudicio quo iudicabimur de mercede. Ad quam pendens & ipse, quum Philippensibus scribit, 187 *Si qua*, inquit, *concurram in resurrectionem quæ est a mortuis, non quia iam accepi aut consummatus sum.* Et vtique crediderat, & omnia sacramenta cognouerat, vas electionis, doctor Nationum, & tamen adiicit: *Persequor autem si adprehendam in quo sum adprehensus à Christo.* Eo amplius: *ego me fratres, non puto adprehendisse, vnum plane, oblitus posteriorum* 188 *in priora me extendens, secundum scopum persequor ad palmam incriminationis per quam concurrerem*: vtique in resuscitationem à mortuis suo tamen tempore: sicut ad Galatas: *Bene autem facientes ne tædeat: tempore enim suo metemur.* Sicut & ad Timotheum de Onesiphoro: 189 *Det illi Dominus inuenire misericordiam in illo die.* In quem diem ac tempus & ipsi præcipit 190 custodire mandatum immaculatum, inreprehensibile, in apparentiam Domini Iesu Christi, *quam suis temporibus ostendet, beatus & solus potentator, & rex regnantium, & dominus dominantium*, de Deo dicens. De quibus temporibus & Petrus in Actis: 191 *Pœnitet itaque vos, & resipiscite ad abolenda delicta vestra, vt tempora vobis superueniant refrigerii ex persona Dei, & mittat prædesignatum vobis Christum, quem oportet accipere cœlos adusque tempora exhibitionis omnium, quæ locutus est Deus, ore sanctorum Prophetarum.* [192 Quæ hæc tempora, cum Thessalonicensibus disce. Legimus enim, 193 *qualiter conuersi sitis ab idolis, ad seruendum viuo & vero Deo, & expectandum è cœlis filium eius, quem suscitauit ex mortuis, Iesum.* Et rursus: *Quæ enim spes nostra vel gaudium vel exultationis corona,* 194 *quam & vos coram Domino nostro Iesu Christo in aduentu ipsius?* 195 Item: *Coram Deo & Patre nostro in aduentu Domini nostri Iesu Christi, cum vniuersis sanctis eius.* 196 De quorum dormitione minus mœrenda docens, simul & tempora resurrectionis exponit, dicens: *Si enim credimus quod Iesus mortuus sit & resurrexerit, sic & Deus eos qui dormierunt, per Iesum adducet cum ipso. Hoc enim dicimus vobis in sermone Domini, quod nos qui viuimus, qui remanemus in aduentum Domini nostri, non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce archangeli & tuba Dei descendet de cœlo, & mortui in Christo primi resurgent: deinde nos qui viuimus, simul cum illis tollemur in nubibus obuiam Domino in aerem, & ita semper cum Domino erimus.* Quæ vox archangeli, quæ tuba Dei audita iam, nisi forte in cubiculis hæreticorum? Nam etsi tuba Dei Euangelicus sermo dici potest, qui illos iam vocaret, sed aut mortui erunt iam corporaliter, 197 vt resurrexerint, & quomodo viuunt? aut in nubes erepti, & quomodo hic sunt? miserrimi reuera, vt Apostolus pronuntiauit, 198 qui in ista tantum vita sperantes habebuntur, excludendi, dum præripiunt quod post illam repromittitur, 199 frustrati circa veritatem, non minus quam Phygellus & Hermogenes. Et ideo maiestas spiritus sancti perspicax eiusmodi sensuum, & in ipsa ad Thessalonicenses Epistola suggerit: 200 *De temporibus autem & temporum spatijs, fratres, non est necessitas scribendi vobis. Ipsi enim certissime scitis quod dies Domini quasi fur nocte ita adueniat. Quum dicent, pax & tuta sunt omnia, tunc illis repentinus insistet interitus.* Et in secunda, pleniore sollicitudine ad eosdem: 201 *Obsecro autem vos fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & congregationem nostram ad illum, nec cito commoueamini animo, neque turbemini, neque per spiritum, neque per sermonem*, scilicet pseudoprophetarum, *neque per epistolam* scilicet pseudapostolorum, *ac si per nostram, quasi insistat dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo, quoniam nisi veniat abscessio primo, huius* vtique regni, *& reueletur delinquentiæ homo*, id est, Antichristus, *filius perditionis, quia aduersatur & superextollitur in omne quod Deus dicitur, vel religio, vti sedeat in templo Dei, affirmans Deum se. Nonne meministis quod cum apud vos essem, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, ad reuelandum eum in suo tempore. Iam enim arcanum iniquitatis agitatur: tantum qui nunc tenet teneat, donec de medio fiat*: 202 quis? nisi Romanus status, cuius abscessio in decem reges dispersa Antichristum superducet, *& tunc reuelabitur iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & euacuabit apparentia aduentus sui. Cuius est aduentus secundum operationem satanæ in omni virtute & signis atque portentis mendacii, & in omni seductione iniustitiæ eis qui pereunt.* [203 Etiam in Apocalypsi Ioannis ordo temporum sternitur, a quem Martyrum quoque animæ sub altari vltionem & iudicium flagitantes sustinere didicerunt, b vt prius & orbis de pœteris angelorum plagas suas ebibat, c & prostituta illa ciuitas à decem regibus dignos exitus referat, d & bestia Antichristus cum suo Pseudoprophetа certamen Ecclesiæ Dei inferat, e atque ita diabolo in abyssum interim relegato, primæ resurrectionis prærogatiua de solijs ordinetur: dehinc & igni dato, vniuersalis resurrectionis censura de libris iudicetur. Quum igitur & status temporum vltimorum scripturæ notent, & totam Christianæ spei frugem in exordio seculi collocent, apparet aut tunc adimpleri totum quodcunque nobis à Deo repromittitur: & vocat q hic iam ab hæreticis vindicatur. 204 aut, si & agnitio sacramenti, resurrectio est, salua vtique illa creditur quæ in vltimo prædicatur; & sequitur vt eo ipso quo hæc spiritalis vindicatur, illa corporalis præiudicetur. quia si nulla tunc annuntiaretur, merito sola hæc & tantummodo spiritalis vindicaretur, quum vero & in vltimum tempus edicitur, corporalis agnoscitur, quia non & tunc spiritalis annuntiatur. Cur enim iterum annuntiaretur resurrectio eiusdem conditionis, id est, spiritalis, quum aut nunc eam deceret expungi sine vlla differentia temporum, 205 aut tunc sub omni clausula temporum? Ita nobis magis competit etiam spiritalem defendere resurrectionem ab ingressu fidei, qui plenitudinem eius agnoscimus exitu seculi. [206 Vnum adhuc respondebo ad propositionem priorem allegoricarum scripturarum, licere & nobis corporalem resurrectionem de patrocinio figurati proinde eloquii Prophetici vindicare. Ecce enim diuina in primordio sententia terram hominem pronuntiando: *Terra es, & in terram ibis*, secundum substantiam scilicet carnis, quæ de terra erat sumpta; & quæ prior homo fuerat appellata, 207 sicut ostendimus, dat mihi disciplinam in carnem quoque interpretandi, si quid iræ vel gratiæ in terram Deus statuit: quia nec proprie terra iudicio eius obnoxia est, quæ nihil boni seu mali admisit, 208 maledicta quidem quæ hauserit sanguinem, sed & hoc ipsum in figuram carnis homicidæ. Nam etsi iuuari seu lædi habet terra, id quoque propter hominem, vt ille iuuetur, siue lædatur 209 per consistoria sui exitus, quo magis ipse pensabit, quæ propter illum etiam terra patietur. Itaque & quum comminatur terræ Deus, carni potius comminari eum dicam: & quum quid terræ pollicetur, carni potius polliceri eum intelligam, vt apud Dauid: 210 *Dominus regnauit, exultet terra*: id est, caro sanctorum, ad quam pertinet regni diuini fructus. Dehinc subiungit: *Vidit & concussa est terra. Montes sicut cera liquefacti sunt à facie Domini*, caro scilicet prophanorum, &: 211 *Videbunt enim eum qui confixerunt.* Atque adeo si simpliciter de terra elemento vtrunque

E
1. Thess. 2.

F
Ca. XXV.
a *Apoc.* 6
b *Apoc.* 15. ac 16.
c *Apoc.* 17. ac 8.
d *Apoc.* 19.
e *Apoc.* 20.

G
Cap xxvi.

Gen. 3.

Gen. 4.

H
psalm. 96
Ioan. 19.

A

existimabitur pronuntiatum, quomodo congruet & concuti & liquefieri eam à facie Domini quo supra regnante exultauit? Sic & apud Esaiam, *Bona terræ edetis.* bona carnis intelligentur, quæ illam manent in regno Dei reformatam & 212 angelificatam, & consecuturam. *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.* Alioquin satis vanum, vt ad obsequium Deus fructibus agri, & cibariis vitæ huius inuitet, quę etiam in religiosis & blasphemis semel homini addicta conditione communicat, *pluens super bonos & malos,* 213 *& solem suum emittens super iustos & iniustos.* Fœlix nimirum fides, si ea consecutura est, quibus hostes Dei & Christi non modo vtuntur, verum etiam abutuntur. 214 ipsam conditionem colentes aduersus conditorem. *Bulbos & tubera in terræ bonis deputabis,* Domino pronuntiante, ne in pane quidem victurum hominem. Sic Iudæi terrena solummodo sperando, cœlestia amittunt, 215 ignorantes & panem de cœlesti repromissum, & oleum diuinæ vnctionis, & aquam spiritus & vinum animæ vigoratis ex vite Christi. 216 Sicut & ipsam terram sanctam, Iudaicum proprie solum reputat, carnem potius Domini interpretandam, quę exinde & in omnibus Christum indutis sancta sit terra, vere sancta per incolatum Spiritus sancti, vere lacte & melle manans, per suauitatem spei ipsius, vere Iudæa per Dei familiaritatem. *Non enim qui in manifesto Iudæus, sed qui in occulto,* vt & templum Dei eadem sit & Ierusalem, audiens ab Esaia: 217 *Exurge, exurge Ierusalem, induere fortitudinem brachii tui, Exurge sicut in primordio diei,* scilicet in illa integritate quæ fuerat ante delictum transgressionis. Quę enim in eam Ierusalem voces eiusmodi competent exhortationis & aduocationis, quæ occidit Prophetas, & lapidauit ad se missos, & ipsum postremo Dominum suum confixit? Sed nec vlli omnino terræ salus repromittitur, quam oportet cum totius mundi habitu præterire. Etiam si quis audebit terram sanctam paradisum potius argumentari, 218 quam etiam Patrum dici capiat, Adæ scilicet & Euæ, proinde & in paradisum restitutio carni videbitur repromissa 219 quæ cum incolare & custodire sortita est, vt talis illuc homo reuocetur qualis inde pulsus est. [220 Habemus etiam vestimentorum in scripturis mentionem ad spem carnis allegorizare, quia & Apoc. Ioan. 221 *Hi sunt,* ait, *qui vestimenta sua non coinquinauerunt cum mulieribus,* virgines scilicet significans, & qui semetipsos castrauerunt propter regna cœlorum. Itaque in albis erunt vestibus, id est, in claritate, in nube carnis. & in Euangelio indumentum nuptiale sanctitas carnis agnosci potest. Itaque Esaias docens quale ieiunium elegerit Dominus, quum subiicit de mercede bonitatis, 222 *Tunc,* inquit, *lumen tuum temporaneum erumpet, & vestimenta tua citius orientur*: non subsericam vtique nec pallium, sed carnem volens accipi, ortum carnis resurrecturæ de mortis occasu prædicauit. adeo nobis quoque suppetit allegorica defensio corporalis resutrectionis. Nam & quum legimus: 223 *Populus meus, iutroire in cellas promas quantulum, donec ira mea prætereat.* sepulchra erunt cellæ promæ, in quibus pauliſper requiescere habebunt, qui in finibus seculi sub vltima ira per Antichristi vim excesserint. Aut cur cellarum promarū potius vocabulo vsus est, & non alicuius loci receptorii, nisi quia in cellis promis caro salita & vsui reposita seruatur depromenda illinc suo tempore? Proinde enim & corpora medicata condimentis sepulturæ, mausoleis & monumentis sequestrantur, processura inde cum iusserit Dominus, quod cum ita intelldgi congruat (& quæ enim ab ira Dei cellariorum nos refugia seruabunt?) hoc ipso quo ait, *donec ira prætereat quæ* extinguet Antichristum, post iram ostendit processuram carnem de sepulchris, in quæ ante iram fuerit illata nam & de cellariis non aliud effertur, quam quod infertur, & post Antichristi eradicationem agitabitur resurrectio. [224 Scimus autem sicut vocibus, ita & rebus prophetatum, tam dictis quam & factis prædicatur resurrectio. 225 Quum Moyses manum in sinum condit & emortuam profert, & rursus insinuat & viuidam explicat, nonne hoc de toto homine portendit? siquidem trina virtus Dei 226 per illa trina signa denotabatur cum suo ordine, primo diabolum serpentem quanquam formidabilem subactura homini, dehinc carnem de sinu mortis retractura atque ita omnem sanguinem executura iudicio. 227 De quo apud eundem Prophetem, 228 *Quoniam & vestram,* inquit Deus, *sanguinem exquiram de omnibus bestiis, & de manu hominis, & de manu fratris exquiram eum.* Porro nihil exquiritur nisi quod reposcitur: nihil reposcitur nisi quod & reddetur: & vtique reddetur quod vltionis nomine reposcetur & exquiretur. neque enim vindicari poterit quod omnino non fuerit. Erit autem dum restituitur, vt vindicetur. In carnem itaque dirigitur, quicquid in sanguinem prædicatur, sine qua non erit sanguis. caro suscitabitur, vt sanguis vindicetur. Sunt & quædam ita pronuntiata, vt allegoriæ quidem nubilo careant, nihilominus tamen ipsius simplicitatis suæ sitiant interpretationem, 229 quale est apud Esaiam: *Ego occidam & viuificabo.* certe posteaquam occiderit, viuificabit. Ergo per mortem occidens, per resurrectionem viuificabit. caro est autem quæ occiditur per mortem; caro itaque & viuificabitur per resurrectionem. certe si occidere, carni animam eripere est, viuificare contrarium eius carni animam referre est: caro resurgat necesse est, cui anima per occisionem erepta, referenda est per viuificationem.

[230 Igitur si & allegoricæ scripturæ, & argumenta rerum: & simplices voces 231 resurrectionem carnis, quanquam sine nominatione ipsius substantiæ, subradiant, quanto magis quæ hanc spem in ipsas substantias corporales spiritali mentione determinant, non erunt deducendæ in quæstionem? 232 Accipe Ezechielem: *Et facta est,* inquit, *super me manus Domini, & extulit me in spiritu Dominus, & posuit me in medio campi is erat ossibus refertus, & circumduxit, me super ea per circuitum & ecce ossa multa super faciem campi, & ecce arida satis. Et ait ad me, Fili hominis, si viuent ossa ista? Et dixi, Adonai Domine tu scis. Et ait ad me, Propheta in ossa hæc, & dices, Ossa arida audite sermonem Domini. Hæc dicit Dominus Adonai ossibus istis: Ecce ego affero in vos spiritum, & viuetis, & dabo in vos spiritum, & reducam in vos carnes. circumdabo vobis cutem, & dabo in vos spiritum, & viuetis, & cognoscetis quod ego Dominus. Et prophetaui secundum præceptum, & ecce vox dum propheto, & ecce motus, & accedebant ossa ad ossa. Et vidi, & ecce super ossa nerui & caro ascendit, & circumpositæ sunt eis cutes, & spiritus in eis non erat. & ait ad me: Propheta ad spiritum fili hominis, propheta, & dices ad spiritum: Hæc dicit Dominus Adonai: A quatuor ventis veni spiritus & spira in istis interemptis, & viuant. Et prophetaui ad spiritum sicut præcepit mihi, & introiuit in ea spiritus, & vixerunt & constiterunt super pedes suos valentia magna satis. Et ait ad me: Fili hominis ossa ista omnis domus Israel est. Ipsi dicunt: Exaruerunt ossa nostra, & periit spes nostra: auulsi sumus in eis. Propterea propheta ad eos Ecce ego patefacio sepulcra vestra, & eucham vos de sepulcris vestris, populus meus, & inducam vos in terram Israelis, & cognoscetis quod ego Dominus aperuerim sepulchra vestra, & eduxerim vos de sepulcris vestris populus meus, & dabo in vos spiritum, & viuetis, & requiescetis in terra vestra, & cognoscetis quod ego Dominus locutus sim, & fecerim, dicit Dominus.*

[233 Hanc quoque prędicationem scio qualiter concutiant in allegoriæ argumentationem: quia dicendo, *Ossa ista omnis domus Israel est,* in imaginem ea fecerit Israel, & à propria conditione transtulerit: atque ita figuratam esse non veram resurrectionis prædicationem. Statum enim Iudæorum deformari quodammodo emortuum & exaridum & dispersum in campo orbis. Itaque & imaginem resurrectionis in illum allegorizari, quia colligi habeat & recompingi os ad os, id est, tribus ad tribum, & popului ad populum, & recorporari carnibus facultatum & neruis regni: atque ita de sepulchris, id est, de habitaculis captiuitatis tristissimis atque terrimis educi, 234 & refrigerii nomine respirare & vi-

uere

Isai.1. *1.Cor.2.* *Matth.5.* *Rom.1.* *Matth.4.* *Exod.3.* *Gal.3.* *Rom.2.* *Isai.51.* *Matth.23.* *Luc.13.* *Gen.2.* *Apoc.3. ac 14.* *Matth.19.* *Apoc.3.* *Matth.22.* *Isai.58.* *Isai.26.* *Exod.4.* *Ibid.* *Gen.9.* *Isai.38.* *1.Reg.2.* *Ezech.37.*

Cap. XXVII. Ca.XXIX. Ca. XXX.

A B C D E F G H

uere exinde in terra sua Iudæa. & quid post hæc? morientur sine dubio. & quid post mortem? nulla, opinor, resuscitatio, si non hæc erit ipsa, quæ Ezechieli reuelatur. Sed enim & alias prædicatur resurrectio; ergo & hæc erit: & temere in statum eam Iudaicarum rerum conuertunt. Aut si alia est illa quam defendimus, nihil mea interest, dum sit & corporum resurrectio, sicut & rerum Iudaicarum. Denique hoc ipso quo reciduatus Iudaici status de recorporatione & readunatione ossium figuratur, id quoque euenturum ossibus probatur. Non enim posset de ossibus figura componi, si non idipsum & ossibus euenturum esset. 235 Nam etsi figmentum veritatis in imagine imago ipsa in veritate est sui, necesse est esse prius sibi, quam alii configuretur. De vacuo similitudo non competit: de nullo parabola non conuenit. Ita oportebit ossium quoq; credi reuisceratione & respiratione qualis dicitur, de qua possit exprimi Iudaicarum rerum reformatio, qualis affingitur. Sed magis religiosum est veritatem de suæ auctoritate simplicitatis defendi, quam sensus diuinæ propositionis expostulat. Si enim ad res Iudaicas spectaret hęc visio, statim reuelato situ ossuum subiecisset: *Ossa ista omnis domus Israel est*, &c. deinceps. At cum ostēsis ossibus, de propria spe eorum qui obloquitur, nondum nominato Israele, & fidem tentat Prophetæ: *Fili hominis, siviuent ossa hæc*, vt & ille responderet, *Domine tu scis*: non vtique Deus Prophetæ fidem de ea re tentasset, quæ futura non esset, quam nunquam Israel audisset, quam credi non oporteret: sed quoniam prædicabatur quidem resurrectio mortuorum, Israel vero pro sua incredulitate diffidens scandalizabatur: & aspiciens habitum senescentis sepulturæ desperabat resurrectionem, vel non in eam potius animum dirigebat, sed in circunstantias suas: idcirco Deus & Prophetam quasi & ipsum dubium prestruxit ad constantiam prędicationis, reuelato ordine resurrectionis, & populo id credendum mandauit, quod Prophetæ reuelauit, ipsos dicens esse ossa quæ erant resurrectura, qui non credebant resurrectura. Deniq; in clausula, *Et cognoscetis*, inquit, *quod ego Dominus locutus sim, & fecerim*: id vtique facturus, quod fuerat locutus, ceterum non id facturus quod locutus, si aliter facturus quam locutus, [236 Plane si & populus allegorice mussitaret ossa sua arefacta, & spem suam perditam, dispersionis exitu querulus, merito videretur & Deus figuratam desperationem figurata promissione consolatus. Sed quum dispersionis quidem iniuria nondum populo accidisset, resurrectionis vero spes apud illum sæpissime cecidisset, manifestus est de corporum interitu labefactans fiduciam resurrectionis: ita & Deus eam restituebat fidem quam populus destruebat. Quanquam etsi aliqua præsentium rerum tunc cōflictatione mœrebat Israel, non idcirco in parabola accipienda esset reuelationis intētio, sed in testationē resurrectionis, vt in illam spem erigeret illos æternæ scilicet salutis & necessarioris restitutionis, & auerteret à respectu præsentium rerum. Ad hoc enim & alibi prophetes: 237 *Exibitis de sepulchris veluti vituli de vinculis soluti, & conculcabitis inimicos.* Et rursum: 238 *Gaudebit cor vestrum & ossa vestra velut herba orientur*: quia & herba de dissolutione & corruptela seminis reformatur. In summa, si proprie in Israelis statum resurgentium ossuum imago contenditur, cur etiam non Israeli tantummodo, verum & omnibus gentibus eadem spes annuntiatur, & recorporandarum & redanimādarum reliquiarum, & de sepulchris exuscitandorum mortuorum? De omnibus enim dictum est: 239 *Viuent mortui, & exurgent de sepulchris: ros enim qui à te est, medela est ossibus eorum.* Item alibi: 240 *Veniet adorare omnis caro in conspectu meo, dicit Dominus.* Quando? quum præterire cœperit habitus mundi huius. Supra enim, *quemadmodum cœlum nouum & terra noua, quæ ego facio in conspectu meo, dicit Dominus, ita stabit semen vestrum. Tunc ergo quod subiicit, implebitur. Et exibunt, vtique de sepulchris, & videbunt artus eorum qui impie egerunt, quoniam vermis illorum non decidet, & ignis eorum non extinguetur: & erunt conspectui omni carni*, scilicet quę resuscitata & egressa de sepulcris Dominum pro hac gratia adorabit. [241 Sed ne solummodo eorum corporum resurrectio videatur prædicari, quæ sepulchris demandantur, 242 habes scriptum: *Et mandabo piscibus maris, & eructuabunt ossa quæ sunt comesta, & faciam compaginem ad compaginem, & os ad os.* Ergo, inquis, & pisces resuscitabuntur, & ceteræ bestiæ & alites carniuoræ, vt reuomant quos comederunt: quia & apud Moysen legis exquiri sanguinem de omnibus bestiis? Nō vtiq;. Sed idcirco nominantur bestiæ & pisces in redhibitione carnis & sanguinis, quo magis exprimatur resurrectio etiā deuoratorū corporum, quum de ipsis deuoratoribus exactio edicitur. 243 Puto autē huius quoq; diuinæ potestatis documentum idoneum Ionam, quum incorruptus vtraque substantia (carne atq; anima) de aluo piscis euoluitur: & vtique triduo concoquendæ carni viscera ceti sufficissent, 244 quam capulum, quam sepulchrum, quam senium requietæ atq; reconditæ alicuius sepulturæ. 245 Saluo eo quod & bestias, feros in Christianum vel maxime nomen homines, vel ipsos etiam iniquitatis angelos figurauit, de quibus sanguis exigetur per vltionem pensandam. Quis ergo discendi magis affinis, quam præsumēdi, & credendi diligentior, quā cōtendendi, & diuinæ potius sapiētiæ religiosus, quam suæ libidinosus, audiens aliquid à Deo destinatū in carnes, & cutes, & neruos, & ossa, aliud quid hæc commentabitur, quasi non in hominē destinetur, quod in istas substantias prædicatur? Aut enim nihil in hominem destinatur, non liberalitas, regni, non seueritas iudicii, non quodcunq; est resurrectio: aut si in hominem destinatur, necesse est in eas substantias destinetur, ex quibus homo structus est, in quem destinatur. Illud etiam de argutissimis istis demutatoribus ossuum, & carnium, & neruorum & sepulchrorum requiro, cur, si quando in animam quid pronuntiatur, nihil aliud animā interpretantur, nec transfigurant eam in alterius rei argumentum. Quum vero in aliquam speciem corporalē quid edicitur, omnia potius asseuerant, quam quod nominatur. Si corporalia parabolæ, ergo & animalia. Si non & animalia, ergo nec corporalia. Tam enim corpus homo, quam & anima, vt non possit altera speeies admittere ænigmata, altera excludere. [246 Satis hæc de Prophetico instrumento, ad Euāgelia nūc prouoco, hic quoq; occursurus prius eidē astutiæ eorū, qui proinde & Dominū omnia in parabolis pronuntiasse contendunt, quia scriptū est *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis, & sine parabola non loquebatur ad illos*, scilicet Iudæos. 247 Nam & discipuli: *Quare* aiunt *in parabolis loqueris?* & Dominus, *Propterea in parabolis loquor ad eos, vt videntes non videant & audientes non audiant, secundū Esaiam.* Quod si ad Iudæos in parabolis, iam non ad omnes: si non ad omnes in parabolis, iam non semper, nec omnia parabolæ, sed quædā & ad quōsdam. Ad quōsdā autē, dū ad Iudæos. Nonnunquam planē & ad discipulos. Sed quomodo referat scriptura cōsiderā. *Dicebat autem & parabolam ad eos*: ergo & non parabolam dicebat: quia non notaretur quum parabolam loquebatur, si ita semper loquebatur: 248 & tamen nullam parabolam non aut ab ipso inuenies edisseratam, vt de seminatore in verbi administratione, aut à commentatore Euangelii præluminatam, vt iudicis superbi & viduæ instantiæ ad perseuerantiam orationis, aut vltro coniectandam; vt arboris fici dilatæ in spem, ad instar Iudaicæ infructuositatis.

Quod si nec parabolæ obumbrant Euangelii lucem, tanto abest vt sententiæ & definitiones, quarū aperta natura est, aliter quam sonant sapiant. Definitionibus autem & sententiis Dominus edicit, siue iudicium, siue regnum Dei, siue resurrectionem: 249 *Tolerabilius erit*, inquit, *Tyro & Sidoni in die iudicii.* &, *Dicite illis quod appropinquauerit regnum Dei.* &, *Retribuetur tibi in resurrectione iustorum.* Si nomina absoluta sunt rerum, id est, iudicii & regni Dei, & resurrectionis, vt nihil eorum in parabolam comprimi possit, nec ea in parabolas compellātur, quæ ad dispositionem & transactionē, & passionē regni iudicii,

A dicii, & resurrectionis prædicantur: atque ita corporalia defendentur, vt corporalibus destinata, id est, non spiritalia, quia non figurata. 250 Nam & ideo præstruximus tam corpus animæ quam & carnis obnoxium esse mercedibus pro communi operatione pensandis, ne corporalitas animæ occasionem subministrans figurarum, corporalitatem carnis excludat: quum vtranque participem & regni, & iudicii, resurrectionis oporteat credi: & nunc eo pergimus, vti corporalitatem carnalem proprie demonstremus à Domino significari in omni resurrectionis mentione, salua animali, quam & ipsam pauci receperunt. [251 Imprimis cum ad hoc venisse se dicit, vti quod perijt saluum faciat. Quid dicas perisse? hominem sine dubio. Totumne an ex parte vtique totum. Siquidem transgressio quæ perditionis humanæ causa est, tam animæ instinctu ex concupiscentia, quam & carnis actu ex degustatione commissa, totum hominem elogio trangressionis inscripsit, atque exinde merito perditionis impleuit. Totus itaque saluus fiet, qui periit totus delinquendo totus: nisi si & ouis illa sine corpore amittitur & sine corpore reuocatur. Nam si caro quoque eius cum anima (quod pecus totum est) humeris boni pastoris aduehitur, ex vtraque vtique substantia restituendi hominis exemplū est. Aut quam indignum Deo dimidium hominem redigere in salutem, pene minus facere quum etiam secularium principium plena semper 252 indulgentia vindicetur. Diabolus validior in hominis iniuriam intelligitur, totum eum elidens: Deus infirmior renuntiabitur, non totum eum releuans. Atquin & Apost. suggerit: *Vbi delictum abundauerit, illic gratiam superabundasse.* Quomodo denique saluus habebitur, qui poterit & perditus dici? carne scilicet perditus, anima vero saluus: nisi quod iam & anima in perdito constituatur necesse est, vt salua effici possit. id enim saluum effici oportebit, quod perditum fuerit. 253 Porro autem recipimus animæ immortalitatē, vt perdita non in interitum credatur, sed in supplicium, id est, in gehennam. Et si ita est, iam non animam spectabit salus saluam, scilicet sua natura per immortalitatem, sed carnem potius, quam interibilem constat apud omnes. Aut si & anima interibilis, id est, non immortalis, quod & caro, iam & carni forma illa ex æquo proficere debebit, proinde mortali & interibili, quia id quod perit, saluum facturus est Dominus. Nolo nunc 254 contentioso fune deducere, hac, an illac hominem perditio depostulet, dum vtrinque eum salus destinet, in ambas substantias peræquata. Ecce enim ex quacunque substantia hominem perisse præsumpseris, ex altera non perit. Saluus erit iam ex qua non perit, & saluus nihilominus fiet ex qua perit. Habes totius hominis restitutionem, dum & quodcunque eius perit, saluum facturus est Dominus: & quodcunque non perit, vtique non erit perditurus. Quis vltra de vtriusque substantiæ securitate dubitauit, quum altera salutem consecutura sit, altera amissura eam non sit? Et tamen adhuc sensum rei exprimit Dominus: 255 *Ego*, dicens, *veni, non vt meam, sed vt Patris qui me misit, faciam voluntatem.* Quam oro te? *vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in nouissima die.* Quid à Patre Christus acceperat nisi quod & induerat? hominem sine dubio, carnis animæque texturam. Neutrum ergo eorum quæ accepit, perire patietur: immo nec quicquam vtriusque, immo nec modicum. quod si modicum caro, ergo nec carnem, quia nec modicum nec quicquam, quia nec quicquam. Atquin si non & carnem resuscitabit nouissima die, iam non modicum patietur perire de homine, sed pro tanta dixerim parte prope totum. Ingerens amplius *Hæc est Patris voluntas, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & suscitem illum nouissima die:* 256 plenitudinem exstruit resurrectionis 257 Distribuit enim vtrique substantiæ per officia propriam mercedem salutis, & carni per quam filius aspiciebatur, & animæ per quam credebatur. Ergo dices, illis erit promissa res, à quibus Christus videbatur. Sit plane ita, vt & ad nos eadem spes inde manauerit. Nam si videntibus & idcirco credentibus fructuosa tunc fuerunt opera carnis atque animæ, multo magis nobis. 258 *Fœliciores enim* (inquit) *qui non viderunt & credunt:* quando etsi illis negaretur carnis resurrectio, certe fœlicioribus cōpetisset. Quomodo enim fœlices, si ex parte perituri? [259 Sed & præcipit, *eum potius timendum*, 260 *qui corpus & animam occidat in gehennam*, id est Dominum solum *non qui corpus occidant, animæ autem nihil nocere possint*, id est, humanas potestates. Adeo hic anima immortalis natura recognoscitur, quę non possit occidi ab hominibus & carnis esse moralitatem, cuius sit occisio, atque ita resurrectionem quoque mortuorum carnis esse, quæ in gehennam, nisi resuscitata, non poterit occidi. Sed quoniam & hic de interpretatione corporis quæstio cauillantur, ego corpus hominis non aliud intelligam, quam omnem istam struem carnis; quoquo genere materiarum concinnantur atque variatur, quod videtur, quod tenetur, quod denique ab hominibus occiditur Sic & parietis corpus non aliud admittam quam cæmenta, quam saxa, quam lateres. Siquis arcanum aliquod corpus inducit, ostendat, reuelet, probet ipsum esse etiam quod occidatur ab homine, & de illo erit dictum. Item si animæ corpus opponit, vacabit astutia. Cum enim vtrumque proponitur, corpus atque animam occidi in gehennam, distinguitur corpus ab anima, & relinquitur intelligi corpus id quod in promptu sit, caro scilicet: quæ sicut occidetur in gehennam, si non magis à Deo timuerit occidi: ita & viuificabitur in vitam æternam, si maluerit ab hominibus potius interfici. Proinde si quis occisionem carnis atque animę in gehennam, ad interitum & finem vtriusque substantiæ arripiet, non ad supplicium,) quasi consumendarum, non quasi puniendarum) recordetur ignem gehennæ æternum prædicari, in pœnam æternam, & inde æternitatem occisionis agnoscat, propterea humanę vt temporali prætimendam. Tunc & æternas substantias credet, quarum æterna sit occisio in pœnam. Certe cum post resurrectionem corpus cum anima occidi habeat à Deo in gehennam, satis de vtroque constabit, & de carnali resurrectione, & de æterna occisione. Absurdissimum alioquin si idcirco resuscitata caro occidatur in gehennam, vti finiatur, quod & non resuscitata pateretur. In hoc scilicet reficietur, ne sit, cui non esse iam euenit. Eidem nos spei fulciens, passerum quoque suiungit exemplum, 261 quod ex duobus non cadat alter in terram sine Dei voluntate, vt & carnem quæ ceciderit in terram proinde credas & resurgere posse per eiusdem Dei voluntatem. Nam etsi passeribus hoc non licet, sed nos multis passeribus antistamus, eo quod cadentes resurgamus. Quorum denique capillos capitis omnes numeratos affirmans, saluos vtique repromittit. Perituros enim quæ ratio in numerum redegisset? nisi quia hoc est, *vt omne quod pater mihi dedit, non perdam ex eo quicquam:* id est, nec capillum, sicut nec oculum, nec dentem. Ceterum vnde erit fletus & dentium frendor in gehenna, nisi ex oculis & dentibus? occiso scilicet etiam corpore in gehennam, & detruso 262 in tenebras exteriores, quæ oculorum propria sunt tormenta. Siquis in nuptiis minus dignis operibus fuerit indutus, constringendus statim manibus & pedibus, vtpote qui cum corpore surrexit. Sic ergo & recumbere ipsum in Dei regno, & sedere inthronis duodecim Christi, & assistere tunc ad dexteram vel sinistram, & edere de ligno vitæ corporalis dispositionis fidelissima indicia sunt. [263 Videamus nunc, an & Sadducæorum versutiam elidens, nostram magis sententiam exerexerit. Causa (opinor) quæstionis fuit destructio resurrectionis. Siquidem Sadducæi neque animæ, neque carnis admittunt salutem: & ideo, ex qua vel maxime specie Resurrectionis fides labefactatur, ex ea argumentum problemati suo accommodauerunt: 264 de carnis scilicet obtentu nupturæ necne post resurrectionem, sub eius mulieris persona, quæ septem fratribus nupta, in dubio haberetur, cui eorum restitueretur. Porro seruentur sensus tam quæstionis quam responsionis, & controuersiæ occursum est.

Si enim

Cap. XXXIV. *Luc. 19.*

B *Luc. 15.*

Rom. 5.

Matth. 10.

C

Ioan. 6.

D

Ibid.

E

Cap. XXXV.

F

G

Ioan. 6. Matth. 8. Matt. 11. Matth. 8. Matt. 22. Matt. 22. Matt. 8.

Apoc. 2. Matt. 26.

H

Cap. XXXVI. *Matth. 22.*

Ibid.

Si enim Sadducęi quidem respuebant resurrectionem, Dominus autem eam confirmabat, & scripturarum ignaros increpans, earum scilicet quæ resurrectionem prædicassent, & virtutis Dei incredulos, idoneæ vtique mortuis resuscitandis, postremo subiiciens, 265 *Quoniam autem mortui resurgant:* sine dubio & confirmando esse quod negabatur, id est, resurrectionem mortuorum apud Deum viuorum, talem quoque eam confirmabat, esse, qualis negabatur, vtriusque scilicet substantiæ humanæ. Neque enim si nupturos tunc negauit, ideo nec resurrecturos demonstrauit. Atquin filios resurrectionis appellauit per eam quodammodo nasci habentes, postquam non nubent, sed resuscitati: similes enim erunt angelis, qua non nupturi, quia nec morituri sed qua transituri in statum angelicum, per indumentum illud incorruptibilitatis, per substantiæ resuscitatæ tamen demutationem. Ceterum nec quæreretur, nupturi, siue morituri necne rursus essemus, si non eius vel maxime substantiæ restitutio in dubium vocaretur, quę proprie & morte & nuptiis fungitur, id est, carnis. Habes igitur Dominum confirmantem aduersus hæreticos Iudæorum, quod & nunc negatur apud Sadducæos Christianorum, solidam resurrectionem. [267 Sic etsi carnem ait nihil prodesse, ex materia dicti diligendus est sensus. Nam quia durum & intollerabilem existimauerunt sermonem eius, 268 quasi vere carnem suam illis edendam determinasset, vt in spiritu disponeret statum salutis, præmisit: *Spiritus est qui viuificat.* Atque ita subiunxit: *Caro nihil prodest*, ad viuificandum scilicet. Exequitur etiam quid velit intelligi spiritum: *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus sunt, vita sunt.* sicut & supra: *Qui audit sermones meos, & credit in eum qui me misit, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet,* 269 *sed transit de morte in vitam.* Itaque sermonem constituens viuificatorē, quia spiritus & vita Sermo, eundem etiam carnem suam dixit: quia & Sermo caro erat factus, proinde in causam vitæ appetendus, & deuorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus. 270 Nam & paulo ante carnem suam panem quoque cœlestem pronuntiarat, vtguens vsquequaque per allegoriam necessariorum pabulorum, memoriam patrum, qui panes & carnes Ægyptiorum præuerterant diuinæ vocationi. Igitur conuersus ad recogitatus illorum, quia sensérat dispergendos, *Caro*, ait, *nihil prodest.* Quid hoc ad destruendam carnis resurrectionē? quasi non liceat esse aliquid, quod etsi nihil prosit, aliud tamen ei prodesse possit. *Spiritus prodest*, viuificat enim. *Caro nihil prodest*, mortificatur n. Itaque secundum nos magis collocauit vtriusque propositionem. Ostendens enim quid prosit, & quid non prosit, pariter illuminauit quid cui prosit, spiritum scilicet carni mortificatæ viuificatorem. 281 *Veniet enim hora*, inquit, *quum mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent.* Quid mortuum, nisi caro, & quid vox Dei, nisi sermo, & quid sermo, nisi spiritus? Merito carnem resuscitaturus quod factus est, ipse & ex morte quam passus est ipse, & ex sepulchro quo illatus est ipse. Denique quum dicit: *Ne miremini quod veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent: qui bona fecerunt, in vitæ resurrectionem: qui mala, in resurrectionem iudicii:* nemo iam poterit aliud mortuos interpretari, qui sint in monumentis, nisi corpora & carnem: quia necipsa monumenta aliud quam cadauerum tabula. Siquidem & ipsi homines veteres, id est, peccatores, id est, mortui per ignorantiam Dei, quos monumenta intelligendos argumentantur hæretici, de monumentis processuri in iudicium, aperte prædicantur Ceterum quomodo de monumentis monumenta procedent?

[272 Postdicta Domini, facta etiam eius quid sapere credamus de capulis, de sepulchris mortuos resuscitantis? Cui rei istud? Si ad simplicem ostentationem potestatis, aut ad præsentem gratiam redanimationis, non adeo magnum illi, denuo morituros suscitare. 273 Enimuero si ad fidem potius sequestrandam futuræ resurrectionis, ergo & illa corporalis præscribitur de documenti sui forma. Nec sustinebo dicentes, idcirco tūc resurrectionem animæ soli destinatā in carnem quoque præcucurrisse, quia nō potuisset aliter ostēdi resurrectio animæ inuisibilis, nisi per visibilis substantiæ resuscitationem, male Deum norunt, qui nō putant illū posse, quod non putant, & tamen sciunt potuisse, in instrumētum Ioannis norunt. Qui n. animas adhuc solas martyrum sub altari quiescētes conspectui subdidit, posset vtique & resurgentes oculis exhibere sine carne. At ego Deū malo decipere non posse, de fallacia solummodo infirmum, ne aliter documenta præmisisse quā ie dispositum videatur: immo ne si exemplū resurrectionis sine carne non valuit inducere, multo magis plenitudinem exēpli in eadē substantia exhibere non possit. Nullū vero exemplū maius est, eo cuius exemplum est. Maius est aūt, si animæ cum corpore resuscitabuntur in documētum sine corpore resurgendi, vt tota hominis salus dimidiæ patrocinaretur, quando exemplorū conditio illud potius expeteret quod minus haberetur, animæ dico solius resurrectionē, velut gustum carnis etiā resurrecturæ suo in tempore. Atq; adeo secūdum nostram veri existimationē exempla illa mortuorum à Domino suscitatorum, cōmendabāt quidē & carnis & animæ resurrectionem, ne cui substātiæ negaretur hoc donum, quæ tamen exēpla eo minus aliquid ædebant (non n. in gloria, nec in incorruptibilitatē, sed in mortem aliam suscitabantur) quam ædiderit Christus. [274 Resurrectionē Apostolica quoq; instrumenta testātur. nam & Apostolis nullū aliud negotium fuit dūtaxat apud Israelē, quā veteris Testamenti resignandi, & noui consignandi, & potius iam Dei in Christo concionandi. Ita & de resurrectione nihil noui intulerūt, nisi quod & ipsam in gloriam Christi annuntiabant, de cetero simplici & nota iam fide receptam sine vlla qualitatis quæstione, solis refragantibus. Sadducæis: adeo facilius fuit negari in totū mortuorum resurrectionem, quā aliter intelligi. Habes Paulum apud summos sacerdotes sub trib. inter Sadducæos & Pharisæos fidei suę professorem: 275 *Viri*, inquit, *fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe nunc & de resurrectione iudicor apud vos:* vtiq; communi, ne quia iam tūtigerat legis videbatur, de præcipuo fidei totius articulo, id est, de resurrectione, ad Sadducæos sapere existimaretur. Ita quam nolebat videri rescindere fidē resurrectionis, vtiq; confirmabat secundum Pharisæos, respuens negatores eius Sadducæos. 276 Proinde & apud Agrippam nihil se ait proferre, citra quā Prophetæ annuntiassent. Ergo seruabat resurrectionē quoq; qualem Prophetæ annūtiarāt. Nā & de resurrectione mortuorum apud Moysen scriptū cōmemorans, corporalē eā norat, in qua scilicet sanguis hominis exquiri habebit. Itaq; talē prædicabat, qualē & Pharisæi susceperāt, & Dominus ipse defenderat, & Sadducæi ne talē quoq; crederent, in totum esse noluerant. 277 Sed nec Athenienses aliam intellexerant à Paulo portendi. deniq; irrisérant, non irrisuri omnino, si animæ solius restitutionem ab eo audissent. Suscepissent n. vernaculæ suæ Philosophiæ frequētiorem præsumptionē. At vbi nationes præconium resurrectionis inauditæ retro ipsa nouitate cōcussit, & digna incredulitas reitantæ quæstionib. fidē torquere cœpit, tunc & Apostolus 278 per totum pene instrumentum fidem huius spei corroborare curauit, & esse eam ostendens, & nondum transactam: & (de quo magis quærebatur) corporalem: & quod insuper dubitabatur, non aliter corporalem.

[279 Nihil autem mirum, si & ex ipsius instrumento captentur argumenta, 280 quum oporteat hæreses esse, quæ esse non possent, si non & perperam scripturæ intelligi possent. Nactæ denique hæreses duos homines ab Apostolo ęditos, interiorem, id est, animam, & exteriorē, id est, carnē: salutem quidē animæ, id est, interiori homini: exitium vero carni, id est, exteriori adiudicauerūt: quia scriptū sit Corinthiis: *Nā etsi homo noster exterior corrumpitur,* 281 *sed interior renouatur de die & die.* Porro nec anima per semetipsam homo, quæ figmēto iā homini appellato postea inserta est: nec caro sine anima

homo

Ecc. 20. Matt. 22. 1. Cor. 15. Cap. XXVII. Ioan. 6. Ibid. Ibidem. Ioan. 5. Ioan. 6. Ibid. Matth. 9. Ioan. 11. Luc. 7. Cap. XXVII. Ca. XXXIX. Act. 23. Act. 26. Gen. 9. Act. 17. Cap. XL. 1. Cor. 4.

A homo, quæ post exilium animæ cadauer inscribitur. Ita vocabulum, *homo*, consertarum substantiarum duarum quodammodo fibula est, sub quo vocabulo non possunt esse nisi cohærentes. Porro Apostolus interiorem hominem non tam animam quam mentem atque animum intelligi mauult, id est, non substantiam ipsam, *Ephes. 3.* 282 sed substantiæ saporem. Siquidem Ephesiis scribēs 283 in interiorem hominem habitare Christum, 284 sensibus vtiq; intimandum Dominum significauit. Denique adiunxit: *per fidem*, &: *in cordibus vestris*, &: *in dilectione*. Fidem quidem & dilectionem, non substantia animæ ponens, sed conceptiua. *In cordibus*, autem dicens, *2. Cor. 4.* quæ substantiua sunt carnis, iam & ipsum interiorem hominem carni deputauit, quem in corde constituit. Inspice nunc quomodo exteriorem quidem hominem corrumpi allegarit, interiorem vero renouari de die ac die. Nec illorum corruptelam carnis affirmes, quam ex die mortis in perpetuum defectura patiatur: sed quam in istius vitæ spatio ante mortem & vsque ad mortem vexationibus & pressuris, tormentis atque suppliciis, nominis causa experietur: Nam & homo interior hic B vtique renouari habebit per suggestum spiritus, proficiens fide & disciplina de die ac die: non illic, id est, non post resurrectionem: vbi non vtique de die ac die renouari habemus. sed semel ad summam. De sequentibus *Ibid.* dicens: 285 *Quod enim ad præsens est*, inquit, *temporale & leue pressuræ nostræ per supergressum æternum gloriæ pondus perficiet in nobis, non intuentibus quæ videntur*, id est, passiones, *sed quæ non videntur*. id est, mercedes, *Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ vero non videntur, æterna*. Pressuras enim & læsuras, quibus corrumpitur homo exterior, vt leues & temporales, idcirco contemnendas affirmat, præferens mercedum æternarum inuisibilium & gloriæ pondus in compensationem laborum, quos hic caro patiendo corrumpitur. Adeo non illa est corruptio, quam in perpetuum carnis interitum, ad resurrectionem expellendam exteriori homini ascribunt. Sic & alibi: 286 *Siquidem*, ait, *compatimur, vti & conglorificemur. Reputo enim non dignas esse passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ in nos habet reuelari.* Et hic minora ostendit incommoda præmiis suis. Porro si per carnem compatimur, cuius proprie passionibus corrumpi, eiusdem erit & quod pro cōpassione promittitur. Atq; adeo carni ascribit pres- *2. Cor. 7.* C surarum proprietatem, 287 vt & supra dicat: *Quum venissemus autem in Macedoniam, nullam remissionem habuit caro nostra*. Dehinc vt animæ daret compassionem: 288 *In omnibus*, inquit, *compressi. Extrinsecus pugnæ*, debellantes scilicet carnem: *intrinsecus timor*, afflictans scilicet animam. Adeo etsi corrumpitur homo exterior, non vt amittens resurrectionem, sed vt sustinens vexationem corrumpi intelligetur, hoc non sine interiore. Ita amborum erit etiam conglorificari, sicut & compati. Secundum collegia laborum, consortia etiam decurrant Ca. XLI. necesse est præmiorum. [289 Eandem adhuc sententi- *2. Cor. 5.* am exequitur, remunerationes vexationibus præferens. 290 *Scimus enim*, inquit, *quoniam etsi terrena domus nostra huius tabernaculi dissoluatur, habemus domum non manufactā æternam in cœlis*, id est, per hoc quod dissoluetur caro nostra per passiones, domicilium cōsecuturi sumus in cœ- *Matth. 5.* lis. Meminerat Euangelicæ definitionis: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quia illorum est regnum cœlorum*. Non tamen carnis restitutionem negauit, si cōpensationem mercedis opposuit, cum ipsi compensatio D debeatur, cui dissolutio deputatur, scilicet carni. Sed quia domum dixerat carnem, elegāter voluit & in mercedis comparatione vocabulo domus vti, ipsi domui quæ dissoluetur per passionem, meliorem domum repromittens per resurrectionem. Nam & Dominus mul- *Ioan. 14.* tas mansiones, quasi domus, apud patrem repromittit. Quanquam & de domicilio mūdi potest intelligi, quo dissoluto æterna sedes repromittatur in cœlis: quia & quæ sequuntur, ad carnem manifeste pertinentia, ostēdunt priora non ad carnem pertinere. Diuisionem enim facit Apostolus, quum subiicit: 291 *Nam & in hoc in-* *2. Cor. 5.* *gemiscimus, domicilium nostrum, quod de cœlo est, superindui desiderantes: siquidem exuti non nudi inueniamur*, id est, ante E volumus superinduere virtutem cœlestem æternitatis quam carne exuamur. Huius enim gratiæ priuilegium illos manet, qui ab aduentu Domini deprehendentur in carne, & propter duritias temporum Antichristi merebuntur compendio mortis per demutationem expūctæ concurrere cum resurgentibus, sicut Thessalonicēsibus scribit. *Hoc enim dicimus vobis in sermone Domini, quod* *1. Thes. 4.* *nos qui viuimus, qui remanemus in aduenen Domini, non præueniemus eos qui dormierunt.* 292 *Quoniam ipse Dominus in iussu & voce archangeli & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primi. Dehinc nos cum ipsis simul rapiemur in nubibus obuiam Domino in aera: & ita semper cum Domino erimus.* [293 Horum demutationem ad Corinthios dedit, dicens: 294 *Omnes quidem resurgemus, non autem omnes demutabimur*, 295 *in atomo, in momentaneo motu oculi, in nouissima tuba*: Sed illi scilicet soli qui inuenientur in carne. 296 *Et mortui*, inquit, *resurgent, & nos demutabimur*. Hac ergo prius dispositione prospecta, reliqua reuocabis ad superiorem sensum, Nam quum adiicit, *O-* *2. Cor. 5.* *portet enim corruptiuum istud induere incorruptelam, & mortale istud induere immortalitatem*: hoc erit illud domicilium de cœlo, 297 quod gementes in hac carne superindui desideramus, vtique super carnem in qua deprehendemur, quia grauari nos ait, qui sumus in tabernaculo, quod nolimus exui, sed potius superindui, vti deuoretur mortale à vita scilicet dum demutatur, superinduendo quod est de cœlis. Quis enim non desiderabit, dū in carne est, superinduere immortalitalitatem, & continuare vitam lucrifacta morte per vicariam demutationem, ne inferos experiatur, vsque nouissimum quadrantem exacturos? Ceterum demutationem etiam post resurrectionem consecuturus est, inferos iam expertus. Abhinc enim definimus, carnem quidem omni modo resurrecturam, atque illam ex demutatione superuentura habitum angelicum suscepturam. Aut si in his solis qui inuenietur in carne, demutari eam oportebit, vti deuoretur mortale à vita, id est, caro ab illo superindumento cœlesti & æterno: ergo qui mortui deprehendentur, vitam non consequentur, priuati iam materia, &, vt ita dixerim, esca vitæ, id est, carne. Aut necesse est, recipiant eam & illi: vt & in ipsis mortale deuorari possit à vita, si vitam sunt consequuturi. Sed in mortuis, inquis, iam deuoratū erit mortale istud. Non vtique in omnibus. 298 Quantos enim licebit vel pridianos inueniri, tam recentia cadauera, vt nihil in illis deuoratum videri possit? Vtique enim deuoratum nonaliud existimas, quam interceptum, quam abolitum, quam omni sensu ereptum: quod comparere omni genere cessauerit. Nec Gigantum autem antiquissima cadauera deuorata constabit, quorum crates adhuc viuunt. 299 Diximus iam de isto alibi. 300 Sed & proxime in ista ciuitate 301 quum Odei fundamenta tot veterum sepulturarum sacrilega collocarentur: quingentorum fere annorum ossa adhuc succida, & capillos olentes populus exhorruit. Constat non tantum ossa durare, verum 302 & dentes incorruptos perennare, quæ vt semina retinentur fructificaturi corporis in resurrectione. Postremo etsi tunc deuoratum inuenietur mortale in omnibus mortuis, certe à morte, certe ab æuo, certe per ætatem, nunquid à vita, nunquid à superindumento, nunquid ab immortalitatis ingestu? Porro qui ab his ait deuoratum iri mortale, ab aliis negauit. Et vtique hoc à diuinis viribus, non à naturalibus legibus perfici præstarique conueniet. Ergo cum à vita habeat deuorari quod mortale est, id exhiberi omnifariam necesse est vt deuoretur, & deuorari vt demutetur. Si ignem dicas accendi oportere, non potes id per quod accenditur, alibi necessarium adfirmare, alibi non. Sic & cum infulcit: *Siquidem exuti non nudi inueniamur*, de eis scilicet qui non in vita, nec in carne deprehendentur à die Domini, non alias negauit nudos, quos prædixit exutos, nili quia & reuestitos voluit intelligi eadem substantia, qua fuerant spoliati. Vt nudi enim inuenientur, carne deposita, vel ex parte discissa siue detrita. Et hoc enim nu-

ditas potest dici. Dehinc & recipient eam, vt redinduti carnem, fieri possint etiam superinduti immortalitatẽ. Superindui enim nisi vestito iam conuenire non potest. [303 Proinde quũ dicit: 304 *Itaque confisi semper, & scientes quod quum immoramur in corpore, peregrinamurà Domino, per fidem enim incedimus, non per speciem* manifestum est, hoc quoque non pertinere ad offuscationem carnis quasi separantis nos à Domino. Et hic enim exhortatio fastidiendæ vitæ huius obuertitur, siquidem peregrinamur à Domino quam diu viuimus. Per fidem incedentes, non per speciem, id est, spe, non re, & ideo subiungit: 305 *Fidentes autem & bonum ducentes magis peregrinari à corpore & immorari ad Dominum,* scilicet vt per speciem magis incedamus quam per fidem, per rem potius quam per spem. Vides quam hic & corporum contemptum ad martyriorum præstantiam referat. Nemo enim peregrinatus à corpore statim immoratur penes Dominum, 306 nisi ex martyrii prærogatiua, paradiso scilicet non inferis 307 deuersurus. Defecerant autem Apostolo verba ad significandum de corpore excessum: An ratione etiam noue loquitur: temporalem enim absentiam à corpore volens significare, peregrinari nos ab eo dixit, quoniam qui peregrinatur, etiam reuertetur in domicilium. Exinde etiam ad omnes: 308 *Et ideo gestimus,* inquit, *siue peregrinantes, siue immorantes placibiles illi esse. Omnes enim manifestari nos oportet* 309 *ante tribunal Christi.* Si omnes, & totos: si totos, & interiores & exteriores, id est, tam animas quam & corpora, 310 *vti vnusquisque,* inquit, *reportet per corpus secundum quæ gesit, bonum, siue malum.* Hoc iam quomodo legas, quæro. quasi turbate enim per hyperbaton struxit, vtrumne quæ per corpus reportanda erunt, an quæ per corpus gesta sunt. Sed & si quæ per corpus reportanda sunt, corporalis indubitate resurrectio est: & si quę per corpus gesta sunt per corpus vtique pensanda sunt per quod & gesta sunt. Ita & totus hic à capite tractatus Apostoli tali clausula detextus qua carnis resurrectio ostenditur, secundũ hęc erit intelligendus quę cũ clausula consonant. [311 Si enim adhuc ad superiora respectes, vnde mentio hominis exterioris & interioris inducta est, nonne & dignitatem & spẽ carnis integrã inuenies? Dum n. de lumine quod illuxerit Deus in cordibus nostris 312 ad illuminationẽ agnitionis gloriæ suę in persona Christi, dicit habere nos thesaurũ istum in testaceis vasis, scilicet in carne, vtrumne quia testacea est, secundũ originem, scilicet ex limo, destruetur, an quia diuini thesauri cõditioriũ est, extolletur. Atquin si lumen ipsum Dei illud verum quod est in persona Christi, vitam in se continet, eaque vita cum lumine committitur in carnem, peritura est in quam vita committitur? Plane sic periturus & ipse thesaurus. perituris enim peritura creduntur, sicut veteribus vtribus nouum vinum. Cum item subiicit: *Semper mortificationem Christi Iesu circumferentes in corpore nostro,* qualis ista res est quæ post Dei templum, iam & sepulchrum Christi potest dici? Cur autem mortificationem Domini circumferimus in corpore? 313 *vti & vita Iesu,* inquit. *manifestetur.* Vbi, *in corpore nostro.* In quo: *in mortali:* ergo in carne plane mortali, secundum culpam, sed & vitali secundum gratiam, vide quantam vt in illa vita Christi manifestetur. In re ergo aliena salutis, sed in substantia perpetuæ dissolutionis, manifestabitur vita Christi æterna, iugis, incorrupta, iam & Dei vita? aut cuius temporis vita Domini manifestabitur in corpore nostro? Illa quidem quam vixit vsque in passionem, quæ non modo apud Iudæos in manifesto fuit, verum etiam omnibus nunc gentibus prodita est. Adeo eam significat 314 quæ portas adamantinas mortis, & æneas seras inferorum infregit, quæ exinde iam nostra est. Denique manifestabitur in corpore. quando? post mortem. quomodo? dum resurgimus in corpore, sicut & Christus. Nec enim quis argumentetur, nunc habere manifestari vitam Iesu in corpore nostro per disciplinam sanctitatis & patientiæ, & iustitiæ, & sapientiæ quibus Domini vita floruerit, prouidentissima Apostoli intentio ingerit: 315 *Si enim nos qui viuimus in mortem tradimur, propter Iesum, vt vita eius manifestetur in corpore nostro mortali.* Adeo defunctis nobis hoc ait, futurum in corpore nostro. Quod si tunc, quomodo nisi resuscitato eo? (proinde & in clausula: *Scientes,* ait, *quod qui suscitauit Iesum,* 316 *& nos suscitabit cum ipso, qui iam resurrexit à mortuis*) nisi quia: cum ipso, sicut ipsum sapit. Si vero sicut ipsum, non vtique sine carne. [317 Sed & rursus alia cæcitate in duos homines impingunt, in veterem & in nouum, monente Apostolo, deponere nos veterem hominem 318 qui corrumpitur per concupiscentiam seductionis, renouari autem spiritu sensus, & induere nouum hominem, qui secundum Deum conditus est, in iustitia, & religione veritatis, vt & hic ad duas substantias distinguendo, vetustatem ad carnem, nouitatem ad animam corruptionem perpetuam veteri defendat, id est, carni. Porro si secundum substantias, nec anima nouus homo, quia posterior, nec caro ideo vetus, quia prior. quantulum enim temporis inter manum Dei & adflatum? ausim dicere, etiamsi multo prior anima quam caro, eo ipso quod anima impleri se expectauit, priorem eam fecit. Omnis enim consummatio atque perfectio, 319 etsi ordine postumat, effectu tamen anticipat. Magis illud prius est, sine quo priora non possunt. Si caro vetus homo, quando istud? à primordio? atquin Adam nouus totus, & ex nouo vetus nemo. nã & exinde à benedictione genituræ, caro atq; anima simul fiunt sine calculo temporis, vt simul quæ in vtero etiam figurantur. 320 quod docuimus IN COMMENTARIO ANIMAE, 321 contemporant fœtu, coætaneant natu, duos istos homines sane ex substantia duplici, non tamen & ætate, sic vnũ ædunt, dum prior neuter est. Citiꝰ est totos nos aut vereres aut nouos esse: quan. alterum possimus esse, nescimus. Sed Apostolus veterẽ hominem manifeste notat. 322 *Exponentes enim,* inquit, *secundum pristinam conuersationem veterem hominem,* non secundum alicuius substantię senium. Neque enim carnem præcipit deponamus, sed quæ & alibi carnalia ostendit, opera non corpora accusans, de quibus & hic subiicit: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque ad proximum suum, quoniam membra alterutrum sumus. Irascimini autem, & nolite delinquere. Sol non occidat super iracundiam vestram. Neque dederitis locum diabolo. Qui furabatur, iam non furetur, immo potius laboret operando manibus, vti habeat impartire indigenti. Omnis sermo turpis non procedat ex ore vestro, sed si quis optimus ad ædificationem fidei, vt gratiam audientibus præstet. Et nolite contristare spiritum Dei sanctum in quo signati estis, in redemptionis die. Omnis amaritudo & ira & clamor & blasphemia & indignatio auferatur à vobis, cum omni malitia. Estote autem in alterutrum benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus vobis donauit in Christo.* Igitur qui carnem veterem hominem existimant, cur non mortem sibi properant, vt vetere homine depositio præceptis Apostoli occurant? Nos enim qui totam fidem in carne administrandam credidimus, immo & per carnem cuius est & os ad proferendum optimum quemque sermonem, & lingua ad non blasphemandum, & cor ad non indignandum, & manus ad operandum & largiendum tam vetustatem hominis quam nouitatem, ad moralem nõ ad substantialem differentiam pertinere defendimus. Atq; ita pariter agnoscimus, hominem qui secundum pristinam cõuersationem vetus fuerit, eundem & corrumpi ita dictum secundum concupiscentiam seductionis. quemadmodũ & veterem secundum pristinã conuersationem, non secũdum carnem per interitum perpetuũ. Ceterum carne tam saluum quam eundem, vt potest vitiosam disciplinam, non corpulentiam exutum. [323 Talem vbique Apostolum recognoscas, ita carnis opera damnantem, vt carnem damnare videatur: sed ne ita quis existimet, ex aliorum vel cohærentium sensuum suggestu procurantem. 324 Nam & dicens: Eos qui in carne sunt, Deo placere non posse, statim de praua intellectu ad integrũ reuocat, adiiciens: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.* Eos enim quos in carne esse cõstabat,

negan-

E

Ibid.

Cap. XLV. *Ephes.* 4.

F

Ibid.

Gal. 5. *Ephes.* 4. *Psal.* 4. *Ephes.* 4.

G

H

Cap. XLVI.

Rom. 8.

A

negando in carne esse, in operibus carnis non esse monstrabat. Atque ita illos demum Deo placere non posse, non qui in carne essent, sed qui carnaliter viuerent: placere autem illos Deo qui in carne positi, secundũ spiritum incederent. Et rursus: 325 *Corpus quidem*, ait, *mortuum, sed propter delinquentiam, sicut spiritum vitam propter iustitiam.* vitam autem morti opponens in carne constitutæ, sine dubio illic & vitam repromisit ex iustitia, vbi mortem determinauit 326 ex delinquentia. Ceterum frustra opposuit vitam morti, si non est illic vbi est & ipsa cui eam opposuit, excludendæ vtique de corpore. Porro si vita mortem de corpore excludit, non potest id perficere, nisi illud penetret vbi est quod excludit. Et quid ego nodosius, cum Apostolus absolutius: 327 *Si enim*, inquit, *spiritus eius qui suscitauit Iesum, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis*: vt & si animam quis corpus mortale præsumpserit, quum hoc & carnem negare non possit, carnis quoque resuscitationem cogatur agnoscere secundum eiusdem status communionem. Ex sequentibus adhuc discas opera carnis damnari, non ipsam. *Itaque fratres*, ait, *debitores sumus non carni vt secundum carnem viuamus: si enim secundum carnem vixeritis, futurum est vt moriamini: si vero spiritu actus carnis mortificaueritis, viuetis.* Porro vt ad singula quæque respondeam, si in carne constitutis secundum spiritum tamen degentibus salus repromittitur, iam non caro aduersatur saluti, sed operatio carnis. Operatione autem carnis exclusa, quæ causa est mortis, salua iam caro ostenditur causa carens mortis. 328 *Lex enim*, inquit, *spiritus vitæ in Christo Iesu manumisit me à lege delinquentiæ & mortis:* certe quam præmisit: habitare in membris nostris. Ergo iam membra nostra lege mortis non tenebuntur, quia nec delinquentiæ, à quibus manumissa sunt. *Quod enim inualidum erat legis in quo infirmabatur per carnem, misso Deus filio suo in similudine carnis delinquentiæ, & per delinquentiam damnauit delinquentiam in carne*, non carnem in delinquentia: neque enim domus cum habitatore damnabitur. 329 Habitare enim peccatum dixit in corpore nostro. Damnata autem delinquentia, caro absoluta est: sicut indemnata ea, legi mortis & delinquentiæ obstricta est. 330 Sic & sensum carnis mortem appellauit, dehinc & inimicitiã ad Deum, sed non carnem ipsam. Cui ergo, dices, reputabitur sensus carnis, si non substantiæ ipsi? Plane si probaueris aliquid carnem de suo sapere. Si vero sine anima nullius est sensus, intellige sensum carnis ad animam esse referendum, carni interdum deputatum, quia per carnem administratur. Et ideo habitare ait delinquentiam in carne, quia & anima à qua delinquentia inducitur, inquilina est carnis, mortificatæ quidem, sed non suo, verum deliquentiæ nomine. Nam & alibi: 331 *Quomodo*, inquit, *etiam nunc velut viuentes in mundo sententiam fertis?* non ad mortuos scribens, sed ad eos qui desinere deberent, mundialiter viuere. [332 Hæc enim erit vita mundialis, 333 quam veterem hominem dixit confixum esse Christo, non corporalitatem, sed mortalitatem. Ceterum si non ita accipimus, non est corporalitas nostra confixa, nec crucem Christi caro nostra perpessa est, sed quemadmodum adiecit, *vti euacuetur corpus delinquentiæ*, per emendationem vitę, non per interitum substantiæ, sicut ait *vti hactenus delinquentiæ seruiamus.* Et vt hac ratione commortui Christo credamus, quod etiam conuiuemus illic. *Sic enim*, inquit, *& vos reputate mortuos quidem vos*, cuinam? carni? non, sed *delinquentiæ.* Ergo salui erunt carne, viuentes autem Deo in Christo Iesu, per carnem vtique, cui mortui non erunt: delinquentiæ scilicet mortui, non carni. Nam & adhuc ingerit: *Ne ergo regnauerit in corpore vestro mortali delinquentia, ad obaudiendum illi, & ad exhibendum membra vestra arma iniustitiæ delinquentiæ. Sed exhibete vosmetipsos Deo velut ex mortuis viuos*, non velut viuos, sed velut ex mortuis viuos: *& membra vestra arma iustitiæ.* Et rursus, 334 *Sicut exhibuistis membra vestra famula immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete membra vestra famula iustitiæ in sanctificium. Quum enim serui essetis delinquentiæ, liberi eratis iustitiæ. Quem ergo fructum habebatis super his, de quibus nunc confundimini? finis enim illorum mors. Nunc vero liberi facti à delinquentia, famulati autem Deo, habetis fructum vestrum in sanctificium, finem autem vitam æternam. Stipendia enim delinquentiæ mors, donatiuum autẽ Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Ita per totam hanc sensuum seriem ab iniustitia & delinquentia membra nostra diuellens, & iustitiæ & sanctimoniæ adiungens, & transferens eadem à stipendio mortis ad donatiuum vitæ æternæ, carni vtique compensationem salutis repromittit, cui nullam omnino competisset imperari propriam sanctimoniæ & iustitiæ disciplinam, si non ipsius esset & præmium disciplinæ, 335 sed nec ipsum baptisma committi, si per regenerationem non etiam restitutioni inauguraretur, hoc quoque Apostolo ingerente: 336 *An ignoratis quod quicunque in Christum Iesum tincti sumus, in mortem eius tincti sumus consepulti ergo illi sumus per baptisma in mortem, vti quemadmodum surrexit Christus a mortuis, ita & nos in nouitate vitæ incedamus.* Ac ne de ista tantum vita putes dictum, quæ ex fide per baptisma in nouitate incedenda est, prouidentissime adstruit: *Si enim consati sumus simulacro mortis Christi, simul & resurrectionis erimus.* Per simulacrum enim morimur in baptismate, sed per veritatem resurgemus in carne, sicut & Christus 337 *Vt sicut regnauit in morte delictum ita & gratia regnet per iustitiam in vitam sempiternam, per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quomodo ita, si non æque in carne? vbi enim mors, ibi & vita post mortem, quia & vita ibi ante, vbi postea mors. Nam si regnum mortis nihil operatur quam carnis dissolutionem, proinde vitam contrariam morti, contrarium oportet operari, id est, carnis redintegrationem, vti sicut deuorauerat mors inualescendo, ita & mortali deuorato ab immortalitate, audire possit: *Vbi est mors aculeus tuus? vbi est mors contentio tua?* Si enim & gratia illic superabundabit, vbi & iniquitas abundabit. Sic & virtus in infirmitate perficietur? 338 quod periit saluum faciens, quod mortuum est viuificans, quod percussum est sanans, quod languit medicans, quod ereptum est redimens, quod famulatũ est liberans, quod seductum est reuocans, quod elisum est suscitans. 339 Et quidem de terra in cœlum, vbi nostrum municipatum Philippenses quoque ab Apostolo discunt: *Vnde & salutificatorem nostrum expectamus Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostræ humilitatis conformale corpori gloriæ suæ.* sine dubio post resurrectionem, quia nec ipse Christus glorificatus est ante passionem. Hæc erunt corpora nostra, quæ Romanos obsecrat exhibere, hostiam viuam, sanctam placibilem Deo. Quomodo viuam, si peritura sunt, quomodo sanctam, si profana sunt 340 quomodo placibilem, si damnata sunt, Age iam quod ad Thessalonicenses, 341 vt ipsius solis radio putem scriptum, ita claret, qualiter accipient lucifugæ isti scriptuarum: 342 *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos?* Non sufficit, sed sequitur: *Et integrum corpus vestrũ, & anima & spiritus sine querela conseruentur in præsentia Domini.* Habes omnem substantiam hominis saluti destinatam, nec alio tempore quam in aduentu Domini, qui clauis est resurrectionis. [343 Sed *caro*, inquis, *& sanguinis regnum Dei* 344 *hæreditatem possidere non possunt.* Scimus hoc quoq; scriptum, sed de industria distulimus hucusque, vt quod aduersarii in prima statim acie obstruunt, in vltima congressione prosterneremus, omnibus quæstionibus quasi auxiliis eius ante deiectis. Sed & nunc expectent præcedentia recognosci, vt & huic sensui sua origo præiudicet. Opinor Apostolos, disposita ad Corinthios omni distinctione Ecclesiasticæ disciplinæ, summam & sui Euangelii & fidei illorum in Dominicæ mortis & resurrectionis demandatione concluserat, vt nostræ spei regulam inde deduceret, vnde constaret. Itaque subicit: 345 *Si autem Christus prædicatur, quod à mortuis resurrexit, quomodo quidam dicunt in vobis, resurrectionem mortuorum non esse, quæ si non est, nec Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, vacua est & fides vestra, inuenimur autem falsi testes Dei, qui testimonium diximus*

aduer-

Ibid. Ibid. Ibid. Rom.7. Rom.8. Rom.7. Coloss.2. Rom.6. Ibid. Ibid. Ibid. Ibidem. Rom 5. 1.Cor.15. Rom.5. 2.Cor.12. Ezech.34 Philipp.3. Rom.12. 1.Thess.5. Cap. XLVIII. 1.Cor.15.

aduersus Deum, quod resuscitauerit Christum, quem non resuscitauit. Nam si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit. Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, quia adhuc in delictis vestris estis, & qui in Christo dormierunt, perierunt. Per hæc cui nos rei credendæ videtur exstruere? resurrectioni, inquis, mortuorum quæ negabatur. certe sub exemplo Dominicæ resurrectionis volens eam credi. certe, inquis. Exemplum porro ex diuersitate an ex paritate componitur? vtiq;, inquis, paritate. Quomodo autem Christus resurrexit, in carne, an non? sine dubio 346 si mortuum, si sepultum audis secundum scripturas, non alias quam in carne, æque resuscitatum in carne concedis. Ipsum enim quod cecidit in mortem, quod iacuit in sepultura, hoc & resurrexit, non tã Christus in carne quam caro in Christo Igitur si ad exemplum Christi resurgemus, qui resurrexit in carne, iã non ad exemplum Christi resurgemus, si non in carne & ipsi resurgemus, *quia per hominem*, inquit, *mors, & per hominem resurrectio*: vt separet quidem auctores, mortis Adam, Christum resurrectionis, eiusdem autem constitueret substantiæ resurrectionem cuius & mortem, per ipsorum auctorum in nomine hominis comparationem. Si enim *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*, carne viuificabuntur in Christo sicut in Adam carne moriuntur. *Vnusquisque autem, in suo ordine*, scilicet quia & in suo corpore. Ordo enim non aliud quam meritorum dispositor. Merita autem quum corpori quoque adscribantur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, vt possit esse meritorum. 347 Si autem & baptizantur quidam pro mortuis, videbimus an ratione. Certe illa præsumptione hoc eos instituisse contendit, qua alii etiam carni vicarium baptisma profuturum existimarent ad spem resurrectionis, quæ nisi corporalis, non alias sic baptismate corporali obligaretur. *Quid & ipsos baptizari* ait, *si non quæ baptizantur corpora resurgunt?* 348 Anima enim non lauatione, sed responsione sancitur. *Quid & nos*, inquit, *omni hora periclitamur*? vtique per carnem. Quoti die morior, vtique periculis carnis, per quam & depugnauit ad bestias Ephesi, 349 illas scilicet bestias Asiaticæ pressuræ, de qua in secunda ad eosdem: *Nolumus enim vos ignorare fratres de pressura nostra apud Asiam, quod* 350 *super quam grauati sumus supra vires, vti de vita hæsitaremus.* Omnia hæc, nisi fallor, eo enumerat, vt nolens vanam credi carnis conflictationem indubitate velit credi carnis resurrectionem. Vana enim habenda est conflictatio eius, cuius nulla erit resurrectio. Sed dicet quis: *Quomodo resurgent mortui, quo autem corpore venient?* Iam hic de qualitatibus corporum differit, an eadem ipsa, an alia resumantur. 351 Sed quum eiusmodi quæstio posterior habeatur, sufficiet interim ex hoc quoque corporalem definiri resurrectionem, quum de qualitate corporum quæritur. [352 Ventum est nunc ad carnem & sanguinem reuera totius quæstionis quasi substantias, quali conditione exhæredauerit Apostolus à Dei regno æque de antecedentibus discere est. 353 *Primus*, inquit, *homo de terra choicus*, id est, limaceus, id est, Adam. *Secundus homo de cœlo*, id est, Sermo Dei, id est, Christus, non alias tamen homo, licet de cœlo, nisi quia & ipse caro atque anima, quod homo, quod Adam. 354 Nam & supra *nouissimus Adam* dictus, de consortio substantiæ commercium nominis traxit, quia nec Adam ex semine caro, quod & Christus. *Qualis ergo choicus, tales & choici; qualis cœlestis, tales & cœlestes.* Substantia tales? an primo disciplina, dehinc & dignitate quam disciplina captauit? Atquin substantia nullo modo separabuntur choici atque cœlestes, semel ab Apostolo homines dicti. Si enim & Christus solus vere cœlestis, immo & supercœlestis, homo tamen qua caro atque anima, nihilo ex ista substantiarum conditione à choica qualitate discernitur: proinde & qui cœlestes secundum illum non de substantia præsenti sed de futura claritate cœlestes prædicati intelliguntur, quia & retro vnde distinctio ista manauit de dignitatis differentia ostensa est, *alia supercœlestium gloria, alia super terrenorum, & alia solis, alia lunæ, alia stellarum. Quia & stella differt à stella in gloria*, non tamen in substantia. Denique præmissa differentia dignitatis in eadem substantia & nunc sectandæ & tunc capessendæ. subiungit etiam exhortationem, vt & hic habitum Christi sectemur ex disciplina, & illic fastigium consequamur ex gloria: *Sicut portauimus imaginem choici, 355 portemus etiam imaginem supercœlestis.* Portauimus enim imaginem choici per collegium trangressionis, per consortium mortis, per exilium paradisi. Nam si & in carne sic putatur imago Adæ, sed non carnem monemur ponere. Si non carnem, ergo conuersationem, vt proinde & cœlestis imaginem gestemus in nobis, non iam Dei, nec iam in cœlo constituti, sed secundum liniamenta Christi incedentes in sanctitate & iustitia & veritate. Atque adeo ad disciplinam totum hoc dirigit, vt hic dicat portandam imaginem Christi in ista carne, & in isto tempore disciplinę. *Portemus* enim præceptiuo modo dicens, huic tempori loquitur, in quo homo nulla alia substãria est, quam caro & anima, aut si quam aliam, id est, cœlestę substantiam hæc fides spectat, huic tamę repromissa sit; cui ad illam elaborare mandatur. Quum igitur imaginę & choici & cœlestis in conuersatione constituat, illam eierandam, hanc vero sectandam, dehinc adiungat: *Hoc enim dico* (id est, propter ea quæ supra dixi: coniunctio est enim sensus supplementum antecedentibus reddens) *quod caro & sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt*, nihil aliud intelligi mandant carnem & sanguinem, quam supradictam imaginem choici: quæ si conuersatione censetur vetustatis, conuersatio autem vetustatis non capit Dei regnum, proinde caro & sanguis non capiendo Dei regnum ad conuersationem rediguntur vetustatis. Plane si nunquam Apostolus pro operibus substantiam posuit, nec hic ita vtatur. 356 Si vero in carne adhuc constitutos negauit esse in carne, in operibus carnis negans esse, formam eius subruere non debes, non substantiam, sed opera substantiæ alienantis à Dei regno. Quibus etiam ad Galatas manifestatis, prædicere se & prædixisse profitetur, *quod qui talia agunt, regnum Dei non sunt hæreditate consecuturi*, non portantes scilicet imaginem cœlestis, sicut portauerant choici, ideoque ex vetere conuersatione, nihil aliud deputandi, quam caro & sanguis. Nam etsi subito in hanc definitionem erupisset Apostolus: eliminandam carnem & sanguinem à Dei regno, sine vllius supra sensus præstructione, nonne duas istas substantias proinde hominem veterem interpretaremur carni & sanguini deditum, id est, esui & potui, cuius sit dicere aduersus fidem resurrectionis: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur?* Et hoc enim infulciens Apostolus, carnem & sanguinem de ructibus ipsorũ manducandi, & bibendi suggillauit. [357 Sed & omissis huiusmodi interpretationibus, carnis & sanguinis opera taxantibus, ipsas quoque substantias non aliter, quam sunt, intellectas licebit resurrectioni vindicare. Non enim resurrectio carni & sanguini directo denegatur, sed Dei regnũ quod obuenit resurrectioni 358 (est autem & in iudiciũ resurrectio) immo & confirmatur carnis resurrectio generalis, quum specialis excipitur. Dum enim in quem statum non resurgat edicitur, in quem resurgat subauditur. Atque ita dum pro meritis distinctionem resurrectionis opus substantię nõ genus patitur, apparet hinc quoque carnem & sanguinem nomine culpæ non substantiæ arceri à Dei regno, nomine tamen formæ resurgere in iudicium, quia non resurgant in regnum. Adhuc dicam: *Caro & sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt.* Merito sola & per semetipsa, vt ostenderet adhuc spiritum illis necessarium. *Spiritus* enim *est qui viuificat* in regnum Dei, *coro nihil prodest.* Prodesse tamen illis aliud potest, id est spiritus & per spiritum opera quoque spiritus. Resurgunt itaque ex æquo omnis caro & sanguis in qualitate sua. Sed quorum est adire regnum Dei, inducere oportebit vim incorruptibilitatis & immortalitatis, sine qua regnum Dei adire non possunt. antequam consequi eam possint. Merito ergo caro &

A

sanguis (vt diximus) sola regnum Dei capere deficiunt. Iam vero quum deuorari habeat corruptiuum istud ab incorruptibilitate, id est, caro: & mortale istud ab immortalitate, id est, sanguis post resurrectionem ex demutatione, merito demutata ac deuorata *caro & sanguis, regnum Dei hæreditate possidere possunt*, non tamen non resuscitata. 359 Sunt qui carnem & sanguinem Iudaismum velint accipi propter circumcisionem, alienum & ipsum à Dei regno, quia & ille vetustati deputetur, & hoc titulo iam & alibi ab Apostolo denotetur, qui post reuelatum in se Filium Dei, ad euangelizandum eum in nationibus, 360 statim non retulerit ad carnem & sanguinem, id est, ad circumcisionem, id est, ad Iudaismum, sicut ad Galatas scribit.

Gal. 1. Ca. LI

B

[361 Sed, pro omnibus iam stabit quod in clausulam reseruauimus, etiam pro Apostolo ipso reuera maximæ inconsiderantiæ reuincendo, si tam abrupte, vt quidam volunt, clausis (quod aiunt) oculis, sine distinctione, sine conditione, omnem passim carnem & sanguinem à regno Dei extrusit, vtique & ab ipsa regia cœlorum, 362 quum illic adhuc sedeat Iesus ad dexteram patris, homo etsi Deus: Adam nouissimus, etsi Sermo primarius, caro & sanguis, 363 etsi nostris puriora, idem tamen & substantia & forma qua ascendit, 364 talis etiam descensurus vt angeli adfirmant; agnoscendus scilicet et eis qui illum conuulnerauerunt. 365 Hic sequester Dei atque hominum appellatus ex vtriusque partis depositio commisso sibi, carnis quoq; depositum seruat in semetipso, arrhabonē summæ totius. 366 Quemadmodum enim nobis arrhabonem spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonē carnis accepit. & vexit in cœlum pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ. Securæ estote caro & sanguis, vsurpastis & cœlum & regnum Dei in Christo. Aut si negent vos in Christo, negent & in cœlo Christum, qui vobis cœlū negauerunt. 367 Ita nec corruptela, inquit, incorruptelam hæreditati habebit, non vt carnem & sanguinem existimes corruptelam, quando ipsa sint potius obnoxia corruptelæ, per mortem scilicet. Siquidem mors est, quæ carnem & sanguinem non modo corrumpit, verum etiam consumit. Sed quoniam opera carnis & sanguinis non posse consequi regnum Dei edixerat, quo magis hoc exaggeraret, ipsi quoque corruptelæ, id est, morti cui carnis & sanguinis opera proficiunt, hæreditatem incorruptelæ ademit. Nam & paulo post ipsius mortis quodammodo mortem expressit: 368 *Deuorata est mors*, dicens, *in contentionem. Vbi est mors aculeus tuus? Vbi est mors contentio tua? Aculeus autem mortis delinquentia*, hæc erit corruptela. *Virus autem delinquentiæ lex.* 369 Illa alia sine dubio, quam constituit in membris suis militantem aduersus legē animi sui, ipsam sc. vim delinquendi contra voluntatem. 370 Nam & supra nouissimum inimicum mortem euacuari ait. Hoc modo nec corruptela hæreditatem incorruptelæ cōsequetur, id est, nec mors perseuerabit. Quando & quomodo defectura? *Quum in atomo, in momentaneo oculi motu, in nouissima tuba & mortui resurgent incorrupti.* Qui hi, nisi qui ante corrupti, id est, corpora, id est, caro & sanguis? *& nos demutabimur.* De qua habitudine, nisi in qua deprehendemur? *Oportet enim corruptiuum istud induere incorruptionem & mortale istud induere immortalitatem.* Quid mortale, nisi caro? quid corruptiuū, nisi sanguis? ac ne putes aliquid aliud sentire Apostolum prouidentem tibi, vt de carne dictum intelligas laborantem, quum dicit, *istud corruptiuum, & istud mortale.* cutem ipsam tenens, dicit. Certe istud nisi de subiecto, nisi de comparenti pronunciasse non potuit. Demonstrationis corporalis est verbum. Aliud autem corruptiuum, aliud corruptela: & aliud mortale, & aliud mortalitas. Aliud enim quod patitur, aliud quod patiendi efficit. Ita quæ patiuntur corruptelam & mortalitatem, caro scilicet & sanguis, ea necesse est patiantur & incorruptelam & immortalitatem: [371 Videamus iam nunc, quo corpore venturos mortuos disputet. Et bene quod erupit statim ostendere, quasi quis eiusmodi quærat. 372 *Stulte*, inquit, *tu quod seminas, non viuificatur, nisi mortuum fuerit.* Hoc ergo iam de exemplo seminis constet, non aliam viuificari carnem, quam ipsam quæ erit mortua. Et ita sequēria relucebunt. Nihil enim aduersus regulam exempli licebit intelligi, ne quia sequitur, *& quod seminas, non corpus quod futurum est seminas*, id circo aliud resurrecturum corpus, quam quod moriendo seminatur, existimes. Ceterum excidisti ab exēplo. Nunquam enim frumēto seminato & in terra dissoluto hordeum erumpit & non idipsum genus grani, eademque natura & qualitate & forma Denique vnde? si non idipsum: & corruptela enim ipsum est, dum ipsius est. Non enim & suggerit, quomodo? *Non quod futurum est corpus seminatur*, dicens, *sed nudum granum: si forte frumenti aut alicuius eiusmodi. Deus autem dat illi corpus prout vult.* certe ei grano q̄ nudum seminari ait. Certe, inquis. Ergo saluum est cui dare habet Deus corpus. Quomodo autem saluum est si nusquam est, si non resurgit, si non idipsum resurgit? Si nō resurgit, saluum non est. Si non est & saluum, accipere corpus à Deo non potest. Sed enim saluum omni modo constat. Ad quid ergo dabit illi Deus, prout vult, corpus, habenti vtique proprium corpus illud nudum, nisi vt iam non nudum resurgat? ergo additicium erit corpus, quod corpori superstruitur, nec exterminatur illud cui superstruitur, sed augetur. Saluum est autē quod augetur, 373 Seritur enim solummodo granum sine folliculi veste, sine fundamento spicæ, sine munimento aristæ, sine superbia culmi. Exurgit autem copia fœneratum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu munitum, & vsquequaque vestitum. Hæc sunt ei corpus à Deo aliud, in quod non abolitione sed ampliatione, mutatur, 374 *Et vniquique seminum suum corpus deputauit non suum*, id est, non pristinum, vt tunc & illud suum sit, quod extrinsecus à Deo acquirit. Serui igitur exemplo, & conserua speculum eius carni, eandem credens fructificaturam quę sit seminata, ipsam, etsi pleniorē, non aliam, etsi aliter reuerentem. Accipiet enim & ipsa suggestum & ornatum, qualem illi Deus voluerit superducere secundum merita. Sine dubio ad hoc dirigit: *Non omnis caro eadem caro*, non ad denegandā substantiæ communionem, sed prærogatiuæ peræquationem, corpus honoris non generis in differentiam redigens. In hoc & figurata subiicit exempla animalium & elementorum. 375 *Alia caro hominis*, id est, serui Dei, qui vere homo est: *alia iumenti*, id est, ethnici, de quo & Propheta 376 *Adsimilatus est*, inquit, *homo irrationabilibus iumentis. Alia caro volucrum*, id est, martyrum, qui ad superiora conantur: *alia autem piscium*, id est, 377 quibus aqua baptismatis sufficit. 378 Sic & de supercœlestibus corporibus argumenta committit. *Alia solis gloria*, id est, Christi: *& alia lunæ*, id est, Ecclesiæ: *& alia stellarum*, id est, seminis Abrahæ. *Et stella enim à stella differt in gloria*, corpora terrena & cœlestia, Iudæus scilicet & Christianus. Cererum si non figurate, satis vane multorum & miluorum carnes, & corpora cœlestium luminum opposuit humanis, non pertinentia ad conditionis comparationem, sicut nec ad resurrectionis consecutionem. Postremo cum per hæc differentiam gloriæ, non substantiæ concluderet: *Sic* inquit, *& resurrectio mortuorum*. Quomodo? non de alio aliquo, sed de sola gloria differens. Rursus enim resurrectionem ad eandem substantiam reuocans, & ad granum denuo spectans: 379 *Seminatur*, inquit, *in corruptela, resurgit in incorruptela: seminatur in dedecoratione, resurgit in gloria: seminatur in infirmitate, resurgit in virtute: Seminatur corpus animale, resurgit spiritale.* Certe non aliud resurgit, quam quod seminatur: nec aliud seminatur, quam quod dissoluitur humi: nec aliud dissoluitur humi, quam caro; hanc enim sententia Dei elisit: *Terra es, & in terram ibis*, quia & de terra erat sumpta. Hinc & Apostolus concepit seminari eam dicere, quum redhiberetur in terram, quia & seminibus sequestratorium terra est, illic deponendis, & inde repetendis. Ideoque & reconsignat imprimens, 380 sic enim scriptum est: ne aliud existimes esse seminari, quā in

Marc. 16. 1. Cor. 1. Act. 1. Ioan. 19. 1. Tim. 2.

2. Cor. 5.

1. Cor. 15.

C

Ibid.

Rom. 7.

1. Cor. 15. Ibid.

D

Ca. LII 1. Cor. 15.

E

Ibid.

F

Ibid.

Ibid.

G

Psal. 48. 1. Cor. 15.

Ibid.

H

Ibid.

Gen. 3. 1. Cor. 3.

terram

terram ibis, ex qua es sumptus, sic ne alterius quam carnis, sic enim scriptum est. [381 Sed corpus animale animam quidam argumentantur, vt illum à carne auocent recidiuatum. Porro quum constet fixumque sit, illud resurrectum corpus quod fuerit seminatum, ad ipsius rei exhibitionem prouocabuntur. Aut ostendant animam seminatam post mortem, id est, mortuam: id est, humi elisam, disiectam, dissolutam, quod in illam à Deo decretum non est, proponant corruptelam eius, & dedecorationem, infirmitatem, vt ipsius sit etiã exsurgere in incorruptelam, & in gloriam, & in virtutem. 382 Sed enim in Lazaro præcipuo resurrectionis exemplo caro iacuit in infirmitate, caro pene computruit in dedecorationem, caro interim putruit in corruptionem, & tamen Lazari resurrexit, cum anima quidem, sed incorrupta, quam nemo vinculis lineis strinxerat, nemo in sepulchro collocarat, nemo iam fœtere senserat, nemo quatriduo viderat seminatam. Totum habitum, totum exitum Lazari, omnium quoque caro hodie experitur, anima vero nullius. In qua ergo stylus Apostoli comparet, de qua eum loqui constat, ea erit & corpus animale quum seminatur, & spiritale quũ suscitatur. Nam vt ita intellegat, manum adhuc porrigit, æque de eiusdem scripturæ auctoritate 383 factum retexens primum hominem Adam in animam viuam. Si Adam homo primus, caro autem homo ante animam, sine dubio caro erit facta in animam viuam. Porro in animam quum esset corpus, vtique animale corpus est facta. Quid eam appellari velint, quam quod per animam facta est, quam quod ante animam non fuit, quam quod post animam non erit, nisi quum resurgit? Recepta enim anima rursus animale corpus efficitur, vt fiat spiritale. Non enim resurgit, nisi quod fuit. Ita vnde carni competit corpus animale dici, inde animæ nullo modo competit. Caro enim ante corpus, quam animale corpus. Animata enim, postea, facta est corpus animale. 384 Anima vero etsi corpus, tamen quia ipsa est corpus, non animata, sed animans potius animale corpus non potest dici, nec fieri quod facit. Alii enim accidens facit illud animale: non accidens autem alii, quomodo de facie animale? sicut ergo ante animale corpus caro recipiens animam, ita & postea spiritale induens spiritum. Hunc ordinem Apostolus disponens, in Adam quoque & in Christo eum merito distinguit, vt in capitibus distinctionis ipsius. Et quum Christum nouissimum Adam appellat, hinc eum recognosce ad carnis non ad animæ resurrectionem, omnibus doctrinæ viribus operatum. Si enim & primus homo Adam caro, non anima, quidni quæ in animam facta est, & nouissimus Adam Christus ideo Adam, quia homo: ideo homo, quia caro, non quia anima, atque ita subiungit: 385 *Non primum quod spiritale, sed quod animale postea quod spiritale*, secundum vtrumque Adam. Ecquid tibi videtur corpus animale & corpus spiritale in eadem carne distinguere, cuius distinctionem in vtroque Adam, ideſt, in vtroque homine præstruxit, Vtraque enim substantia pariant interse Christus & Adam, scilicet & carne & anima, sed carnis nomine homo vterque sunt. Prior enim caro homo. Ex illa & ordinem admittere potuerunt, vt alter primus, alter nouissimus homo, id est, Adam, deputarentur. Ceterum diuersa in ordinem disponi non possunt, de substantia duntaxat. de loco enim aut tempore, aut conditione forsitan possint. Hic autem de substantia carnis, primus & nouissimus dicti sunt, sicut & rursus *primus homo de terra, & secundus de cœlo*. Quia etsi de cœlo secundum spiritum, sed homo secundum carnem. Itaque cum carni conueniat ordo in vtroque Adam, non animæ, vt *primus homo Adam in animam viuam, nouissimus in spiritum viuificantem* distincti sint, æque distinctio eorum carni distinctionem præiudicauit, vt de carne sit dictum, non in primum quod spiritale, sed quod animale, postea quod spiritale: atque ita eadem sit & supra intelligenda, & quæ seminetur corpus animale, & quæ resurgat corpus spiritale, quia non primum quod spiritale, sed quod animale, quia primus Adam in animam, nouissimus Adam in spiritum. Totũ de homine, totũ de carne, quando de homine. Quid ergo dicemus, nonne & nunc habet caro spiritum ex fide? vt quærendum sit, quomodo corpus animale dicatur seminari. Plane accepit & hic spiritum caro, sed arrhabonem, animæ autem non arrhabonem, sed plenitudinem. Itaque etiam propterea maioris substantiæ nomine animale corpus nuncupata est, in qua seminatur, futura proinde per plenitudinem spiritus insuper spiritale, in qua resuscitatur. Quid mirum si magis inde vocitata est, vnde conferta est, quam vnde respersa, [386 Ita de vocabulorum occasionibus plurimum questiones subornantur, sicut & de verborum communionibus. Nam quia & illud apud Apostolum positum est, vti deuoretur mortale à vita, caro scilicet, deuorationem quoque ad perditionem scilicet carnis arripiunt, quasi non bilem & dolorem dicamur deuorare, id est, abscondere, ac tegere, & intra nosmetipsos continere. Denique quum & illud scriptum sit: *Oportet mortale hoc induere immortalitatem*, ostenditur quomodo mortale deuoretur à vita, dum indutum immortalitate absconditur, & tegitur, & intus continetur, nondum adsumitur & amittitur. Ergo & mors, inquis, salua erit. quum fuerit deuorata. Ideo discerne pro sensibus communionem verborum, & integre intelliges. Aliud enim mors & aliud mortale. Aliter itaque deuorabitur mors, & aliter mortale. Mors non capit immortalitatem, mortale autem capit. Denique & scriptum est, quod necesse sit mortale hoc induere immortalitatem. Quomodo ergo capit? dum deuoratur à vita. quomodo deuoratur à vita? dum recipitur, & redigitur, & includitur in ipsam. Ceterum mors merito in interitum deuoratur, quia & ipsa in hoc deuorat. 387 *Deuorauit*, inquit, *mors inualescendo, & ideo deuorata est in contentionem. Vbi est mors aculeus tuus? vbi est mors contentio tua?* Proinde & vita, mortis scilicet æmula, per contentionẽ deuorabit in salutẽ, quod per contentionẽ deuorauerat mors in interitum. [388 Quamquam igitur resurrecturam carnem probantes, hoc ipso non aliam resurrecturam probemus, quam de qua agitur, tamen singulæ quæstiones, & causæ earum, proprios quoque flagitant congressus, licet aliunde iam cæsæ. Interpretabimur itaque plenius & vim & rationem demutationis, quæ ferme submINISTRAT alterius carnis resurrecturæ præsumptionem, quasi demutari desinere sit in totum, & de pristino perire. Discernenda est autem demutatio ab omni argumento perditionis. Aliud enim demutatio, aliud perditio. Porro non aliud, si ita demutabitur caro, vt pereat. Peribit autem demutata, si non ipsa permanserit in demutatione, quæ exhibita fuerit in resurrectione. Quemadmodum enim perit, si non resurgit ita etsi resurgit quidem, verum in demutationem subducitur, æque perit. Æque enim non erit, ac si non resurrexerit. Et quam ineptum, si in hoc resurgit, vt non sit, quæ potuit non resurexisse, nec esse, quia non esse iam cœperat. Non miscebuntur omnino diuersa, mutatio atque perditio, operibus vtique diuersa. Perdit hæc, illa mutat. Quomodo ergo quod perditum est, mutatum non est, ita quod mutatum est, perditum non est. Perisse enim est in totum non esse quod fuerit: mutatum esse, aliter esse est. Porro dum aliter est, id ipsum potest esse: habet enim esse quod non perit. Mutationem enim passum est, non perditionem. Atque adeo potest & demutari quid, & ipsum esse nihilominus, vt & totus homo in hoc æuo substantia quidem ipse sit, multifariam tamen demutetur, & habitu, & ipsa corpulentia, & valetudine, & conditione, & dignitate, & ætate, studio, negotio, artificio, facultatibus, sedibus, legibus, moribus, nec quicquam tamen amittat hominis, nec ita aliud efficiatur vt cesset idem esse: immo nec alius efficiatur, sed aliud. Hanc formam demutationis diuina etiam documenta testantur. Mutatur Moysi manus & quidem ad instar emortuæ, exanguis, & albida, frigida, sed & recepto calore, & refuso colore eadem caro & sanguis est. 389 Mutatur

Cap. LIV 2. Cor. 5.

1. Cor. 15.

Rom. 5. 1. Cor. 15.

Cap. LV. *Ibidem.*

Exod. 4. *Exod.* 34. 2. *Cor.* 3. *Act.* 9. & 7.

A

Matth. 17. Marc. 9. Luc. 8. 4. Reg. 2.

Philip. 3.

1. Reg. 10. 2. Cor. 11.

Cap. LVI.

B

1. Cor. 15.

Psal. 95.

Gal. 6. Ca. LVII.

C

D

postea & facies eiusdem, in contemplabili claritate. Sed Moses erat proinde qui non videbatur. 392 Sic & Stephanus angelicum iam fastigium induerat, sed non alia genua in lapidatione succiderant. 391 Dominus quoque in secessu montis etiam vestimenta luce mutauerat, sed lineamenta Petro agnoscibilia seruauerat. Vbi etiam Moses & Helias, aliter in imagine carnis nondum receptæ, alter in veritate nondum defunctæ, eandem tamen habitudinem corporis, eriam in gloria preseuerare docuerunt. De quo exemplo instructus & Paulus: *Qui transfigurabit*, inquit, *corpus humilitatis nostræ conforme fieri corpori claritatis suæ* Quod si & transfigurationem & conuersionem 392 in transitum substantiæ cuiusque defendis, ergo & Saul in alium virum conuersus, de corpore suo excessit, & ipse Satanas quum in angelum lucis transfiguratur, qualitatem suam amittit. non opinor. Ita & in resurrectionis euentum mutari, conuerti, reformari licebit cum salute substantiæ [393 Etenim quam absurdum: quam vero & iniquum, vtrumque autem quam Deo indignum, aliam substantiam operari, aliam mercede dispungi, vt hæc quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur: item contrario hæc quidem caro in spurcitiis volutetur, alia vero damnetur. Nonne præstat omnem semel fidem a spe resurrectionis abducere, quam de grauitate atque iustitia Dei ludere 394 Marcionem pro Valentino resuscitari? quando neque mentem, neque memoriam, neque conscientiam hominis hodierni credibile sit aboleri, per indumentum illud mutatorium immortalitatis & incorruptelæ, vacaturo scil. emolumento & fructu resurrectionis, & statu diuini vtrobique iudicii. Si non meminerim me esse qui merui, quomodo gloriam Deo dicam? quomodo canam illi nouum canticum, nesciens me esse qui gratiam Deo debeam? Cur autem solius carnis demutatio excipitur, nō & animæ simul quę in omnibus præstuit carni? quale est, vt eadem anima quæ in hac carne totum vitæ ordinē decucurrit, quæ in hac carne Deum didicit, & Christum induit, & spem salutis seminauit, in alia nescio qua metat fructum, 395 Næ illa gratiosissima caro, cui gratis vita constabit. Quod si non & anima mutabitur, iam nec animæ resurrectio est, nec ipsa enim resurrexisse credetur, si non alia resurrexerit. [396 Hinc iam illa vulgaris incredulitatis argutia est: si inquiunt, ipsa eademque substantia reuocatur cum sua forma, linea, qualitate, ergo & cum insignibus suis reliquis: Itaque & cæci & claudi, & paralytici, & vt quis insignis excesserit, ita & reuertetur. Quid nunc? etsi ita dedignaris tantam gratiam qualiscunque a Deo consequi. Non enim & nunc animæ solius admittens salutem, dimidiatis hominibus eandem adscribis, Quid est credere resurrectionem, nisi integram credere? Si enim caro de dissolutione reparabitur, multo magis de vaxatione reuocabitur. Minoribus maiora præscribunt. Cuiuscunque membri detruncatio, vel obtusio, nonne mors membri est? si vniuersalis mors resurrectione rescinditur, quid 397 portionalis, Si demutamur in gloriam, quanto magis in incolumitatem? Vitiatio corporum accidens res est, integritas propria est In hac nascimur, etiamsi in vtero vitiemur, iam hominis est passio. Prius est genus quam casus. Quomodo vita confertur à Deo, ita & refertur. Quales eam accipimus, tales & recipimus. Naturæ, non iniuriæ reddimur: 398 quod nascimur, non quod lædimur reuiuiscimus. Si non integros Deus suscitat, non suscitat mortuos. Quis enim mortuus integer, etsi integer, moritur, Quis incolumis, qui exanimis? quod corpus inlæsum, quum interemptum, quum frigidū. quum expallidū, quū edurum, quum cadauer? quando magis homo debilis, nisi quum totus? quando magis paralyticus,, nisi quum immobilis? ita nihil aliud est mortuum resuscitari, quam integrum fieri, ne ex ea parte mortuus adhuc sit, ex qua non resurrexerit. Idone' Deus reficere quod fecit. Hanc suam & potestatem & liberalitatem satis iam in Christo spopondit, immo & ostendit, non tantum resuscitatorem carnis, verum etiam redintegratorem. Atque adeo & Apostolus. *Et mortui*, inquit *resurgent incorrupti*. Quomodo nisi ingeri qui retro corrupti, tā vitio valetudinis quā & senio sepulturæ. Nā & supra vtrunq; proponens, oportere & corruptiuū istud induere incorruptelā, & mortale istud immortalitatem, non iterauit sententiam, sed differentiam demandauit. Immortalitatem enim ad resciſſionem mortis, incorruptelam ad oblitteration-em corruptelæ diuidendo, alteram ad resurrectionem, alteram ad redintegrationem temperauit. Puto autem & Thessalonicensibus omnis substantiæ integritatem repromisit. Itaque nec in posterum timebuntur corporum labes. Nihil poterit amittere integritas, vel conseruata, vel restituta, ex quo illi etiam si quid amiserat, redditur. Præscribens enim adhuc easdem passiones obituram carnem, si eadem resurrectura dicatur, naturam aduersus Dominum suum temere defendis, legem aduersus gratiam impie asseris, quasi Domino Deo non liceat & mutare naturam, & sine lege seruare. Quomodo ergo legimus, 399 *Quæ impossibilia apud homines, possibilia apud Deum sunt*, 400 & : *Stulta mundi elegit Deus, vt sapientiam mundi confundat*, Oro te, si famulum tuum libertate mutaueris, quia eadem caro atque anima permanebunt, quæ flagellis & compedibus & stigmatibus obnoxiæ retro fuerant, idcircone illas eadē pati oportebit, non opinor. 401 Atquin & vestis albæ nitore, & aurei anuli honore, & patroni nomine, ac tribu mensaq; honoratur, Permitre hanc & Deo potestatem per vim demutationis illius conditionē nō naturam reformandi, dum & passiones auferuntur, & munitiones conferuntur. Ita manebit quidē caro etiā post resurrectionem, eatenus passibilis qua ipsa, qua eadem, ea tamen impassibilis, qua in hoc ipsum manumissa à Domino, ne vltra pati possit. [402 *Iocunditas*, inquit Esaias, *æterna super caput eorum*. Nihil æternū nisi post resurrectionem, *Aufugit*, inquit, *dolor & mœror, & gemitus ab illis*. Proinde & Ioanni angelus: 403 *Et delebit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*. Vtique ex iisdem oculis qui retro fleuerant, quique adhuc flere potuissent, si non omnem lacrymæ imbrem indulgentia diuina siccaret. Et rursus: *Deus enim delebit omnem lacrymam ab oculis eorum*. & mors hactenus, igitur, & corruptela hactenus, proinde per incorruptelam fugata, quemadmodum mors per immortalitatem. Si dolor, & mœror, & gemitus, ipsaque mors ex læsuris & animæ & carnis obueniunt, quomodo auferentur, nisi cessauerint causæ, scilicet læsuræ carnis atque animæ, vbi casus aduersi apud Deū aut vbi incursus infesti apud Christū. vbi dæmonici impetus apud Spiritum sanctum, iam & ipso diabolo cum angelis suis ignibus merso. 404 Vbi necessitas, aut quod dicitur fortuna, vel fatum, quæ resuscitatis plaga post veniam, quæ reconcilitatis ira post gratiam, quæ infirmitas post virtutem, quæ imbecillitas post salutem. 405 Quod vestimenta & calceamenta filiorum Israelis quadraginta illis annis indetrita: & inobsoleta manserunt: quod & in ipsis corporibus vnguium & capillorum facilia crementa habilitatis & dignitatis iustitia defixit, ne etiam enormitas corruptelæ depuraretur: quod Babylonii ignes triū fratrū, nec tiaras, 406 nec Sarabaras, quanquam Iudæis alienas læserunt: quod Ionas deuoratus à belua maris, in cuius aluo naufragia digerebantur, triduo post incolumis expuitur: quod hodie 407 Enoch & Helias, nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, qua tamen de orbe translati, & hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria, & contumelia immunitatem carnis edisc unt, cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet, hæc futuræ integritatis esse documenta, 408 Figuræ enim nostræ fuerunt Apostolo auctore, quæ scripta sunt, vt & Dominum potentiorem credamus omni corporum lege, & carnis magis vtique conseruatorem. cuius etiam vestimenta, etiam calciamenta protexit. [409 Sed futurum inquis, æuum alterius est dispositionis & æternæ, igitur huius æui substantiam non æternam diuersa possidere non posse. Pla-

1. Cor. 15.

Ibidem.

1. Thess. 4.

Matth. 19. 1. Cor. 6.

F

Ca. LVIII. Isai. 35. Apoc. 7.

Apoc. 21.

G

Deut. 29.

Dan. 3. Ion. 2. Gen. 9. 4. Reg. 2.

H

Deut. 29. Cap. LIX.

nesi

ne si homo propter dispositionem futuram, & non dispositio propter hominem. Sed enim Apostolus scribens, *siue mundus, siue vita, siue mors, siue futura, siue præsentia,* 410 *omnia vestra sunt*, eosdem constituit hæredes etiam futurorum. Nihil tibi largitur Esaias, dicens: *Omnis caro fœnum.* 411 & alibi: *Et videbit omnis caro salutare Dei.* exitus non substantias distinxit. Quis enim iudicium Dei non in sententia duplici statuit salutis & pœnæ? *Omnis* igitur *caro fœnum*, quæ igni destinatur, *& omnis caro videbit salutare Dei*, quæ saluti ordinatur. 412 Ego me scio neque alia carne adulteria commisisse, neque nunc alia carne ad continentiã eniti. Si quis est bina pudenda circumferens, potest iam & demere fœnum carnis immũdæ, & solam sibi reseruare, quæ visura sit Dei salutare. Sed quum idem Prophetas etiam 413 nationes ostendat, nunc deputatas velut puluerẽ & saliuam, 414 nunc speraturas & credituras in nomen & in brachium Domini, numquid & de nationib. fallimur? & aliæ quidem sunt credituræ, aliæ in puluerem deputatæ, ex diuersitate substantiæ? Sed & Christus intra oceanum, & de isto cælo quod nobis incubat, 415 verum lumen nationibus effulsit, 416 & ipsi Valentiniani hic errare didicerunt, nec alia erit forma nationum credentium, nisi quæ & non credentium, de carne, de anima. Sicut ergo easdem nationes nõ genere, sed sorte distinxit, ita & carnes quæ in ipsis nationibus vna substantia est, non materia, sed mercede disiunxit. [417 Ecce autem vt adhuc controuersiam exaggerent carni maxime eidem, de officiis quoque membrorum argumentantur, aut & ipsa dicentes permanere debere in suis operibus & fructibus, vt eidem corpulentiæ adscripta: aut quia constet discessura esse officia membrorum, corpulentiam quoque eradant, cuius scilicet perseuerantia credendanon sit, vtiq; sine membris, quia nec membra credenda sint sine officiis. 418 Quo enim iam, inquiunt, spelunca hæc oris, & dentium statio, & gulæ lapsus, & compitum stomachi, & alui gurges, & intestinorũ perplexa proceritas, cum esui & potui locus non erit? Quo huiusmodi membra admittunt, subiungunt, deuoluunt, diuidunt, digerũt, egerunt? quo manus ipsæ & pedes & operatii quiq; artus, cum victus etiam cura cessabit? quo renes conscii seminum, & reliqua genitalium vtriusq; sexus, & concepruum stabula, & vberum fontes, decessuro concubitu, & fœtu, & educatu? Postremo, quo totum corpus, totum scilicet vacaturum? Ad hæc ergo præstruximus non oportere committi futurorum atq; præsentium dispositiones, intercessura tunc demutatione: & nunc superstruimus officia ista membrorum necessitatibus vitæ huius, eo vsque consistere, donec & ipsa transferatur à temporalitate in æternitatem, sicut animale corpus in spiritale, dum mortale istud induet immortalitatem, & corruptiuum istud incorruptelam, & ipsa autem liberata tunc vita à necessitatibus liberabuntur & membra ab officiis, nec ideo non erunt necessaria. Licet enim officiis liberentur, sed iudiciis retinẽtur, vt quis referat per corpus prout gessit. Saluum enim hominẽ tribunal Dei exigit, saluum vero sine membris non licet esse, ex quorum non officiis, sed substantiis constat, nisi forte, & nauem sine carina, sine prora, sine puppi, sine compaginis totius incolumitate saluam adseuerabis, & tamen nauẽ procella dissipatam, 429 vel carie dissolutam, 420 redactis & recuratis omnibus membris, eandem sæpe cõspeximus etiam titulo restitutionis gloriantem de Dei artificio & arbitrio & iure torquemur? Porro si dies dominus & liberalis adfectui aut gloriæ suæ præstans solum nauis restitutionem, hactenus eam voluerit operari, idcirco tu negabis necessariam illi compaginem pristinam, vt exinde iam vacaturam, cum soli saluti nauis sine operatione conueniat? Igitur hoc tantummodo discere sufficit, an Dominus hominem saluti destinando, carnem destinarit, an eandem velit denuo esse, quam non debebis ex futura membrorum vacatione præscribere denuo esse non posse? Licet enim esse quid denuo, & nihilominus vacare, nec potest autem dici vacare, si non sit. At enim si sit, poterit & non vacare, nihil enim apud Deum vacabit. [421 Sed accepisti hom o os ad vorandum atque potandum, cur non potius ad eloquendum, vt à ceteris animalibus distes? cur nõ potius ad prædicandum Deum? vt etiam hominibus antistes. Deniq; Adam ante nomina animalibus enuntiauit, quam de arbore decerpsit, ante etiam prophetauit, quam vorauit. Sed accepisti dentes 422 ad macellum coornandum, cur non potius ad omnem hiatum & rictum tuum coronandum? cur non potius ad pulsus linguæ temporandos, ad vocis articulos offensione signãdos? denique & edentulos audi & vide, vt honori oris & organum dentium quæras. Forata sunt inferna in viro & in fœmina, nimirum qua libidines fluitent. cur non magis qua potuum defruta colentur? Est adhuc in fœminis intus, quo semina congerantur? an quo sanguinis onera secedant, quem pigrior sexus discutere non sufficit? Dicenda enim & hæc, quatenus quæ volunt, & qualiter volunt & quorum volunt officia membrorum ludibriose de industria suffudendæ resurrectionis oblatrant, non recogitantes ipsas prius causas necessitatis tunc vacaturas, cibi famem, & potus sitim, & concubitus genitură, & operationis victum. Sublata enim morte, neque victus fulcimenta ad præsidia vitæ, neque generis supparatura grauis erit membris. Ceterum & hodie vacare intestinis & pudendis licebit. Quadraginta diebus Moses & Helias ieiunio functi, solo Deo alebantur. Iam tunc enim dedicabatur: 423 *Non in pane viuet homo, sed in Dei verbo.* Ecce virtutis futuræ lineamenta. Nos quoque vt possumus à cibo excusamus, etiam sexũ à congressione subducimus. 424 Quot spadones voluntarii. 425 quot virgines Christo maritatæ? quod steriles vtriusq; naturæ infructuosis genitalibus structi? Si & hic iam vacare est & officia & emolumenta membrorũ temporali vacatione vt in temporali dispositione, nec homo tamen minus saluus est: proinde homine saluo, & quidem magis tunc vt in æterna dispositione, magis non desiderabimus quæ iam hic non desiderare cõsueuimus. [426 Sed huic disceptationi finem Dominica pronuntiatio imponit: 427 *Erunt*, inquit, *tanquam angeli.* Si non nubendo, quia nec moriendo, vtique nec vlli simili necessitati succidendo corporalis conditionis. 428 Quia & angeli aliquando tanquam homines fuerunt, edendo & bibendo, & pedes lauacro porrigendo. Humanam enim induerãt superficiem, salua intus substantia propria. Igitur si angeli facti tanquam homines in eadem substantia spiritus carnalem tractationem susceperunt, cur non & homines facti tanquam angeli in eadem substantia carnis spiritalem subeant dispositionem, non magis solennibus carnis obnoxii sub angelico indumento, quam angeli tunc solennibus spiritibus sub humano? Nec ideo non permansuri in carne, quia non & in solennibus carnis, quum nec angeli ideo non & in spiritu permanserint, quia non & in solennibus spiritus. Denique non dixit, *erunt angeli*, ne homines negaret: sed *tanquam angeli*, vt homines conseruaret. Non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit. [429 Resurget igitur caro, & quidem omnis, & quidem ipsa, & quidem integra. In depósito est vbicunq; apud Deum per fidelissimum sequestrem Dei & hominum Iesum Christum, qui & homini Deum, & hominem Deo reddet, carni spiritum, & spiritui carnem. Vtrumque iam in semetipso fœderauit, sponsam sponso, & sponsum sponsæ comparauit. Nam etsi animam quis contenderit sponsam, vel dotis nomine sequetur animam caro. Non erit anima prostituta, vt nuda susciptiatur à sponso. Habet instrumentum, habet cultum, habet mancipium suum carnem, vt collectaneã comitabitur. Sed caro est sponsa, quæ in Christo Iesu sponsum per sanguinem pacta est. Huius interitum quẽ putas, secessum scias esse. Non sola anima seponitur habet & caro suos sinus interim, in aquis in ignibus, in alitibus, in bestiis. quum in hæc dissolui videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, quum de illis quoque effluxerit, in suam matricem terram quasi per ambages resorbetur, 430 vt rursum ex

A Cor. 3. vel. 40. & 15.

Iud. 40. & 42. & 53.

B

Cap. LX.

C

1. Cor. 15.

2. Cor. 5.

D

A Cap. LXI.

Gen. 2. & 3

F

Exod. 24. 3. Reg. 19. Matth. 4.

Cap. LXII Matth. 22. Gen. 18. ac 19.

G

Matt. 22. Ca. LXIII.

H

illa repræsentetur Adam auditurus à Domino : 431 *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*, vere tunc compos mali quod euasit, & boni quod inuasit. Quid anima inuides carni? nemo tam proximus tibi quem post Dominum diligas, nemo magis frater tuus, 432 quam quæ tecum etiam in Deo nascitur. Tu potius illi exorare debueras resurrectionem, per te si forte deliquit. 433 Sed nihil mirum si odisti, cuius auctorem quoque respuisti, quam & in Christo aut negarant mutare consueuisti proinde & ipsum Sermonem Dei, qui caro factus est vel stylo vel interpretatione corrumpens, arcana etiam apocryphorum superducens, blasphemiæ fabulas. At enim Deus omnipotens aduersus hæc incredulitatis & peruersitatis ingenia, prouidentissima gratia sua effundens in nouissimis diebus de suo Spiritu in omnẽ carnem, in seruos suos & ancillas, & fidem laborantem resurrectionis carnalis animauit, & 434 pristina instrumenta manifestis verborum & sensuum luminibus ab omni ambiguitatis obscuritate purgauit. Nam quia hæreses esse oportuerat, vt probabiles quique manifestarentur, 435 hæ autem sine aliquibus occasionibus scripturarum audere non poterant, idcirco pristina instrumenta quasdam materias illis videntur submini-strâsse, & ipsas quidẽ iisdem literis reuincibiles. 436 sed quoniam necdum dissimulare Spiritum sanctum oportebat, quo minus & eiusmodi eloquiis superinundaret, quæ nullis hæreticorum versutiis semina subspargerent, immo & veteres eorum cespites vellerent; id circo iam omnes retro ambiguitates, & quas volunt parabolas, aperta atque perspicua totius sacramenti prædicatione discussit, per nouam Prophetiam de Paracleto inundantem, cuius si hauseris fontes, nullam poteris, sitire doctrinam, nullus te ardor exuret quæstionum, resurrectionem quoque carnis vsquequaque potando refrigerabis.

ADNOTATIONES I ACOBI PAMELII IN LIBRVM DE RESURRECTIONE CARNIS.

CAP. I.

1. Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum.] *Caput hoc primum inscripsimus:* Quod resurrectionem carnis seculum non ignorarit.

2. & tamen defunctis parentant.] *In eandem pene sententiam Epiph. in Ancoratu: Græci, inquit, rursus redarguuntur, Resurrectionem in totum negantes; deferentes in monumenta cibos, & potus. In Pandemis, hoc est popularibus diebus, edulia quidem in totum exurunt, vina vero libant: nihil commodi mortuis ex hoc afferentes, immo potius seipsos ladentes. Veruntamen coguntur à consuetudine confiteri mortuorum resurrectionem. Nam vbi posita sunt corpora defunctorum, accedunt & inclamant, nomina proferentes mortuorum, dicentes: Resurge tu, comede, bibe, & lætare. De hoc præterea vide supra Adnot. nostras Tom. 1. li. de Testim. Animæ, cap. 4. nu. 20. Legimus autem iterum cum 1. edit. & Vatic. 3. ms. cod.* pro temporibus esculentorum, *ac si dicat, talibus esculentis qualia tempus anni quodque adfert. Substitutum erat:* sepultorum; *sed non placet, eo quod infra cap. 4 legatur:* & ipsorum temporum propria gula. *Sive autem legas cum aliis:* At ego magis iidebo, *sive:* rideo *cum Vatic. 1. ms. cod. perinde est, quamquam interim magis sit frequens.* Rideo *(inquit lib. 3 adu. Marc.)* si quem ad bellum ense cingebat. *Est eadem ratio lectionis vulgatæ:* sacrificat an insultat, *ac Vatic. 3.* sacrificat cui insultat.

3. quum crematis cremat.] *Subauditur aliquid (inquit Rhen.) Sensus est:* sacrificat ne, an insultat *potius*, quum crematis *hominum corporibus, superiniectos etiam cibos* cremat.

4. Nihil esse post mortem, Epicuri schola est, &c.] *De hoc vide supradict. Apolog. c. 48. n. 610. ac l. de Testim Animæ, c. 4. num. 17. denique etiam l. de Anima, c. 42 n. 464. sicuti etiam ibidem nu. 465. de loco Senecæ hic citato.*

5. si non minor Philosophia Pythagoræ & Empedocli.] *De hac in hac verba supradicto cap. de Testim. Animæ Auctor:* Etsi Pythagorica multo honestior, quæ in bestias reformat, *de qua latius, tum paulopost, tum etiam supradicto lib. de Anima, cap. 28. 29 30. & 31. ac de* Empedoclis *simili opinione, cap. 32 ac 33. Denique de* Platonicorum sententia de immortalitate Animæ, *plures locos libri eiusdem.*

6. etsi non in humana tantummodo, &c.] *Pythagoras (inquit Rhenan.) apud Ouidium huiusmodi μετεμψύχωσιν docens, ait:*

--Et quoslibet occupat artus
Spiritus eque feris humana in corpora transit.

7. vt Euphorbus in Pythagoram, Homerus in pauum, &c.] *Acron Grammaticus (inquit Rhenanus) exponens illud Horatij in Oda 28.*

--habentque
Tartara Panthoiden iterum Orco
Demissum:--

Pythagoram, inquit, significat, qui prædicauit se apud Troiam Euphorbum *Panthoi filium fuisse, qui interfectus à Menelao iterum reuixit factus Pythagoras; idque eum cognouisse agnito clypeo quem templo* Euphorbus *fixerat. Hic autem, & in* Homerum *dicitur renatus, postea in* pauonem, *postremo in Ennium poetam hactenus ille. Proinde sic apud Ouidium 15. lib. Metam. loquitur* Pythagoras:

Ipse ego (nam memini) Troiani tempore belli.
Panthoides *Euphorbus* eram, cui pectore quondam
Hæsit in aduerso grauis hasta minoris Atridæ.
Cognoui clypeum læuæ gestamina nostræ,
Nuper Abantei templo Iunonis in Argis.

De iisdem plura vide cap. 28. num. 362. ac 365. l. de Anima, & c. 33. num. 407.

8. Certe recidiuatum, &c.] Recidiuatum *(inquit Rhen.) vsurpat in quarta inflexione. Sic infra c. 18.* Quæ carnis recidiuatum pollicentur. *Similiter etiam cap. 30.* recidiuatus, *inquit*, Iudaici status, *& rursum c. 53.* vt illum a carne auocent recidiuatum. *Sive autem legas:* mutata *cum exc. sive* immutata *cum Vat. 2. cod. ms. perinde est.*

9. licet non adita veritate.] *Scripsimus (inquit idem Rhen.)* adita veritate, *ab exemplaribus scriptis dissentientes, vt sit ab adeundo. Metaphora est pulsantis ostium, qui tamen nolit, aut non possit ingredi. Sic infra:* Qua quis adita veritate redanimatus & reuiuificatus Deo. *Locus citatus à Rhenano reperitur infra cap. 19.*

CAP. II.

10. Si vero & apud Deum aliqua facta est, &c.] *Titulum huic cap. damus:* Quod hæretici, Sadducæorum partiarii, non agnoscant Resurrectionem, qui tamen ex libris aliis ab Auctore scriptis, refutantur, sicuti etiam Lucani opinio Libro de Anima.

11. Sadducæi,] *Præter Matth. cap. 22. Marc. 12. ac Luc 20. ad quæ hic adludit, eundem etiam errorem supra* Sadducæis *adtribuit Auctor lib. de Præscript. adu. hær. c. 45. nu 297. supra quoque l. de Carne Christi, c. 1. nu. 3 & infra c. 36. vbi latius has scripturas deducit.*

12. partiarios sententiæ illorum.] Marcionitas *(inquit Rhen.) & Apellitas, hæreticos intelligit, partim cum* Sadducæis *sentientes, dimidiatamque agnoscentes resurrectionem. Similiter autem dixit l. 3. aduersus Marc.* cum partiariis erroris tui Iudæis. *Neque vero solos Marcionitas intelligit, sed etiam (quorum mox meminit, & supra lib. de Præscript. adu. hæret. cap. 46. hær. 4. nu. 304. ac cap. 49. hær. 12. nu. 315.)* Basilidem & Valentinum, *item* Saturnium, *de quo ibidem ca. 46 hær. 3. num. 303* Ophitas, *de quibus ca. 47. hær. 6. num. 307.* Carpocratem, *de quo cap. 48 hær 9, num. 311.* Marcum & Colarbasum, *vti patet cap. 50 hær. 15. nu. 319.* Cerdonem, *de quo c. 51. hær. 16. nu. 321. vbi etiam de* Marcione *supradicto, hær. 17. nu. 322. ac de* Apelle, *hær. 9 nu. 324.*

13. alterius diuinitatis hæretici.] Alterius *(inquit Rhen.) pro* alius, *id est, diuersæ, vt mox:* in alterius diuinitatis insinuatione, & ad alterius diuinitatis temperant sensum, *ac deinde* ad alterius spei auctorem. *Vocat autem* alterius diuinitatis hæreticos, *qui alium Deum præter creatorem sibi confingebant vtpote, qui hic recitantur,* Marcionem, Basilidem, Valentinum, & Apellem, *sicuti constat ex Adnot nostris modo citatis, & præterea* Simonem, *de quo dicto l. de Præscript adu. hær. cap. 46. hær. 1. nu. 301. (cui adeo etiam B. Augustinus priorem errorem adscribit lib. de hær.* Menandrum, *hær. 2. nu. 302.* Saturninum *item*, Ophitas, Carpocratem, Cerinthum, Valentinianos, Ptolomæum ac Secundum, & Heracleonem, *de quibus ca. 49. hær. 13. ac. 14. nu. 316. ac. 317.* Cerdonem, *&* Tatianum *de quo cap. 53. hær. 20. nu. 326.*

14. aut nullius veritatis contendentes, &c.] *De horum hæresibus vide supra totum librum sparsim De Carne Christi, & potissimum cap. 1. num. 11.*

15. Propterea & nos volumen præmisimus De Carne Christi &c.] *Nominatim hic citat dictum librum de* Carne Christi, *etiam argumentum eius paucis verbis explicans qua adeo supra eius libri Argumento adiecimus. Atqui ex Vat 3. cod. ms. correximus:* aduersum phantasmatis natiuitatem, *pro* vanitatem, *nam omnino supradicti hæretici adfirmabant, Christi natiuitatem phantasma esse.*

16. cuius conditio.] *Habent quidem iidem ms. 3. Vat. cod.* editio, *verum, præterquam quod* conditio *solet ab Auctore pro creatione vbique accipi, legitur verisimiliter infra c. 5.* quo carnis conditio qualsatur, *ac* carnis primum conditio munietur, *& rursum:* pro conditione scilicet rerum, *item c. 11.* conditionem Deo nostro adscribunt, *vbi ad marginem idipsum adnotauit Rhen. & c. 12.* vniuersa conditio recidiua, *& c. 26.* semel homini addicta conditione. *Atqui recte etiam Rhen illud:* Christum & hominem & filium hominis inscripserit, *interpretatur: declarauerit. Proprie autem accipitur infra c. 34. cum dicitur:* totum hominem elogio transgressionis inscripsit.

17. & obducimus.] *Obducere inquit idem, pro euincere. Et mox:* Obducti dehinc de Deo *(sic enim in hac editione distinximus, exposcente sensu) pro conuicti. Vide plures similes locos supra l. de Carne Christi, nu. 147.*

18. Hoc ferme modo dicimus ineundam cum hæreticis disce-

prationem.] *Sicuti alibi, sic & hic, protestatur Auctor priusquam ineat cum hæreticis disputationem: ne sibi contrarietur, quod sæpedicto l. de Præscript. aduers. hær. præscribat, non esse cum illis disceptandum, cuiusmodi locos plures videre est Adn. nostris ibidem ca.15.n.89. Atqui accipitur mox illud.* ordinarie, *pro:* ordinate, *ac cum ordine debito. Legimus autem paulopost:* ad alterius spei Auctorem etiam vltra suspicandum, *ex Vat.3.ms. pro:* vltro. *Indicare enim vult, ex vno errore in alterum vlteriorem delabi paulatim hæreticos. De Prouerbiali denique formula:* quo cuneo occurrendum sit *(quod substituit ex Britannico codice Gelenius, pro:* decurrendum*) videantur nostra Prolegomena.*

19. De DEO quidem VNICO, & CHRISTO EIVS ADVERSVS MARCIONEM, &c.] *Intelligit 2. & 3. libr. adu. Marcionem, quorum ille: de* Deo vnico, *hic de* Christo eius: *late tractat, quas proinde scripti materias etiam titulis illorum addidimus.*

20. DE CARNE vero DOMINI, etiam ADVERSVS QVATVOR HÆRESES, &c.] *Etiam ex hoc loco titulum libri de Carne Christi, quem iam iterum citat, locupletauimus, & quæ sint hæ* quatuor hæreses, *ibidem adnotauimus c.1.n.8.9.* 10.11.

21. Quia & hoc latere vnio diuinitatis defendetur.] Vnio *pro vnitate, accipitur. De Prouerbiali altera forma,* hoc latere defendi, *ad Prolegomena nostra. Perinde etiam est, siue legas tum vulgatis:* defendetur, *siue cum ms. 3. Vat. cod.* defenditur. *Denique:* retractatus, *pro tractatu, Auctori frequenter vsurpatur.*

22. Viderit vnus aliqui Lucanus.] *Sic dixit (inquit Rhen.)* aliqui Lucanus, *id est,* aliquis Lucanus, *vt in l. de Car. Christi, c.12.* in Lazaro aliquo. *Et ibidem mox, c.14* In aliquo Zacharia, *& hic paulopost, c.3.* Vtar ergo & sententia Platonis alicuius, *item l.1. adu. Marc.* Si non aliquis Esaias. *Intelligit autem* Lucanum *hæreticum, cuius mentionem fecit in libro De hæresib. nempe posteriori parte l. de Præscript. adu. hæret. c.51. hær.18. n.323. Patet autem hinc, etiam Rhenanum in ea fuisse sententia, quod diuidi deberet liber ille in duos, de quo post eiusdem libri Argumentum latius.*

23. quam secundum Aristotelem dissoluens.] *An* Aristoteles *mortalem Animam dixerit, an vero immortalem, adhuc in scholis quæstio agitatur. Certe Auctor, quamquam supra li. de Anima, ca 6. n.85. dubitare videatur, hic* dissolutionem Animæ secundum Aristotelem *tribuens, priorem sequitur opinionem, & apertius B. Iustinus Martyr Apol.1. Aristoteles, inquit, Entelechiam eam nominans, non immortalem, sed mortalem esse vult. Nec absimiliter alicubi Origenes, Gregorius Nyssenus l.2. Philos. de Anima, c.4. ac Theodoretus de curand. Græc affect. l.3. Plutarchus denique de placit. Philos. l.5. ca. 1. In contrariam sententiam ierunt iam olim, ipse Plutarchus eiusdem l.c.25. dum dicit:* Aristoteles *communem somnum corporis & animæ autumat, mortem vero esse absolutam refrigerationem, quam ipsam corporis solius esse, non etiam animæ, cuius neutiquam mors sit: Theophrastus ac Themistius eius discipuli, Simplicius item, Ammonius vterque, & Olympiodorus eius interpres, S. Thomas denique Aquinas, & Theodorus Metochites. Quos interim duos posteriores, scribit Carpentarius (in Philos. Plat. Alcuini c.18.) ex vna eademque particula l. 12. Metaphys. colligere intellectus immortalitatem, ex qua Alexander mortalitatem colligit.*

24. Sed vrsus forsitan, qua Lucanus.] *Adlusio est (inquit Rhen.) ad gentis nomen. Sita est* Lucania *inter Campaniam & Brutios. Horatius:*

Pecusve Calabris ante sidus feruidum
Lucana mutet pascua.

25. Habet & iste à nobis plenissimum DE OMNI STATV ANIMÆ stylum.] *Adludit hauddubie ad l. de Anima, vbi videre est locos complures, quibus* immortalitatem tuetur. *Recte autem censet Rhen. legendum:* perstricta, *pro:* præstricta, *quia consentiunt Vat. 3. ms. cod.*

CAP. III.

26. Est quidem & de communibus sensibus sapere in Dei rebus, &c.] *Capiti huic inscriptionem dedimus:* Quod vulgi contrariam sententiam hæretici sequi non debeant. *Atqui recte sic explicat prædicta verba Rhen. Etiam communes sensus sapiunt in Dei rebus. Nam & similiter dixit infra initio cap.5.* & rudes quique de communibus adhuc sensibus sapiunt. *Et vero secundum etiam primam ædit. restituimus:* Quædam enim & natura nota sunt, *ex 3. Vat. ms. cod pro:* nata sunt.

27. Vtar ergo sententia Platonis alicuius, &c. Omnis Anima immortalis.] *Haud dubie debet istud intelligi de* omni Anima *rationali; nam de illa & in Phædone, & alibi loquitur Plato quotiescunque* immortalem Animam *pronuntiat.*

28. vtar & conscientia populi, &c.] *Bis terve, vti in Prouerbio est, quod pulchrum est. Itaque istud imprimis [inculcatur ab Auctore Tom. 1. l. de Testim. Animæ, qui ex professo hac de re scriptus est, maxime c. 2. vbi recitat illas populi voces.* Deus videt, *&:* Deo commendo, *ac:* Deus inter nos iudicabit. *Immo eadem reperire est Apol. c.17. & libro præcedenti de Carne Christi c. 12. ac rursus infra l. 1. adu. Marcion. vbi sicuti etiam T. 2. l. de Coron. milit. c. 6. illud peculiariter cum hoc loco consentit]:* Deum Deorum perhibent, *siue:* appellant.

29. & cor vulgi cinerem à Deo deputatum.] *Recte adnotauit Latinius, locum hunc reperiri Isai.44. nempe secundum 70 quem etiam citat, & paulo aliter explicat Auctor supra T. 2. lib. de Idolol. c.4.*

30. qui Deum fingitis.] *Rursus hic adludit ad* alterius diuinitatis hæreticos, *de quibus supra c. præc. nu.13. quare non placet quod habent 2. Vatic. ms. cod.* fugitis.

31. Quid cæco duci inniteris, &c.] *Adludit ad illud Matth. 15. Marc. 7. & Luc. 6.* Cæci sunt & duces cæcorum, *item ad illud Galat. 3.* Christum induistis, *& quod habetur Ephes. 6.* Accipite armaturam Dei. *Siue autem legas:* vtuntur non Christiani, *cum Anglico Ioan. Clementis cod. siue cum reliquis omnibus,* vtitur non Christianus: *parum refert. Eadem est ratio lectionis 3. Vat. ms cod.* quæcumque ethnici sapiunt *& excus.* quæ cum ethnicis sapiunt.

32. compassio sententiarum.] *Consensum (inquit Rhen.) intelligit, & mutuum responsum. Medicorum vocabulum est. Græci συμπάθειαν dicunt.*

CAP. IV.

33. Itaque hæretici inde statim incipiunt, &c.] *Titulum huic capiti damus:* Obiectio hæreticorum & ethnicorum de carnis ignobilitate.

34. & inde præstruunt.] *Vox hæc non modo alibi, sed & hoc libro frequentissima est Auctori. Sic ca.18.* Hucusque præstructionibus egerim, *& c.20.* primam præstructionem eorum, *& c.30.* quasi & ipsum dubiũ præstruxit, *id est, interprete Rhen. prius instruxit, item c.33.* Nam & ideo præstruximus, *c 49.* sine vllius supra sensus præstructione, *ac ca. 53.* in vtroque homine præstruxit. *Addidimus autem iterum ex ms 3. Vatic. cod quod habebat 1. ædit.* & non protinus. *ante illud:* & non vbique, *& legimus cum iisdem:* in casum, *pro:* in caussam, *eo quod magis correspondeat illi illud quod sequitur:* caducæ.

35. post totum ignobilitatis elogium.] *Id est, recensionem. In bonam & in malam (inquit Rhen.) partem accipitur* elogium. *Sic infra, cap. 21.* Religionem publico odio & hostili elogio obnoxiam. *Metaphora ducta à charta, qua eiusmodi testificatio continetur. Vide plura de hac supra To.1 Apol. c.2 n.22. & li. ad Scapulam, c.4. nu.28. vbi etiam aliam significationem* elogii *indicauimus, pro sententia, quomodo etiam accipitur illud infra cũ 34.* totum hominem elogio transgressionis inscripsit.

36. & recordatui tuo.] Recordatus *(inquit Rhen.) pro recordatione Cuius etiam illud placet:* persuadete, *passiuæ vocis esse, id est, persuaderis, vt interrogatiue legatur.*

37. Et vtique redhibentibus eam ignibus & vndis, &c] *Recte sic restituit hunc locum Rhenan. nam correspondent 3. Vat ms. cod. & infra etiam legitur, c.13.* vti credas, de ignibus quoque substantiam corporis erigi posse.

38. & rumis alitum.] *Est* ruma *(inquit idem) quod alij* rumen *vocant, prominens sub mento gutturis pars, qua cibus in aluum descendit, à quo* Rumino *verbum, &* Struma, *deducuntur. Vide autem de hoc dogmate latius infra c.32.*

39. & lactibus piscium.] Lactes *(inquit idem) sunt per quas cibus dimittitur: in homine, inquam, & oue. in ceteris animalibus,* lactes, *ipsa sunt ilia.*

40. & ipsorum temporum propria gula.] *Primus hic adiecit* temporum: *Gelenius, quod etiam germanum esse supra adnotauimus n. 2. Adludit autem (inquit Rhen.) ad Vedij Pollionis gulosam sæuitiam & sæuientem* gulam. *Nam is damnata mancipia viuarijs murænarum immergebat, non tantum, vt totum hominem pariter distrahi spectaret, quod Plinius prodit, verumetiam vt humana carne in piscibus vesceretur, quod docet Tertullianus in li. de Pallio, his verbis, c.5.* Immergo æque scalpellum *(inquit)* acerbitati ei, qua Vedius Pollio seruos murænis inuadendos obiectabat. Noua scilicet sæuitia delectato terrenæ bestiæ exedentula, & exunguis, & ecornis: de piscibus placuit feras cogere, vtique statim coquendis, vt in visceribus earum aliquid de seruorum suorum corporibus, & ipse gustaret. Hæc ille. *Ergo non sine caussa hic dicit;* & ipsorum propria gula redhibente, *subaudi quæ deuorauerat de carne humana.*

41. Adeone autem eadem sperabitur, &c.] *De hoc latius infra c 57. & 58. sicuti etiam* de consequentiis carnis seu necessitatibus, *c 60. & 61. Legas autem licet cum 3. Vatic. ms. cod.* mors reoptanda, *siue:* redoptanda *cum exc.*

42. Ceterum, quantum etiam spurciloquio liceat, &c.] *Iterum sic legimus cum ædit. 1. & Vat. 3. ms. cod.* spurciloquii, *sicuti etiam Rhen. qui addit: hoc loquendi modo Tertullianum sæpe vti, vt verbum semel ponat, quod mox repetendum sit, vt hic,* illorum in congressibus experiri, *subaudi, liceat, vel licet.*

CAP. V.

43. Igitur quoniam & rudes quique, &c.] *Inscripsimus caput istud:* Dignitatis carnis defensio, quod à Deo facta sit. *de Prouerbio autem:* primus in nos aries temperatur, *vide nostra Prolegomena. Atqui varia lectio est ms. cod. Vat 3.* vituperatione laudatione depulsa, *pro* vituperationem laudatione depellas, *quorum vtraque bona.*

44. corpusculum quod malum denique appellare non horrent.] *Puto Auctorem respicere ad Marcionis hæresin, quippe qui eo ipso dicebat: corpus creatum à malo Deo, & ex materia mala, indirecte concludebat, etiam corpus malum esse. Verum apertius eum errorem secuti sunt postea Manichæi.*

45. etsi angelorum fuisset operatio, vt Menandro & Marco, placet.] *Angelos mundum creasse, & proinde etiam humanam carnem,* Menandri *fuit cum Simone Mago suo magistro communis hæresis: sicuti supra videre est l. de Præscript. aduers. hæret. c. 46. hær. 2. nu.* 302. *An autem etiam* Marcus *idem senserit, alibi non inuenio. Attribuit illud ibidem Auctor etiam Saturnino, Ophitis, ac Carpocrati, hær. 3, 6 & 9. qui etiam angellum illum creatorem, vti mox sequitur,* summum Deum appellabant. *Certe* Marcioni *adscribi non posse manifestum sit ex libris Auctoris aduersus eundem, quare non placet quod Vat. 2. legant:* Marcioni, *sed retinuimus* Marco, *de cuius hæresibus aliis, vide suprad. lib. de Præscript. aduersus hær. cap. 50. hær. 15. n* 319.

46. etsi ignei alicuius exstructio æque angeli, vt Apelles docet.] *De hoc ibidem c. 51. hær. 19. n. 324. & l. de Anima, c. 13. n. 298. & l. de Carne Christi, c. 8. n* 78.

47. & duriores quæque doctrinæ.] Duriores *hic proprie accipitur pro firmiores & solidiores. Placet autem magis:* quæque, *quam quod habent alij:* quoque, *quantumuis ms. codices.*

48. Sed & mundus, inquis, &c.] *Obiectio hæreticorum, non vlterius tamen (secus quam sensit Rhen.) quam vsque ad illud:* Plane *(ac si dicat, tecum sentio)* si portio vniuersitati adæquatur.

49. Ad distantiam enim prouocamus, &c.] *Mundi videlicet (inquit Rhenan.) & hominis, vnde sequitur:* Magnæ sine dubio differentiæ ratio, pro conditione scilicet rerum.

50. & sine illo nihil, &c.] *Similiter supra etiam Auctor libro aduersus Hermog. c. 18. 20 ac 45 legit.* & sine ipso factum est nihil, *nullis aliis vocibus additis. Atque adeo hinc confirmatur Latini interpretis huius loci Ioan. 1. distinctio:* & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso, vita erat. *quam etiam fere sequuntur Latini omnes interpretes, & B. Cyrillus in Ioannem scribentes. Græci alii, ac Syriacus codex sic distinguunt:* & sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat. *B. Hilarius denique ab vtrisque dissentiens:* & sine ipso factum est nihil quod factum est, in ipso vita erat, *de quibus omnibus vide Reuerend. Dn. Ianssenium Episcopum Gandauensem Comment. in Concord. Euang. c. 1. Est autem Veteribus magis vsitata lectio ms. Anglici cod.* constetit, *quam vulgata:* constitit. *Proinde etiam magis placeret, nisi idem codex c. seq. legeret:* constitisset. *Siue autem legas:* compararetur *cum excusis, siue:* comparetur *cum Vat. 3. perinde est, sicuti etiam de illo:* vt Dominus esse posset, *seu:* posset.

51. Et finxit Deus hominem, limum de terra, &c.] *Etsi alibi nonnumquam vertat Auctor:* de limo terræ, *sicuti supra adnotauimus l. aduersus Hermog. c. 26. n. 89. hic tamen diserte verbis explicat:* limum de terra, *vtraque autem lectio bona.*

52. Et insufflauit in faciem eius flatum vitæ, &c.] *Magis accedit hæc lectio Auctoris hoc loco ad vocem Græcam ἐνεφύσησεν, quam quod supra vertit lib. aduersus Hermog. cap. 26. ac* 31. adflauit, *siue quod est etiam supra lib. de Anima, c. 3. & 11.* flauit.

53. Et posuit Deus hominem quem finxit, in paradiso.] *Illud:* quem finxit, *transtulit ex Græca edit. 70. qui amplius habent quam Latini aut Hebræi, aut Chaldaici, οὐ ἔπλασεν.*

CAP. VI.

54. Persequar itaque propositum, &c.] *Inscriptionem huic capiti dedimus:* Eiusdem dignitatis probatio, quod manu Dei facta sit caro.

55. Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum.] *Vocem:* illi, *explicat Rhen. id est: in illa materia, seu propter illam materiam, eiusque caussa* occupatum. *Quod* deditur, *totum eius est cui* deditur. *Atqui legimus ex Harrisii coniectura, confirmata Vatic. 3. ms. cod.* quæ lineamenta ductabat, *pro:* dictabat. *Est enim Prouerbialis formula à picturibus sumpta:* lineamenta ductare, *de qua in Prolegomenis latius. Quum etiam Auctor* imaginem Dei & similitudinem *tum hic, tum infra initio c. 9. distinguat, vide ea de re l. de Bapt. c. 5. n. 42.*

56. qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimauit pariari Deo.] *Legendum (inquit Rhen.)* pariari Deo, *quamquam refragantibus exemplaribus scriptis. Sic enim vertit Græcum verbum ἁρπαγμὸν. De hoc verbo alibi. Similis autem phrasis est infra cap.* 53 pariant inter se Christus & Adam. *& li. 5. aduersus Marcion. c. penultimo, locum i lum Pauli Apostoli eodem modo legit. Simile etiam est illud, l. 4. aduersus Marc.* cui per omnia pariauerint. *Est autem vox Iureconsultorum* pariare: *hinc legitur l. 17. Cod. de sol.* pariata *obligatio. Siue autem legas:* ad insuscandam *cum exc. aut:* insuscandum, *cum Vatic. 3. ms. cod. non refert.*

57. artificis fastigium, &c.] Fastigium *interpretatur Rhenanus maiestatem, dignitatem, amplitudinem. elegans vocabulum. Confirmatur hinc autem nostra similis lectio supra Tom. 1. l. de Pallio, cap. 1. num.* 10. senium, non fastigium. *Sic etiam infra c.* 55, angelicum iam fastigium induerit. *Hic vero legimus cum ms. 3. Vatic. & Basil. cod.* qui illam & eligendo (*seu potius iuxta Anglicum cod. & antiquarios,* elegendo) *pro:* in eligendo.

58. Phidiæ manus Iouem Olympium ex ebore molitur, & adoratur.] *Etiam hic ex Vatic. 3. iterum secundum Rhen. substituimus, pro eo quod irrepserat:* moliuntur & adorantur. *neque enim* manus Phidiæ *adorabatur, sed Iupiter. De hoc autem citatur & Rhenano Plin. l. 34. c. 8. Minoribus, inquit, simulacris signisque, innumera prope artificum multitudo nobilitata est, ante omnes tamen* Phidias *Athenienses, Ioue Olympio facto, ex ebore quidem, sed & ex ære, signa fecit.*

59. bestiæ, &c. insulsissimæ dens est.] *Recte hic circumscribitur, quia id solum* ebur *est, teste Plinio l. 8. c. 3. qui quum ibidem, & 2. c. præced. proximum humanis sensibus elephantem probet, oportet vt accipiatur* insulsum *hic, secundo significatu, quem Donatus tradit, ac si dicatur: sine saltu & facilitate. Atqui legimus ex Anglico cod.* Deus viuus & Deus verus, *adiecto:* &, *quod desiderabatur, sicuti etiam paulopost ex Vatic. 3. ms. cod.* licet & caro audiat.

60. de obsoletiore matrice.] *Etiam* obsoletior *hic in secunda accipitur significatione, non pro: inueteratiore, sed pro sordidiore. Non displicet autem Vat. 3. ms. lectio:* obsolentiore, *sicuti nec illa:* excausato censu, *pro:* excusato. *Est etiam* census *vox Tertulliana.*

CAP. VII.

61. Sed dilutior videatur auctoritas carnis, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* Quod limus in carnem mutatus sit & reformatus. *Atqui omisimus:* ne; *quod nullo sensu addebatur, & deest in 3. Vatic ms. exemplaribus. Est autem noua hæreticorum obiectio, vsque ad illud:* Quando, &c. *Accipitur vero etiam hic* dilutior *minus proprie, pro: infirmior; ea significatione, qua dixit Cicero pro Roscio, infirmare & diluere. Paulopost habent quidem Vatic. 3.* quomodo caro fluxerit ex limo, *sed magis facit ad institutum* floruerit.

62. Neque enim, vt quidam volunt, illæ pelliceæ tunicæ, &c.] *Qui in illa iam tum fuerint sententia, non satis constat; quum autem Origenes, seu potius mauis Origenista (eo quod Origen. hom. 6. in Leuit. communi sententia consentiat eam opinionem sequerentur, Epiph. hær. 64 ad verbum pene Auctorem imitatur: Et vbi, inquit, surrexisset Adam de somno, dixit:* Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. *Nondum autem* tunicæ pelliceæ, *nondum nugamentum à te allegorice confictum fuit.* Os itaque ex ossibus meis, & caro ex carne mea, *palam est quod iam corpora erant, & non incorporeus erat Adam neque Eua. Porro quum hic eam sententiam impugnet Auctor; oportet vt ex illorum sententia ironicῶς paulopost subijciatur?* quam postea pelliceæ tunicæ, id est, cutes superductæ, vestierunt, &c. *Vide etiam de hac re supra libr. aduersus Val. capit. 24. n.* 274.

63. quum aliquanto prius & Adam, substantiæ suæ traducem, in fœmina iam carnem recognouerit.] *Hæc lectio Anglici cod. ms. magis accedit ad institutum Auctoris, quam vulgata:* in fœmina iam carne. *Sicuti etiam magis placet illud eiusdem:* Oblitteratus igitur, *quam quod erat:* Oblitteratur, *eo quod addatur:* & deuoratus est. *Item illud Latinij:* vapore scilicet idoneo tortere, *pro:* vaporeo scilicet & idoneo; *quia sequitur:* per afflatus diuini vaporem. *Adnotanda denique lectio Vatican. 3. ms. cod.* & aliam ex alia stringere speciem, *pro:* fingere, *quamquam istud magis placeat, eo quod de figulo loquatur.*

64. Numquid argilla dicet figulo, id est, homo Deo?] *Vatic. 2.* dicit. *Verum quia legitur ἐρεῖ, non solum Esai. 45. sed etiam Rom. 9. illud retinuimus. Nam partim ex vtroque loco citatur hæc scriptura.*

65. Hinc & Apostolus, circumcisionem, despoliationem carnis appellans.] *Etiam hic metaphrasticῶς citat hanc scripturam non ad verbum ex Apostolo, apud quem legitur Coloss. 2.* circumcisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis. *Mirum est autem quod omiserit illud* corporis, *maxime quum Græce præterea legatur additum ἁμαρτιῶν, id est,* peccatorum corporis carnis. *Siue autem legas cum exc.* confirmauit, *siue cum ms. Vatic. 3. cod.* adfirmauit, *non refert.*

66. ne argento quoque oblaquees, sed electissimo, &c.] *Ita recte diuinauit legendum Rhen qui illud:* oblaquees, *interpretatur, id est, circumdes, cingas, includas, vt sit à lacu deductum verbum* oblaqueo, *quemadmodum ablaqueo, cuiusmodi est quod sequitur:* describes, *id est, inseras, à scrobe, id est, fouea. Est autem adnotanda Angl. ms. Vat. antiqua lectio:* ferroginis, *pro:* ferruginis.

67. alicui commiserit capulo.] *Corpus (inquit idem)* capulum *anima vocat, id est, receptaculum. Eadem etiam voce infra vtitur ca.* 32. quam capulum quam sepulcrum, *& cap.* 38. de capulis, de sepulcris, *sunt enim Auctori hæc duo Synonyma. Hinc illud Nonii Marcelli: Sarcofagum, id est, sepulcrum, Veteres* capulum *dici volunt, quod corpora capiat.*

68. an anima appareat carni.] *ms. 3. & 1. edit.* pareat, *verum infra similiter dicit cap.* 16. vice potius vasculi apparere animæ, vt instrumentum, non vt ministerium, *quibus verbis indicat* apparere *vtrobique accipi pro ministrare, sicut alibi non semel. Vtraque autem lectio paulopost bona est:* fulta est, *exc. cod. seu:* fulciatur, *Vatic. 3.*

69. quam à carne deuertere.] *Sic omnino legendum: quia non alibi modo, sed & hoc libro, illud vsitatum est Auctori: pro* diuertere, *sicuti cap.* 49. paradiso scilicet non inferis deuersurus. *Legat autem mox Lector cum exc.* subiacent animæ, *vel cum ms. 3.* subiaceant.

CAP. VIII.

70. Et hæc quidem velut de publica, &c.] *Titulum huic capiti dedimus:* Quod apud Christianos magna carnis prærogatiua sit. *Est autem phrasis Tertullianica:* carni procurauerim, *sicuti etiam infra c. 12.* cui procurata sunt, *& cap* 18. cui tot auctoritates &c.

procu-

procurent, *vbi ex Rhenano latius nu.*136. *Atqui denuo cum prima adit. ex Vatic.*3. *legimus*: dum est in carne, *addito*: est.

71. quum Anima Deo allegitur, &c.] *Prima adit. & Rhenan. initio* alligitur, *Vat.*3. alligatur, *sed prius illud Gelenij placet.* Allegebantur *enim (inquit Rhenan.) olim Romani in senatum.* Allegitur Anima Deo, *quum homo religioni nomen dat. Sic infra*: Donec impleantur tempora nationum allegendarum, scilicet Deo. *Quare etiam retinuimus*: vt anima allegi possit. *Nam & supra l. adu. Valent. c.*29. in Reges & sacerdotes allegere, *dixit Auctor.*

72. sed & caro abluitur, vt anima emaculetur.] *Simile est illud infra l.*1. *adu. Marc.* aquam creatoris qua suos abluit, *Quum vero hoc ad Sacramentum Baptismi pertineat, vide supra lib. de Baptis. maxime c.*2. *nu.*13. *vbi docuimus ex Patribus* animam emaculari *à delictis omnibus, immo etiam ab omni reatu eam eximi, ibi. c.*5. *n.*41.

73. Caro vnguitur vt anima consecretur.] *Eodem pertinet illud dicti primi l. adu. Marc.* nec oleum quo suos vnguit. *De* vnctione *vero* carnis *& ante, & post baptismum, vide eiusdem l. Adnot. nostras n.*1. *inter baptismi ceremonias, ac de posteriori, per totum c.*7. *Fortassis etiam ad Sacramentum Extremæ vnctionis referri possit, de quo etiam supra l. de Præscript. adu. hær. c.*41. *n.*262.

74. Caro signatur, vt & anima muniatur.] *De* signo crucis quo caro signatur, *habes ibidem inter baptismi ceremonias, tum etiam supra Tom.*2. *l. de Cor. milit. ca.*3. *nu.*40. *Potest interim etiam hoc ad Sacramentum Confirmationis referri, de quo nu. sequenti.*

75. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur.] *De* Manus impositione, *vide dicti l. de Bapt. ca.*8. *integrum. Quod vero Sacramentum sit, vulgo nuncupatum Confirmationis Sacramentum, l. de Præscript. aduersh. hær. c.*40. *num.*243. *ad illud*: signat illic in frontibus milites suos. *Quod etiam confirmatur his verbis c. sequ. vbi ad tria hæc alludit, quorum hic meminit, Baptismum, Manus impositionem, Eucharistiam, quum dicit*: quam de sacramentis suis vestiuit.

76. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.] *Etiam hoc indicatur dicto l.*2. *adu. Marc. c.*14. *quum dicitur*: nec panem quo ipsum corpus suum repræsentat. *id est, (sicuti vbique vti solet ea voce Auctor) præsens facit. Plures autem de* veritate corporis & sanguinis Christi *Tertulliani locos, adnotatos habes infra l.*4. *adu. Marc. & alia eodem pertinentia supra Tom.*1. *lib. adu. Iud. cap.*10. *nu.*134. *ac Tom.*2. *lib. de Orat. ca.*6. *num.*23. *lib. de Idol. ca.*7. *nu.*31. *ac* 34. *& li.*2. *Ad vxor. c.*5. *nu.*37. *Infra item dict. li.*1. *adu. Marc. Tom.*4. *l.*5. *Carminum adu. Marc. Denique etiam eodem Tom.*5. *lib. de Pudicitia, ad illud*: opimitate Dominici corporis vescitur.

77. Non possunt ergo separari in mercede.] *De* mercede & meritis *carnis ac animæ, infra magis ex proposito Auctor cap.*15 16. *&* 17.

78. ieiunia, & seras, & aridas escas.] *De his latissime infra Auctor l. de* Ieiuniis, *Tomo quinto.*

79. & adpendices huius officii sordes.] *Loquitur (inquit Rhenan.) de squalore corporis, qui pœnitentiæ est argumentum. Explicat enim sustius quod hic innuit, in l. de Pœnit. quum inquit*: De ipso quoque habitu atque victu, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deficere, illa, quæ peccauit, tristi tractatione mutare, *& quæ illic sequuntur. Reperitur autem locus à Rhenano citatus lib. de Pœnitent. c.*9. *vbi de his aliisque publicæ pœnitentiæ officiis latius.*

80. Virginitas quoque & viduitas.] *De* Virginitate & Viduitate, *latissime tractat Auctor supra Tom* 2. *lib. de Virgin. velandis, & infra Tom.*5. *lib. de Exhortat. ad castit.*

81. & modestia in occulto matrimonii dissimulatio.] *Valle (inquit Rhenan.) fauit castitati Tertullianus. Hic certe adludit ad continentiam quorumdam in* matrimonio, *de quibus supra ipse etiam Auctor lib. de Patient. cap.*12. *num.*78. *& apertius c.*6. *lib.*1. *Ad vxorem, n.*38. *ac* 39. Quot item *(inquit)* qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt, saluo matrimonio, *ac dict. li. de Veland. virg. cap.*10 *n.*84. siue qui ex consensu contumeliam communem iam recusauerunt, *quibus locis de hoc latius.*

82. & vna notitia eius.] *Hoc dicit (inquit Rhen.) propter Monogamiam, addens dogma reiectum esse, quare de eo latius inter Tertulliani paradoxa in Prolegomenis. Initio quidem modestius scripsit, qui exstat supra Tom.*2. *l.*1. *Ad vxorem, de* vnis nuptiis, *verum postea vehementius iis qui infra exstant Tom.*5. *Libris de Exhort. ad castit. & de Monogamia.*

83. pro nominis fide.] *Non semel adnotauimus, à Tertulliano & B. Cypr. usitatum* nomen, *pro Christiano nomine. Sic etiam cap.*40. suppliciis, nominis caussa. *Tertullianicæ sunt etiam voces*: erogatur, *&*: quo. *Quare etiam ex Vat.*3. *ms. cod. legimus*: hoc magis vincta quo absoluta, *pro*: quod.

CAP. IX.

84. Igitur, vt retexam, quam Deus, &c.] *Inscripsimus caput istud*: Quod Christus carnem amet, etsi infirmam. *Legimus autem secundum Vat.*3. *ms. cod.* quam de sacramentis suis disciplinisque vestiuit, *phrasi Tertullianica, item geminatum illud*: Abiit, abiit.

85. solum optimum à Christo eius addiscimus.] *Recte interpretatur Rhen.* à Christo eius, *id est*, Christo *boni Dei Martionis. Adludit autem ad illud Christi, Luc.*18. Nemo bonus nisi solus Deus, *quomodo de dilectionis mandato Dei & proximi, Matth.*22.

86. Medicum non desiderant nisi male habentes.] *Infra lib.*4. *adu. Marc. Medicum sanis non esse necessarium, sed male habentibus, Magis ad verbum citans Euangelistæ verba Luc.*5. *Verum in idem redit, quia qui* desiderant, *requirunt, non requirunt autem nisi id quod necessarium est.*

87. Inhonestioribus maiorem circumdamus honorem.] *Iuxta ipsam vocum Græcarum adiusionem* 1. *Cor.*12. *opposuit ἀτιμότερα id est*, inhonestiora *(pro quo noster Interpres ignobiliora) & τιμὴν, id est*, honorem.

88. Ego (inquit) veni, vt quod periit, saluum faciam.] *Paulo aliter etiam hoc Auctor, quam sic Luc.*19. *vbi in tertia persona legitur*: Venit filius hominis saluum facere quod perierat, *sicuti etiam infra lib.*4. *adu. Marc. legitur. Infra vero c.*34. *sicut hic*: Ad hoc *(inquit)* venisse se dicit, &c.

89. Malo mihi (inquit) salutem peccatoris quam mortem.] *Supra To.*2. *l. de Pœnit. ca.*4 *pro hoc legit Auctor*: Pœnitentiam malo quam mortem. *Sed non mirum est varie citari hanc scripturam (sicuti etiam ibi adnotauimus num.*17.) *eo quod nusquam certo loco reperiatur apud Ezechielem, sed partim c.*18. *partim* 33.

90. Omnis vis Dei benefica vacuisset.] *Iterum hic (inquit Rhenan.)* vacuisset *legitur, iuxta vulgarem Afrorum pronuntiationem, vt videtur. Nos diceremus*: vacasset. *Adludit autem ille ad illud lib. præced. de Carne Christi, cap.*7. *nu.*67. nisi quod etsi vacuisset tentationis ingenium, *vbi & nu.*44. *de hoc verbo, pro*: carere, *seu frustraneum esse, latius. Vsurpatur autem ab Auctore, si vsquam alibi, hoc certe lib. frequentissime. Exempli gratia ca.*16. licet ab exemplo vacet diuersitas rerum, *ac*: & exprobratio enim, & exhortatio vacarent erga carnem, si vacaret & merces. *Item ca.*25. & vacat quod hic iam ab hæreticis vindicatur, *& c.*35. vacabit astutia, *ac* 56. vacaturo scilicet emolumento. *Item c.*60 totum scilicet vacaturum, *ac*: exinde iam vacaturam, *&*: ex futura membrorum vacatione, *&*: licet enim esse quid denuo, & nihilominus vacare, nec potest autem dici vacare, si non sit. At enim si sit, potuit & non vacare, nihil enim apud Deum vacabit. *Rursum cap.*61. caussas necessitatis tunc vacaturas, *ac*: Si & hic iam vacare est, *&*: temporali vacatione.

CAP. X.

91. Tenes scripturas, &c.] *Huic capiti titulum dedimus*: Quod multis aliis scripturis caro illustretur. *Lego autem iuxta coniecturam Rhen. ex Vat.*3. Legis tum quando deprimitur? adige oculos, & tum quando releuatur, *pro eo quod vtrobique mendose legebatur*: cum. *Iidem legunt quidem*: reuelatur, *sed illud placet, eo quod præcedat*: deprimitur, *maxime quod infra c.*18. *legatur*: cuius iacere, eius & releuari.

92. Omnis caro videbit salutare Dei, &c.] *Infra c.*59. *eadem hæ scripturæ ijsdem pene verbis citantur. Legitur autem id secundum* 70. *pro eo quod B. Hier. vertit dumtaxat*: & videbit omnis caro *pariter, quam vtramque lectionem eodem recidere, pulcre deducit Leo de Castro in Isaiam.*

93. Notatur in Genesi dicens Deus: Non manebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt.] *Adjicimus*: Deus, *ex* 3. *Vat. ms. cod. Reperitur vero etiam hæc scriptura secundum* 70. *Gen.* 6. *nisi quod ibi interponatur* in æternum, *tam Græce quam Latine, & in additionibus quoque Hebraica, ac Chaldaica, quod hic omittitur. Legimus autem paulopost*: quæ carnem ministerio sibi subigit, aut subicit, *ex Vatic.*3. *ms. cod. pro*: quod. *Item*: verum interim & in illis litteris Paulus est.

94. quum stigmata Christi in corpore suo portat.] *Auctor etiam hic variat à Græco & Latino contextu hodierno, legens*: Christi *dumtaxat, pro eo quod illi*: Domini Iesu, *& quidam*: Domini nostri Iesu,

95. quum corpus nostrum, vt Dei templum vitiari vetat.] *Hoc etiam paraphrastice, quia quum habeatur* 1. *Cor.*3. Nescitis quia templum Dei estis, *&*: Si quis templum Dei violauerit, *&c. ipse* corpus nostrum, Dei templum *interpretatur.*

96. quum monet, tollere & magnificare Deum in corpore nostro.] *Infra c.*16. *ipsa verba Apostoli citat suo ordine*: Glorificate (inquit) & tollite Deum in corpore vestro. *Sunt enim illi Synonyma*: magnificare, & glorificare. *Atqui vel hinc patet illud*: tollite, *pro quo Interpres vetus*: portate, *non nouum esse, sed iam tum lectum, etiamsi nunc Græce nihil sit quod correspondeat. Porro addidimus ex* 1. *Vatic. ms. cod.* aliquando, *legendo*, quod etiam aliquando probauit.

CAP. XI.

97. Hucusque de præconio carnis aduersus inimicos, &c.] *Inscripsimus caput istud*: Quod Deo non sit impossibilis resurrectio carnis. *Legentes mox ex* 2. *Vatic. ms. cod.* Negantes enim eius pœnam.

98. de quibus luculenter & Paracletus, &c.] *De scriptis* Paracleti, *quo nomine Montanum vocare solet, & Prophetidis* Priscæ, *inter Prolegomena latius de Tertulliani paradoxis. Eodem etiam pertinet quod habet in huius libri fine*: per nouam Prophetiam de Paracleto inundantem, &c. *Paulopost Vat.*3. *ms. cod. legunt*: quibuscumque modis exemptum, *sed magis placet*: ereptum, *eo quod supra capit.*4. *vbi idipsum tractat, legatur*: ereptam, *& paulopost item*: quocumque dehaustam. *Omittunt iidem deinde*: credere,

quod tamen retinuimus, eo quod possit construi cum illo quod interponitur volunt. *Placet vero quod legunt:* quum tamen, *pro*: cum tam. *Et vox est Tertullianica*: dedicatam.

99. vtrumque mihi adplaudit.] *Hoc est (inquit Rhen.)* vtrumque *mecum facit, adiuuat me. Mox vero, verbum est Tertullianicum*: modulatus, *pro eo quod* 1. *edit. minus recte*: moderatur.

CAP. XII.

100. Aspice nunc ad ipsa quoque exempla, &c.] *Caput hoc inscripsimus*: Quod diei ac noctis & quatuor anni temporum vices exempla sint Resurrectionis. *In quo Auctorem imitatur Epiphan. in Ancoratu. Atqui ad illud*: Dies moritur in noctem, *vel hic vides (inquit Rhenan.) quam non inamœnus scriptor sit Tertullianus in digressionibus.*

101. vbique iustitium est.] Iustitium est *(inquit idem) quam à litibus & cognitione causarum in foro cessatur, dictum, quod Iuris statio sit. Hic vsurpat metaphoricῶς. Qui etiam eleganter illud explicat*: hæres sibimet existens. *Nam subinde (inquit) redit. Defunctis vita qui non amplius reuertuntur, hæredes succedunt in bonis possidendis. Siue autem legas cum excusis Euphonia gratia*: Redaccenduntur, *& mox*: Redornantur, *siue cum* 3. *Vatic. ms. cod.* Reaccenduntur, *ac*: Reornantur, *perinde est.*

102. Verna & autumna.] *Dure (inquit Rhenan.) Sunt tamen etiam alibi vsitata Auctori, vti supra To.* 2. *li.* 6. *de Spectac. c.* 9. vel verno *(inquit)* vel autumno.

CAP. XIII.

103. Si parum vniuersitas Resurrectionem figurat. &c.] *Titulum huic capiti facimus*: De Phœnice.

104. Illam dico alitem Orientis peculiarem, &c.] *Rectemeo iudicio Franciscus Turrianus in B. Clementem Romanum, hinc probat inter cetera, auctoritatem Constitutionum eius Apostolicarum, eo quod verba ipsa Clementis hic transcripsisse videatur Auctor ex eo. Nam quod Clemens dicit Phœnicem πλουσίαν ἀπόδειξιν Resurrectionis, Tertullianus dixit* plenissimum huius spei specimen *(quo fit, vt non placeat, quod habent Vat.* 2. *ms. cod.* planissimum.) πλούσιος enim diuitem, *seu diuitiis plenum significat. Quam etiam Clemens vocat μονογενὲς ὄρνεον, id est, vnigenam volucrem, Auctor appellat*: alitem singularitate famosum. *Certe Cyrillus Catech.* 18. *de Resurrectione, disertis verbis (vti etiam idem adnotauit:) Hac (inquit) & scribit Clemens, & aiunt multi, cum sit vna tantum auis & sola, in terram Ægypti (nam & Arabia Ægypto vicina est, vnde non mirum si Auctor* Arabiæ auem *appellet) in spatio* 500. *annorum venire solet, atque demonstrare resurrectionem, non in locis desertis, ne mysterium id ignoretur, sed in aperta ciuitate, vt contrectetur quod non creditur. Septum enim sibi facit è thure & myrrha, ceteriſque aromatibus, & completis annis eo deuenit. Moritur aperte & putrescit, deinde exputrefacta carne mortuus vermis quidam generatur, & hic deinceps in auem formatur. Atque hoc est quod dicit Auctor*: de posteritate monstruosum, qui semetipsum lubenter funerans renouat, natali fine *(nam sic legendum, non*: fide) decedens atq; succedens iterum Phœnix. *Vtitur autem etiam B. Ambrosius hoc argumento* Phœnicis, *ad comprobandam futuram Resurrectionem, tum li.* 5. *Hexamer. tum li. de fid. Resurrect. ijsdem pene verbis quibus Cyrillus, hoc vno excepto, quod cum Auctore* auem Arabiæ *faciat, addens præterea, quod thecam illam corporis sui (quam septum ille vocat) ex Æthiopia in Lycaoniam vehat, atque ita, resurrectione auis huius, incola illorum locorum completum* 500. *annorum tempus intelligunt. Meminit etiam ad idem institutum Epiphan. in Ancoratu, in hoc diuersus, quod apud Heliopolim Ægypti etiam comparere scribat, & id habet peculiare, quod seipsam exurat. Similiter, sed ad probandam Christi ex virgine sine coniuge natiuitatem, adducit hoc exemplum Rufinus in Symbolo, Tomo* 3. *Operum B. Cypriani. Scripserunt autem istud hi omnes vna cum Auctore ex Plin. l.* 10. *ca.* 2. *qui in hoc differt, quod viuat auis* 660. *Meminerunt etiam inter ethnicos Oppian. in Ixeutico, & alicubi Euripides, Lucret. in Sectis, Interpres etiam Pindari, de quo paulo prolixius egimus, vt persuadeatur, historiam potius esse quam fabulam, cuius tot & Orthodoxi & Gentiles meminerunt, & iuxta Tertullianum etiam scripturæ sacræ.*

105. Vbi etiam nemo, iterum ipse, &c.] *Istud eleganter expressit Auctor Carmin. de Phœnice, quod plerique perperam Lactantio adscribunt: quum ethnici Auctoris esse, comprobet Dn. Thomasius in Lactantium.*

--Auis vnica *Phœnix*
Ipsa sibi proles, suus est pater, & suus hæres,
Nutrix ipsa sui, semper alumna sui:
Ipsa quidem, sed non eadem, quia & ipsa nec ipsa est,
Æternam vitam mortis adepta bono.

106. Et florebit enim (inquit) velut Phœnix.] *Restitui ex Vatic. vno ms. cod.* florebit, *pro*: florebis, *quia (sicuti etiam ante me adnotauit Latinius) videtur intelligere istud Psalm.* 91. δίκαιον, ὡς φοίνιξ, ἀνθήσει, *quod quidem verterunt Interpretes*: Iustus, vt palma florebit, *sed verti etiam potest*: velut Phœnix florebit, *quia vox Græca φοῖνιξ, & palmam, & auem illam significat.*

107. Multis passeribus antistare.] *Est etiam Vox Tertullianica*: antistare. *Nam sic legendum, pro* antestare, *ex Vatic.* 3. *ms. cod. & hic & infra capite* 61. *vbi legitur*: vt etiam hominibus antistes. *Atqui recte adnotat Rhen. ironicῶς dici illud*: sed homines semel interibunt.

CAP. XIV.

108. Talia interim diuinarum virium liniamenta, &c.] *Hoc caput inscripsimus*: Quod etiam ex iudicio Dei integro Resurrectio necessaria comprobetur. *Ibi autem*, quo quum maxime, *sic interpretatur Rhenan.* quo, *ac si dicat*: quo *auxilio, quo subsidio edictorum atque decretorum. Sunt etiam Tertullianica*: subest dicere, *ac*: idonea restituendi. *Atqui legimus paulopost*: hinc vindicans istud, inde remunerans illud, *addito recens*: istud.

109. Sed CVM MARCIONE PLENIVS DISCES, an hoc sit Dei totum.] *Remittit, inquit Rhenan. Lectorem ad libros, quos aduersus* Marcionem *scripsit. Quo etiam pertinet illud*: Hinc & ille nescio quis Deus hæreticorum. *de quo disputat Auctor toto l.* 1. *adu. Marc. ad quem proinde hic mihi videtur adludere, vtpote in quo tractet: non duos esse Deos, alterum iudicem seu bellipotentem, alterum mitem, atque adeo* Dei esse totum iudicium.

110. nescio iam si Deus.] *Sensum hunc explicat Rhenan. Nescio, inquit, an Deus hæreticorum, Deus sit, quando nec Auctor est, quod tamen verus, id est, noster Deus, esse scitur, nec item Dominus est, quod esse debebat, si Auctor esset. Qui etiam, sicuti alias non semel*: expunget, *interpretatur: perficiet, & similiter infra illud ca.* 25. quum aut nunc deceret eam expungi, *& c.* 41. mortis per demutationem expunctæ.

111. congruentissima scilicet Deo destinatio iudicii.] *Ita restituit Rhen. pro*: iudicis, *eo quod præcedit*: iudicium in hominem destinare, *& infra ca.* 17. Denique hæc erit ratio in vltimum finem destinati iudicii. *Suppletimus autem paulopost ex Vatic.* 3. Itaque perfectam plenitudinem.

112. de totius hominis repræsentatione.] *Similiter infra ca.* 17. carnem etiam idcirco repræsentandam esse iudicio, *& c.* repræsentatione carnis, *ac c.* 23. non repræsentatio, &c. sed expectatio, *denique c. vlt.* vt rursus ex illa repræsentetur Adam. *Quod vero virobique* repræsentari *dicit* hominem, *hoc est, præsentem sisti iudicio, mox* parere *appellat, quod pro apparere seu comparere accipi, adnotauit etiam Rhenan. A quo etiam vox*: dispungenda, *Auctori non minus vsitata, sic explicatur, ac si dicat: quæ per toi substantias satisfacere debeat, per quod & functa est.*

CAP. XV.

113. Age iam, scindant aduersarii, &c.] *Caput hoc inscripsimus*: Quod quum operarum inter se societatem habeant Anima & caro, etiam simul mercedem accipere debeant.

114. in vitæ remuneratione.] *Quam hic* remunerationem, *supra c.* 8. *& hic & c.* 16. *ac alibi sæpius* mercedem *vocat, & paulopost, ac ca.* 21. præmium. *addens præterea*: iniustum fore Deum, si sociam bonorum operum à præmiis arceat, *& cap. seq.* beneficis *(id est, benefacientibus)* enim debet. *Item cap.* 21. Nullum opus certum est mercedis incertæ. *Plures eiusce modi locos videre est supra To.* 2. *li. ad. Marc. c.* 3. *n.* 43. *& l. de Patientia, c.* 11. *n.* 73. *ac* 75. *l. item de Cor. milit. c.* 15. *n.* 197. *Similes sunt loci infra c.* 33. obnoxium esse mercedibus, pro communi operatione pensandis, *c.* 34. Distribuit enim vtriq; substantiæ per officia propriam mercedem salutis, *& c.* 40. præfereus mercedum æternarum inuisibilium, & gloriæ pondus, in compensationem laborum, *ac*: Secundum collegia laborum, consortia etiam decurrant necesse est præmiorum, *rursum c.* 41. *commemorat*: remunerationes, *ac*: compensationem mercedis, *ac c.* 47. compensationem salutis, *&*: præmium disciplinæ. *Iterum c.* 48. *ter* meritorum corporis *meminit, sicuti etiam c.* 50. *& 52. Denique c.* 56. *dicit*: iniquum esse, aliam substantiã operari, aliam mercede dispungi, vt hæc quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur: *nec absimiliter ca.* 59. *in fine*: mercede disiunxit, *Loci adnotandi contra Hæreticos hodiernos.*

115. Negent operarum societatem.] *Angl. ms. cod.* operum, *verum præterquam quod illud habeant Vat.* 3. *etiam Tertulliano magis vsitatum est. Sic supra c.* 8. quas opera coniungit, *& infra c.* 16. quibus operam sponte accommodant, *ac quod magis huc accedit*: reputabuntur illi operæ malæ, *&*: nec bonæ operæ reputentur illi, sicut nec malæ, *&*: quum aliquas laudis operas carni indicit, *Item c.* 17. operam carnis exspectat.

116. quam sola decucurrit.] *Angl. cod. ms.* decurrit, *verum illud habent Vat.* 3. *& omnino Tertullianicum est.*

117. arcem animæ, &c.] *Intelligit* cor, *de quo etiam scripturas adfert, in quo Auctor secundum Christianos* Hegemonicon animæ *collocat, supra l. de Anima c.* 15. *quamquam ibidem varia* Philosophorum placita *recenseat*, à quibus principalitas sensuum consecrata sit in cerebro, vel medio superciliorum discrimine, *aut alibi. de quibus omnibus videre est ibi Adnot. nostras num.* 185. *vsque ad num.* 201.

118. Qui conspexerit mulierem ad concupiscendum, iam adulterauit in corde. *Addidimus*: mulierem *ex Angl. ms. cod. Nam præterquam quod ita legunt exemplaria omnia Græca, Syriaca, Latina, Matth.* 5. *etiam supra sic legit Auctor loco citato (vbi etiam citat illud Matth.* 9. Quid cogitatis in cordibus vestris nequam? *n.* 188.) *& infra T.* 5. *l. de Exhort. ad castit. Legimus autem ex* 3. *Vat. ms. cod. paulopost sub huius c finem*? quo etiam ministros facti cuiusque deposcit, *pro*: quod.

CAP. XVI.

119. Sed quam imperium animæ, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* Quod appellatio, qua corpus vas Animæ dicitur, nihil obstet quo minus cum ea coronetur, aut inhonoretur. *Legimus autem omisso*: ex, *secundum* 3. *Vat. cod. ms.* ne & hoc alia argumentatione subuertant, *quo fit, vt non sit opus scholio Rhenani, & mox inxta Angl. cod. ms.* ne ex hoc (*pro*: &, *dumtaxat*) sociam cogantur agnoscere.

120. ideirco cum auctoribus merita communicare.] *Similiter paulopost*: vt dominorum & auctorum meritis & ipsa communicent, *& cap. sequ.* Porro si hæc satis essent ad plenitudinem meritorum, *ac*: facta deuincta sint meritis. *Loci rursum adnotandi contra Aristarchos nostri temporis pro* meritis *operum bonorum, quales paulo prius num.* 113. *& supra plures adnotati sunt à nobis To. 2. li. de Patient. ca.* 13 *nu.* 82. *Siue autem legas*: vsa sit vasculum carnis, *cum Angl. ms. cod. siue cum aliis omnibus* vasculo, *perinde est, nam nonnumquam cum Accusatiuo, sæpe etiam cum Ablatiuo* vti *construit Auctor. Omnino autem restituimus ex* 3. *Vat. ms. cod.* quia nec calicem damnari, *pro*: damnaris, *ac*: nec gladium ad bestias pronuntiari, *pro*: pronuntiaris. *Item legimus*: Licet enim nec bonæ operæ reputentur illi, sicut nec malæ, *quia præcessit*, non reputabuntur illi operæ malæ.

121. non dico venenarium, &c.] *Similiter dixit infra lib.* 5 *adu. Marc. tractans c.* 15. *epist.* 1. *Cor.* venefico absoluto, calix erit puniendus. *Atqui pro* fictricis, *vetus edit.* fictricis, *sicut etiam Vatic.* 3. *verum magis conuenit cum Archigallo, vt loquatur de calice, quem libidinosa fœmina aut eunuchi cum osculis propinabant.* Fictricis *etiam fit mentio Tom.* 1. *lib. de Pallio, nu.* 90. *Quo fit, vt etiam non placeat coniectura G Cauteri Nou Lect. l.* 4. *c.* 12. Architrecis, *quod genus erat gladiatorum.*

122. vel Archigalli.] Archigalli (*inquit Rhenan.*) *principes sunt* Gallorum, *siue exectorum. Auctore Iulio Firmico, Venus in decimo ab horoscopo loco, facit eunuchos &* Archigallos: *Ceterum hoc hominum genus velut inauspicatum, exosum esse solet, & propter eos qui tales habent in delicijs, etiam turpe & flagitiosum.*

123. vel gladiatoris, aut carnificis.] Gladiatorem & carnificem coniungit, *eo quod, sicuti supra patet Tom.* 2. *l. de Spectac. c.* 12. *n.* 116. 117. *ac* 118. *humana corpora in exequijs, edicto inferiarum die, post epulas erogarentur, & feris dissipanda traderentur, quibus verisimiliter calix aliquis vini proponebatur, vt tanto acrius contra feras depugnarent, quibus etiam* oscula *à parentibus offerebantur, nam sæpe, B. Cypr. teste Epist* 2. *etiam mater interierat. Siue autem legas*: nedum à capitis sui officio relegarit, *cum exc. siue,* relegabit *cum Vatic.* 3. *ms. cod. parum refert.*

124. inludia animarum.] *Vocat (inquit Rhenan.)* inludia animarum, *illusiones manium, in vltionem inimicos suos parricidij auctores exagitantium. Legimus autem more Tertullianico, cum* 3. *Vat. ms. cod. & Angl.* vrguentium, *pro*: vrgentium.

125. de coronis quoque potatoris sui inorabitur, &c.] *Sic ms. Vat.* 3. *pro*: ino: nabitur. *Quum autem oras poculorum etiam agnouerit Lucret. lib.* 4. inorabitur *idem est, atque in ora coronis ornabitur. Adludit enim ad* coronas, *quibus victorum etiam calices inornabantur, de quibus alicubi. Virgilius*:

-- & vina coronant.

126. laudem suam consecratione pensabit.] *Hoc est (inquit Rhen.) dicabitur templo, trophæi instar suspensus. Omittimus autem secundum ms. Vatic.* 3. *cod. illud*: ne, *superfluum, legentes*: Est ergo & in vasculo, *& cum ijsdem*: vt huic quoque argumentationi satisfeceritm, *pro*: aut

127. Nam etsi vas vocatur apud Apostolum, &c.] *Siue id legas, siue quod habent,* 13. *ms. Vatic. cod.* vocat Apostolus, *perinde est. Adludit vero ad illud* 1. *Thes.* 4. Vt sciat vnusquisq; vas suum possidere in sanctificatione & honore, *quod metaphrastic*ῶς *vertit Auctor,* in honore tractare, *sicuti etiam infra lib.* 5. *adu. Marc. vbi de hoc latius.*

128. vas enim capacitatis nomine dicta est.] *Adnotata voce* σκεῦος *ad marginem, Rhenan significat, adludere Auctorem potius ad etymologiam eius vocis Græce, quam qua* vas *Latine dicitur. Legimus autem*: quæ (*nempe natura*) eam non instrumentum in operationibus præstat, *pro*: habet; *& magis placet eorundem Vatic.* 3. *ms. cod. lectio*: quod ab anima videtur impelli, *quam*: videatur, *ac*: Glorificate inquit) & tollite, &c.

129. in alienam culpæ.] *Sic hic dicit (inquit Rhenan.)* alienam culpæ, *sicut mox*: extraneam gloriæ, *& paulopost*: exules carnis: *& infra cap* 44 In re ergo aliena salutis.

CAP. XVII.

130. Simplicior quisque fautor, &c.] *Titulum huic capiti imposuimus*: Quod proinde non sola anima, sed & corpus pati debeat.

131. Nos autem ANIMAM corporalem & hic profitemur, & IN SVO VOLVMINE PROBAMVS.] *Adlegat hic denuo libro de Anima, in quo quod hic citatur, reperire est, c.* 5. 6. 7. 8. 9. *& nominatim cap.* 7. *adducit pro se, sicuti hic*: Lazari exemplum, *nempe eius qui* fouebatur *in sinu Abrahæ* penes inferos, *de quo Luc.* 16. *Verum (vt etiam ante me adnotauit Rhenan.) hoc cap. & sequ. meminerit Lector se Tertullianum legere; pertinet enim ad paradoxon de Anima corporea, de quo latius inter Prolegomena. Et quod id non comprobetur* Lazari exemplo, *ex August. dicto cap.* 7. *ostendimus num.* 93. *&* 94.

132. substantiæ, soliditatis.] *Aliquando (inquit Rhenan.) legendum putaui*, substantiuæ, *aut* substantis soliditatis, *sed solet omittere Coniunctiones, quemadmodum supra admonuimus. Subaudi igitur: & atque expone: Habentem proprium genus* substantiæ *&* soliditatis, per quam, &c. *Sic lib. de Putient.* Nomen, familiam ipsius persequentes.

133. Dedim igitur aduersario dicere: Ergo, &c.] *Legimus*: Dedim, *verbum antiquum, id est: Dederim, pro eo quod erat minus concinnum*: Dedi. *id est, eo magis, quod cap. sequent. dicat*: quamquam in hac materia admittamus, interdum animæ mortalitatem assignari ab hæreticis, *non vero: admisimus. Vt vt autem legatur, sunt verba aduersarii*, Ergo, &c. *vsque ad illud*: Immo eatenus. *Item legimus ex Vat.* 3. *ms. cod.* non qua sentire quid, &c. sed qua necesse est, *pro*: quia, *quod vtrobique legebatur. Perinde est autem legere*: & ad patiendum, *cum reliquis, vel*: etiam ad, *cum dicto Angl. ms. cod.*

134. eorum interim sententiam pendit.] *Facit hic locus ad confirmationem meæ interpretationis loci similis supra alicubi, qui nunc non occurrit, vbi* pendere *similiter cum Accusatiuo adnotauimus. Legimus autem aliquanto post*: Idcirco pro quoquo modo egit, *ex Vat.* 3 *ms. cod. vbi erat dumtaxat*: pro quo modo egit.

CAP. XVIII.

135. Hucusque præstructionibus egerim, &c.] *Hoc caput inscribendum duximus*: Quod in scripturis sacris edictum Dei pendeat, Resurrectio mortuorum, quidque illa duo verba significent. *Quod iisdem pene verbis late etiam tractat Auctor infra lib.* 5. *aduers. Marcion.*

136. Cui quum tot auctoritates, &c. procurent.] *Vide supra nu.* 70. *quibus adde ex Rhenano, sæpe etiam alibi dicere Auctorem*: procuro tibi. *Ergo*: procurent, *hic interpretare, faueant, subscribant, adsint. Scilicet* honores substantiæ ipsius, vires Dei, exempla earum, ratio iudicii & necessitates. *Substituimus vero iterum ex Angl. ms. cod. lectionem antiquam* intelleg, *pro*: intelligi, *& mox rursum*: intelligatur, *pro*: intellegatur. *Cui simile est illud supra cap.* 6. qui illam & elegendo dignam iudicasset.

136. quonam titulo spes ista perscripta sit.] *Ita ex Vat.* 3. *ms. cod. vbi antea erat*: proscripta. *Antea quidem in* 1 *edit. legebatur*: quonam stylo, *& sic etiam supra cap.* 10. Apostolum quoque ne de vno stylo noris, quo plerumque carnem compungit. *Sed (inquit Rhenan.) quia sequitur infra cap.* 19. Et hæc itaque dispectio tituli, & præconii ipsius, *& sic habet Gorzienses quoque codex, scripsimus* titulo *Legimus autem non ita multo post*: Et qui non audiuit videt, *ex Angl. ms. pro*: qui non audit. *Qui etiam legit*: quum ipsa substantia indutus.

138. Diuite (inquit) remplum istud: & ego illud triduo resuscitabo.] *Etiam hic metaphrastic*ῶς *vertit vocẽ Græcam λύσατε* diruite, *quam alii vertunt Ioan.* 2. soluite, *& addit*: ego, *quod nusquam legitur neque in Græcis, neque in Syriacis, neque Latinis exemplaribus, sicuti contrario mox contractius legit quam sit Ioan.* 2. De corpore suo dixerat, *quum habeatur: de templo corporis sui. Atqui ex Vatic.* 3 *ms. legimus*: eius & releuari & resuscitari. *pro*: cuius. *& mox*: circumferici, *pro*: circumferat, *neque enim nunc Christus talem animam circumfert. Item cum Angl. ms. cod. secundum* 1. *edit.* vt exinde a cadendo cadauer renuntietur, *pro*: cadauere enuntietur, *& prorsus*: quæ illud de terra suscitabit ingressa, *cum Vatic.* 3. *bis, pro*: suscitauit, *& cum Anglico cod.* etenim agitatur in somnis, *pro*: Sed enim.

139. Postulans enim Saræ humandæ locum de filiis Cher, &c.] *Græcam vocem* χὼ *Gen.* 23. *Latine etiam reddidit, pro eo quod Interpres Latinus edit.* 70. *Heth, non recte, quod magis Hebræa voces correspondeat, & vbique euphoniæ gratia* π *Hebraicum in* χ *transferri soleat. Malim etiam legere cum Vat.* 3 *& Angl. ms. cod.* & humabo mortuam meam, *nisi Græce legeretur* νεκρόν μου *vox autem* νεκρὸς *subinde in Bibliis transfertur cadauer seu morticinum, maxime quum sequatur et iam iuxta ms. cod.* etsi mortuus diceretur, *ac*: Quod si mortuus.

CAP. XIX.

140. Et hæc itaque dispectio tituli, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus*: Quod perperam quidam Resurrectionem in imaginariam significationem distorqueant.

141 discidium carnis atque animæ, &c.] *Quod hic* discidium, *supra l. de Anima, c.* 27. disiunctio, *& c.* 51. discretio corporis animæque *appellatur, quo loco vide Adnot. nostras n.* 568. *Eodem pertinet quod infra dicit c.* 47. regnum mortis nihil operari quam carnis dissolutionem. *Quibus adiungendum est contra illos*, qui mortem, *Auctore teste*, spiritaliter ignorantiam Dei interpretabantur, *multas esse scripturas tam apertas, vt spiritaliter intelligi nequeant, exempli gratia, quum Num.* 16. *vetatur quis consueta hominum morte mori, & Deuter.* 2. *peccatum recenseatur morte plectendum, & mille alia.*

142. Itaque & Resurrectionem eam vindicandam.] *Adludebant illi quidem ad illud Apost. Rom.* 6. An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptis-

mum in mortem, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, &c. Sed respondet cap seq. Auctor; etiam si aliquando figurate accipiantur mors & resurrectio, non tamen semper; quod ipsum de Euangelio cap. eodem prosequitur, & cap. 21. ac 22. addit: non sinere alias scripturas, Resurrectionem spiritaliter accipi. Per quæ etiam soluitur quod:

143. Dominus scribas & Pharisæos sepulcris dealbatis adæquauerit.] Atqui cum Vat. 3. ms. cod. omnino legimus. Resurrectionem fide consecutos, pro: resurrectionem fidei, &: consueuerunt, pro: consuerunt.

144. arcana hæretica.] De his late tractat Auctor supra lib. adu. Valent. ca. 1. vtpote quo doceat: nihil magis curare hæreticos, quam occultare quod prædicant; vbi vide Adnot. nostras nu. 2. quibus addendum illud Auctoris alio loco, cap 3. Hæreses demonstrasse, vicisse est. Lego autem aliquanto post cum ms. 4. secundum 1. ædit. in secularis vitæ morte detineat, pro: detinebat,

CAP. XX.

145. Ob huiusmodi igitur coniecturas, &c.] Titulum huic capiti dedimus: Quod non omnia in Prophetis aut Euangeliis allegorice aut figurate interpretanda sint.

146. Atque adeo si omnia figuræ, quid erit illud cuius figuræ? &c. Locus egregius, qui etiam retorqueri posset in illos, qui verba Christi de Corpore & Sanguine Domini figurate volunt intelligi, quum alioqui figuras illius multas præcessisse, ipsi fateantur.

147. nobiscum Deum.] Omnino sic legendum patet, non: Dominum, quia habet æditio Græca 70. Isai 8. μεθ' ἡμῖν ὁ θεός.

148. Et, si oblique: (id est, obscure) Accepturum virtutem Damasci & spolia Samariæ.] Ita distinguendus est hic locus, non sicuti antea: Etsi oblique. Quid autem sibi velit dicta Prophetia Isai. 8 satis prima facie obscura, partim supra diximus Tom. 1. lib. aduers. Iud. ca. 9 nu. 98 partim infra lib. 3 adu. Marc. cap. 13.

149. Sed manifeste: Venturum in iudicium cum Presbyteris & Archontibus populi.] Vatic. 3. ms. cod & principibus. Verum Archontibus legitur infra lib. 4. adu. Marc sub finem, vbi de hac scriptura latius, & etiam vtrobique legitur in sequenti scriptura (de qua etiam ibi) & Archontes congregati sunt in vnum. Denique id pro more habere, vt vox ἄρχοντες seruetur in sua versione à Tertull. supra adnotauimus lib. adu. Hermog. cap. 19. nu. 68.

150. Qui & tanquam ouis ad victimam adductus est, &c.] Vatic. 3. ms. cod. ad iugulationem, quamquidem proprie vox σφαγὴ significat, sed nolui immutare, eo quod legatur: ad victimam, alibi semper ab Auctore supra lib. dicto aduers. Iud. cap 9. 13. ac 14. & infra lib. 3. adu. Marc. Secundum quos posteriores locos, & Vatic. 3. ms. cod. omisi: se, legens dumtaxat: ante tondentem, scilicet Herodem (vti est Luc. 23.) eo quod Græce apud 70. non legatur, atque adeo etiam omittendum duobus locis prioribus censeo, & cap. 9 prorsus addendum illud: sine voce, quia ita reddidit Auctor vocem ἄφωνος, quæ ab aliis: mutus, transfertur.

151. Dorsum suum ponens ad flagella, &c.] Locus hic reperitur Isai. 50 In quo siue legas: ad palmas, cum exc. siue: in, cum Vat. 3 & exc. infra lib. 3. adu. Marc. c. 5. perinde. Lego autem: à fœditate sputaminum, partim ex 3. Vat. ms. cod. qui legunt: à sputaminum iaculis (minus accomode, eo quod Græca vox: αἰσχύνης magis fœditatem significet) partim ex lib. 3. aduers. Marc. vbi solum legitur: à sputaminibus.

152. Perfossus manus & pedes sortem passus in vestimento.] Adludit ad illos versus Psalm. 21. Foderunt manus meas & pedes super vestem meam miserunt sortem.

153. & potus amaros.] Hic ad illud Psalm. 68. Et dederunt in escam meam fel.

154. & capitum irridentium nutus.] Rursum hic ad illud Psal 21. Omnes videntes me, deriserunt me, & mouerunt caput.

155. triginta argenteis adpreciatus à proditore.] Etsi hoc potius reperiatur Zachar. 11 quia tamen mox subiungitur ab Auctore: quæ ænigmata apud Hieremiam, (in hoc secutus est Euangelistam Matthæum, vbi dicitur secundum plerosque codices, qualibus etiam hic vsus videtur: Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam) ad marginem maluimus adscribere, & etiam sic in Indicem redigere scripturarum, Hierem 32. (vtpote vbi de agro empto fit mentio) ac Matth. 27. Si quis plura huc pertinentia desideret, videat Comment. Reuerendissimi Domini Gandauensis Ianssenii in Concord. Euangelist. cap. 140. & Adnotat. nostris in B. Cyprian. Siue autem: præfatos, legas, cum Angl. ms. siue: profatos, cum reliquis, non refert.

156. nec inclaruit lingua mutorum.] Supra l. adu. Iud. cap. 9. & mutorum lingua soluetur, nam hoc singulari numero legere oportet secundum æditiones omnes tam 70. Hebræam, Chaldaicam, & Latinas ex illis translationes. Est etiam adnotanda lectio: mutorum, ad confirmationem eius, quod Leo de Castro in Isai cap 35. putet olim lectum apud 70. καὶ γλῶσσα ἀλάλων ἀνεῤῥάγη, ex vestigio ædit. Complutensis, quæ in contextu posuit postremum illud ἀνεῤῥάγη, alioqui superfluum.

157. nec manus aridæ & genua dissoluta reualuerunt.] Quas hic transfert (ex eodem c. 35. Isai. pauloante) manus aridas, vertit infra lib. 4 adu. Marc. paralyticas, Metaphrasticôs suo pro instituto transferens vocem Græcam ἀνειμένας quæ remissum & inualidum significat, & pro: genua dissoluta, quæ proprie significantur vocibus: γόνατα παραλελυμένα, ibi vertit: crura paralytica. Siue autem: clodi legas cum exc. hoc loco, siue: claudi cum ms. & hic & supra lib. adu. Iud. perinde est. Legimus autem cum 1. ædit. & Angl. ms. cod. quæ etsi ipsi, pro: quæ etsi. Et vox est Tertullianica: remediatorum.

158. vt quum exitus gentium, & vrbium resonant.] Intelligit hauddubie Isaiam, vbi exitus siue exitia prædicuntur Tyri, ca. 23. & Ægypti, c. 19. & Babylonis, c. 13. & Idumeæ, c. 21. & nauium Carthaginiensium, quod lego ex Angl. cod. pro: Carthaginensium, dicto c. 23. vbi iuxta 70. legitur: πλοῖα Καρχηδόνος, id est: Naues Carthaginis, pro eo quod apud Hebræos: Naues Tharsis, id est, maris, iuxta B. Hieron. quam vocem etiam solent mare reddere 70. præterquam hoc solo capite, idque non semel, sed etiam tertio.

159. vt quum ipsius Israelis plagas, &c.] Hic similiter adludit ad eiusdem Isai. c. 24. 25. 28. sequentia vsque ad 32.

CAP. XXI.

160. Si ergo interdum & in quibusdam, inquis, cur non, &c.] Caput hoc inscripsimus: Quod edictum Resurrectiouis nequeat spiritaliter intelligi. Est autem vox Tertullianica: denotetur.

161. Tum quod verisimile non est, &c.] Prima æditio Tunc, sed Rhenano, qui primus Tum substituit, consentiunt omnes ms. cod. sicuti etiam in hoc, quod legendum iudicarit: annuntiata, cui etiam similes locos adducit infra, capite 25. Quia si nulla tunc adnuntiaretur, & mox: Quia non & tunc spiritalis adnuntiaretur resurrectio.

162. Sed etsi temporalia & localia, &c.] Respicit ad ea quæ ex Isaia adduxit cap præced. num. 158. & 159. Siue autem legas: in omne hominum genus cum excus. siue: humanum cum Vatic. 3. ms. non refert. Est etiam Tertullianica phrasis: Dispositiones eius, nempe Dei, tum hic, tum alibi frequenter.

163. Et puto, &c.] Puto hic accipitur pro æstimo seu indico ita esse, neque enim vllo modo Auctor dubitabat, an in Deum competeret inconstantia. Et sic vbique ea voce vtitur, sicuti etiam voce: opinor, c. sequent. & alibi sæpius Exempli gratia, c. sequ. quæ puto adhuc integra est.

CAP. XXII.

164. Posthæc ad illas etiam scripturas, &c.] Inscriptionem huic capiti damus: Scripturas non sinere, vt dicatur: Resurrectionem hic fieri, aut statim ab excessu vitæ.

165. quam in aduentum (opinor) Christi, &c.] Coniectura Rhenan. qua sic legendum coniecit, pro: in aduentu, consentiunt omnes ms. cod. quorum Anglic. quidem legit paulo aliter: æque in aduentum (opinor) Christi vota nostra suspirant, sed prius magis placet.

166. ad diem Domini magnum, diem iræ, &c.] Hic adludit ad illud Sophon. 1. Quia iuxta est dies Domini magnus, &c. dies iræ. Deinde ad illud Isai. 61. & diem retributionis, item quod est Iob 19. In nouissimo die (quem hic vltimum diem vocat) de terra surrecturus sum, denique illud Matth. 24. De die autem illa nemo scit, nisi solus Pater. nam quod subijcit: & tamen signis atque portentis, &c. paulopost latius ipsis scripturarum verbis explicat.

167. Interrogatus à discipulis, &c.] Quia sequentia ex solo adfert Lucas Euangelista, dumtaxat adnotauimus ad marginem Luc. 21. Atque adeo de verbis Euangelistæ, Lectorem remittimus ad lib. 4. adu. Marc. infra vbi explicatur hoc c. 21. latius. Indicabo autem veritatem lectionum, & quæ ibi non reperiuntur. Hic itaque imprimis legit Auctor: quando euentura essent, pro: quando hæc erunt, dumtaxat. Siue autem legas: eruperant, nempe à Christo, cum exc siue: eruperat, scilicet Christus cum Vat 3. ms perinde est, & item seu legas: conclusionem sæculi, seu: consummationem.

168. dirigit] Sic Vat. 3. ms. cod. pro: digerit, quorum illud placet, vtpote frequentissime tum alibi, tum hoc libro Auctori vsitatum. Sic infra cap. 37. ex materia dicti dirigendus est sensus, & cap. 52. Sine dubio ad hoc dirigit.

169. Et tunc erit Ierusalem conculcatui nationibus, &c.] Conculcatus (inquit Rhenan.) pro conculcatione. Duabus enim vocibus vertere etiam voluit quod alii conculcare, sicuti Græce est: ἔσται πατουμένη. Lego vero ex Vatic. 3. ms. cod. cum reliquiis Israelis, pro: cum reliquo.

170. secundum Ioelem, & Danielem.] Ioelis cap. 2. locus infra loco dicto citatur, sicuti etiam Danielis cap. 7. ad quem hic etiam adludere Auctorem constat ex verbis vtrobique citatis, tum de portentis in cœlo, tum de filio hominis venturo in nubibus.

171. & vniuersum concilium Prophetarum.] Citat infra in hanc sententiam Auctor Prophetam Abacuc cap. 3. & in margine, Isai. c. 13. Ezech. 32. quare & nos tres hos locos hic adnotauimus, quippe qui tractant: de signis in sole & in luna (vbi addo: in ex 3. Vatic. ms.) & in stellis, ad quos adeo adludit c. 21. Lucas.

172. conclusionem nationum.] Vat. 1. conlisionem, verum conclusionem accipit pro pressura, sicuti infra legit, seu pro: conflictatione, sicuti ibidem non semel, & pauloante, cui etiam magis correspondet vox Græca συνοχὴ, sicuti etiam illud ἀπορίᾳ vertit hic: cum stupore, de quo infra latius.

173. & motus refrigescentium hominum.] Longe aliter & vertit & distinxit hunc locum Auctor, quam vulgatus interpres. Nam vocem σάλου interpretatur simpliciter motum, qui proprie motum fluctuum significat, quo fit vt vulgatus Interpres, fluctuum,

verterit, Ac illud: & motus, *cum sequentibus coniungit, quasi nouum versum incipiens*: καὶ σάλυ (*quod alter præcedentibus addit*) ἀποψυχόντων ἀνθρώπων. *Quomodo etiam legisse videtur, qui in Syriacam linguam vertit, vbi sic legitur: Et commotio quæ eijciet animas hominum. Deinde vertit: refrigescentium (sicuti Vatic. 3. ms. cod.) aut velut exc. cod.* perfrigescentium, *quod alter*: arescentium, *proprie vero magis verti posset: exanimatorum.*

174. tenerescentium arborum in caulem floris, & dehinc florem frugis antecursorem.] *Locus sicuti infra etiam citatur l. aduers. Marc. 4. non aliud habet, quam:* quum fructum protulerint, *atque adeo istud partim ex Matt. & Marco desumptū est, qui habent: quum ramus ex se tener fuerit, quod* tenerescere *dixit hic Auctor, de reliquo supplens quod Græce est dumtaxat apud Lucam*, ὅταν προβάλωσιν ἤδη, *id est*: quum iam proruperint, *siue vti Interpres ædit. Syriacæ: pullulauerint, nempe* in caulem floris, & dehinc florem (*quod omnino hic addendum est*) frugis antecursorem, *ita etiam explicans, quid* fructus *nomine sibi voluerit Lucæ Latinus Interpres. Quem in hoc imitatus videtur his verbis beatus Hieronym. Comment. in Matt. Quando (inquit) teneres fuerint in arbore ficus cauliculi, & gemma erumpit in florem.*

175. vt digni habeamini effugere omnia ista, & stetis ante filium hominis.] *Scripsimus*: digni habeamini, *pro*: dignemini, *ex Vat. 3. ms. cod. quia Græce est*: καταξιωθῆτε. *Possit interim etiam retineri*: dignemini *si passiue accipiatur, vti frequenter de Actiuis verbis facit Auctor, qui hic in duobus dissentit à textu vulgato tam Græco quam Latino ac Syriaco, tum quod omittat quod his verbis præmittitur*, δεόμενοι, *id est: orantes, tum quod vbi Græce est* σταθῆναι, *id est, stare, ipse legat*: stetis, *cui interim consentit Syrus Interpres, legens: consistatis. Atqui mox Latinius legendum censet*: fructificat, *pro*: fructificasset, *ego vero lego*: fruticat, *id est, germinat. Sic etiam castigauimus supra l. adu. Hermogenem illud Gen.* 1. Fruticet terra herbam, *c* 22. & 29. *vbi vide Adnot. nostras n.* 76.

176. ad confringendam terram secundum Isaiam.] *Adludit ad illud Isaiæ* 2. quum surrexerit confringere terram. *Ibi autem*, Quis inimicos Christi, &c. *ad illud Psal.* 109. donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum.

177. Christianos ad Leonem.] *De voce illa popularium vide supra Apolog. c.* 40. *n.* 524. *Similis est & illa, cuius infra meminit l. de Exhort. ad castit.* Christiani ad bestias, *& quod dixit supra l. de Spectac. cap.* 27. illic quotidiani in nos leones postulantur.

178. secundum angelorum constitutum.] Constitutum (*inquit Rhen.*) *sicut statutum, pro constitutione. Verbum Iureconsultis veteribus vsitatum. Locus est Auctorum c.* 1. Ecce viri duo astiterunt illis amicti vestibus albis, &c.

179. Nulla ad hodiernum tribus ad tribum pectora cæciderunt.] *Ita transtulit quod est Zachar.* 12. *& inde partim citatum Matth.* 14. *ac Apoc.* 1. καὶ κόψεται ἡ γῆ κατὰ φυλὰς καὶ (*id enim addendum videtur*) φυλὰς, *quod ad verbum posset transferri*: & lugebit, *seu potius* pectora cædet, terra, per tribus & tribus. *Atqui ibi*: nemo adhuc excepit Heliam, *adludit ad illud Malach.* 4. Mittam vobis Heliam Thesbitem, antequam veniat dies Domini magna & illustris.

180. nemo adhuc fugit Antichristum, nemo adhuc Babylonis exitum fleuit.] *Prius istud disertis verbis non habetur in Apocalypsi, sed satis innuitur c.* 12. *vbi dicitur mulier, quod est Ecclesia, fugisse in solitudinem à facie draconis, & maxime c.* 18. *vbi iubetur populus exire de* Babylone, *& insuper legitur*: Et flebunt & plangent se super illam Reges terræ. *quare & solum hūc locum ad marginem adnotauimus. Lego autem*: qui resurrexerit, *cum* 3. *ms. Vat. cod. secundum* 1. *ædit. pro*: resurrexit.

181. Exiit plane iam de corporis sepulcro, &c.] *Ironia est ista de Christo, qua (mea quidem sententia) opinionem eorum hæreticorum irridet, qui Christum resurrexisse quidem fatebantur, sed adhuc mortalem, adludens interea tacite, tum ad illud Ephes.* 6. Nobis colluctatio est aduersus mundi rectores, *siue, vti ipse vertit*, mundi potentes, *quod Græce est* κοσμοκράτορας, *& ad illud Matt.* 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.

Cap. XXIII.

182. Docet quidem Apostolus, Colossensibus scribens, &c.] *Capiti huic titulum damus*: Quod etsi Apostolus spiritualiter nos resuscitatos dicat, alibi tamen corporaliter resurrecturos adfirmet. *Atqui illud quidem*: mortuos fuisse nos, *reperitur* Colos. 2. *verbis infra scriptis, ad illud*: aliquando alienatos & inimicos sensus Domini, in operibus pessimis, *legitur Coloss.* 1. *In quibus interim verbis hoc variat à vulgata lectione tam Græca & Syriaca, quam Latina, quod legat*: inimicos sensus Domini, *vbi alter dumtaxat*: sensu, & pessimis, *pro*: *malis. In illo consentiunt Auctori B. Ambros. legens in Commentar. inimicos consiliorum eius, nempe Domini, ac B. Hieronym. epist. ad Ioan. Hieros.* inimici sensus eius.

183. dehinc: consepultos Christo, &c.] *Istud iterum reperitur Coloss.* 2. *vbi ad verbum ex Græco* ἐν ᾧ καὶ συνηγέρθητε & conresuscitatos in eo, *ac*: efficaciam *proprie vertit vocem Græcam* ἐνεργείας, *pro qua Latinus Interpres: operationis. Quibus verbis Apostoli sequenti versu subiungitur illud*: Et vos quum mortui essetis in delictis, &c. *Sic enim legere pergo iuxta æditiones omnes, Græcas, Latinas, Syriacas, etsi repugnantibus tribus Vatic. ms cod. qui omittunt*: in. *Cum iisdem lego*: præputiatione, *pro*: præputio *Qui etiam l.* 5. *adu. Marc. legitur, vbi explicat illud*: neque circumcisio aliquid proderit neque præputiatio. *Et constanter codices omnes legunt*: vos vestræ, *ac*: vobis. *Peculiare itaque illud est Theoph. Ambros. quod in prima persona legerint & verterint*: nos, nostræ, *ac*: nobis.

184. Si cum Christo mortui estis, &c.] *Istud similiter reperitur Coloss.* 2. *Consentit autem Auctor cum Græcis & Syriacis exemplaribus, quod omittat: Huius, vbi legitur*: ab elementis mundi, *&*: adhuc, *ibi*: Quomodo quasi quidam (*sic enim lego vocibus transpositis ex Vat.* 3. *ms. vt magis correspondeat phrasi Græce*, τί ὡς, *quod alij vertunt*, Quid, *aut*, cur, tamquam. *Hoc peculiare Auctori quod addat*: quidam. *Qui retinuit (sicuti etiam Ambros. ex Græco voculam* ἐν, *cum vertit*: in mundo.

185. Denique si resurrexistis (inquit) cum Christo, &c.] *Hoc adducitur ex Coloss.* 3. *c vbi erit* τὰ ἄνω: ea quæ sursum sunt, *& Metaphrasticῶs*: quæ deorsum, *pro*: τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, *id est*, quæ supra terram, *quum autem omnia exemplaria tam Græca & Syriaca, quam Latina, sic legant, correximus secundum primam æditionem ex ms. Vat.* 2. *& Anglico codicibus*: & vita vestra abscondita est, *pro*: sed vita nostra, *& proinde etiam legimus ante illa verba ex Vat.* 2. non vobis, *pro*: nobis.

186. Scimus quia si manifestauerit, &c.] *MS. Anglicus*: manifestatus fuerit, *verum cum Vat.* 3. *illud retinuimus, eo quod soleat verbis Actiuis pro Passiuis vti Tertullian. cum quibus omnibus legimus phrasi Tertullianica*: similes eius erimus, *pro*: ei, *nam etiam* par eius *Auctori vsitatum, supra ostendimus l. de Carne Christi, nu.* 26. *& alibi non semel, sicuti etiam de voce*: repræsentatio, *quam ex cod. ms. Angl. substituimus, pro*: præsentatio, *supra hoc libro, n.* 76. *ac* 112. *Atqui de* iustitiæ mercede, *similes locos habes etiam supra n.* 114.

187. Si qua (inquit) concurram in resurrectione quæ est à mortuis, &c.] *Sic lego, addita voce*: est, *ex Angl. MS. cod. & retento illo*: Si qua, *cum eodem & Vatic.* 1. *cod. quia id significat Græcum* εἴ πως, *non obstante quod Vat.* 2. *legant*: Si quomodo. *Legit etiam conformiter Græcis exemplaribus*: Prosequor autem si (*omissa voce*: quomodo) adprehendam, in quo adprehensus sum à Christo.

188. in priora me extendens, &c.] *Sic Græce Paulus. Philip.* 3. (*inquit Rhenan.*) τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, κατὰ σκοπὸν διώκω, ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *id est*: In priora me extendens, iuxta scopum persequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. *Verum quod hic vertit*: incriminationis, *respicit locum qui mox sequitur ad Timotheum, vbi iubet eum* custodire mandatum immaculatum, irreprehensibile; in apparentiam Domini nostri Iesu Christi. *Græce est* ἀνεπίληπτον. *Expone ergo*: incriminationis, *id est: irreprehensibilitatis, vt ita dicam. Non mirum autem si vsurpet* incriminationem *pro fide integra, quam nemo criminari queat, quum alibi dicat*: In bonum, *pro*: *non bono.*

189. Det illi Dominus, &c.] *Vat.* 2. Deus, *sed Græce est*: ὁ κύριος *Omittit autem hic Auctor, quod tamen Græce est, & in Syriaca ædit. ac Latinis codicibus*: a Domino.

190. custodire mandatum immaculatum, irreprehensibile, &c.] *Hic confirmatur versio vulgati Interpretis.* 1. *Tim.* 6. mandatum sine macula irreprehensibile, *quomodo legunt etiam Amb. & Latinus Chrys. vel Erasmo teste, quos putat legisse* τὴν ἐντολὴν ἄσπιλον, *pro eo quod Græca hodie lectio, omisso* τὴν, *magis videatur accedere ad eius illam versionem, vt serues mandatum immaculatus, irreprehensus, cuius imitatione temere etiam legitur apud Isid. Clarium: irreprehensibilis. Atqui proprie transtulit illud Græcum* μέχρι τῆς ἐπιφανείας, in apparentiam, *atque adeo*: quam, *recte vertit ex Græco, quia id refertur ad dictam apparentiam seu aduentum Christi, non ad ipsum Christum. Porro legimus iterum secundum* 1 *ædit. ex Vat.* 3. potentator, *pro*: potens, *quia etiam Rhenanus sic scriptum reliquit* δυνάστης *vertit*: potentator.

191. Pœniteat itaque vos, & resipiscite, &c.] *Addimus* itaque *ex omnibus ms. Iam olim autem hic legendum*: resipiscite, *pro*: respicite, *adnotauit in hunc locum Act.* 3. *Erasmus, quod etiam necessario requirit vox Græca* ἐπιστρέψατε, *& quod vertunt Interpretes vulgatus Latinus ac Syriacus*: conuertimini. *Qui etiam adnotat tolli incommodum lectionis Græcæ ac Latinæ, sublato vocabulo* ὅπως *ab Irenæo alicubi, & hic à Tertulliano, vbi legit*: vt tempora vobis superueniant refrigerii ex persona Dei, *cui consentit etiam Syrus Interpres legens*: Et obueniant. *Significat autem* προσώπου, *& personam, & conspectum. Legit etiam Auctor, sicuti hodie plerique codices Græci*, προκεχειρισμένον, *dum vertit* prædesignatum (*secutus Iren. l.* 3. *c.* 12. *cuius Interpres*: præparatum) *pro eo quod vulgatus Interpres* προκεκηρυγμένον, *vbi transtulit*, qui prædicatus est. *Quid? quod etiam Syrus interpres vertat*: qui paratus est: *Variant denique in hoc etiam Iren. & Tertull. quod ille legat, dispositionis, Auctor vero*, exhibitionis, *pro eo quod vulgatus Interpres*; *restitutionis, quam proprie significat vox Græca* ἀποκαταστάσεως: *longe etiam aliter Syrus Interpres*: vsque ad complementum temporum. *Refertur autem illud*; quæ locutus est Deus, *ad vocem*: tempora, *non vero ad*: omnium. *quare & commate distinguendum.*

CAP. XXIV.

192. Quæ hæc tempora, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus*: De resurrectione corporali, ex Epistolis ad Thessalonicenses.

193. Qualiter conuersi sitis, &c.] *Hic rursum omittit quod* 1. *Thessal.* 1. *interijcitur in ædit. Græcis. Latina, ac Syriaca*: ad Deum.

A *Secundum quas etiam omittimus cum Vat.3.cod.particulam*: ad, *legentes:* & expectandum, *ac legimus*: è cœlis, *pro:* a.

194. quam & vos, &c.] *Omnino sic lego, omissa vocula:* vt, *quia neque Græce reperitur, neque in Latinis æditionibus aut Syriaca, quarum hæc magis accedit ad lectionem Tertull. legens*: nisi vos, *quam vulgata versio:* nonne & vos? *ex Græco ad verbum*: ἢ οὐχὶ καὶ ὑμεῖς: *Vtrum autem legatur, non potest consistere. quod quidam Latini codices hic addant:* estis. *Omittimus autem cum Vat.3 vocem*: Deo, *legentes:* coram (*quod proprie significat phrasis* ἔμπροσθεν τοῦ κυρίου) Domino nostro, *quod in nullis æditionibus* 1.*Thess.*2.*reperiatur.*

195. Item: Coram Deo & Patre nostro, &c.] *Istud desumptum ex eadem Epist.* 1. *Thess.* 3. *vbi eadem quoque vox Græca* ἔμπροσθεν *Legimus autem secundum ædit. omnes ex Vat.*3. in aduentu, *pro*: aduentum.

196. De quorum dormitione minus mœrenda docens, &c.] *Lego prorsus:* mœrenda, *pro:* miseranda, *ex Vat.3.ms.cod. quia alludit hauddubie ad illud* 1.*Thes.*4. Nolumus autem vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini. *Legimus etiam cum iisdem ms.* quod Iesus mortuus sit, & resurrexerit, *pro:* resurrexit, *& est adnotanda distinctio huius loci*: per Iesum adducet cum ipso, *quum alij plerique præcedentibus illud*: per Iesum *iungant, & hæc Auctoris distinctio, magis ad institutum facit Resurrectionis. Item legimus ex* B *Vat.* 2. in sermone Domini, *pro*: Dei, *quod Græce sit:* τοῦ κυρίου. *Et*: obuiam Domino, *pro*: Christo, *tum quia infra l.5.adu.Marc. & supra l.de An.c.55. sic legitur, tum quia Græce est* τῷ κυρίῳ. *Consentit etiam vtrobique Syriaca æditio. Rursum*: qui illos iam vocaret, *pro: vocarit, secundum Vat.3.ms.*

197. vt resurrexerint.] *Intellige (inquit Rhenan.) resurrectione spiritali, quam ipsi adstruunt in hac vita contingere.*

198. qui in ista tantum vita sperantes habebuntur.] *Omittit hic quod Græce, Latine, & Syriace est intermedium*, 1 *Cor.*5. in Christo. *Legimus vero ex Angl.ms.cod.* excludendi, *pro*: excludendo.

199. frustrati circa veritatem, non minus quam Phygellus & Hermogenes.] *Rursus lego:* Phygellus, *sicuti supra l.de Præscr.adu. hæret.c.3.n.19. quia Græce est:* Φύγελλος: *atque adeo omnino etiam in Latinis exemplaribus ita legendum, pro eo quod quidam olim habebant,* 2. *Tim.*1. Philetus. *Nam etiam B. Hieronym.epist.de vest. Aaron, & Ambros. sic legunt. Atqui more suo, quod* 2.*Tim.*2. *legitur de Phileto & Hymenæo:* περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠστόχησαν, *istis adaptans, vertit aptissime:* frustrati circa veritatem.

200. De temporibus autem, &c.] *Istud legitur* 1. *Thess.*5. *Illud autem:* & spatiis temporum, *magis accedit ad id quod Græce est*: καὶ καιρῶν, *quam quod habet vulgatus Interpres*: & momentis. *Item* C certissime scitis, *secundum vocem Græcam* ἀκριβῶς, *pro: diligenter, ac:* insistet interitus, *id est: instabit, pro: superueniet: nam Græce est:* ἐφίσταται.

201. Obsecro autem vos fratres, &c.] *Istud reperitur* 2 *Thess.*2. *Addidimus vero ex Angl. ms.* autem, *ac:* Iesu Christi, *quod Græce, Latine ac Syriace sic legatur, quæ exemplaria quum constanter legant:* Rogamus, *mirum est ab Auctore legi:* Obsecro: *Correspondet autem Græco & Syriaco exemplaribus illud*: & congregationem nostram ad illum. *Verum non propterea tum Isidoro Clario temere ita castigandus vulgatus Interpres, pro eo quod habet:* & congregationis nostræ. *Eiusdem est farinæ etiam illud immutatum apud eundem*: vt non cito dimoueamini mente, *pro: moueamini à vestro sensu, quantumuis illud magis cum Græco textu conueniat, & consentiat partim Auctor, legens:* animo. *Nullo autem modo ferendum, quod castigare audeat: quasi instet dies Christi, quia etsi sic hodie legant plerique Græci codices, certe olim lectum fuisse* κυρίου *conuincitur tum ex hoc loco, vbi legitur:* quasi insistat dies Domini, *& August. loco infra citato, tum ex Syriaca versione. Etiam libera recognitio in eo quod substituit*: aduersus omnem qui dicitur Deus, aut numen, *quia non modo vulgatus Interpres, sed etiam Auctor, hic & infra lib.5.adu. Marc. legit*: omne quod dicitur Deus aut religio, *& similiter omnino cum sua dicta vulgata æditione B. Hieron quæst.* 11.*ad Algasiam: omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, quib. consentiunt etiam Iren. & August. locis infra citatis. Qui etiam legit*: discessio, *pro quo non male Auctor*, abscessio; *quia ibidem Hieron. adnotat, quod Græce dicitur* ἀποστασία, *& legit*, tamquam sit Deus, *pro quo substituit iterum Clarius: quod sit Deus, vti & alia multa immutauit.* D *Qui, si tantum ad marginem, variam Græcæ æditionis addidisset lectionem, multum adiumenti sacrarum litterarum Professoribus adtulisset. Iam vero oportet meminerit Lector, non vulgatam Bibliorum æditionem habere dictum Clarium, sed mixtam ex Latino vulgato Interprete & Græcis exemplaribus, quod semel adnotasse sufficiat.*

202. quis? nisi status Romanus, &c.] *Mire calumniantur Magdenburgenses, dum hunc locum detorquent, vt probent Romanum Pontificem Antichristum esse. Imprimis enim, manifestis verbis non Apostolus modo discessionem distinguit ab homine peccati, sed eundem explicans Auctor disertis hisce verbis*: nisi veniat, *inquit*, abscessio primo, huius vtiq; regni, & reueletur delinquentiæ homo, id est, Antichristus *Et iterum apertius:* quis? (*inquit*) nisi status Romanus? cuius abscessio in decem Reges dispersa (*vbi alludit ad illud quod legitur Dan.7. de decem Regibus regni 4. post quos orietur alius potentior prioribus*) Antichristum superducet. *Deinde* statum Romanum, *de quo hic agit, non esse Ecclesiæ, sed regni Romani seu Imperij, patet ex dicta eius interpretatione de dispersione in decem Reges: neque enim Reges, sed Episcopi in Ecclesia Romana auctoritatem habent, eamque non dispersam, sed vnitam sub vno Pontifice* E *Christi vicario capite. Et vero de Imperio Romano id accipiens, alludit manifeste ad illud*: tantum qui nunc tenet teneat, donec de medio fiat, *etiam supra Auctor To.1.Apolog.c.32.his verbis*: dum clausulam seculi precamur differri, Romanæ diuturnitati fauemus, *ac c.39.dum dicit*: orare nos pro Imperatoribus, pro statu seculi & mora finis, *ac apertius l. ad Scapul. c 2. quum dicit*: Christianum saluum velle Imperatorem cum toto Romano Imperio, quousq; seculum stabit, tamdiu enim stabit. *Quid? quod etiam BB. Hieronym. loco citato, & B. August.l.20.de ciuit.Dei, c.19. Chrys. ac Ambros. in huius loci Commentariis, non de Romana Ecclesia, aut de Romano Pontifice, sed de Imperio Romano, locum hunc interpretentur, & ipse quoque Erasmus Roterodamus Adnot. noui Test. ac Paraph. in hunc locum, & Rhenanus verbis citatis d. l. ad Scapul.n* 10. *Plura alia ad intellectum huius scripturæ pertinentia, videre est locis iam citatis apud Hier. & Aug. ac Irenæum l.5 c.25. Latissime deniq; apud Nicolaum Sanderum l.8.Visib. Monarc. maxime c.*3.4.5.9.10. 13.19.20.22.25.26.27.28.30.*ac* 42.

CAP. XXV.

203. Etiam in Apocalypsi Ioannis, &c.] *Titulum huius capitis ipse Tertullianus indicat*: Etiam ex Apocalypsi ordinem temporum Resurrectionis probari *Quamquam interim non tam verba Apocalypsis citet Auctor, quam ad ea adludat, Primum ad c.6. vbi* F *dicit*: quem martyrum quoque animæ sub altari vltionem & iudicium flagitantes sustinere didicerunt, *dein ad c.15. ac 16.ibi*: vt prius & orbis de pateris Angelorum plagas suas ebibat, *ad cap.17. ac 18. illic:* & prostituta illa ciuitas à decem Regibus dignos exitus referat, *ad c.19.vbi addit:* & bestia Antichristus cum suo Pseudopropheta certamen Ecclesiæ Dei (*nam id addo ex Ang. MS.*) inferat, *ad c.20. denique in eo quod sequitur*: atque ita diabolo in abyssum interim relegato, primæ resurrectionis prærogatiua de soliis (*sic enim castigo ex Anglic.ms.quod erat:* de solis, *eo quod Græce sit,* καὶ εἶδον θρόνους) ordinetur, dehinc & igni dato, vniuersalis resurrectionis censura de libris iudicetur. *Vbi quod inter* primam & vniuersalem resurrectionem *distinguat Auctor, pertinet ad paradoxon eius de annis mille inter vtrumque intermediis, de quo latius inter Prolegomena.*

204. aut, si & agnitio sacramenti Resurrectio est, &c.] *Sicuti supra adnotauimus l.de Præscr.adu.hær.c.*40.*n.*239. *hic certe* sacramentum, *pro mysterio accipitur, sicuti etiam supra c.* 15. *illud de Apostolo Paulo*: & omnia sacramenta cognouerat. *Castigauimus autem partim ex ms.Vat.3. partim ex Ang. cod.* vt eo ipso quo hæc spiritalis vindicatur, *pro:* quod hæc spiritalis videtur.

205. aut tunc sub omni clausula temporum, &c.] *Sic etiam castigauimus & suppleuimus secundum primam ædit. ex ms.omnibus,* G *pro eo quod erat dumtaxat*: sub omni clausura, *nam & n.*202.*citauimus ex Auctore:* clausulam sæculi, *& vox* clausula *repetitur infra cap.*30.*&* 4 . *sic supra l. de Carne Christi, c.vlt.Item legimus ex Angl.ms.cod.* in exitu sæculi, *pro* exitum sæculi.

CAP. XXVI.

206. Vnum adhuc respondebo, &c.] *Inscripsimus caput istud:* Quod Resurrectio etiam de patrocinio eloquii Prophetici figurati vindicetur.

207. sicut ostendimus.] *Nempe supra c.7.quum dixit.* Oblitteratus igitur & deuoratus est limus in carnem. Quando? quum factus est homo in animam viuam, de Dei flatu.

208. maledicta quidem quæ hauserit sanguinem.] *Sic castigo ex 3.ms. Vat. cod.pro*: quod. *Videtur auctor legisse Gen.*4. Maledicta terra, quæ aperuit os suum ad hauriendum sanguinem: *pro eo quod legitur hodie apud* 70. Maledictus tu à terra, quæ, *&c.*

209. per consistorii sui exitus.] *Vocat (inquit Rhen.)* consistorium *terram, à consistendo; nam in hac consistit homo. Alioqui,* consistorium *vocamus locum, in quo causæ cognoscuntur.*

210. Domus regnauit, exultet terra.] *Vatic.3.ms.* exultauit, *& mox etiam Auctor*: quo supra regnante exultauit, *maluimus tamen retinere vulgatam lectionem, eo quod sic legant & Romana, &* H *ex Hebræo, & Gallica, & vetus Psalterij æditio.*

211. Videbunt enim eum qui confixerunt.] *Siue sic legas, siue cum 3.ms. Vatic.cod.* in quem confixerunt *perinde est, quia etiam alibi variat Auctor, sicut videre est supra l. de Carne Christi, ca.*24. *nu.*186. *& infra c.*51.*n.* 346.

212. & angelificatam.] *Adludit ad illud Matt.* 22. Sed erunt sicut angeli Dei in cœlo, *sicuti ad* 1.*Cor.*2.*quum subiungit:* & consecuturam, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. *Legens autem plurali numero*: quæ, *&*: ascenderunt, *magis accedit ad id quod Græce est:* ἃ, *&* ἀνέβη. *vtroque modo verti potest, quomodo etiam legit B.Hieron.epist.*148.*ad Marcellam, & quidam Latini codices.*

213. & solem suum emittens super iustos & iniustos.] *Castigauimus*: emittens, *pro:* mittens, *ex Angl. ms.quam magis correspondet Græce voci* ἀνατέλλει, *quam rite circumlocutus vulgatus interpres Matth.5.vertit*: oriri facit.

214. ipsam conditionem colentes aduersus conditorem.] *Adludit ad illum Rom.* 1. ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, *quod vertit Hilarius*: Seruierunt creaturæ prætereito creatore, *& vulgatus interpres*: Seruierunt creaturæ potius quam creatori,

nam omnia illa significat vox παροῦ. Ibi autem: ne in pane quidem victurum hominem, *videtur desiderari:* solo, *quod omnia exemplaria sic legant Matth.* 4.

215. ignorantes & panem de cœlesti repromissum, &c.] *Similis est hic locus illi infra l.* 1. *adu. Mar. c.*14. Sed ille quidem vsq; nunc nec aquam reprobauit creatoris qua suos abluit, nec oleum quo suos vnguit, nec panem quo ipsum corpus suum repræsentat, *quo sit vt hic magis placeat lectio Angl. ms. cod.* & aquam spiritus, & vinum animæ vigorantis (*id est, vigorem accipientis, vt passiue actium accipiatur*) ex vite Christi. *Adludit autem vtrobique ad tria prima Ecclesiæ sacramenta, Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ, de quibus etiam supra nu.* 72. 75. *ac* 76.

216. Sicut & ipsam terram sanctam, &c.] *Eo quod subiungat mox:* lacte & melle fluens, *quod Exod.* 3. *reperitur, adludit haudubie etiam ad illud eiusdem cap.* Locus in quo stas terra sancta est, *quod spiritualiter interpretatur de* carne Domini, *sicuti plerique Patres rubum ardentem, & non combustum, sanctam B. Virginis matris Domini virginitatem. Ibi vero:* in omnibus Christum induisti, *ad illud Gal.* 3. Quotquot enim baptizati estis, Christum induistis. *Legimus autem omnino cum Anglic. ms. & Bass. exc. cod.* Vt & templum Dei eadem sit & Ierusalem, *omissa* ad *particula, quæ erat in edit. Lugdunensi.*

217. Exurge, exurge Ierusalem, &c.] *Reperitur istud Isai.* 51. *iuxta* 70. *qui vocem:* Ierusalem *addunt, qua in Hebræo non est. Legunt quidem* 3. *Vat. ms. cod.* in primordii die, *sed illud*, in primordio dici, *legitur apud* 70. *Græce & Latine. Legimus autem ex iisdem:* quæ fuerat, *pro* qua, *& mox:* lapidauit, *pro* lapidat, *eo quod sequitur* confixit, *secundum exc. cod. siue* confecit, *iuxta ms. omnes nam vtrum legas, non refert.*

218. quam etiam Petrum dici capiat.] *Legimus sic ex* 2. *Vat. ms. cod. Est autem phrasis Tertulliano vsitatissimum* dici capiat, *pro* dici liceat, *vti ad marginem Rhen. adnotauit, & etiam in Adnotat. ad legans simile locum supra l. de Præscr. hær. c.* 44. Talia capit opinari eos qui exorbitant, *id est, accidit vt alias etiam opiniones habeant qui exorbitant. Vide Adn. nostras, nu.* 292.

219. quæ eum incolare & custodire sortita est.] *Angl. ms. cod.* incolere. *verum illud habent Vat.* 3. *ms. & excusi omnes, & solet talibus vocibus Auctor delectari. Ab ea voce deriuatur: incolatus, apud vulgatum Psalmorum interpretem. Quamquam interim neutrum correspondeat voci Græcæ* ἐγκάτοικος. *Gen.* 2. *qua* operari *significat.*

CAP. XXVII.

220. Habemus etiam vestimentorum, &c.] *Eiusdem quum sit argumenti cum capite præcedenti, nouo titulo non est opus.*

221. Hi sunt (ait) qui vestimenta sua non coinquinauerunt cum mulieribus, &c.] *More suo ex duobus locis vnam scripturam continuat Auctor, nempe partim ex illo Apoc.* 3. qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, *partim ex illo Apoc.*14. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.

222. Tunc (inquit) lumen tuum temporaneum erumpet, &c.] *vertit Auctor Isai.*58. temporaneum, *pro eo quod alij:* matutinum. *Græca vox:* πρωϊνόν, *præcox significat. Deinde legit:* ἰαμάτα, *id est,* vestimenta, *pro eo quod codices Græci hodierni, & quidem veterum,* ἰάματα *id est:* curationes. *Duplex est enim eius loci lectio etiam apud Græcos, nam consentiunt Tertull. non modo B. Cypr. l. de Eleemos. & operibus sub principium, ac l. de Orat. Domin. sub finem, & B. Augustin. serm.* 172. *sed etiam Chrysosthom.* 55. *in c.*16. *Matth. de quo vide plura apud Leonem Castrum in Isaiam, vbi etiam eos qui aliter legunt, locum hunc ostendit de Resurrectione interpretari.*

223. Populus meus introite in cellas promas quantulum, donec ira mea prætereat.] *Hic vocem Græcam* ταμεῖα *paulo aliter vertit quam Latinus* 70. *Interpres, nempe* cellas promas, *qua ille cubicula, vtrumque enim ea vox significat, & accipit:* quantulum, *pro quantulumcunque. Habent præterea* 70. *amplius conformiter Hebr. & Chald. additionibus:* Claude ostium abscondere. *Et vero similiter de sepulcris locum hunc interpretatur B. Aug. Epist.* 36. *ad Casulanum. Legimus autem iterum ex Angl. cod.* intellegi *veterum more, pro* intelligi *& secundum phrasin Auctoris:* hoc ipso quo ait, *pro:* quod.

CAP. XXVIII.

224. Scimus autem &c.] *Huius capitis titulum ex Auctoris verbis ponimus:* Quod tam dictis quam factis prophetata sit Resurrectio.

225. quum Moyses manum in sinum condit, & emortuam profert, &c.] *Mira est, si alibi vsquam, certe hæc translatio huius loci, Exod.* 4. *quum Græce sit:* καὶ ἐπανήγαγεν τὴν χεῖρα αὐτοῦ εἰς τὸν κόλπον αὐτοῦ; *& consentiunt Hebraica exemplaria & Latina, quod non* emortuam, *sed leprosam protulerit manum. Verum infra cap.* 55. *mentem suam explicat, dum dicit:* Mutatur Moysi manus, & quidem instar emortuæ, exanguis, & albida, frigida. *Accipitur autem proprie illud:* insinuat, *pro* in sinum condit, *sicuti etiam adnotauit Rhenanus.*

226. per illa trina signa donotabatur.] *Sic ex* 3. *ms. Vat. pro* notabatur, *quia illud Auctori familiare est. Atqui* trina signa *sunt, virga in serpentem commutata, manus ex leprosa sana, & aqua in sanguinem immutata, qua omnia spiritaliter Auctor interpretatur.*

De quo apud eundem Proyhetam.] *Nempe* Moysen, *tacite innuens, eum esse auctorem & Exodi & Geneseos, ex quibus hæc testimonia citat, atque adeo & totius Pentateuchi, certe de Exodo & Deut. idipsum patet ex scriptura verbis Exod.* 24. *ac Deuteron.* 31. *& de toto opere id asserunt Philo lib. de Mundo, ac Iosephus alicubi.*

228. Quoniam & vestrum (inquit Deus) sanguinem, &c.] *Etiam hic variat à communi editione* 70. *tam Græca quam Latina Gen.* 9. *tum quod omittat:* animarum vestrarum, *tum quod legat:* exquiram eum, *pro eo quod habent etiam Hebraica editio & Paraphrastes Chaldæus:* exquiram animam hominis.

229. Quale apud Isaiam: Ego occidam & viuificabo.] *Aut adludit ad illud Isai.*38. Corripies me & viuificabis me, *aut potius, quum longe aliter id legant* 70. *accidit hic ei* μνημονικὸν ἀμφίβολον, *vt* Isaiam *scripserit, quum potius debuisset dicere in Basilius. Neque enim aliquid tale apud Isaiam reperitur. Sed* 1. *Reg.* 2. *legitur,* Dominus mortificat, *siue* occidit, & viuificat.

CAP. XXIX.

230. Igitur si & Allegoricæ scripturæ, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus* : De manifesta apud Ezechielem Resurrectionis Prophetia.

231. resurrectionem carnis, &c. subradiant] Subradiare (*inquit Rhenan (actiue, pro: innuere, leuiter ostendere, quod Auctores subindicare dicunt. Eiusdem significationis est, si sic malit quis legere:* obradiant, *quod habet Angl. ms. cod. Orta metaphora à radiare, quod est, fulgere & conspicuum esse.*

232. Accipe Ezechielem, &c.] *Reperiuntur hæc verba Ezechiel.* 37. *secundum editionem* 70. *variantia tamen nonnihil ab ea qua hodie exstat tam Græce quam Latine. Nam legit:* extulit me in (*quam Præpositionem recens addo ex Vat.* 3. *& Angl. ms. cod.*) spiritu Dominus, *pro* Domini. *Habet etiam dumtaxat cum Irenæo:* ossibus *quum alij legant:* ossibus humanis, & per circuitum, *pro* per gyrum in circuitu, *qua habet etiam Irenæus. Addit secundo*, & ecce, *quod illic semel habetur: & legit,* affero in vos spiritum, & viuetis, *cum Irenæo, & Heb. ac Chald. textu pro eo quod alij dumtaxat:* spiritum vitæ. *Omittit:* & dabo super vos neruos, *quod est apud Irenæum, ante illud:* & reducam in vos (*quomodo restitui ex omnibus ms. cod. pro* reducam vos in) carnes. *Item prætermittit:* meum, *cum dicit,* dabo in vos (*nam sic lego, pro* vobis, *& hic, & postea, sicut paulo prius*) spiritum. *Legit etiam:* & ecce, *pro* & facta est. *Rursus post illud:* & accedebant ossa ad ossa, *desideratur:* ad iuncturam suam, *quum tamen idipsum legerit B. Iustin. Mart. Apolog.* 2. *in hac verba:* Coagmentabitur iunctura ad iuncturam, & os ad os, *& Iren.* Vnumquodque ad compaginem suam, *quod adeo desiderari mihi hic videtur, eo quod cap. sequ. legat,* recompingi os ad os. *Legit etiam cum Irenæo plurali numero*, & circumpositæ sunt eis cutes (*nam sic omnino legendum pro* carnes, *tum quod præcesserit,* nerui & caro, *tum quod Græce sit* διέμενε) *ac:* & constiterunt (*sic lego ex ms. omnibus pro* steterunt) super pedes suos valentia magna satis, *pro* congregatio siue collectio multa vehementer nimis. *Item transferi vocem,* Ἀμφονικῶς, auulsi sumus, *pro eo quod alij,* abscissi sumus. *Rursum non habet,* Hæc dicit dominus Adonai, *quod tamen est apud Irenæum, & legit.* Ecce ego patefacio, *pro eo quod alij cum Irenæo*, aperiam, *& addit (iuxta quod Hebraice est, præter Irenæum, & Chaldaice)* populus meus. *Legit etiam,* ego Dominus aperuerim, *sic lego ex Anglic. manuscript. cod. pro* aperui, *pro* ego Dominus quum aperuero, *ac* : & eduxerim, *pro* vt educam, & populus meus, *pro* populum meum, *item* & requiescetis in terra vestra, *pro* ponam vos in terram vestram, *denique* & fecerim, *pro faciam. Atqui paulo superius legit Angl. cod.* à quatuor ventis cæli, *quomodo etiam legit B. Augustin. loco infra citato, sed quum illud* cæli, *neq; in Græcis sit quæ hodie exstant, neque in Hebraicis aut Chaldaicis aut Latinis exemplaribus, neque apud Irenæum, non addidi. Deinde ex ms.* 3. *Vatic. tum hic, tum sequent. cap. lego vbique,* Israel, *pro* Israelis, *quod Græce ita sit, & alibi ea vox Auctori vsitata.*

CAP. XXX.

233. Hanc quoque prædicationem, &c.] *Inscriptionem huic capiti damus:* Quod perperam quidam dicta Ezechielis allegoricè intelligunt, & ipse allegoricus intellectus pro Resurrectione faciat. *In quo certe Auctori consentiunt BB. Iustin. Mart. vbi supra, Iren. l.* 5. *c.*15. *Cypr. ad Quirinum Test. l.* 3. *c.* 58. *Cyrill. Hieros. Catechesi* 18. *& alibi non semel Aug. quamquam lib.*10. *de Gen. ad litt. c.* 5. *spiritualiter de populi Iudaici reparatione intelligat, Epiphan. denique in Ancoratu, & Theod. alicubi.*

234. & refrigerii nomine respirare, &c.] *Sic omnino legendum, pro* respirari. *Item ex cod. Angl. ms.* readunatione, *pro* redanimatione. *Iuxta etiam Vatic.* 3. *ms. cod. hoc cap. & iterum c.* 31. *&* 32. *more Tertullianico, qui vocibus obsoletis delectatur, legimus:* ossuum, *pro* ossium.

235. Nam etsi figmentum veritatis &c.] *Hoc vult dicere: nihil imaginem esse veritatis, nisi vere idipsum prius exstiterit. Legimus autem ex Vatic. ms.* de suæ auctoritate simplicitatis, *pro* de sua auctoritate & simplicitate.

A

CAP. XXXI.

236. Plane si & populus allegorice mussitaret, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* Resurrectionem carnis etiam aliis Prophetiis probari. *Legimus autem etiam iudicio Latinij & Rhen. ex 1. ædit. & Vatic. 3.* si &, *pro*: etsi. *Paulopost etiam omnino retinuimus* cecidisset, *quod habent excusi omnes, pro*: desciuisset, *quod legendum conijciebant Rhenan. &* cecinisset, *quod habebat 1. ædit. & Vat. 3. ms. quia loqui eum de Iudæorum populi pertinacia, qui spe omni resurrectionis exciderant, patet ex eo quod sequitur*: manifestus est, *nempe populus, inquit Rhenanus*, de corporum interitu labefactans fiduciam resurrectionis. *Retinuimus etiam*: restruebat, *cum Vat. 3. pro eo quod Rhen. substituerat*: restituebat, *quia opponitur illud eleganter ei quod sequitur*: destruebat. *Magis etiam placet* mœrebat, *quod habent excusi, quam quod est in ms. Vatic. 3. ac apud Rhen.* hærebat. *Atqui vox est Tertullianica:* necessarioris.

237. Exibitis de sepulcris, &c.] *Reperitur hoc Malach. 4. secundum 70. præterquam quod legat Auctor:* Exibitis de sepulcris, *pro eo quod tam Græce & Latine, quam Hebraice & Chaldaice*: Egrediemini & salictis, *item*: Et conculcabitis inimicos, *pro*: iniquos.

238. Gaudebit cor vestrum, &c.] *Istud habetur Isai. 66. secundum æditiones omnes, quod ad resurrectionem probandam adducunt etiam BB. Iren. lib. 5. cap. 15. & Aug. lib. 10. de Ciuitate Dei, ca. 21. & Theodoretus alicubi. Vox autem Græca* ἀνατελεῖ, *quæ ab August. & Tertullian. ac Iren. interpretatur:* orientur, *siue*: exorientur, *ab interprete Latino 70. transfertur*: germinabunt. *vtrumque enim significat.*

B

239. Viuent mortui, &c.] *Etiam hoc secundum 70. reperitur Isai. 26. præterquam quod legat Auctor*: viuent, *secundum Hebræos & Chaldaicos, quum Græce sit:* ἀναστήσονται, *id est, sicuti etiam apud Iren. ac Augustin. locis citatis reperitur:* Resurgent mortui, *& pro eo quod Græce est:* ἴαμα αὐτοῖς ἐστιν, *id est:* sanitas ipsis est, *etiam apud dictos Auctores, ipse legat:* medulla est ossibus eorum, *seu potius, sicuti recte castigandum censet Leo Castrus in Isai.* medela, *nam id proprie* ἴαμα *significat, & correspondet ms. Vat. cod.*

240. Veniet adorare omnis caro in conspectu meo, dicit Dominus.] *Istud iterum reperitur Isai. 66. præterquam quod 70. æditio Græca, & B August. loco citato addunt: in Hierusalem, quod neque Auctor habet, neque Hebr. aut Chaldaica æditio. Quibus verbis præmittitur illud*: Quemadmodum cœlum nouum & terra noua, quæ ego facio in conspectu meo, *vbi omittit quod Græce additur*; μενεῖ, *quod etiam B. August. explicat vertens:* manebit ante me. *Post illud vero*, Veniet omnis caro, *demum subijciuntur illa:* Et exibunt, & videbunt artus eorum qui impie egerunt, *vbi Græcum* κῶλα *vertit:* artus, *sicuti B. August. & Leo Castrus*: membra, *pro eo quod Latinus interpres 70.* cadauera, *minus recte. Reliqua huius scripturæ consentiunt cum Græco textu, & August.*

CAP. XXXII.

C

241. Sed ne solummodo eorum corporum, &c.] *Titulum huic capiti damus*: Quod resurgent etiam insepulta cadauera. *Idipsum autem paucis adtigit supra cap. 4 quum dixit*: Et vtique redhibentibus eam ignibus, & vndis, & aluis ferarum, & rumis alitum, & lactibus piscium, & ipsorum temporum propriagula. *Eodem pertinet quod docet infra ca. 52. & 56.* in eodem nos corpore resurrecturos. *Idem etiam per omnipotentiam Dei confirmant B. Greg. Nyss. lib. de homine, & Epiph. in Ancoratu, & B. Aug. lib. 22. ca. 20. de Ciuit. Dei.*

242. habes scriptum: Et mandabo piscibus maris, &c.] *Quo loco scripturæ istud habeatur, hactenus reperire non potui. Videtur eodem pertinere illud Apoc. 20.* Et dabit mare mortuos qui in eo erant, *verum reliqua non correspondent, & B. Aug. lib. 20. de Ciuitate Dei, c. 22. paulo aliter illud interpretatur. Legimus autem ex ms. 3. Vatic.* eructuabunt, *pro:* eructabunt. *Est enim vox Tertullianica*: edicitur, *qua rursus sub finem huius cap. vtitur, & ca. sequ.* Dominus edicit.

243. Puto autem huius quoque diuinæ potestatis documentum idoneum Ionam, &c.] Ionæ *exemplum, qui à pisce seu cete post triduum eiectus fuit, valde huic instituto est accommodum.*

244. quam capulum, &c.] *Sensus est (inquit Rhenan. Cetus ille piscis potuisset spatio trium dierum concoquere* Ionæ *carnem, nihilo difficilius quam intra se tenere potuit, quum venter ceti sepulcro veteri atque abdito non esset absimilis, in quo Ionas erat immersus.*

D

245. Saluo eo, quod & bestias, feros &c. homines, &c.] *Sensum hunc idem reddit Rhenan. Non inficiandum, quod Deus* figurauit, *id est, per figuram præmonstrauit*: bestias *illas*, de quibus *apud Moysen* sanguis exquiritur, *esse* feros *istos, siue efferatos*, homines *præsertim* in nomen Christianum, *id est, Christianæ religionis persecutores, vel ipsos cacodæmonas*, à quibus *per vindictam* sanguis *Christianorum* exigetur.

CAP. XXXIII.

246. Satis hæc de Prophetico instrumento, &c.] *Inscripsimus caput istud:* Quod in Euangelio, etsi quædam Parabolæ sint, non tamen omnia.

247. Nam & discipuli, &c.] *Istud reperitur quidem etiam Matth. 13. sed non multo post initium c. quum id quod hic præcedit, sub medium reperiatur. Variat autem etiam hic auctor in eo, quod legat:* vt videntes videant, & audientes non audiant secundum Isaiam, *pro eo quod Græce, Syriace, & apud vulgatum interpretem*: quia videntes vident, & audientes non audiunt neque intelligunt. Et adimpletur in eis Prophetia Isaiæ. *Quod vero sequitur*: Dicebat autem & parabolam ad eos, *legitur Luc. 18.*

E

248. Et tamen nullam parabolam, &c.] *Addimus:* parabolam *ex Vatic. ms. 3. cum quibus & reliquis ms. Rhenani codicibus retinuimus:* edisseratam *(sicuti, inquit ille, dicimus reseratam) pro eo quod ms. Anglicus & ipse Rhenanus ex coniectura*: edissertam, *maxime quod delectetur talibus vocibus Tertullianus. Exempla autem Parabolarum explicatarum tria quæ adfert, desumpsit Matth. 13. Luc. 18. ac 13 Atqui legunt quidem mox ms. Vatic 3.* difinitiones, difinitionibus, *ac cap. 41* difinitionis, *sed magis placet*: definitionis *vox.*

249. Tolerabilius erit, inquit, Tyro, &c.] *Matth. 11. vox Græca* ἀνεκτότερον, *&* tolerabilius, *sicuti vertit Auctor, &*; remissius, *veluti vulgata æditio, significat. Illud vero:* Dicite illis quod adpropinquauerit regnum Dei, *in eo variat, quod legatur Matth. 10.* Euntes prædicate dicentes, quia adpropinquabit regnum Dei. *Denique illud:* Retribuetur tibi in resurrectione iustorum, *reperire est Luc. 14.*

250. Nam & ideo præstruximus tam corpus animæ, &c.] *Nempe supra c. 16. sed etiam hoc ad paradoxon Tertull. pertinet: de* animæ corporalitate, *de quo inter Prolegomena.*

F

CAP. XXXIV.

251. Imprimis cum ad hoc venisse se dicit, vti quod periit, saluum faciat, &c.] *Titulum huic capiti imponimus*: Quod ex Euangeliis quoque Resurrectio probetur. *Legimus autem ex Vatic. 3. ms.* Quid dicas perisse? *pro:* dicis, *& non multo post*: pene minus facere, *pro:* bene.

252. indulgentia.] *Hanc vocem (inquit Rhen.) ea ætas vulgo vsurpare cœpit. Sic infra*: Si non omnem lachrymæ imbrem indulgentia diuina siccaret.

253. Porro autem recipimus Animæ immortalitatem, &c.] *De hac latius & frequentissime supra lib. de Anima. Legimus vero mox, secundum phrasin Tertullianicam*: qua id quod perit, *pro:* quia.

254. contentioso fune deducere.] *De hoc inter Prouerbiales formulas in Prolegomenis.*

255. Ego, dicens, veni, &c.] *Metaphoricωs expressit quod Ioannis 6. est:* Quia descendi de cœlo. *Omittit etiam illud intermedium:* Hæc est enim voluntas eius qui misit me patris, *compendii gratia, addit etiam:* quidquam, *tum hic, tum cap. seq. quod Euangelista non habet, explicationis caussa. Supplemus autem paulopost ex Angl. ms* quia nec quidquam, *& cum ms. 3 restituimus*: Atquin, *pro*: Atqui. *In hoc vero iterum variat quod legat*: & suscitem illum nouissima die, *pro:* & ego resuscitabo illum in nouissima die.

256. plenitudinem exstruit Resurrectionis.] Exstruere *accipit, pro:* astruere.

G

257. Distribuit enim, &c. per officia propriam mercedem salutis.] *Restitui ex Vat 3. MS.* propriam *pro eo quod legebatur:* per officia priora, *nullo sensu. Similes vero phrases de* mercede operum *vide supra numero 114. Siue autem legas paulopost*: fructuosa tunc fuerunt, *cum excus. siue* fuerunt *cum ms. Anglico, perinde est.*

258. Fœliciores enim, inquit, qui non viderunt, & credunt.] *Addimus ex eodem cod.* (inquit.) *Illud autem*: & credunt, *correspondet voci Græcæ*: πιστεύσαντες.

CAP. XXXV.

259 Sed & præcipit, &c.] *Quum eiusdem sit materiæ, nouo titulo non est opus.*

260. qui corpus & animam occidat in gehennam, &c.] *Vocis Græcæ* ἀπολέσαι *aliam significationem hic & sub finem cap. reddidit, vertens:* occidere, *pro eo quod cap. præced. aliam, nempe:* perdere, *cum, interprete vulgato, dum de anima dicit*: vt perdita credatur in gehennam. *Legimus autem etiam hic ex Angl. ms.* intellegam, *& non multo post:* intellegi *Atqui illud:* quasi consumendarum, non quasi puniendarum, *recte Parenthesi includit Latinius, refertur autem ad illud:* vtriusque substantiæ. *Rhenan. etiam adnotat Ironiam esse, vbi dicitur:* In hoc scilicet reficietur ne sit.

H

261. quod ex duobus non cadat alter in terram, &c.] *Siue sic legamus Metaphrasticωs cum vulgatis, siue:* neuter *cum B. Cypr. alicubi, siue:* vnus, *quod habebat Angl. ms. cod. & textus Græce, Latine, ac Syriace Matth. 10. perinde est. Recte autem vertitur vox Græca:* διαφέρετε, antistare, *sic enim legimus tum hic, tum supra cap. 13. pro quo irrepserat:* antestare, *sicuti & hic*, antestamus, *quum illa sit vox Tertullianica.*

262. in tenebras exteriores.] *Adnotanda hæc versio Matt 8. ac 22. quæ etiam magis conuenit cum Græca voce,* ἐξώτερον, *contra quam sentit Erasmus. Illud autem eiusdem* recumbere in regno Dei, *differt in eo, quod legatur tam Græce & Latine quam Syriace,* in regna cœlorum. *Legimus vero, sicut est Mart. 19. ex Angl ms. cod.* & sedere in thronis duodecim *(quæ vox antea deerat)* Christi, *quæ interim vltima vox neque in Græcis neque Latinis neque Syriacis habetur codicibus.*

CAP. XXXVI.

263. Videamus nunc an & Sadducæorum, &c.] *Eiusdem etiam est & argumenti & tituli hoc caput cum duobus præcedentibus. De* Sadducæis *vero* neque animæ neque carnis admittentibus salutem, *vide supra cap. 2. num. 11. Atqui legimus ex Vatic. 3. ms.* ex qua vel maxime specie resurrectionis fides labefactatur, ex ea, *pro eo quod orat* : ex quo vel maxime spes resurrectionis labefactatur, ex eo.

264. de carnis scilicet obtentu.] Obtentum *(inquit Rhenan.) vocat prætextum. Sic dixit etiam Salustius alicubi: Quia secundæ res mire sunt vitiis obtentui. Legimus vero paulopost:* Dominus autem eam confirmabat, *pro:* confirmat, *ex Angl. ms. quia præcedit:* respuebant.

265. Quoniam autem mortui resurgant, &c.] *Quum in reliquis magis sequatur Auctor quod est Matt. 22. hoc desumpsit Luc. 20. ad verbum ex Græco. Legimus autem cum ms. Angl.* Deum viuorum, *pro:* Dominum, *quia sic vtrobique legitur tam Græce ac Latine, quam Syriace. In hoc vero consentit cum vulgata additione Latina, quod legerit:* nubent, *non:* nubant, *sicuti Græce & Syriace hodie legitur, quod non semel, sed tertiò significat, tum paulòprius his verbis:* nupturæ necne, *tum hic:* Neque enim si nupturos tunc negauit, *& mox:* postquam non nubent. *Legit etiam Auctor paulopost, ac infra cap. 62.* similes erunt angelis Dei, *non:* sunt, *quod alii legunt. Est autem etiam id adnotandum, quod:* nubere, *sicuti noster interpres tam Cypr. quam Tertull. etiam viris tribuant, quam interim significationem tam viro quam fœminæ communem fuisse, adnotauit Nonius Marcellus.*

266. Atquin filios Resurrectionis appellauit, per eam quodammodo, &c.] *Sic legimus ex Angl. ms. cod. pro* : Atquin, &c. appellat, vt per eam. *Est autem istud iterum desumptum Luc. 20. Adluditur etiam ad 1. Corinth. 15. quum subiungit:* per indumentum illud incorruptibilitatis, per substantiæ, resuscitatæ tamen, demutationem. *Legimus autem omnino secundum 1. edit.* Ceterum nec quæreretur *ex ms. omnibus, pro eo quod irrepserat:* ne, *mendosissime.*

CAP. XXXVII.

267. Sic etsi carnem ait nihil prodesse, &c.] *Capiti huic inscriptionem dedimus:* Quod illud: Caro nihil prodest, nihil hæreticis suffragetur, ex eodem Ioannis Euangelio probari.

268. quasi vere carnem suam illis edendam determinasset, &c.] *Illud* vere, *sane intelligendum est, hoc est, sicuti Augustin. in Ioan. cap. 6. interpretatur,* crude, *ita vt dentibus laceretur, sicuti alia caro. Nam de veritate carnis Christi in Eucharistia non semel rectè sensisse Auctorem, & supra adnotauimus cap. 8. num. 76. & infra latius lib. 4. adu. Marc. Sunt autem obscuriores loci explicandi per eos, vbi ambigue non loquitur, non modo scripturarum sacrarum, sed etiam Auctorum veterum. Eodem modo etiam subaudienda caro cruda, quum postillud Ioan. 6.* caro nihil prodest, *addit:* ad viuificandum scilicet, *& vbi similiter loquitur infra cap. 50. Omitto quod eo loco simpliciter dicat Christus:* caro nihil prodest, *non addens:* caro mea, *nam & similiter de spiritu, non dixit:* spiritus meus. *Rursum autem cum Angl. ms. cod. legimus:* intelligi.

269. sed transit de morte in vitam.] *Ita legimus ex Anglico ms. cod. pro:* ad vitam, *quia Græce est εἰς. Retinuimus etiam* : transit *cum excus. veteribus, pro eo quod Vatic. 3. ms.* transiet, *& alii* : transibit, *quia magis illud respondet Græco, Syriaco, & quibusdam Latinis exemplaribus, quæ legunt:* transiit.

270. Nam & pauloante, &c.] *Nempe ante illa verba Ioan. 6.* spiritus & vita sunt. *Hic vero* panem cœlestem, *metaphrastice vertit, pro eo quod est Ioan. 6.* panis qui de cœlo descendit, *deinde quum ibidem solum inueniatur Christus* vrguens *(sic enim iterum lego ex Angl. ms. pro:* vrgens) memoriam Patrum, *qui manna manducauerunt, tamen præterea addit:* qui panes & carnes Ægyptiorum præuerterant *(id est, vti Rhen. interpretatur: antepoſuerant)* diuinæ vocationi.

271. Veniet enim hora, &c.] *Et hic, & paulopost iterum in hoc variat, quod legat constanter,* Veniet, *pro:* venit, *quod tam Græce est, Syriace & Latine, item, quod omittat hoc, quum legit:* Ne miremini quod veniet hora, *prorsus alio sensu, quam alii Patres interpretantur. In hoc interim consentit vulgato nostro interpreti, quod contra quam legendum censet Erasmus, legat:* & procedent.

CAP. XXXVIII.

272. Post dicta Domini, &c.] *Titulum huic capiti dedimus:* Quod non dictis modo, sed & factis, Christus Resurrectionem carnis adprobauerit, mortuos resuscitando. *Adludit autem ad tria exempla Christi, quibus suscitauit filiam Principis Synagogæ, Matth. 9. Adolescentem vnicum matris filium, Luc. 7. & Lazarum iam quatriduanum, Ioan. 11. Legimus autem mox ex Vatic. 3.* denuo morituros suscitare, *pro:* suscitari.

273. Enimuero si ad fidem potius sequestrandam, &c.] Sequestrare *(inquit Rhenan.) est aliquid apud sequestrum deponere, vt in tuto sit. Vnde res sequestrata Iureconsultis, Expone igitur:* ad fidem futuræ resurrectionis sequestrandam, *id est, vt ita dicam, certificandam, & securitati vindicandam. Quod verbum etiam supra legitur, ni fallor. Porro quum paulopost dicit:* ne aliter documenta præmisisse quam rem deposuisse videatur: *explicat quid ante per fidem sequestrandam intellexerit. Pulcre autem dicit:* Deum de fallacia solum infirmum, *eodem modo sicut Scholastici Doctores dicere solent, Deo omnia possibilia præter peccatum. Legimus autem paulopost cum Vatic. 3.* Atque adeo secundum nostram veri existimationem, *pro:* secundum nostram veritatem.

CAP. XXXIX.

274. Resurrectionem Apostolica quoque instrumenta testantur, &c.] *Hoc caput inscripsimus iisdem Auctoris verbis:* Quod Resurrectionem Apostolica quoque Acta testentur. *Quæcunque enim hic citat, petuntur ex Actis Apostolicis per Lucam conscriptis. Legimus autem:* nihil noui intulerunt, *ex Angl. ms. cod. pro:* intulerant.

275. Viri, inquit, fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, &c.] *In hoc differt à communi lectione Græca & Syriaca, quod legat,* Pharisæorum, *quod tamen etiam Latina quædam legunt exemplaria, pro:* Pharisæi, *item quod omittat:* mortuorum, *quæ tamen vox ab omnibus legitur, non modo Act. 23. sed etiam 24. vbi hæc ipsa verba repetit B. Paulus Apostolus. Atqui:* ad Sadducæos sapere, *dixit eadem significatione, qua mox:* secundum Pharisæos, *vsurpans: ad, pro:* secundum.

276. Proinde & apud Agrippam, &c.] *Hic omittit:* Moysen, *cuius etiam mentio fit Act. 26. quum vertit:* citra quam Prophetæ adnuntiassent, *quamquam tamen id explicans* Moysis *meminerit, adludens ad loca eiusdem* de resurrectione mortuorum *supra citata cap. 28 Gen. 9. Est verophrasis Tertulliánica:* exquiri habebit, *similiter etiam cap. sequ.* renouari habemus.

277. Sed nec Athenienses, &c.] *Latius istud explicatur Act. 17. quum dicit: propterea* irrisisse Paulum Athenienses, quia Iesum & Resurrectionem adnuntiabat eis.

278. per totum pene instrumentum.] *Epistolas Pauli (inquit Rhenan. hic intelligit, vtpote in quibus omnibus aliqua fit Resurrectionis mentio, sicuti infra patebit capp. sequentibus ad finem libri vsq.*

CAP. XL.

279. Nihil autem mirum, &c.] *Titulum huic capiti imponimus:* Quod nihil pro hæreticis faciat interior & exterior homo apud Apostolum, ex aliis eiusdem locis colligi.

280. quum oporteat hæreses esse, &c.] *Pulcra sententia:* hæreses esse non posse, si non & perperam scripturæ intelligi possent. *Verum de eo latius supra l. de Præscript. adu. hær. cap. 17. 18. ac 19.*

281. sed interior renouatur de die & die.] *Similiter paulopost:* de die ac die, *ad verbum transferens quod Græce est. 2. Cor. 4.* ἡμέρᾳ κ᾽ ἡμέρᾳ, *pro eo quod noster Interpres paraphrasticè:* de die in diem. *Legimus autem:* ita vocabulum homo, *ex ms. omnibus, & edit. 1. alibi deerat vox:* homo, *& rursum ex Angl. ms.* intelligi.

282. sed substantiæ saporem.] Saporem *(inquit Rhenan.) vocat sapientiam, mentem, id quod sapit. Sic etiam infra dicit lib. 2. adu. Marc. c. 19.* per eundem saporem passionis.

283. interiorem hominem habitare Christum.] *Etiam hic expressit quod Græce est:* εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον, *coniungens interim illud sequentibus, quum alia editiones omnes, etiam Syriaca, coniungant præcedentibus.*

284. sensibus vtique intimandum.] *Vocabulum (inquit Rhenanus) eius ætatis vulgo frequens,* Intimare, *pro intimum reddere. Similiter dixit supra Tom. 2. lib. de Habit. mulier. cap. 5.* nullus clauus argentum intimat tabulis. *Verba autem sequentia sic distinguenda sunt:* per fidem, *&:* in cordibus vestris: *&:* in dilectione, *nequeenim illa Coniunctiones sunt Apostoli loco iam citato. Legimus autem iterum sicuti supra;* de die ac die, *ter addita vocula;* de, *quippe quam Apostolus habeat secundum editiones omnes. Atqui sicuti alibi frequenter,* suggestum spiritus, *ornatum intelligit.*

285. Quod enim ad præsens est, &c.] *Quum legat hic Tertullian.* ad præsens, *& vulgata editio Latina;* In præsenti. *interpres quoque Syrus;* Huius temporis, *videtur olim fuisse in exemplariis Græcis vox aliqua correspondens, quæ hodie desideratur. Accipit autem* temporale, *satis noue, pro momentaneo, & temporaneo. Vicissim legit dum taxat semel Auctor* καὶ ὑπερβολὴν, *vertens;* per supergressum, *quum Græce secundo adiiciatur;* εἰς ὑπερβολὴν, *pro quo interpres noster vertit:* supra modum in sublimitate, *quale quid etiam legit Syrus interpres, vertens:* gloriam infinitam in sæcula sæculorum. *Omittit etiam secundo loco:* nobis. *Denique legit:* perficiet, *pro:* κατεργάζεται, *quod rectius noster interpres:* operatur, *& etiam singulari numero est in Syriaca editione.*

286. Siquidem, ait, compatimur, vti & conglorificemur, &c.] *Hic etiam transfert proprie voces Græcas:* εἴπερ, siquidem *ac* συνδοξασθῶμεν, conglorificemur, *item* λογιζόμαι, reputo. Compati *autem accipitur pro simul pati, & proinde etiam sic intelligenda, quam mox habet Auctor vox:* compassio.

287. vt & supra dicat *(nempe Paulus:)* Quum venissemus, &c.] *Auctor per illud:* supra, *intelligit iterum Epist. 2. ad Cor. de cuius potissimum locis hoc cap. tractat. Nam reperitur hæc scriptura 2. Cor. 7. nisi forte malit quis eum sequi ordinem Marcionis in libris aduersus eundem obseruatum, quippe qui Epistolam ad Romanos, ex qua immediate ante testimonium produxerat, posponat Epistolis ad Corinthios.*

288. In omnibus, inquit, compressi, &c.] *Etiam hoc ad verbum ex Græco:* ἀλλ᾽ ἐν παντὶ θλιβόμενοι. *Legimus autem cum Angl. ms. sicuti aliæ:* corrumpi intelligetur, *pro:* intelligitur.

CAP. XLI.

289. Eandem adhuc sententiam exequitur, &c.] *Eiusdem tituli est cum præcedenti capite, nempe*: De aliis locis Apostoli Resurrectionem carnis comprobantibus.

290. Scimus enim, inquit, quoniam etsi terrena domus nostra huius tabernaculi, &c.] *Omnino legimus*, nostra, *non* nostri, *quia Græce est*: ἡμῶν οἰκία, *& sic legunt Latini etiam codices omnes, & Syrus interpres, ac Clemens Alexand. lib. 4. Stromat. & B. Macar. homil. 5. de Resurr. ad idem instítutum hanc scripturam 2. Cor. 5. citans. Qui omnes quum legant:* huius, *illud recens adiecimus ex Ang. ms. cod. Legimus etiam ex Vat. 3. ms.* per hoc *vbi erat*: pro *& cum Angl.* cui dissolutio deputatur, *vocem Tertullianicam, pro*: reputatur, *& iterum*: intelligi.

291. Nam & in hoc ingemiscimus, &c.] *Omnino sic legimus ex Anglico, quia etiam infra lib. 5. adu. Marc.* ingemimus *legitur. Distinctione etiam hic facta per dicõma, legimus:* domicilium nostrum quod de cœlo est, superindui desiderantes, *ac si dicat, domicilium cæleste superindui cupientes. Nam similiter legitur cap. sequ. Mira est autem lectio, quam tamen explicat & hic, & cap. sequ. ac infra libr. 5. aduersus Marc.* siquidem exuti (*seu*: despoliati) non nudi inueniamur, *id est, recipiamus corpus, quo despoliati sumus. pro eo quod græce hodie legitur* ἐνδυσάμενοι, *id est*: induti, *in quo consentiunt Latinæ omnes, & Syriaca additio, ac etiam Clem. Alex. Auctori interim explicando consentit Macarius his verbis:* vt ne *corpore* exuti, nudi reperiamur, *quomodo adeo etiam ille in verbis textus Apostoli ab eo citatis castigandus venit. Item variam lectionem indicat non Ambros. modo, sed & Græcanica scholia.*

292. Quoniam ipse Dominus in iussu & voce archangeli, &c.] *Sic supplemus hunc locum ex ms. Vat. 3. & legimus*: obuiam Domino in aera, *ex Angl. ms. cod. quia etiam supra ita lectum est cap. 42. num. 196.*

CAP. XLII.

293. Horum demutationem, &c.] *Eiusdem est argumenti cum præcedentibus caput istud, vtpote quo contineatur, ex* 1. *Cor* 15. resurrectionis comprobatio.

294. Omnes quidem resurgemus, &c.] *Erasmus adnot. Noui Testiam. in* 1. *Cor* 15 *censet locum hunc à Scribis deprauatum, atque adeo ex interpretatione Tertulliani deprehendi, non legisse eum.* Omnes quidem resurgemus, sed non omnes demutabimur, *at id, quod hodie reperitur in Græcis exemplaribus*: Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabitur. *Verum non satis ab illo intellectum Auctorem vel inde patet, quod hic & infra libr. 5. adu. Marc. quam sæpissime inculcet, non omnes demutandos, cap. etiam præced. præmittat*: Priuilegium illos manere, qui ab aduentu Domini deprehendentur in carne, & propter duritias temporum Antichristi, merebuntur, compendio mortis per demutationem expunctæ, concurrere cum resurgentibus. *Ad cuius rei comprobationem, hoc capite dictam scripturam adduci patet ex verbis illis*: Horum demutationem ad Corinthios reddit. *Alius quidam vir eruditissimus adnotauit & Tertullianum & Cyprianum legisse*: Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur, *sed, præterquam quod apud Cyprianum hæc scriptura citata non reperiatur, nullo modo id legisse Auctorem patet, tum ex verbis modo citatis*: compendio mortis per demutationem expunctæ, *tum ex alijs & hoc & præced. cap. ac rursum dicto lib. 5. adu. Marc. multo apertioribus quibus indicat sensisse se, non morituros illos qui in aduentu Domini reperientur, sed demutandos dumtaxat. Omnino itaque retinenda vulgata huius loci codicum omnium, tam excusorum quam ms. etiam Vatic. 3. lectio*: Omnes quidem resurgemus, *tum quod etsi obscurior sit Auctor, tamen eam comprobet illud huius cap. paulo post*: Abhinc enim definimus, carnem quidem omni modo resurrecturam, *tum quod B. Hieron. Epist. 152. ad Minerium & Alexandrum, in Latinis codicibus illud legi scribat. Latinum autem fuisse hunc nostrum Auctorem nemo dubitat, & vix etiam alii tum existabant Latini Auctores Hieronymo antiquiores, apud quos hanc lectionem legerat B. Hier. Nam ætate erant illi contemporanei, qui eandem lectionem, Ambros. in Commentario eius loci, & in* 1. *Thessal.* 4. *c. Rufinus in Symb. Apost. ac B. August. lib. de Vera religione & apertius lib.* 20 *de Ciuitat. Dei, ca.* 20. *vbi etsi etiam illam adferat lectionem*: Omnes quidem dormiemus, *eam interim docet eodem recidere. Citatur etiam ex Græcis à quibusdam Philon Carpathius in Cantica Canticorum. Neque vero obstat huic nostræ lectioni Auctoris iam dictæ opinio (quæ etsi B. August. non probatur, hæresi tamen carere, adseritur ab eodem qu.* 3. *ad Dulcit. ac à Gennadio libr. de Eccles. dogma.*) *quod* quidam mortem non experientur, sed vita præuenientur, *quia etiam illi aliquatenus intelligi possunt resurgere, ac eorum* corruptiuum induet incorruptionem (*quod in malos quoque competet*) & mortale induet immortalitatem. *Quod vsque adeo verum est, vt B. Chrysost. in Commentar. quamquam sequatur primam illam lectionem*: Omnes quidem non dormiemus, *tamen etiam illos resurrecturos adfirmet. Qui plura de variis his lectionibus desiderat, consulat dictam Epist. Beati Hieron. ac Sixtum Senensem Bibl. sanctæ lib.* 6. *ca.* 265. *Hoc vnum adijciam, nimis libere ex modernis exemplaribus Græcis potius quam antiquioribus, immutatum esse ab Isidoro Clario nostri Latini interpretis antiquam Tertulliano hic vsitatam lectionem, & substitutum*: Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabi- *plane contrario sensu. Deinde perperam adprobari potius illam lectionem ab Erasmo, quam illam veterum Græcorum codicum*: Omnes quidem dormiemus, *quam etiam Didymus Alexandrinus & Acarius Cæsariensis magis veritati conuenire, & in pluribus codicibus hauddubie Græcis (quum ipse Græcus fuerit) reperire scribant apud dictum B. Hieron. Epist. supradicta, immo ipse etiam Hieron. Comment. ad c.* 52. *Isa. sic legat.*

295. In atomo, in momentaneo motu oculi.] *Hic & infra cap.* 51. *retinuit Auctor, quod Græce ex* ἀτόμῳ, *& illud Græcum ἐν ῥοπῇ ὀφθαλμοῦ; paraphrasticus transtulit*: in momentaneo motu oculi. *Motus enim oculi, (inquit B. Hieron. supradicta Epist. ad Minerium) qui Græce dicitur ῥοπή, tanta velocitate transcurrit, vt pene sensum videntis effugiat. Pro quo noster interpres & moderni codices, ac etiam quidam iam Hieron. tempore legebant ἐν ῥιπῇ, id est*, in ictu oculi. *Quorum hoc translatum ab ictu teli seu fulminis, illud vero à motu lancis seu libræ, confundi interim vtrumque, & vnum pro altero poni adnotauit Hesychius, atque adeo non opus est coniecturam Fabri sequi, qua: nictu legendum censet.*

296. Et mortui, inquit, resurgent, &c.] *Omittimus secundum Vatic. 3. cod. ms.* primi, *quod neque Græce est neque Syriace neque Latine hoc loco apud Apostolum, neque etiam infra cap.* 57. *aut lib. 5. adu. Marc. vbi legitur conformiter codicibus omnibus*: & mortui resurgent incorrupti, *quod ipse hic libenter substituerem, nisi refragarentur ms. cod. in quib. desideratur. Legimus etiam secundum eosdem*: & nos demutabimur, *pro* immutabimur, *quia tum præcedenti & hoc capite, tum infra cap.* 50. *ac* 55. *& li.* 5. *adu. Marcion. vbique*: demutari, *&*: demutatio, *ab Auctore vsurpantur. Quibus etiam locis latissime tractatur, quid sit Apostolo*: demutatio. *Item*: Oportet enim corruptiuum istud induere incorruptelam (*seu* incorruptionem) *pro* corruptũ, *nam præterquam quod sic infra et iam legitur ca.* 50. *ac* 51. *& lib.* 5. *adu. Marc etiam sic legit B. Hieron. vbi supra, & B. Cypr. lib.* 3. *Testim. ad Quirin. cap.* 58. *Denique paulopost*: vti denotetur mortale a vita, *pro vt duobus in locis ex Vat.* 3. *ms. cod. nam sic etiam infra legitur cap.* 54. *& lib.* 5. *adu. Marc. quibus locis hanc scripturam latius explicat.*

297. quod, &c. superindui desideramus, &c.] *Sic legimus ex Anglico ms. cod pro* superinduere, *quia Græce est*, 2. *Cor.* 5. ἐπενδύσασθαι, *& sic legitur iterum paulopost, & libr.* 5. *adu. Marc. Item ex Vatic* 3. *ms. cod.* qui sumus, *pro*: simus, *quia sic infra etiam legitur lib.* 5. *adu. Mar. sæpedicto. Siue autem legas, sicuti vulgo est*: scilicet dum demutatur, *siue cum ms. omnibus & 1. edit.* demutamur, *perinde est. sicuti etiam licebit retinere quod hodie legitur*: lucrifacta morte, *siue quod habet Angl. ms.* lucrificata. *Ex quo castigamus*: atque illam ex demutatione, &c. *pro* illa, *& mox legimus*: superindumento cœlesti & æterno, *addita*: &, *particula.*

298. Quantos enim licebit, &c.] Quantos (*inquit Rhen.*) *pro quot. Sic etiam vulgus loquitur.*

299. Diximus iam de isto alibi, &c.] *Adludere videtur ad lib. de Anima supra cap.* 51. *vbi sic legitur*: Plato in Politia, cuiusdam insepulti cadauer opponit, longo tempore sine vlla labe, præ animæ scilicet indiuiduitate, seruatum. Ad hoc & Democritus cremenda vnguium, & comarum in sepulturis aliquanti temporis denotat, &c. *ne prolixiores simus, hoc addito, quod varias reddat eius rationes, nempe aut* aeris qualitatem, aut soli, aut corporis, aut mortis, *vt non sit necesse cum Philosophis animæ indiuiduitati id adscribere.*

300. Sed & proxime (*sic enim legit Angl. cod. pro* proxime) in ista ciuitate.] *De Carthagine loqui Auctorem adnotauit ad marginem Rhenan.*

301. quum Odei fundamenta tot veterum sepulturarum sacrilega collocarentur.] Odeum *Græce* ᾠδεῖον, *ab* ᾠδή, *id est, cantu, sic dictum, locus dicebatur, (Calio teste Lect. antiqu. libr.* 15. *cap.* 11.) *imagine Theatri, in quem deferebantur & recitabantur poemata, priusquam in Theatro recitarentur, ex quo etiam spectabant Auditores, citharœdos & citharistas, audiebantque recitantes poematia, quale describit Vitruuius lib.* 5. *cap.* 9. *à Pericle Athenis exstructum. A quibusdam Romæ quatuor* Odea *commemorantur, inter quæ haud dubie erat illud à Domitiano exstructum, cuius meminit non Suetonius modo Domitiani cap.* 5. *sed & Eusebius in Chronicis, saltem iuxta emendatiores codices. Porro huc propius accedit Pausanias in Atticis, qui indicat* Odea *construi solere in honorem defunctorum, dum scribit, Herodæ Attici iussu constructum pulcherrimum* ᾠδεῖον, *defunctæ vxoris monumentum. Quo videtur etiam pertinere illud Ciceronis libr.* 4. *ad Attic. Epist.* 86. *Monumentum illud quod tu laudibus tollere solebas, quum* Odeum *laxaremus. Quæ eo prolixius deduximus, vt excludamus variorum de hoc loco coniecturas, quorum quidam legendum censebant* hodie *cum* 1. *edit. alij substituerant*: eo die *nimis libere. Adludit itaque Auctor ad noui* Odei *Carthagini* fundamenta collocata, *nisi forte quis malit legere*: tollerantur *pro* collocarentur, *cui magis fauere videtur illud*: tot veterum sepulturarum. *nihil tamen nisi secundum ms. codices immutare volui.*

302. & dentes incorruptos perennare,] Perennare (*inquit Renanus*) *pro durabiliter conseruari. Aliter dixit Tranquillus, non perennauit, id est, annum non vixit. Legimus autem paulopost iterum, sicuti cap. præced. ex ms. Ang. cod.* siquidem exuti non nudi inueniamur, *pro* non inueniemur nudi, *item* & reuestitos, *addito*: &, *ac sicut vbique supra*: intellegi. *Denique* dehinc & recipient eam, *iterum adiecto*: &.

CAP. XLIII.

303. Proinde quum dicit, &c.] *Eiusdem iterum est hoc caput argumenti cum præcedentibus, & ex eodem 2. Cor. 5. cap.*

304. Itaque confisi semper.] *Vertit ad verbum Græcam vocem θαῤῥοῦντες. Legimus autem ex Angl. ms. cod.* quod cum immoramur in corpore, peregrinamur, *pro*: immoremur, *&*: peregrinemur, *tum quod illud & Græce & Latine ac Syriace legatur, tum quod ex sequentibus ita legendum patet. Sunt autem voces Tertullianicæ:* obfuscationem, *&*: obuertitur.

305. Fidentes autem & bonum ducentes, &c.] *Sic etiam hoc restituimus ex ms. omnibus & 1. edit. quod sit idem verbum hoc loco Græce* θαῤῥοῦμεν, *pro quo interim, sicuti etiam pro*: εὐδοκοῦμεν, *vertit, Auctor:* Fidentes & bonum ducentes. *Siue autem legas*: immorari, *siue*: adesse ad Dominum, *perinde est.*

306. nisi ex martyrii prærogatiua, &c.] *De hoc loquendi genere Auctoris aliquid supra diximus libro de Anima, capit. 55. num. 611. Et certe pro Purgatorio interpretatur Feu. ardentius in Iren. li. 1. c. 2. nu. 3.*

307. deuersurus.] Deuersurus *(inquit Rhenanus) pro*: diuersurus, *de quo supra etiam nos lib. de Præscript. adu. hær. ca. 3. num 17. Similes etiam sunt loci Tom. 2. l. de Cultu fœmin. c. 1. & l. 2. ad Vxor. ca. 2. Rursum supra l. adu. Valent. c. 30.* deuersatus in mundo, *& iterum ca 32.* deuertere. *Item infra l. 3. adu. Marc. cap. 8.* deuertentis in terram.

308. Et ideo gestimus, &c.] *Quanquam mire legat*: gestimus, *pro eo quod Græce, Latine ac Syriace*: contendimus, *certe ad verbum consonat illud*: placibiles illi esse, *ei quod Græce est*: εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι. *Ita enim legimus ex Anglico ms. cod. pro*: placere illi.

309. ante tribunal Christi, &c.] *Vatic. 3. ms. legunt*: ante tribunal Christi Iesu, *verum non aliud habent quam*: Christi, *& editiones omnes, neque etiam aliter legit B. Cypr. lib. 2. Testim. adu. Iud. cap. 29. aut Testim lib. 3. cap. 59 neque etiam Rufinus in Sym. Apost. neque etiam ipse Tertull. infra lib. 5. adu. Marc.*

310. vti vnusquisque, inquit, reportet per corpus secundum quæ gessit, &c.] *Tertull. dum & hic & infra loco mox citato legit*: per corpus, *videtur legisse Græce, sicuti quædam habent exemplaria, & accedit Syriaca editio*: τὰ διὰ τοῦ σώματος, *pro eo quod noster interpres & B. Cyprian. ac Rufinus vbi supra. vna cum B. Ambros.* τὰ ἴδια, *id est*, propria corporis, *quare non placet quod habet ms. cod. Angl.* reportet præterita corporis sui, *maxime quum Auctor illud*: per corpus, *quinquies repetat. Est autem vox Tertull.* pensanda, *pro*: luenda. *Porro addimus ex Vatic. 3. &, legentes*: Ita & totus.

CAP. XLIV.

311. Si enim adhuc ad superiora respectes, &c.] *Rursum eiusdem est argumenti caput hoc, verum ex 2. Cor. 4. capite.*

312. ad illuminationem agnitionis gloriæ suæ in persona Christi, &c.] *Ad verbum transtulit quod Græce est* τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ προσώπου, *pro quo noster interpres paraphrastice*: scientiæ claritatis Dei, in facie, *in hoc tamen à reliquis differens tum hic, tum infra lib. 5. adu. Marc. quod omittat vocem*: Iesu, *vbi nominatim quomodo* Christus persona Dei *sit, interpretatur, vbi etiam* fictilia vasa *transtulit, quæ hic & supra* testacea, *& quod mirum est, legit*: Dei, *contra omnium codicum fidem, pro eo quod hic*: mortificationem Christi Iesu. *Legimus vero iterum*: Atquin, *pro*: Atqui.

313. vti & vita Iesu, inquit, manifestetur,] *Addimus*: Iesu, *ex Anglico ms. cod. quia mox legitur hic, & etiam dicto loco,* vita Christi, *quod in idem recidit. Legit etiam vtrobique* in corpore nostro, *sicuti legunt Græci & Ambros. pro eo quod noster interpres*: corporibus nostris, *cui tamen consentit Syrus interpres. Paulo post vero legimus ex ms. omnibus*: Illa quidem quam vixit, *pro*: qua, *& addimus*: quæ, *ante illud*, non modo.

314. quæ portas adamantinas mortis, & æneas seras inferorum infregit.] *Adludit paraphrastice ad illud Psal. 106.* Qui contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.

315. Si enim nos qui viuimus, &c.] *Hic iterum variat Auctor ab editionibus omnibus Græcis & Latinis, quæ legunt*: Semper enim, *retinuimus tamen hanc lectionem, eo quod Syrus interpres vertat haud absimiliter, sed paulo alio sensu*: Nam si nos viuimus, *qui etiam legit*: in corpore nostro mortali *cum Auctore, pro quo alibi*: *in carne nostra.*

316. & nos suscitabit cum ipso, &c.] *Similiter legit etiam Ambros. Et vero,* διὰ, *non modo*: per, *significat (vti contendit legendum Erasmus) sed etiam*: cum. *Explicat autem Recte Rhe. illud*: nisi quia, cum ipso, sicut ipsum, sapit, *hoc est*: suscitabit nos cum ipso, *valet idem, quod*: sicut ipsum.

CAP. XLV.

317. Sed & rursus alia cæcitate, &c.] *Titulum huic capiti dedimus*: Quod etiam illis non suffragetur veteris & noui hominis apud Apostolum distinctio.

318. qui corrumpitur per concupiscentiam seductionis, &c.] *Quod hic*: per, *vertit, infra*: secundum, *quod magis sonat vox Græca* κατὰ. *Est interim peculiare Auctori, & post eum Hilario lib. 12. de Trinit. illud*: concupiscentiam seductionis, *singulari numero, pro eo quod aliæ omnes editiones plurali numero id legant Ephes. 4. tam Syriaca & Græca quam Latina. Atqui legimus omnino secundum 3. Vatic. ms. cod.* renouari autem spiritu sensus, *pro*: sensu spiritus, *tum quia sic etiam legit B. Cyprian. lib. 3. Testim. ad Quirin. cap. 11. cum quod Græce est*: τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς, *quod*, spiritu mentis, *transtulit Latinus interpres. Ad verbum autem Græcum illud*: ὑποπτῆς ἀληθείας, *vertit*: religione veritatis. *Porro legimus paulo post*: defendat, *eo quod præcedat* monente Apostolo, *pro*: defendant.

319. & si ordine postumat.] *Scribendum hoc loco*: postumat, *non* posthumat, *& supra lib. adu. Valentinianos, cap. 55. num. 376.* postumatum, *item infra in Scorpiaco adu. Gnost.* de posthumo corporis, *patet ex antiquis monumentorum inscriptionibus apud Aldum in Orthographia. Idipsum etiam adnotauit Guiliel. Cauterus Nouar. Lect. lib. 2. cap. 10. addens deduci* postumum *non tamquam post humatum patrem (vti Rhenan. & plerique censent) sed ab Aduerbio Post, velut ab Extra extumus, & à Citra citumus, atque adeo indifferens esse, tam ad eum qui postremo loco, quam qui post patris obitum natus sit, quod ipsum alicubi habet Cuiacius. Addimus autem*: tamen, *ex Anglico ms. cod. legentes*: effectu tamen anticipat.

320. quod docuimus IN COMMENTARIO ANIMAE.] *Rursum hic citat librum*: de Anima, *vbi istud paradoxon habetur cap. 27. de quo inter Prolegomena latius.*

321. contemporant fœtu, coætaneant natu.] *Dicimus (inquit Rhenanus) contemporaneus & coætaneus. Sed Tertullianus hinc verba format*: contemporare, *&* coætare. *Vide quantum sibi permittat. Atqui iterum cum Rhenano legimus*: dum prior neuter est, *pro*: neutra, *quia præcedit*: duos istos homines, *& ex ms. Vatic. 3. sic distinguimus*: qua enim alterum possimus esse, nescimus.

322. Exponentes enim, inquit, secundum pristinam, &c.] *Etiam hoc restituimus iuxta quod ab omnibus legitur apud Apostolum vbi supra, pro*: Exponens *Vertit autem tum hic, tum infra lib. 5. adu. Marc. verbotenus*: μετὰ τὸ πλησίον, ad proximum suum, *pro eo quod alij Latini*: cum proximo, *&*: Neque dederitis locum diabolo *(nam si lego ex ms. 3. Vatic. cod. pro*: Ne*) iuxta Græcos & Syriacum codices, vbi alij legunt*: *Nolite dare. Sicuti etiam*: Omnis sermo turpis, *vbi alij*: malus, *explicans vocem Græcam* σαπρὸς, *quo accedit etiam interpres Syrus, apud quem est*: *execrandus. Atqui mox addimus*: & indignatio *ex manuscript. Angl. cod. quia præterquam quod id legatur in edit. omnibus, etiam id explicat mox Auctor his verbis*: & cor ad indignandum. *Siue autem legas*: Sicut & Deus vobis donauit *cum exc. siue*: nobis *cum Vatic 2. perinde est, variant enim omnes Græci & Latini codices, & Syrus interpres legit*: vobis.

CAP. XLVI.

323. Talem vbique Apostolum recognoscas, &c.] *Caput hoc inscripsimus* Quod Apostolus carnem damnans, opera carnis intelligat. *Est autem vox Tertullianica*: suggestu, *qua etiam infra vtitur eandem explicans cap 52.* suggestum & ornatum *dicens.*

324. Nam & dicens: Eos qui in carne sunt, &c.] *Castigauit*: sunt *ex Vatic. ms. pro*: sint, *eo quod illud legatur secundum edit. Roman. & omnes.*

325. Corpus quidem, ait, mortuum, &c.] *Ita legimus secundum 3. Vatic. ms. cod. pro* inquit, *eo quod magis conueniat cum illo quod sequitur*: sicut spiritum vitam, *Accusatiuo casu, quum alioqui apud Apost. legatur, saltem secundum Græcos & emendatiores Latinos codices*: spiritus vita, propter iustitiam, *quomodo etiam legis infra li. 5. adu. Marc.*

326. ex delinquentia.] *Hac voce non hoc modo capite & sequenti sapissime, sed & infra cap. 51. & alibi frequenter vtitur Auctor pro peccato, seu* delicto, *sicut hoc ipsum vertit loco iam citato.*

327. Si enim, inquit, spiritus eius qui suscitabit Iesum, habitat, &c.] *Hic omisit Auctor quod habent edit. omnes*: à mortuis, *secundum quas & Auctorem ipsum infra lib. 5. adu. Marc. castigauimus ex ms. Anglico*: viuificabit & mortalia corpora vestra, *pro*: suscitabit, *& paulo ante legimus, ac supplemus*: vt secundum carnem viuamus, *ac*: si enim secundum carnem, *pro eo quod erat dumtaxat*: ad viuendum si secundum carnem. *Auctori vero consentiunt Græci & Syriacus codices, in eo, quod addit*: futurum est, *desideratum in editione vulgata.*

328. Lex enim, inquit, spiritus vitæ, &c.] *Istud etiam reperitur Roman. 8. sed nitio capitis ante verba prius citata, & illud*: habitare in membris nostris, *Rom. 7. Atqui ibi (quod rursus legitur Rom. 8.)* Quod enim inualidum erat legis, *sequitur id quod Græce est* τὸ νόμῳ, *item dum legitur*: in simulacro, *siue vt habent Vatic. 3.* similitudine. *Legimus autem omnino ex Angl. ms. & Vatic. 3.* & per delinquentiam damnauit delinquentiam, *pro*: per carnem, *quod corrupt. legebatur contra omnium editionum fidem.*

329. Habitare enim peccatum dixit, &c.] *Quod antea dixit*: in membris nostris, *hic*: in corpore nostro, *& paulo post*: in carne, *paraphrastice sic explicans, quod legitur Rom. 7.* quod habitat in me peccatum.

330. Sic & sensum carnis, mortem appellauit, &c.] *Istud iterum reperitur Romanor. 8. vbi*: sensum *vertit* φρόνημα, *quæ vox à vulgato interprete vertitur*: prudentia, *& à Syro electio. Magis etiam correspondet Græco textui quod adiicit Auctor*: dehinc & inimicitiam ad Deum. *Legimus autem iterum*: intellige, *pro*: intelege.

331. Quomodo, inquit, etiam nunc velut viuentes in mundo sententiam ferris?] *Legit haud dubie Tertull.* δοξαζεσθαι, *sicut etiam vulgatus interpres, quando vertit Coloss. 2.* decernitis.

CAP. XLVII.

332. Hæc enim erit vita mundialis, &c.] *Inscriptionem huic capiti dedimus* : Quod etiam salutem carni Apostolus repromittat.

333. quam veterem hominem dixit confixum esse Christo, &c.] *Istud reperitur cum sequentibus aliquot sententijs, Rom. 6. Addimus autem mox:* sed. *ex ms. omnibus, ante*: quemadmodum. *Est etiam phrasis Tertullianica:* vti hactenus delinquentiæ seruiamus, *pro eo quod alij:* vt vltra non seruiamus peccato. *Omittimus autem:* in, *vbi legitur.* Et vt hac ratione commortui Christo, *quia Apostoli sensui contrariatur, & legimus secundum additiones omnes ex Angl. cod.* conuiuemus illi, *pro*: conuiuamus. *Quum etiam vertit Auctor*: Sic enim, inquit, & vos reputare, *magis expressit quod Græce est:* λογίζεσθε *sicut etiam in illo:* ad obaudiendum illi, *verum ab omnibus differt, in eo, quod omittat*: in concupiscentiis eius, *& quod immediate subdit*: & ad exhibendum, *ac quod omittat*: Deo, *quum citat*: & membra vestra arma iustitiæ.

334. sicut exhibuistis membra vestra famula immunditiæ & iniquitati, &c.] *Hic lego:* iniquitati, *ex Angl. ms. cod. pro:* iniquitatis: *quia correspondet & Græca & Latinus editionibus*, famula *autem, bis vertit, quod Græce est:* τὰ δοῦλα, *& bis:* sanctificium *vertet* ἁγιασμὸν *quod alij:* sanctificationem, *&* ητε, eratis, *cum Syro interprete. pro, quo alij. fuistis, &:* quem fructum habebatis super his, *pro* .habuistis tunc in illis. *Legimus etiam:* finis enim illorum mors, *pro:* ergo *cum additi. Apostoli omnibus. Vertit vero, vnica voce sibi vsitata*: famulari, *vocem Græcam* ἐδουλώθητε, *quod alij expresserant*: terui facti; *& similiter* donatiuum *vertit* χάρισμα, *de qua voce supra latius To. 2. l. de Cor. milit. c. 1. n. 2.*

335. sed nec ipsum baptismum committi.] *Quod prius:* imperati, *hic dixit*: committi, *alia longe significatione quam aut dict. li. de Cor. milit. c. 2. n. 22. vbi pro peccare accipitur, aut li. ad Marc. ca. 1. n. 11 & infra c. 52. vbi contendere & certare significat. Est autem & phrasis Tertullianica:* restitutioni inaugurari.

336. An ignoratis quod quicumque in Christum Iesum tincti sumus, &c.] *Etiam hoc restituimus ex ms cod. omnibus, addito:* Christum, *quod desiderabatur, & tamen reperitur in addition. omnibus Apostoli Rom. 6. initio c. quorum interim quidam legunt, sicuti interpres vulgatus Latinus:* in Christo Iesu, *ac*: in morte. *Mirum est autem, non legi ab Auctore:* per gloriam patris, *quod habent codices Apostoli omnes. Legimus item ex Angl ms. cod.* post baptisma, *pro*: per, *& non refert siue legas cum exc. cod.* incedenda, *siue cum ms. Vat. 3.* viuenda. *Item indifferens est etiam lectio, aut impress.* Si enim consati sumus, *quæ magis correspondet Græcæ voci* σύμφυτοι, *aut Vat. 3.* complantati, *quomodo legunt Latinus & Syrus interpretes. Rursus correximus:* resurgemus *ex Angl. ms. cod. pro:* resurgimus, *quia præcedit*: erimus.

337. Vt sicut regnauit in morte delictum, &c.] *Hic nouam periodum fecimus, eo quod desumptum sit aliunde, nempe ex Apostolo Rom. 5. sicuti etiam illud paulopost.* Sic enim & gratia illic superabundauit: *quod retinemus, quamquam Vat. 3. ms. legunt*: superabundauit. *quia sequitur ex eodem 2. Cor. 12.* Sic & virtus in infirmitate perficietur.

338. quod periit saltum faciens, &c.] *Hoc quoque emendauimus pro:* perit, *nam ita est Ezech. 34. ad quem locum adludit auctor, paraphrastic*ῶς *explicans, quod ibi obscurius dictum est.* Quod petierat requiram, & quod errauerat reducam, & contractum alligabo, & deficiens confortabo, & forte custodiam. *Atqui:* medicans, *vox est Tertullianica.*

339. Et quidem de terra, &c.] *Hic etiam nouam periodum fecimus, quia ad aliam transit scripturam Philipp. 3. de qua latius infra li. 5. adu. Marc. Hic dumtaxat casligauimus ex Vatic. 3.* salutificatorem, *vocem Tertullianicam (nam & alibi apud eum legitur:* salutificator vnus) *pro:* saluificatorem, *&, sicuti loco citato, & infra cap. 55.* transfigurabit, *iuxta additiones Apostoli omnes, pro*: transfigurauit, *ac:* conformale, *sicuti ibidem, & in Vat. 3. reperitur, pro:* conformatum. *Aliter tamen rursus dicto c. 55. leget:* conforme fieri.

340. quomodo placibilem, si damnata sunt.] *Omnino sic legendum ex Angl. ms. in quo etiam consentit Latinius, patet, quia præcedit:* Quomodo viuam, si paritura sunt, quomodo sanctum, si profana sunt? *vbi repetit & explicat verba illa præcedentia Apostolo Rom. 12.* hostiam viuam, sanctam, placibilem Deo, *quomodo etiam vertit eandem vocem Græcam* εὐάρεστον *& supra auctor c. 43. num. 308.* placibilem *nempe, pro: placentem.*

341. vt ipsius solis radio putem scriptum, ita claret, &c.] *De hac prouerbiali formula inter Prolegomena latius, sicuti etiam de illa:* lucifugæ scripturarum.

342. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos, &c.] *Sic expressit, vertendo:* totos, *vocem Græcam 1. Thes. 5.* ὁλοτελεῖς, *& magis proprie B. Hieron. quæst. 12. ad Hedibiam.* per omnia perfectos, *quo etiam Syrij interpretu illud:* vos omnes perfecte. *Transponit autem auctor, eo quod proprie agat de carne, voces illas:* Et integrum corpus vestrum, & anima, & spiritus, *à quo etiam vertitur* ὁλόκληρον τὴν παρουσίαν in præsentia, *pro eo quod alij:* in aduentu.

CAP. XLVIII.

343. Sed caro, inquis, & sanguis, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* Quod etiam aperte Apostolus Resurrectionis meminerit. 1. Cor. 15. *De quo vide etiam auctorem infra li. 3. adu. Marc. vbi nominatim huius libri mentionem facit, verbis in Argumento citatis.*

344. hæreditate possidere.] *Explicat duabus vocibus quod Græce est* κληρονομῆσαι, *qualis est translatio infra c. 49. illius ad Galat. 5.* regnum Dei non sunt hæreditate consecuturi, *vbi eadem vox Græca reperitur. Siue autem legas:* hæreditate, *sicuti hic exc. & bis ca. seq. ac ms. 3. & ca. 50. exc. siue:* hæreditati, *quod legunt Vat. 3. hoc loco, ac ca 50. bis, & excusi semel, non refert: quare in contextu nihil immutauimus, sed hic retinuimus:* hæreditate, *& c. 50. semel*: hæreditati. *Idem est etiam an legas:* quasi auxilii eius ante deiectis, *sicuti exc. & ms. nostri, an vero,* disiectis *cum 1. edit. in marg. & non multo post eadem ratio de:* subiicit, *aut:* subiecit. *Verum omnino legendum cum ms. Vat. 3.* Sed & nunc exspectent præcedentia recognosci, *pro*: expetent.

345. Si autem Christus prædicatur, &c.] *Istud quidem cum sequentibus ordine eodem habetur apud Apost. 1. Cor. 15. sed multo ante illud:* Caro & sanguis, &c. *Legimus autem ex ms. cod. Angl.* quod à mortuis resurrexit *pro*: resurrexerit, *eo quod legat mox:* Si autem *(quã vocem etiam recens ex illo addimus)* Christus non resurrexit, *vtrumq; conformiter reliquis edition. omnibus. Item:* inuenimur autem, *pro:* inueniemur enim, *&:* qui testimonium diximus aduersus Deum, *pro eo quod erat dumtaxat.* qui testimonium dixerimus. *Omittit autem illud:* si mortui non resurgunt, *sicut & Syrus interpres, quod tamen Græce est & Latine. Legit etiam paulo aliter & auctor & Ambros. in Comment. omissa vocula:* ergo quia adhuc estis in delictis vestris, & qui in Christo dormierunt, perierunt, *sic enim distingui hic locus debet.*

346. si mortuum, si sepultum audis secundum scripturas.] *Ex hoc loco & simili sub initium li. adu. Praxean. patet supplendum in Regula fidei supra li. de Præscrip. adu. hæret. c. 13.* mortuum & sepultum, *quemadmodum etiam ibi additigimus n. 85. Legimus autem cum Vat. 3. & Angl. ms.* Ipsum enim quod cecidit in mortem *(pro:* morte) &c. hoc & *(addendo:* &) resurexit. *Item ex Vatic. 3. mox:* Ordo enim non aliud quam meritorum dispositor, *pro*: ordo enim meritorum nomine disponetur, *quia explicat his verbis illud Apostoli* vnusquisque autem in suo ordine.

347. Si autem & baptizantur, &c.] *Pulcherrime certe Gelenius hunc locum, alioqui obscurissimum sic restituit*: Si autem & baptizantur quidam pro mortuis, videbimus an ratione. Certe illa præsumptione hoc eos instituisse portendit *(seu:* contendit, *nam vtrumque probatur)* qua *(sic nos recens ex ms. omnibus pro:* quia) alii etiam carni vicarium baptisma profuturum existimarent, ad spem resurrectionis, *ac mox:* Anima enim, &c. *Cui certe consentiunt ms. omnes. Atqui quod hic*: præsumptione institutum *dicit, infra paulo clarius li. 5. adu. Marc.* vane pro mortuis baptizatos *dicit, addens pro caussa:* Habemus illum *(nempe Apostolum)* alicubi vnius baptismi definitorem. *Verum de huius scriptura & sensu ibidem latius.*

348. Anima enim non lauatione, sed responsione sanctitur.] *Sic legimus ex Vat. 3. pro:* sed purgatione. *eo quod alioqui* lauatio *&* purgatio *parum differant, & iuxta B. Aug. accedat fides ad elementum, & sic fiat Sacramentum, atque adeo recte dicatur* anima responsione sancti, *nempe ea quæ de fide Trinitatis per Symbolum fieri consuenit, de qua latius: supra li. de Bapt. nu. 1. intur baptismi ceremonias, & c. 6. num 45.*

349. illas scilicet bestias Asiaticæ pressuræ.] *Vides hic etiam Tertullian. istud referre ad pressuram Asiaticam, quæ illi Ephesi contigit, ex tumultu à Demetrio concitato, quo idipsum refert. Theophil.*

350. quod superquam grauati sumus supra vires, &c.] *Sic legimus ex Vat. 3. pro eo quod erat dumtaxat*: super grauati, *&*: citra vires, *quia magis correspondet Græcæ lectioni 2. Cor. 1.* ὅτι καθ' ὑπερβολὴν ὑπὲρ δύναμιν.

351. Sed quum eiusmodi quæstio posterior habeatur, &c.] *Adludit ad quæstionem:* an eadem caro resurget, *de qua late infra cap. 56. & sequ.* Interim, *inquit, sufficit, (quod Vatic. 3. ms.) aut:* sufficiet *(quod excusi legunt)* ex hoc quoque *) nempe dicta scriptura,* quali autem corpore venient) corporalem definiri resurrectionem.

CAP. XLIX.

352. Ventum est nunc, &c.] *Titulum capiti huic dedimus.* Quomodo intelligendum illud Apostoli: Caro & sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt, ex antecedentibus dilci. *Reperiuntur autem quæ hic citantur 1. Cor. 15. Desumpsit hanc disputationem auctor ex B. Irenæo lib. 5. c. 9. Eodem etiam modo hæc verba Apostoli explicat B. Aug. Retract. li. 1. c. 17, & li. 2. cap. 2. addens & aliam interpretationem ex verbis sequ.* Neque corruptio incorruptionem possidebit, *quam tamen improbat auctor infra c. 51.*

353. Primus, inquit, homo de terra choicus, id est, limaceus, &c.] *Retenta est hic ab auctore vox* χοϊκὸς, *& vertitur hic,* limaceus, *pro eo quod supra li. de Carne Christi, c. 8.* de terræ limo, *& ibidem c. 17 ac infra c. 53.* de terra, *& li. 5. adu. Marc.* terrenus. *Et vero similiter mox legitur:* Qualis ergo choicus, tales & choici, *pro eo quod alibi,* terrenus, *&:* terreni, *& adhuc*: Sicut portauimus imaginem choici, *pro:* terreni.

354. Nam & supra, nouissimus Adam dictus, &c.] *Accipitur hic:* supra, *pro pauloante. reperitur enim hoc ante dictum scriptura locum. De hac autem scriptura, & ea quæ sequitur*: Alia supercœlestium gloria, &c *infra latius ca. 52. & lib. 5. aduers. Marcion. Legimus vero rursus ex ms. Anglico*, Atquin, *pro:* atqui, & intelliguntur.

355. Por-

355. portemus etiam imaginem supercœlestis.] *Legit Auctor, & interpretatur, sicut etiam Ambros. & vulgatus Latinus interpres,* φορέσωμεν, *id est:* portemus; *pro quo hodierni codices Græci* φορέσομεν, *id est, portabimus; & vertitur ab Auctore vox Græca* ἐπουράνιος, *modo* cœlestis, *modo* supercœlestis. *Perinde est autem siue legas cum exc.* sed non carnem monemur ponere, *siue cum Vatic.* 3. *ms.* exponere *Atqui vox est Tertullian.* eierandam, *&*: intelligi, *iuxta Angl. ms. cod.*

356. Si vero in carne adhuc constitutos negauit esse in carne &c.] *Adludit denuo ad illud Rom.* 8. Vos autem in carne non estis *supracitatum capite 46. Non refert autem, siue legas paulopost*: nihil aliud deputandi *cum exc. siue cum Angl. ms.* existimandi. *Illud autem*: Manducemus & bibamus, &c. *etiam reperitur* 1. *Cor.* 15. *sed ante illud supracitatum capite præced.* Sed dicet quis, &c.

CAP. L.

357. Sed & omissis huiusmodi interpretationibus, &c.] *Inscriptionem huic capiti dedimus*: Quod etiam si proprie accipiantur caro & sanguis, Resurrectioni vindicentur.

358. (est autem & in iudicium Resurrectio.)] *Parenthesi hoc comma inclusimus, ad sensum apertiorem, quo adludit illud Ioan.* 6. Et procedent qui bona fecerunt, in Resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in Resurrectionem iudicii. *Atqui paulopost legimus omnino*: Prodesse tamen illis aliud potest, *quia loquitur de* carne & sanguine, *non de carne sola, & etiam præcedit*: adhuc spiritum illis necessarium, *& sequitur plurali numero*: Merito ergo caro & sanguis (vt diximus) sola regnum Dei capere deficiunt, *& deinceps*: merito demutata & deuorata, *ac*: non resuscitata.

359. Sunt qui carnem & sanguinem Iudaismum velint accipi, &c.] *Prior interpretatio fuit, quod caro & sanguis, etsi non in resurrectionem vitæ resurgant, resurgunt tamen in iudicium. Posterior hæc, quod carnis & sanguinis nomine Iudaismus intelligatur, quemadmodum acipitur ab Apost. Gal.* 1. *verbis sequentibus.*

360. statim non retulerit ad carnem & sanguinem.] *Magis expressit sic auctor, quod Græce est*: οὐ προσανεθέμην, *quam alij, vertendo non acquieui. Recte autem interpretatur auctor iudaismum, carnem & sanguinem, ac si dicat: neque se retulisse ad Iudæos neque ad antecessores suos Apostolos, vt non sit necesse laborare, ad diluendam calumniam, qua Apostolos vocauerit carnem & sanguinem.*

CAP. LI.

361. Sed pro omnibus iam stabit, &c.] *Caput hoc inscripsimus*: Probari idipsum, ex eo quod Christus, qui caro & sanguis fuit, sedeat ad dexteram patris. *De prouerbio autem*: clausis oculis, *inter Prolegomena.*

362. quum illic adhuc sedeat Iesus ad dexteram patris, &c.] *Reperitur istud Marci vlt. de quo plura vide supra lib. de Præscript. adu. hær. c.* 13. *n.* 87.

363. etsi nostris puriora.] *Huc pertinet quod Scholastici Doctores tradunt, Christum conceptum ex purissimis B. Virginis Mariæ sanguinibus.*

364. talis etiam descensurus vt angeli adfirmant.] *Sine Parenthesi istud legimus, eo quod respiciat ad illud Act.* 1. *Angelorum dictum*: Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. *De sequenti autem scriptura*: agnoscendus scilicet eis qui eum conuulnerauerunt, *vide supra l. de Carne Christi, ca.* 24. *n.* 186. *& huius libri ca.* 26. *nu.* 211. *hic videtur voluisse proprie vertere id quod Græce est*: συντριβήσετε.

365. Hic sequester Dei atque hominum, &c.] *Ita vertitur vox*: μεσίτης *ab Auctore, ab aliis*: mediator.

366. Quemadmodum enim nobis arrhabonem spiritus reliquit, &c.] *Idipsum repetit infra. c.* 53. *quum dicit.* Plane accepit & hic spiritum caro, sed arrhabonem, *vtrobique adludens ad illud Apost.* 2. *Cor.* 5. Qui autem efficit nos, in hoc ipsum dedit nobis pignus spiritus. *vbi Græce est*: ἀῤῥαβῶνα, *de quo latius tractat infra li.* 5. *adu. Marc.*

367. Ita nec corruptela, inquit, incorruptelam hæreditati habebit.] *Hic transfert* κληρονομεῖ, *paulo aliter quam ante*: hæreditati habebit, *vtpote qui Datiuis delectari soleat, quo fit vt etiam in præcedentibus similibus locis malim legere*: hæreditati possidebunt, *sed sicut supra dixi n.* 344. *variant etiam ms. Vat.* 3. *cod. Paulopost vertit*: hæreditatem consequetur.

368. Deuorata est mors, dicens, in contentionem, &c.] *Vatic.* 3. *ms.* in contentione, *sed quum Græce legatur* εἰς νῖκος *seu potius* νεῖκος *(hoc enim contentionem significat, illud, victoriam) posterius retinuimus, maxime quum infra c.* 54. *legant & Vat.* 3. *ms. & excusi omnes*: in contentionem. *Consentit etiam auctori B. Cyprian. libro* 3. *Testim. adu. Quirin. capite* 58. *sicuti etiam in eo quod legitur, iuxta ordinem Græcorum codicum supra capite* 47. Vbi est, mors, aculeus tuus, vbi est, mors, contentio tua, *quod vltimum, etsi ordine ibi transposito, legitur etiam infra libro* 5. *aduersus Marcum quare & hic necessario legendum*: vbi est mors contentio tua, *pro*: potentia tua, *maxime quum* νῖκος, *quod hodie legunt Græci codices, non potentiam significet, sed victoriam, & etiam legatur* contentio, *à BB. Ambrosio in Comment. & Hieronym. epist.* 61. *ad Pammach. adu. errores Ioan. Hierosolym. vbi paulo aliter pro Resurrectione scripturam, quam hic Auctor tractat, exponit, conformiter B. Aug. locis supracitatis n.* 352.

369. Illa alia sine dubio, quam constituit in membris, &c.] *Illud*: constituit, *debet accipi passiue, more auctori vsitato, pro*: *constitutum agnouit, aut aliquod aliud hic legi verbum debet, neque enim Paulus eam legem ipse* in membris suis constituit, *sed, vt conqueritur Rom.* 7. *vidit, seu agnouit. Nisi forte subintelligatur*, constituit, *nempe delinquentia*: *sed tunc legi deberet, non*: in membris suis, *sed*: in membris eius.

370. Nam & supra nouissimum inimicum mortem euacuari ait.] *Legisse hinc patet Auctorem.* Nouissimus inimicus euacuabitur mors, *sicuti etiam non semel B. Hieronym. in Comm. Isai. Græcis etiam correspondet ista lectio: quia* θάνατος *masculinum est. Legimus autem*: Hoc modo nec corruptela hæreditatem incorruptelæ cõsequetur, *ex Angl. ms. pro*: consequitur, *nam & antea in futuro id vertit, & sequitur*: nec mors perseuerabit. *Habetur autem hoc longe supra, sed quod sequitur*: Quum in atomo, &c. *immediate ante illud*: Deuorata est. *Castigauimus etiam*: demutabimur, *pro*: demutamur, *quod & supra c.* 42. *& infra li.* 5. *adu. Marc. apud Apostolum id legatur. Ex quibus etiam locis conformiter Angl. ms. cod. & c.* 54. *infra, legimus & supplemus*: Oportet enim corruptiuum istud induere incorruptionem, & mortale istud induere immortalitatem, *maxime quum hic explicet*: & istud mortale, *ac c.* 54. & mortale istud induere immortalitatem. *Legentes etiam ex eodem Angl. ms. cod.* ac ne putes aliquid aliud.

CAP. LII.

371. Videamus iam nunc, &c.] *Huic capiti titulum dedimus*: Quod in eodem corpore iuxta Apostolum resurgemus. *Adludit autem denuo ad verba illa supracitata ca.* 48. Sed dicet quis: Quomodo resurgent mortui, quo autem corpore venient: *Quæ rursum habentur sub medium capitis* 1. *Cor.* 15.

372. Stulte, inquit, tu quod seminas, non viuificatur, &c.] *Rhenanus legebat primum*: nonne, *& deinde*: numne, *verum rectius Gelenius*: non, *eo quod sic legatur apud Apostolum secundum æditiones omnes. Omittens autem*: prius, *auctor, sequitur in hoc Græcos codices. Atqui etiam hic legimus*: intelligi, *&* eadem natura & qualitate, *pro*: qualitas, *ac sensu id exigente, sic quod nunc sequitur distinguimus*: Non enim (*pro*: Nonne) & suggerit. quomodo? Non quod futurum est corpus seminatur, dicens, &c. Deus autem, &c. *Siue autem legas cum exc. cod.* Sed enim saluum, omni modo constat, *siue cum Vat.* 3. *ms.* omnino, *perinde est. Denique castigauimus ex Ang. ms. cod.* Ergo addititium erit corpus quod corpori superstruitur. *pro*: additum erit quod.

373. Seritur enim, &c.] *Pulcra est hic distinctio apud auctorem* folliculi, spicæ, aristæ *&* culmi.

374. Et vnicuique seminum suum corpus deputauit, &c.] *Sic prorsus lego, pro*: putauit, *quod nullo sensu legebatur. Vertit autem*: suum, *quod mirum est quum Græce sit*: ἴδιον, *id est vti Latinius vulgatus interpres*: Proprium. *Legimus vero ex ms. omnibus*: etsi pleniorem, *pro*: etsi plenior est, *quia sequitur*: etsi aliter reuertentem.

375. Alia caro hominis, &c. alia iumenti. &c.] *Infra li.* 5. *aduers. Marc. ipsa Apostoli verba citans, dicit*: aliam quidem carnem hominum, aliam pecudum. *Hic vero in singulari eadem adfert, eo quod sic ad institutum melius quadrent. Legit interim etiam sic Syrus interpres.*

376. Adsimulatus est, inquit, homo irrationabilibus iumentis.] *Hic quoque sensum magis expressit*: irrationabilibus *quod est Græce* ἀνοήτοις, *& vertitur rectius ab aliis*, insipientibus. *Legimus autem omnino* volucrum *ex Angl. ms cod pro*: volatilium, *eo quod sic etiam legatur infra loco iam citato, & ex eodem*: alia autem piscium.

377. quibus aqua baptismatis sufficit.] *Facit etiam hic locus pro baptismo aquæ, quem quidam impugnare non verentur, verum de eo latius supra l. de Bapt. c.* 1. *n.* 3.

378 Sic & de supercœlestibus corporibus, &c] *Rursum hic*: supercœlestia *vertit* ἐπουράνια, *quæ mox*: cœlestia. *Legimus autem ex Vat.* 3. *ms. cod.* Alia solis gloria *tum quod sic legatur & supra c.* 49. *& infra libro* 5 *adu. Marc. cum quod sequatur*: Et stella enim à stella differt in gloria, *quo loco apud Apostolum eadem vox Græca est* δόξη *seu* δόξα, *quæ etiam gloriam, non claritatem significat, & rursus subiungat auctor*: differentiam gloriæ, *quam ipse quoque vulgatus Latinus interpres vertit*: sed alia est quidem cœlestium gloria.

379. Seminatur, inquit, in corruptela, resurgit, &c.] *Et Tertull. hoc loco ac infra libr.* 5. *adu Marc. & B. Cyprianus libro* 3. *Testim. ad Quintinum capite* 58. *ac apertius Beatus Irenæus libro* 5. *capite* 7. *legunt*, resurgit, *quoties id hic repetitur, pro eo quod Latinus interpres*, resurget. *Est autem phrasis Tertullianica*: concepit dicere, *& vox ab eodem composita*: sequestratorium, *pro loco (sicuti & Rhenan. adnotauit) vbi res sequestrata vel deposita reponitur, similiter & illa*: reconsignat imprimens, *metaphoricωs, adludens ad sigilli impressionem.*

380. Sic enim scriptum est.] *Istud etiam differt ab omnibus Apostoli æditionibus, in quibus legitur*: Sicut scriptum est.

CAP.

CAP. LIII.

381. Sed corpus animale, &c.] *Hoc caput inscripsimus*: Quod quidam perperam corpus animale animam interpretantur. *Quod ipsum etiam tractat infra lib. 5. adu. Marc. sed hic multo latius. Legimus autem omnino, cum MS. Anglico codice*: vt illum à carne auocent recidiuatum, *pro*: illam, &c. recidiuatam, *eo quod illud etiam supra reperiatur, num.* 8.

382. Sed enim in Lazaro, &c.] *Hic de altero Lazaro loquitur, quam supra cap.* 17. *nempe de quo Ioan.* 11. *vbi quæ vertit* Instituta *noster interpres, Auctor* vinc̃ula linea *appellat, Græce est* κειρίαις. *Accipitur autem mox*: comparet, *pro manifestius est. At de prouerbiali formula*: manum porrigit, *in Prolegomenis.*

383. factum retexens primum hominem Adam in animam viuam.] *Sic legimus ex Vatic. 3. MS. pro*: viuentem, *quia iterum hoc capite, & supra capite 5. item libro de Anima, capite* 11. *ac infra lib. 5. adu. Marc. illud legitur ab Auctore; quare sic etiam secundo loco legendum ante illud*: Porro, &c. *Castigamus etiam*: Quid eam appellati velint, *ex ms. 3. Vatic. pro*: vellent.

384. Anima vero etsi corpus, &c.] *Istud iterum ad paradoxon pertinet Auctoris de Anima corporea, de quo inter Prolegomena latius. Malim autem legere*: non animatum, *pro*: non animata, *sed quia hoc habent ms. omnes, nolui immutare, quum appositio possit æque ad animam, atque ad corpus referri. Legimus autem omnino secundum ms.* nec fieri quo facit, *pro*: fecit, *quia sequitur*: alii enim accidens (*pro quo etiam mallem legere*: accedens, *vtroque loco*) facit illud animale.

385. Non primum quod spiritale, &c.] *Expressit quod Græce est*, πρῶτον. *quare non placet quod secundo loco Angl. cod. habet*: Non prius. *Legimus autem ex Vat. 1. cod.* primus homo Adam, *addendo*: Adam, *quia id apud Apostolum legitur in editionibus omnibus.*

CAP. LIV.

386. Ita de vocabulorum occasionibus, &c.] *Inscriptionem huic capiti imposuimus*: Quod etiam illud: Vti deuoretur mortale à vita, nihil pro illis faciat. *Reperitur autem in scriptura locus* 2. *Cor. 5 de quo multa supra cap. 42. & infra lib. 5. adu. Marc. sed hic respondetur ad obiectionem eorum, qui* deuorationem *illam perditionem interpretabantur.*

387. Deuorauit, inquit mors inualescendo, &c.] *Videtur mihi alludere ad illud Apostoli Rom. 5.* In omnes homines mors pertransit; *maxime quum alibi nihil tale, neque in Apostolo (ad quem referri videtur illud*: inquit) *neque in reliqua scriptura, reperire licuerit hactenus, si quis aliter sentiat, per me licet. Omnino autem lego cum Gelenio ex ms. omnibus*, quod per contentionem deuorauerat mors, *non vti substituerat Rhen.* deuouerat, *quia similitudo qua vtitur Auctor, id non permittit.*

CAP. LV.

388. Quamquam igitur resurrecturam carnem probantes, &c.] *Hoc caput inscripsimus*: Quod aliud sit demutari, aliud perire. *Latius enim hic explicat illud quod supra etiam tractatum est capite* 41. *&* 42. & nos demutabimur, *de quo iterum late infra lib. 5. adu. Marc. vbi tractat* 2. *Cor. 5. atque hoc est quod dicit*: licet aliunde iam cæsæ. *Siue autem legas ante ea verba*: proprios quoque flagitant congressus, *cum vulg. cod. siue*: quosque *cum Angl. ms. parum refert. Verum paulo post omnino lego ex eodem*: Æque enim non erit, ac si non resurrexerit, *pro*: si, *dumtaxat, & non multo postea ex Vatic.* 2. nec ita aliud efficiatur vt cesset idem esse, *pro*: alius, *quia sequitur*: immo nec alius efficiatur (*sic enim lego ex Angl. ms. cod. pro*: efficitur) sed aliud.

389. Mutatur postea & facies eiusdem incontemplabili claritate.] *Adludit ad illud Exod. 34. secundum* 70. Et erat glorificatus (*pro quo in Hebræo*: Et cornuta erat facies eius) aspectus cutis faciei eius, & timuerunt appropinquare ei.

390. Sic & Stephanus, &c.] *Hic similiter ad illud Act. 6.* Et viderunt faciem eius tamquam faciem angeli, *addens*: non alia illi genua succiderant, *id est, non aliis geni⁹ us quam prioribus orabat Deum* in lapidatione, *Act. 7. Est autem similis phrasis Auctoris infra c. 62.* nec vlli simili necessitati *succidendo.*

391. Dominus quoque in secessu montis, &c.] *Dum hic agens de secessu Christi in monte Thabor, Matth* 17. *Marc* 9. *Luc. 3. dicit quod* lineamenta Petro agnoscibilia seruauerat, *id colligere videtur ex eo, quod Christum Petrus adhuc Dominum suum appellauerit. Eodem pertinet quod habet B. Hieron. Epist. 61. ad Pammach. aduers. Ioan. Hierosol. Vbi facies nominatur, existimo quod & cetera membra consecta sint.*

392. in transitum substantiæ.] Transitum *hic dicit Auctor quod antea hoc capite non semel*: perditionem, *sicut* transitum, *mortem appellare solemus, quod confirmatur ex eo quod addit*: ergo & Saul in alium virum conuersus, de corpore suo, excessit, 1. *Reg.* 10.

CAP. LVI.

393. Etenim quam absurdum, &c.] *Titulum huic capiti damus*: Quod eadem caro quæ operatur, mercedem accipiet. *quod ipsum supra tractauit latius cap. 15. & 52. Legimus autem omnino ex ms. Angl* quam vero & iniquum, *pro*: quam vero ethnicum, *tum quia ethnicis Deus ignotus erat, tum quia sequitur*: de iustitia Dei ludere.

493. Marcionem pro Valentino resuscitari? &c.] *Quid sibi velit, indicant verba præcedentia*: Nonne præstat omnem semel fidem à spe Resurrectionis abducere (*quod nempe faciebat* Marcion, *simpliciter, cum suo magistro Cerdone*, Resurrectionem carnis negans, *vti supra dictum est lib. de Præscript. adu. hær. cap. 51. hær. 61. ac* 17. *num.* 321. *ac* 322.) quam de grauitate atque iustitia Dei ludere? *vtpote* vt hæc quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur, *quæ erat Valentini hæresis, vtpote qui* Resurrectionem huius *id est, eiusdem*, carnis negabat, *sicuti ibidem diximus cap. 49. hær. 12. num.* 315. *Addentes autem paulo post*: Deo, *legimus*: nesciens me esse, qui gratiam Deo debeam, *quibus & præcedentibus verbis adludit ad illud Psal.* 95. Cantate Domino canticum nouum, adnuntiate inter gentes gloriam eius. *Sicut illic*: quæ in hac carne, &c. spem salutis seminauit, in alia nescio qua metat, *ad illud Galat. 6.* Quæ seminauerit homo, hæc & metet, &c.

395. Ne illa gratiosissima caro, cui gratis vita constabit.] *Ironia est, & pulcra vocum adlusio*: gratiosissima, *ac*: gratis.

CAP. LVII.

396. Hinc iam illa vulgaris incredulitatis argutia est, &c.] *Capiti huic inscriptionem dedimus*: Quod integri sine vexatione resurgemus. *Siue autem illud legas cum vulgatis, siue cum ms. Angl.* illæ vulgares incredulitatis argutiæ, *perinde est. Atqui quod paucis supra proposuit hac de re Auctor cap 4. hic & seq. cap. latius prosequitur, quod ipsum etiam tractat B. August. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 20. & B. Hieron. sæpe dicta Epist. 61. ad Pammach. adu. Ioan. Hieros. etiam subinde iisdem pene verbis. Rursum siue legas*: claudi, *vti vulgo legitur, siue* clodi, *cum ms. Angl. non refert. Verum legimus ex eodem*: tantam gratiam, *pro*: tamquam. *&*: hominibus eandem adscribis, *cum Vatic. 3. ms pro*: eam.

397. Portionalis.] Portionale *opponit* vniuersali, *non hic modo sed etiam infra Tom. 5. lib. de Ieiunio, vbi*: ieiunium portionale, *nuncupat, quod vniuersaliter non obseruatur Legimus autem paulo post*: etiamsi in vtero vitiemur, *Ex Angl. ms. pro*: vexemur.

398. Quod nascimur, non quod lædimur, reuiuiscimus.] *Græca (inquit Rhenan.) figura est. Atqui post aliquot lineas adiicimus*: Deo, *ex Angl. ms. cod. vbi legitur*: quasi Domino Deo non liceat & mutare naturam.

399. Quæ impossibilia apud homines, possibilia apud Deum sunt, &c.] *Addimus*: sunt *ex Vatic. 3. ms quia id Matth. 19 legitur iuxta editiones omnes, quamquam interim paraphrastice⁹ dumtaxat illud citetur. nam longe aliter illic legitur*: Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.

400. & Stulta mundi elegit Deus, vt sapientiam mundi confundat.] *Etiam hic ex ms. 3. Vatic. legimus*: sapientiam, *sicut alibi vbique, pro*: sapientia.

401. Atquin & vestis albæ nitore, &c.] *Rursus ex ms iisdem, & paulo ante*: illas, *pro*: illa, *&*: Atquin *legimus, pro*: Atqui. *Porro enumerat hic Manumissionis insignia, vt ante me etiã adnotauit Rhen. de quibus late tractat Petrus Faber Præses Tholosas in Semestribus, quo Lectorem remitto, potissimum de* vestis albæ nitore, & aurei annuli honore. *Nam de* patroni nomine, *ante illum Politianus Miscell cap. 31. ad illud Iuuenalis: Tamquam habeas tria nomina, seruus iam manumissis imponi solere docet* patroni nomen, *citans ad hoc illud Cicer. lib. 4. Epist. ad Attic. De Eutychide gratum, qui vetere prænomine, nouo nomine T. erit Cæcilius; vt est ex me, & te iunctus, Dionysius M. Pomponius. sic etiam Milesium Alexandrum Polyhistorem Cornelium esse appellatum à Cornelio Lentulo, à quo manumissus fuerat, à Suida tradi. Atque adeo* tribu honoratos *patet, quum* tribus *nomen adsumerent. Ceterum etiam* pileo honoratos *supra diximus ex Rhenan. To. 2. l. de Patientia, c. 4 n. 24.*

CAP. LVIII.

402. Iocunditas (inquit Isaias) æterna super caput eorum, &c.] *Istud caput eiusdem est argumenti, ex scripturis concinnatum. Atqui etiam illud*: Aufugit dolor & mœror, & gemitus ab illis, *reperitur æque iuxta 70 Isai. 35 atque illud*: Iocunditas, &c.

403. Et delebit Deus omnem lacrymam, &c.] *Istud reperitur Apocal. 7. Quod autem subiungit*: Et rursus: Deus enim delebit, &c. *Apoc. 21. vbi etiam additur*: Et mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, *Ad quod adludit, dum sua phrasi subiungit*: & mors hactenus, &c *Legimus autem*: vbi casus aduersi apud Deum, *pro*: Dominum, *ex ms. Angl. eo magis quod sit vsitatum id Deo Patri, & sequatur* (*ex quo etiam hic Trinitas confirmatur*) apud Christum, *&*: apud Spiritum sanctum.

404. Vbi necessitas, aut quod dicitur fortuna vel fatum?] Necessitas *&* fatum *ethnicus pro iisdem habebantur, sicuti* fortuna *& casus. Atqui quod* fato nihil imputandum, *supra docuimus Tom. 1. Apologet. cap. 1. nu. 17. Et vero eiusdem argumenti infra habes To. 4.*

405. Quod vestimenta & calceamenta, &c.] *Hyperbaton est, compositum ex variis scripturarum adlegationibus, vsque ad illud*: figuræ, &c. *Quæ reperiuntur Deuter 29. Dan 3. Ion 2. Gen 5. ac 4. Reg. 2. in quo fere per omnia imitatus est B. Iren lib. 5. cap. 5. Legimus autem*: & inobsoleta, *addita coniunctione.*

406. nec Sarabaras, quamquam Iudæis alienas.] *Sic iterum*

lego iuxta primam æditionem in marg. pro Sarabara, &c. aliena, *eo quod Auctor similiter fœminino genere dixerit supra Tom.* 1. *libr. de Pall. cap.* 4. in captiua Sarabara (*vbi num.* 81. *& Tom.* 2. *lib. de Orat. cap.* 12. *num.* 46. *de ea aliquid diximus*) *maxime quum etiam apud Hesychium & Eudoxium Græcos Auctores, singulari numero* σαράβαρα, *vestis Persica commemoretur. Quamquam interim (sicuti etiam hic adnotauit Rhenan. Chaldaicam vocem & vestem dicens) Dan.* 3. *plurali numero legunt* 70. καὶ τὰ σαράβαρα αὐτῶν οὐκ ἠλλοιώθη. *Proquo, etsi in æditione Græca & Latina in Biblis Complutensibus apud Plantinum excusis:* σαράβαλλα *legatur, veriorem tamen vt puto tem dictam lectionem, facit, quod etiam Nouatianus lib. de Trinit. infra Tom.* 5. Sarabara (*etsi plurali numero*) *legat. Beato Hieronymo vero tam in versione ex Hebræo quam Epist.* 49. *ad Innoc. de mul. septies percussa, & in translatione Theophili Alexandrini magis placuit:* Saraballa, *vel* Sarabala *vertere. Quam vtramque versionem conciliat Adnot. in Poetas Christianos G. Fabricius, tradens Sara, vel Sarra, Tyriis esse purpuram, siue purpuream vestem, vnde & Ostrum Sarranum Virgilio, Bal vero Dominum significare: quod ijdem Tyrij mutatione litterarum tenuis & asperæ etiam Bar dixerint.*

407. Enoch & Helias nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, &c.] *Huc pertinet etiam id quod supra dixit Auctor cap.* 55. Vbi etiam Moses & Helias (*nempe monte Thabor*) alter in imagine carnis nondum receptæ, alter in veritate nondum defunctæ. *Atqui latum hac de re tractatum habes supra in Adnot. nostris ad l. de Anima, cap.* 50 *nu.* 564. *vbi etiam vocantur sicuti hic, phrasi Tertullianica:* æternitatis candidati, *quomodo etiam lib. adu. Iud. cap.* 2.

408. Figuræ enim nostræ fuerunt, Apostolo auctore, quæ scripta sunt, &c.] *Similiter legit etiam B. Cypria. Epist.* 76. *ad Magnum* Hæc autem omnia figuræ nostræ fuerunt, *sicuti etiam Beda in Collectaneis ex August. quibus in hoc consentiunt Græci moderni codices quod legant:* ταῦτα δὲ τύποι ὑμῶν; *quod postremum tamen alij malunt vertere:* figuræ nostri.

CAP. LIX.

409. Sed futurum, inquis, æuum alterius est dispositionis, &c.] *Titulum huic capiti imposuimus.* Non esse absurdum, futurorum hæredes carnem & sanguinem fieri.

410. Omnia vestra sunt, &c.] *Omissa est, sicuti in Græcis exemplaribus, & apud B. Ambrosium, vox* enim *etiam sensui non necessaria.*

411. Et alibi: Et videbit omnis caro salutare Dei, &c.] Alibi *dicit, quia paulo prius legitur eodem Isai.* 40. *capite. Legimus autem omnino ex Vatic. & ms. Angl. cod.* Dei, *pro* Domini, *quia sic legitur supra capite* 10. *etiam iuxta* 70. *ac Luc.* 3. *Quid? quod ex hoc loco BB. Iustin. Mart. adu. Tryphon. Euseb. libro* 9. *Demonstr. Euang. capite* 6. *sub finem, & August. lib.* 22. *de Ciuitate Dei, capite.* 29 *Christi diuinitatem comprobent, secuti etiam* B *Cypr. idipsum legens, libr.* 2. *Testim. adu. Iudæos, cap.* 6 *Quare etiam secundo loco sic castigandum est, & rursum quod paulo post legitur:* quæ visura sit Dei salutare.

412. Ego me scio neque alia carne adulteria commisisse, &c.] *Si de se loquatur Auctor, videtur in iuuentute ante matrimonium continentiam non seruasse, sed quum in se ipso matrimonio continentem fuisse supra subindicauerimus lib.* 1. *ad vxorem, num.* 1. *& vsque adeo continentiæ amator fuerit, vt ea occasione Montano postea adhæserit, videtur potius in genere loqui de quouis homine sub persona sua. Verum de hoc vita Auctoris latius.*

413. nationes, &c. deputatas velut puluerem & saliuam, &c.] *Adludit ad id quod Isai.* 40. *iuxta* 70. & quasi saliua reputabuntur, *pro quo Hieron. versio ex Hebræo.* Ecce insulæ quasi puluis exiguus. *Mirum est interim cur addat:* puluerem, *quod ibi apud* 70. *non est, nisi forte pro eo quod est,* sicut momentum stateræ, *vtrobique ipse legerit:* puluerem, *sicuti quidam ex Hebræo vertunt pro momento, quod videtur consentaneum, ex eo quod legat Auctor supra Tom* 1. *lib. adu. Iudæos, cap.* 1. *& lib. de Præscript. adu. hær. cap.* 8 sicut stillicidium de situla, & puluis de area. *Atqui Clemens Alexandr. Stromat. li.* 6. *Athanas. de Vnitat. substant. sanctiss. Trinit. l.* 1. *& Ambros. in Psal.* 1. *omissis illis verbis intermediis, legunt:* vt stillicidium de situla & vt saliua, *seu* sputum, *seu* phlegma, *seu* spuma, *pro quibus Græce est* σίαλος.

414. nunc speraturas & credituras in nomen & in brachium Domini.] *Ex duobus Isaiæ testimoniis istud concinnatum est. Reperitur enim imprimis iuxta* 70. *Isai* 42. *& Matt.* 12. In nomine (*seu* nomen, *vti hic legit Auctor*) eius nationes sperabunt, *sicuti etiam infra citatur li.* 3. *adu. Marc. At alterum ad quod adludit, illud videtur Isai* 53. *etiam secundum* 70. Domine quis credidit auditui nostro & brachium Domini cui reuelatum est? *citatum etiam Ioan.* 12. *& Rom.* 10. *Atqui vox Tertullianica est:* incubare.

415. verum lumen nationibus effulsit.] *Hic adludere videtur ad illud Isaiæ* 60. Et ambulabunt nationes in lumine tuo.

416. & ipsi Valentiniani hic errare didicerunt.] *Nempe eo quod sequitur, quod* alia sit forma credentium, alia non credentium. *Ipsi enim choicum siue terrenum genus hominum, id est, non credentium, in totum interitum abire dicebant; iustorum siue credentium, transire ad Demiurgum, ipsorum vero, vtpote spiritualium, in pleromatis palatium, vti latius videre est supra lib. contra eosdem cap.* 29.

CAP. LX.

417. Ecce autem, &c.] *Caput hoc inscripsimus:* Quod membra eadem remanebunt, etiam si non ad eundem vsum. *Quod ipsum paucis attigit cap.* 4. *hic autem late deducit hoc & sequenti capitibus in quo etiam ad verbum pene Auctorem imitatur B. Hieron. sæpedicta Epist. ad Pammach. adu. Ioan. Hierosol. Atqui legimus omnino ex ms.* 3. *Vat. & Angl.* vt adhuc controuersiam exaggerent carni maxime eidem *pro eo quod Gelenius:* controuersiam &c. maxime sidem, *& ante hac in Adnot. Rhen.* controuersiam, &c. carni maxime, id est.

418. Quo enim iam, &c.] *Quo* (*inquit Rhenan.*) *hoc est, ad quem vsum, ad quid Horatius:*

Quo mihi fortuna, si non conceditur vti?

Sic supra dixit Tertullianus: Quo ergo legimus? *& mox:* Quo huiusmodi membra admittunt, subigunt, *id est, ad quid admittunt id est, recipiunt scilicet, cibum. Item:* manus ipsæ & pedes? *Et rursum:* Quo renes conscii seminum? *Item:* Quo totum corpus, totum scilicet vacaturum? *Sunt autem elegantes membrorum periphrases:* spelunca oris, dentium statio, gulæ lapsus, compitum stomachi (*id est, sicuti Rhenan adnotauit, conuenticulum & receptaculum, quod in hoc videlicet conueniat quicquid eduliorum per os immittitur. Sumpta est metaphora à viis competentibus, ac conuenientibus, nam hinc* compitum *deducunt Grammatici*) alui (*siue* aluei, *vti fere legunt ms. omnes*) gurges, intestinorum perplexa proceritas, operarii artus renes conscii seminum, conceptuum stabula, & vberum fonte. *Siue autem legas:* decessuro *cum exc siue:* discessuro *cum* 3. *Vatic. ms. perinde est.* Educatu *vero vti (sicuti etiam alibi) pro educatione etiam hic adnotauit Rhenanus. Atqui lego prorsus sicuti prius & postea vbique* dum mortale istud induet immortalitatem, *pro* induit, *sic enim etiam est apud Apostolum* 1. *Cor.* 15.

419. vel carie dissolutam.] *Angl. ms. cod.* & carinam dissolutam. *verum non placet, eo quod prius partes nauis enumerauerit* carinam, proram, puppim.

420. redactis & recuratis omnibus membris.] *Nisi inquit Rhenan.*) redigere *&:* redactum, *sic vsurparet supra, mallem legere* repactis. *Lib.* 1. *aduers. Marc.* Quam totum hominem redigere in salutem. *Legimus autem ex Anglico ms. cod.* At enim si sit, *pro eo quod mendosissime legebatur:* Ait enim &c.

CAP. LXI.

421. Sed accepisti homo, &c.] *Capiti huic inscriptionem dedimus:* Ad quos vsus singula seruient membra post resurrectionem. *Legimus autem:* vt etiam hominibus antistes, *pro* antestes, *ex Ang. ms. sicuti supra:* antistate, *cap.* 13.

422. Ad macellum corrodendum, &c.] *Continens (inquit Rhenanus) pro contento. Qui etiam illud:* ad omnem hiatum & rictum tuum coronandum, &c. *sic interpretatur. Significat dentes potius in hoc factos, vt* hiatum & rictum oris coronent, *id est, circundent, & minus deforme reddant. Supra dixit:* spelunca hæc oris & dentium statio. *Verum hac interpretatione opus non est, si legamus cum ms. Angl.* coronandum, *quod nos substituimus tamquam castigatius, eo quod sequitur:* honori oris. *Legentes etiam ex Vat.* 2. ad pullus linguæ temporandos, *voce Tertullianica, pro* temperandos *Item legimus:* Est adhuc in fæminis *ex Angl. ms. addentes:* in. *Sunt autem voces phrasesque Tertullianicæ, de quibus alibi latius:* supparatura, ieiunio functi, & dedicabatur.

423. Non in pane solo viuet homo, &c.] *Addimus:* solo, *ex ms. Ang. & legimus:* viuet *pro* viuit, *quia & Græce Matth. & Luc.* 4 *ac Deuter.* 8. *illud legitur, alterum interim correspondet Hebraicæ & Chaldaicæ æditionibus, sed & Latini vulgatæ æditionis codices variant.*

424. Quod spadones voluntarii.] *De his supra latius Tomo* 2. *Adnot. nostris ad lib de Cultu fæmin cap.* 9. *nu.* 51.

425 quot virgines Christo maritatæ.] *De his ibidem lib. de Veland virg. nu.* 1. *Est autem Tertullianicum:* temporali vacatione, *pro temporaria, siue ad tempus.*

CAP. LXII.

426. Sed huic disceptationi, &c.] *Titulum huic capiti damus:* Quod erimus non angeli, sed sicut angeli Dei.

427. Erunt (inquit) tamquam angeli. *Sic legit Auctor hoc modo his hoc loco, sed etiam supra cap.* 36. *atque adeo confirmatur lectio Latini vulgati Interpretis, qui legit:* erunt, *pro eo quod hodie Græce est:* sunt, *& similiter Latine Matth.* 22. *ac Luc.* 20. *Quo tamen respexisse potius videtur, vtpote vbi omittitur* Dei, *quod alibi reperitur.*

428. Quia & angeli aliquando, &c.] *Adludit ad cap.* 18. *&* 19. *Gen. de angelis receptis hospitio ab Abraham & Loth*, qui & ederunt & biberunt. ac pedes lauacro porrexerunt.

CAP. LXIII.

429. Resurget igitur caro, &c.] *Caput hoc postremum inscripsimus:* Epilogus. Quod resurget caro & quidem omnis, & ipsa, & integra *Legimus autem omnino ex Vatic.* 3. Resurget, *pro* Resurgit. *Atqui pro* collectaneam, *habent ms.* collataneam, *quasi vera*

A *est lectio, accipietur pro collaterali, aut pro conlatanea, tanquam quæ opes suas in vnum conferant: verum nihil immutare voluimus.*

430. vt rursus ex illa repræsentetur Adam,] *Sic iterum legimus secundum* 1. *editionem ex Vatic. ms.* 3. *cod. pro* præsentetur, *nam* repræsentari, *pro præsentem sisti, frequens esse Auctori supra adnotauimus, cap.* 14. *nu.* 112.

431. Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.] *Id quod Gen.* 3. *dixerat Deus in malam partem, in bonam interpretatur Auctor, quasi illa maledictio tempore Resurrectionis conuertenda sit in benedictionem: vnde & subdit similiter in bonam partem:* compos mali, *sed:* quod euasit.

432. quam quæ tecum etiam in Deo nascitur.] *Intelligit natiuitatem secundam in baptismo, de qua latius supra lib. de baptismo.*

433. Sed nihil mirum odisti, &c.] *Ab anima, ad Marcionem & Valentinum transitum facit. Ad Marcionem enim referendum, quod* Auctorem carnis, *nempe Deum creatorem,* respuerit, carnem in Christo aut negare aut mutare consueuerit (*vti supra patet l. præcedenti*) *Ad vtrumque quod* ipsum sermonem Dei vel stylo vel interpretatione corruperit (*de quo latius supra l. de Præscript. aduer. hæret. non semel.*) *Ad Valentinum denique, quod* arcana Apocryphorum superduxerit, blasphemiæ fabulas, *quas supra abunde detectas habes l. aduer. Valentinianos.*

434. pristina instrumenta.] *Recte Rhenan. hæc Mosaica Prophetica que veteris Testamenti interpretatur. Atqui confirmatur mea castigatio supra lib. de Præscriptionib. adu. hær. cap.* 4. *num.* 23. *ex eo quod etiam hic legitur:* oportuerat hæreses esse: vt probabiles
B quique manifestarentur, *siue* manifestentur, *vt legunt Vat.* 3. *ms. cod. quia perinde est.*

435. hæ autem sine aliquibus scripturarum occasionibus, &c.] *Istud facit pro illis, qui scripturam, nasum cereum esse dicunt, qua possit torqueri quo hæretici volunt, sicuti late prosequitur Vincentius Lirinensis libello suo De profanis hæresum nouitatibus. Verum recte addit Auctor:* & ipsas quidem iisdem litteris reuincibiles, *vtpote quum per alias scripturas confundi hæreticorum technas, vel ex hoc libro manifestum sit.*

436. Sed quoniam necdum dissimulare Spiritum sanctum, &c.] *Istud ad finem capitis vsque pertinet iterum ad hæresin Tertulliani* nouæ prophetiæ per Paracletum inundantis, *de qua latius in Prolegomenis.*

ARGVMENTVM
LIBRI PRIMI ADVERSVS MARCIONEM, PER IACOBVM Pamelium.

C *VTum, prius, opusculum suum* ADVERSVS MARCIONEM *pleniore postea compositione rescidisset Tertullianus, & eam frater quidam deinde Apostata mendosissimum exhibuisset, necessitas illi facta est emendationis, & innouationis, occasio aliquid adcijere persuasit, vnde in quinque Libros opus istud excreuit, quorum primi libri argumentum hic damus.*

I. *Imprimis itaq; post inuectiuam in Marcionem Ponticum, quod nuptias abstulerit, Euangelia corroserit, & Deum quem inuenerat, extincto lumine fidei amiserit, iam destinandum hæreticum docet, quia deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit, quod retro non erat, sicuti latius* LIBRO DE PRAESCRIPTIONIBVS ADVERSVS HAERETICOS *sustinuerit.*

II. *Deinde, duos Deos illum adtulisse, creatorem, id est, nostrum; & suum ac Cerdonis informatoris sui, illum malum, huius vero bonum.*

III. *Verum, Christianam veritatem districte pronuntiasse: Deum, si vnus non sit, non esse, eo quod summus magnus sit, cui nihil adæquari possit.*

IV. *Non posse etiam duo summa magna, etiam distincta suis finibus consistere.*
D

V. *Si enim duo summa magna, etiam plura admitti debere, cum Valentino, qui vsque ad xxx. AEonum fœtus, examen diuinitatis effudit.*

VI. *Atque adeo, non modo duos pares, sed nec dispares Deos posse constitui.*

VII. *Neque vero illi patrocinari nomen Dei, etiam aliis permissum in scripturis; quia idcirco eis non competit possessio summi magni.*

VIII. *Porro hæresin Marcionitarum vel inde probari, quod nouum Deum faciant, quum verus Deus æternus sit.*

IX. *Idque, etiamsi solum agnitione nouum dicant, quod Deus ignotus esse non potuerit, neque incertus.*

X. *Sed à primordio semper agnitus, quippe quem anima & conscientia, etiam ethnica, nouerit.*

Proinde, quum Dei sint omnia, si nihil crearit, Deum non XI.
E *esse, quem Marcion statuit.*

Vt autem illum Deum esse confiteri possemus, sine caussa tamen XII.
esse eum deberemus argumentari, qui rem non haberet, cum res caussa sit, vt sit aliquid.

Neque vero opus esse parum dignum Deo mundum, ipsis testi- XIII.
moniis Philosophorum probat.

Immo etiam minutiora animalia aut iuuare aut lædere, & XIV.
nec aquam Dei creatoris reprobari à Deo Marcionis, qua suos abluit, nec oleum, quo suos vnguit, nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat (hoc est, præsens ostendit) in Sacramentis.

Deinde addit, Deo Marcionis non esse suum cælum & mun- XV.
dum (de quo latius infra libr. 5.) *tum quod ad xv. vsque Seueri Imperatoris annum (quo hæc scripsisse se Auctor indicat) nulla talis substantia compertasit, tum quod alioqui nouem Deos adsignare censebitur Marcion.*

Neque illum esse inuisibilia sola operatum (sicuti latius etiam XVI.
dicto lib. 5. *infra) sed eiusdem esse auctoris visibilia & inuisibilia.*

Et vero non sufficere illi Deo vnum opus liberationis hominis, XVII.
quum etiam per alia opera seuerus Deus protulerit in notitiam.

Reuelatum item illum non recte dici, qui, neque natura ex o- XVIII.
peribus, neque doctrina ex prædicationibus reuelatus sit.
F

Neque etiam in Christo Iesu, tum, quod is reuelatus sit, plus XIX.
centum quindecim annis ante Deum Marcionis, qui sub Antonino, tum quod præcesserit separationem illam Legis & Euangelii, quam in Antithesibus Marcion primus commentus est.

Fruſtra autem obstrepi ab diuersa parte, quod Marcion Regu- XX.
lam non innouarit, sed retro adulteratam recurarit, exemplo Pauli, qui Petrum reprehendit, quia in illo solum conuersationem reprehenderit, non fidem creatoris.

Stetisse itaque semper fidem in creatorem & in Christum e- XXI.
ius, non modo sub Apostolis, sed & in Apostolicis Ecclesiis, apud quas Christus, non alterius Dei quam Creatoris ostenditur.

Iam vero naturaliter bonum dici non posse Deum Marcionis, XXII.
qui ab initio homini lapso non succurreret.

Neque rationabiliter bonum, eo quod homini (iuxta Marcio- XXIII.
nem à se alieno) succurrere voluerit.

Neque perfecte bonum, quod (iuxta Marcionem) animam XXIV.
solam saluet, non carnem, quæ tamen apud illum tinguitur, de nuptiis tollitur, & in confessione Nominis sæuitiam patitur.

Proinde, Deum non sola bonitate censendum. XXV.

Verum de iudicio quoque, qui vindicet peccata, & damnet. XXVI.

Alioqui peccatoribus nullum timorem fore. XXVII.

Et sic etiam stare non posse fidei Sacramentum Baptisma, XXVIII.
quod remissio est delictorum, absolutio mortis, regeneratio, conse- G
cutio Spiritus sancti, signat denique & lauat, quæ conferre non potest, nisi qui à primordio creauit hominem, & animam ei contulit, & pro peccato ad mortem damnauit.

Postremo Marcionis hæresin impugnat, qua tingui nolebat nisi XXIX.
virgines & cœlibes, tum quod coniugium benedixerit Deus, tum quod si nuptiæ non sint, sanctitas erit nulla, immo hoc erit semen-tem totum generis humani compescere.

Denique, Epilogo breui Lectorem ad sequentes Libros præparat. XXX.

Ceterum, inprimis Opt. Mileuit. libr. 1. *adu. Parmen. Rufinus Apol. pro Origene, & Vincent. Lirin. Libro de prophana hæreticorum nouitate, disertis verbis huius operis mentionem faciunt, & viderunt ms. iam olim hos quinque libros Trithemius & Politianus. Deinde peculiariter ad hunc Librum adlusit Auctor libro de Anima, cap,* 18. *quum dixit:* De Deo, suo quoque campo experiemur cum hæreticis, *& lib. de Resur. carnis c.* 2. Igitur quantum ad hæreticos, demonstrauimus quo cuneo occurrendum sit à nobis, & occursum est iam, suo quoque titulo: DE DEO VNICO ADVERSVS MARCIONEM *Qui locus & confirmat sententiam nostram (quam supra habes Præfatione nostra ad Lectorem in Tomum tertium) quod eodem tempore hi libri vtrique conscripta sint, & insuper mihi persuasi, titulo huius libri addendum fuisse:* DE DEO VNICO. *Atqui primus eum ædidit in lucem Rhenanus ex Paterniacensi ac Hirsaugiensi Codicibus, Scholiis suis illustratum, & postea ex Gorziensi, cum Adnotationibus. Nos vero iam primum, eo quod desideraretur in Britannico codice, quo vsus fuit Gelenius, ex duobus Vaticanis ms. exemplaribus, & Dn. Latinii coniecturis, castigatiorem publicamus, adiditis Argumento & Adnotationibus nouis.*

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI [1] CARTHAGINIENSIS, [2] ADVERSVS MARCIONEM LIBER PRIMVS, DE VNICO DEO.

SIQVID [3] retro gestum est nobis aduersus Marcionem, iam hinc viderit. Nouam rem aggredimur ex vetere. Primum opusculum quasi properatum pleniore postea cōpositione rescideram. Hanc quoque nondum exemplaris suffectam fraude tunc fratris dehinc apostatæ amisi, qui forte descripserat quædam mendosissime, & exhibuit frequentiæ. Emendationis necessitas facta est, innouationis eius occasio aliquid adiicere persuasit. Ita stylus iste nunc de secundo tertius, & de tertio iam hinc primus, hunc opusculi sui exitum necessario præfatur, ne quenquam varietas eius in dispersō reperta confundat. 4 Pontus igitur, qui Euxinus natura negatur, nomine illuditur. Ceterum hospitalem. Pontum nec de situ æstimes: ita ab humanoribus fietis nostris, quasi quodam Barbariæ suæ pudore secessit: 5 gentes ferocissimæ inhabitant, si tamen habitantur in plaustro. Sedes incerta, vita cruda, [6] libido promiscua & plurimum nuda, etiam cum abscondunt, suspensis de iugo pharetris indicib⁹, ne temere qui intercedat. Ita nec armis suis erubescunt: Parentum cadauera cum pecudibus cæsa, conuiuio conuorant. Qui non ita decesserint, vt escatiles fuerint, maledicta mors est. Nec fœminæ sexu mitigantur secundū pudorē, vbera excludunt, pensum securibus faciunt, malunt militare quam nubere. Duritia de cœlo quoq;. 7 Dies numquā patens: sol numquam libnr, vnus aer, nebula: [8] totus annus, hybernum: omne quod flauerit, Aquilo est. Liquores ignibus redeunt, amnes glacie negantur, montes pruina exaggerantur. Omnia torpent, omnia rigent: nihil illic nisi feritas calet, illa scilicet, quæ fabulas scenis dedit, [9] de sacrificiis Tauroū, [10] & amoribus Colchorum, [11] & crucibus Caucasorum. Sed nihil tam barbarum ac triste apud Pontum, quam quod illic Marcion natus est, [12] Scytha tetrior, Hamaxobio instabilior, [13] Massagera in humanior, [14] Amazonia audacior, nubilo obscurior, gelu fragilior, hyeme frigidior [15] Istro fallacior, Caucaso abruptior: quid ni? penes quē [16] verus Prometheus, Deus omnipotens, blasphemiis lancinatur. Iam & bestiis illius Barbariæ importunior Marcion [17] Quis enim tā castrator carnis castor, quam qui nuptias abstulit? [18] Quis tam comesor mus Ponticus, quam qui Euangelia corrosit? Næ tu Euxine probaliorem feram Philosophis ædidisti, quam Christianis. [19] Nam ille canicula Diogenes hominem inuenire cupiebat, lucernam meridie circunferens: Marcion Deum quem inuenerat, extincto lumine fidei suæ amisit. Non negabunt discipuli eius, [20] primam illi fidem nobiscum fuisse, [21] ipsius litteris testibus: [22] vt hinc iam destinari possit hæreticus, qui deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit, quod retro non erat. Iutantū enim hæresis deputabitur, quod postea inducitur: inquantū veritas habebitur, quod retro & a primordio traditum est. [23] Sed alius LIBELLVS hunc gradum sustinebit ADVERSVS HÆRETICOS, etiā sine retractatu doctrinarum reuincendos, quod hoc sint de præscriptione nouitatis, Nunc quatenus admittenda congressio est, interdum ne compendiū præscriptionis vbique aduocatum, diffidentiæ deputetur, regulam aduersarii prius prætexam, ne cui lateat, in qua principalis quæstio dimicatura est. [24] Duos Ponticus Deos adfert, [25] tanquam duas Symplegadas naufragii sui: quem negare nō potuit, id est, creatorem, id est, nostrum: & quem probare non poterit, id est, suū: passus infœlix huius præsūptionis instinctum, [26] de simplici capitulo Dominicæ pronuntiationis, in homines nō in Deos disponentis exēpla illa bonę & malę arboris, q̄ neq; bona malos neque mala bonos proferat fructus: id est, neque mens vel fides bona, malas ędat operas, neq; mala bonas. Languens enim (quod & nunc multi, & maxime hæretici) [27] circa mali quæstionem: Vnde malū [28] & obtunsis sensibus ipsa enormitate curiositatis, inueniens creatorem pronuntiantem: [29] *Ego sum qui condo mala*: quando ipsum præsumpserat mali auctorē, & ex aliis argumentis quæ ita persuadent peruerso cuique, tanto in creatorē interpretatus, malam arborem malos fructus condentem, scilicet mala, aliū Deum presumpsit esse debere in partē bonæ arboris bonos fructus [30] Et ita in Christo quasi aliam inueniēs dispositionē solius & purę benignitatis, vt diuersę à creatore, facile nouam & hospitam argumentatus est diuinitatem in Christo suo reuelatam, modicoque exinde fermento totam fidei massam hæretico acore decepit. [31] Habuit & Cerdonē quendā informatorem scandali huius, quo facilius duos Deos cæci perspexisse se existimauerunt. Vnū enim non integre viderant. Lippientibus etiam singularis lucerna numerosa est. Alterū igitur Deum quem confiteri cogebatur, de malo infamando destruxit: alterum quem commentari connitebatur, de bono præferendo constituxit. Has naturas quibus disposuerit articulis, per ipsas responsiones nostras ostendimus. [32] Principalis itaque & exinde tota congressio de numero, an duos Deos liceat induci, si forte [33] poetica & pictoria licentia, & tertia iam hæretica. Sed veritas Christiana destrictē pronuntiauit, *Deus si non vnus est, non est*: quia dignius credimus non esse, quodcunq; non ita fuerit, vt esse debebit. Deū autē vt sciatis vnum esse debere, quære quid sit Deus, & non aliter inuenies. quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio [34] quod & omnium conscientia agnoscet, [35] Deum summum esse magnū, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine. Hunc enim statum eternitati censendum, quæ summum magnum Deum efficiat, dum hoc est in Deo ipsa, atque ita & cetera, vt sit Deus summum magnum, & forma, & ratione, & vi, & potestate. Cum de isto conueniat apud omnes (nemo enim negabit Deū summum magnum quid esse, nisi qui poterit Deum, imum, modicum quid econtrario pronuntiare, vt Deum neget, auferendo quod Dei est) quæ erit iam conditio ipsius summi magni? nēpe vt nihil illi adęquetur, id est, vt non sit aliud summum magnum: quia si fuerit, adæquabitur: & si adæquabitur, non erit iam summū magnum euersa conditione, & (vt ita dixerim) lege, quæ summo magno nihil sinit adæquari. Ergo. vnicum sit necesse est quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum. Ergo non aliter erit quam per quod habet esse, id & vnicum omnino. Proinde Deus cum summum magnum sit, recte veritas nostra pronuntiauit: *Deus si non vnus est, non est*. Non quasi dubitemus esse Deum, dicendo, si non vnus non est Deus: sed quia quem confidimus esse, idem definiamus esse. Quod si non est, Deus non est, & summum scilicet magnum. Porro summum magnum vnicum sit necesse est. Ergo & Deus vnicus erit, non aliter Deus, nisi summum magnum. Nec aliter summum magnum, nisi parem non habens. Nec aliter parem non habens, nisi vnicus fuerit. Certe quemqunque alium Deum induxeris, non alia poteris eum forma tueri Deum quam vt & illi proprium diuinitatis asscripseris, sicut æternum, ita & summum, magnum. Duo ergo summa magna quomodo consistent, quum hoc sit summum magnum, par non habere? Par autem non habere, vni competat, in duobus esse nullo modo possit. [36]

Cap. I. Cap. II. Matt. 7. Isaſ. 45. Matt. 7. 1. Cor. 15. Cap. III. Cap. IV.

A Sed argumentabitur quilibet posse & duo summa magna consistere destincta atque disiuncta in suis finibus, & vtique aduocabit exemplũ: Regna terrarũ tanta numero, & tamen summa magna in suis quibusque regionibus: & putabit vbiq, humana diuinis cõferenda. Iam ergo si huic argumentationi locus dabitur, quid prohibet non dico & tertium & quartum Deũ inducere, verum tot iam numero, quot & gentium reges: De Deo agitur, cuius hoc principaliter proprium est nullius exempli capere comparationem: Hoc natura ipsa, si non aliquis Isaias, vel ipse per Esaiam Deus concionabitur, 37 *Cui me similabitis*? Diuinis forsitan comparabuntur humana Deo nostra. Aliud enim Deus, aliud quę Dei. Denique qui exemplo veteris regis quasi summi magni, vide ne iam non possis eo vti. Rex enim etsi summum magnum est in suo solio vsque ad Deum, tamen infra Deum, comparatus autem ad Deum, excidet iam de summo magno translato in Deum. Hoc si ita, quomodo veteris eius rei exemplo ad Dei comparationem, quæ dum ad comparationem accedit, amittitur? quid nunc, si nec inter reges plurifarium videri potest summum magnum, sed vnicum & singulare, apud eum scilicet qui rex regũ ob summitatẽ magnitudinis & subiectionem ceterorum graduum quasi culmen dominationis excipitur? Sed etiam alterius formæ reges, qui singulares in vnione imperii præsunt, si 38 minutalibus, vt ita dixerim, regnis vndiq; conferantur in examinationem, qua constet quis eorum præcellat in substantiis & viribus regni, in vnum necesse est sũmitas magnitudinis eliquetur, omnibus gradatim per cõparationis exitum de magnitudinis summa expressis & exclusis. Adeo & si in dispersо multifariam videtur summum magnum, suis viribus, & sua natura, & suo statu vnicum est. Proinde quum duo Dii conferuntur vt duo reges & duo summa magna, in alterum concedat necesse est vnio summi magni ex sententia comparationis: quia summum ex victoria sua constat, superato æmulo alio magno, non tamen summo, atque ex defectione æmuli solitudinẽ quandam de singularitate præstantiæ suæ possidens, vnicum est. Ineluctabilis iste cõplexus, in hoc sententiã constringit, aut negandũ Deũ esse summũ magnũ, quod nemo patietur sapiens, aut nulli alii communicandũ. [39 Aut quæ ratio duo summa magna cõposuit? Primo enim exigam, cur non plura si duo, quando locupletiorem oporteret credi substantiam diuinitatis, si competeret ei numerus. 40 Honestior & liberalior Valentinus, qui simul ausus est duos concipere, Byhũ & Sigen, cũ vsque ad triginta Æonũ fœtus, tanquã Æoniæ scrophæ, examen diuinitatis effudit. Quæcunque ratio plura summa magna non paritur admitti, eadẽ nec duo vt ipsa plura post vnũ. Post vnũ enim numerus. Quæ potuit duo admittere, eadẽ potuit & plura post, duo enim multitudo, vnione iã excessa. Denique apud nos vis rationis istius ipso termino plures Deos credi non sint, quod nec duos illa regula vnum Deum sistens, qua Deum id esse oporteat, cui nihil adæquetur vt summo magno: 41 vnicum autem sit, cui nihil adæquetur. Iam nunc duo summa magna, duo paria, cui operæpretio, cui emolumento deputarentur? quid interfuit numeri, quum duo paria non differant vno? Vna enim res est, quæ eadem in duobus est. Etiam si plura essent paria, tantumdem omnia vnum fuissent, nullo inter se differendo, qua paria. Porro si neutrum ex duobus altero distat, iam vt ambo summa magna, qua Dei ambo, neutrũ plus altero præstat, nullam rationem numeri sui ostendunt, præstantiam non habentes. Numerus autẽ diuinitatis summa ratione cõstare deberet, vel quoniam & cultura eius in anceps deduceretur. Ecce enim duos intuens Deos, tam pares quã duo summa magna, quid facerem si ambos colerem? vererer ne abundantia officii superstitio potius quã religio existimaretur, quia duos tã pares, & in altero ambos posse in vno demereri: hoc ipsum testimonio præstans parilitati & vnitati eorum, dũ alterũ in altero venerarer, dum in vno mihi duo sunt. Si alterum colerem, ęque re-

Isai.40. *1.Paral.21*

B

C

Cap. V.

D

cogitarem ne suffundere viderer numeri vanitatem sine differentia superuacui, hoc est, vt tutius censerem neutrum colendum, quam alterũ cũ scrupulo colendũ, aut ambos vane. [42 Sic adhuc videmur disputare, quasi Marcion duos pares constituat. Nam dum defendimus Deum summum magnum vnicum credi oportere, excludentes ab eo parilitatem, tanquã de duobus paribus de his retractauimus: nihilominus tamen docendo pares esse non posse secundum summi magni formam, satis confirmauimus duos esse non posse. Alioqui certi, 43 Marcionem dispares Deos constituere, alterum iudicẽ, ferum, bellipotentem? alterum mitem, placidum, & tantummodo bonum atque optimum. Dispiciamus æque & hanc partem, an diuersitas saltim duos capiat, si parilitas capere non potuit. Porro & hic eadem regula summi magni patrocinabitur nobis, vtpote quæ totum statum vendicet diuinitatis. Conueniens enim & 44 quodammodo iniecta manu detinens aduersarii sensum non negantis creatorẽ Deũ, iustissime pręscribo illi, diuersitati locum non esse inter eos, qui ex æquo Deos confessus, non potest facere diuersos: nõ quia nõ & homines licet sub eadem appellatione diuersissimos esse, sed quia ita Deus non erit dicendus, quia nec credendus, nisi summum magnum. Cũ ergo summũ magnum cogatur agnoscere quem Deum non negat, non potest admitti vt summo magno aliquam afferebat diminutionẽ, qua subiiciatur alii summo magno. Definit enim si subiiciatur. Non est autem Dei desinere de statu suo id est, de summo magno. Nam & in illo magno Deo potiore periclitari poterit summum magnum, 45 si depreciari capit in creatore. Ita cum duo Dei pronuntiantur duo summa magna, necesse est neutrum altero aut maius sit, aut minus: neutrum altero aut sublimius aut deiectius. Nega Deum, quem dicis deteriorem: nega summum magnum, quem credis minorem. Deũ vero confessus verumque, duo summa magna confessus es. Nihil alteri adimes, aut alteri ascribes. Agnoscens diuinitatem, negasti diuersitatem. [46 Tentabis ad hæc de nomine Dei conuertere retractatum, 47 vt passiuo & in alios quoque permisso: quia scriptum sit: 48 *Deus Deorum stetit in ecclesia Deorum, in medio autem Deos diiudicauit*? &: *Ego dixi, vos Dei estis*; nec tamen idcirco eis competat possessio summi magni, quia Dei cognominentur, ita nec creatoris. Respondebo & stulto, qui nec hoc recogitauerit, ne tantundẽ & in Deũ Marcionis possit retorqueri, & illũ Deum delictũ, nec ideo tamen summum magnũ probatũ, sicut nec angeli aut homines creatoris. Si communio nominum conditionibus præiudicat, 49 quanti nequã serui 50 Regũ omnibus insultant, Alexandri & Darii & Olofernis? Nec tamen ideo Regibus id quod sunt, detrahetur. Nã & ipsa idola gentiũ Dei vulgo, sed Deus ea re, qua nemo, Deus dicitur. Ita ego nõ nomini Dei, nec sono, nec notę nominis huius, summũ magnũ in creatore defendo, sed ipsi substantiæ cui nomen hoc contigit. Hanc inueniens solã innatã, infectam, solam æternam, & vniuersitatis conditricẽ, non nomini, sed statui, nec appellationi, sed conditioni eius summũ magnũ & ascribo & vendico. Et ideo quia Deus iã vocari obtinuit substantia cui ascribo, nomini me ascribere putas, quia necesse est per nomẽ ostendã cui ascribã substantiæ, scilicet qua constat qui Deus dicitur, & summũ magnũ ex substantia, nõ ex nomine deputatur. Deniq; & hoc Marcion suo Deo vindicans, secundũ statum, non secundũ vocabulũ vindicat. Id ergo summum magnum, quod Deo ascribimus ex substantiæ lege non ex nominis sorte, contendimus ex pari esse debere in duobus, qui ea substantia constant qua Deus dicitur: quia in quantũ Dei vocantur, id est, summa magna, substantiæ scilicet merito innatæ & æternæ, ac per hoc magnæ summæ, in tautũ non possit summũ magnũ minus & deterius alio summo magno haberi. Si summi magni fœlicitas & sublimitas & integritas stabit in Deo Marcionis, stabit æq; & in nostro: si nõ & in nostro æq; nec in Marcionis. Ergo nec paria erũt duo sũma magna, quia prohibet dispositа iã regula sũmi magni cõparatio-

E

Cap. VI.

F

Cap. VII. *Psal. 81.*

G

G

nem

nem non ſuſtinentis: nec diſparia, quia & alia ſummi magni regula occurrit, diminutionem non admittens. Hæſiſti Marcion in medio ponti tui æſtu, vtrinq; te fluctus inuoluunt veritatis: nec pares, nec diſpares Deos ſiſtere potes. Duo enim non ſunt, quod pertineat proprie ad numeri retractatum. Quanquã tota materia de duobus Deis dimicetur, ſi his interim lineis eam clauſimus, intra quas de ſingularibus iã proprietatibus congrediemur. [52 Primo, ſupercilio ſtuporem ſuum ædificant Marcionitæ quod nouum Deum proferant, quaſi nos veteris Dei pudeat. Inflãtur & pueri nouis calceis, ſed à vetere prædagogo calceati, mox vanam gloriam vapulabunt. Nouũ igitur audiẽs Deum in vetere mundo, & in vetere æuo, & ſub vetere Deo ignotum, inauditum, quem tantis retro ſeculis neminem, & ipſa ignorantia antiquum, quidam Ieſus Chriſtus, & ille in veteribus nominibus nouus releuauerit, nec alius ante hæc: gratias ago huic gloriæ eorum, maxime adiutorio eius hinc iã hæreſim probaturus, nouæ ſcilicet diuinitatis profeſſionẽ. Hęc erit nouitas, quæ etiã ethnicis Deos peperit, 53 nouo ſemper ac nouo titulo conſecrationis cuiuſq;. Quis Deus nouus, niſi falſus? Ne Saturnũ quidem tanta hodie antiquitas Deũ probabit, quia & illũ nouitas aliquando produxerit, quũ primum conſecrauit. At n. viua & germana diuinitas, nec de nouitate, nec de vetuſtate, ſed de ſua veritate cenſetur. Non habet tẽpus æternitas. Omne enim tempus ipſa eſt. Quod facit, pati non poteſt. Caret ætate, quod non licet naſci. Deus ſi eſt vetus, non erit: ſi eſt nouus, non fuit. Nouitas initium teſtificatur, vetuſtas finẽ cõminatur. Deus autem tam alienus ab initio & fine eſt, quã à tẽpore arbitro & 54 metatore initii & finis. [55 Scio quidẽ quo ſenſu nouũ Deum iactitent, agnitione vtiq;. Sed & ipſam nouitatis cognitionẽ, percutientem rudes animas, ipſamque naturalem nouitatis gratioſitatem volui repercutere: & hinc iam de ignoto Deo prouocare. Vtique enim quẽ agnitione nouum opponunt, ignotum ante agnitionẽ demonſtrant. Age igitur ad lineas rurſum & in gradum. Perſuade Deum ignotum eſſe potuiſſe. 56 Inuenio plane ignotis Deis aras proſtitutas, ſed Attica Idololatria eſt. 57 Itẽ incertis Deis, ſed ſuperſtitio Romana eſt. Porro incerti Dei minus noti vt minus certi, & proinde ignoti qua minus certi. Quẽ titulum incidemus ex Duobus Deo Marcionis? Vtrunque opinor, & nunc incerto, & retro ignoto. Sicut enim ignotum eum fecit Deus notus creator, ita & incertum Deus certus. Sed nõ euagabor, vti dicam: Deus ignotus fuit, latuitque, illum regio latebrarum obumbrauit, noua vtique & ipſa ignota, & ſimiliter nunc quoque incerta, certe immenſa, aliqua & maior indubitato eo quem abſcondit. Sed breuiter proponam, & pleniſſime exequar, præſcribens Deum ignorari nec potuiſſe nomine magnitudinis, nec debuiſſe nomine benignitatis, præſertim in vtroque prælariorem noſtro creatore. Sed quoniam animaduerto in quibuſdam ad formam creatoris prouocari oportere omnis Dei noui & retro ignoti probationem, hoc ipſum ratione fieri à nobis, prius commendare debebo, quo conſtantius vtar rationis æditæ patrocinio. Ante omnia quidem quale eſt, vt qui Deum agnoſcis creatorem, & priorem de notitia confiteris, non eiſdem modis & alium ſcias tibi examinandum, quibus iam in alio didiciſti, Deum noſſe. Omnis res anterior posteriori normam præminiſtrauit. Duo nunc Dei proponuntur, ignotus & notus. De noto vacat quæſtio: eſſe eum conſtat, quia notus non fuiſſet, niſi eſſet. De ignoto inſtat altercatio: poteſt enim & non eſſe, quia ſi eſſet, notus fuiſſet. Quod ergo quęritur, quamdiu ignoratur, in incerto eſt, quamdiu quæritur: & poteſt non eſſe quamdiu in incerto eſt. Habes Deum certum qua notum, & incertum quamdiu qua ignotum. Si ita eſt, ecquid tibi videtur iuſta ratione defendi, vt ad normã & formam & regulam certorum probentur incerta? Ceterum ſi ad hanc cauſam & ipſam adhuc incertam, etiã argumenta de incertis adhibeantur, ſeries implicabitur quæſtionem, ex ipſorum quoque argumentorum ęque incertorum retractatu periclitantium de fide per incertũ, & ibitur 58 in illas iam indeterminabiles queſtiones, quas Apoſtolus non amat. Sin de certis & indubitatis & abſolutis regulæ partibus incertis & dubiis & inexpeditis præiudicabunt plane, in quibus diuerſitas ſtatus inuenitur, forteſſe an nõ prouocentur incerta ad formam certorum, vt liberata à reliqua comparationis prouocatione per diuerſitatem ſtatus principalis? Quum vero duo Dei proponuntur, communis eſt illis ſtatus principalis. Quid enim Deus eſt? ambo ſunt innati, infecti, æterni. Hic erit ſtatus principalis. Cetera viderit Marcion, ſi in diuerſitate diſpoſuit. Poſteriora enim ſunt in retractatu; immo nec admittentur, ſi de principali ſtatu conſtet. Porro conſtat quia Dei ambo: & ita de quorum ſtatu conſtat communem eſſe cum ſub eo ad probationem deuocantur ſi incerta ſunt, ad eorum certorũ formam prouocanda erunt, cum quibus de communione ſtatus principalis cenſentur, vt proinde & de probatione communicent. Hinc itaque conſtantiſſime dirigam, Deum non eſſe qui ſit hodie incertus quia retro ignotus: quando quem conſtat eſſe, ex hoc ipſo conſtat, quod nunquam fuerit ignotus, ideo nec incertus. [59 Siquidem à primordio rerum, cõditor earum cum ipſis pariter compertus eſt, ipſis ad hoc prolatis, vt Deus cognoſceretur. 60 Nec enim ſi aliquanto poſterior Moyſes, primus videtur in templo litterarum ſuarum Deum mundi dedicaſſe, idcirco à Pentateucho natales agnitionis ſupputabuntur, cum totus Moyſi ſtylus notitiam creatoris non inſtituat, ſed à primordio enarret, à paradiſo & Adam, non ab Ægypto & Moyſe recenſendam. Denique maior popularitas generis humani, ne nominis quidem Moyſi compotes, nedum inſtrumenti, Deum Moyſi tamen norunt, etiam tanta Idololatria dominationem obumbrante, ſeorſum tamen illum 61 quaſi proprio nomine Deum perhibent, & Deum deorum, & *: ſi Deus dederit*; & *: quod Deo placet*, & *: Deo commendo.* Vide an nouerint, quem omnia poſſe teſtantur. Nec hoc vllis Moyſi libris debent. Ante anima, quam prophetia. Animæ enim à primordio conſcientia Dei dos eſt: eadem nec alia & in Ægyptiis, & in Syris, & in Ponticis. Iudæorum enim Deum, dicunt animę Deum. Noli barbare hæretice priorem Abraham conſtituere, quam mundum. Et ſi vnius familiæ Deus fuiſſet creator, tamen poſterior tuo non erat, etiam Ponticis ante eum notus. Accipe igitur ab anteceſſore formam, à certo incertus, à cognito incognitus. Nunquam Deus latebit, nunquam Deus deerit: ſemper intellegetur, ſemper audietur, etiam videbitur quomodo volet. Habet Deus teſtimonia totum hoc quod ſumus, & in quo ſumus. Sic probatur & Deus & vnus, dum non ignoratur, alio adhuc probari laborante. [62 Et merito, inquiunt. Quis enim non tam ſuis notus eſt quam extraneis? Nemo. Teneo & hanc vocem. Quale eſt enim, vt aliquid extra traneum Deo ſit, cui nihil extraneum eſſet, ſi quis eſſet? quia Dei hoc eſt, omnia illius eſſe, & omnia ad illũ pertinere: Vel ne ſtatim audiret à nobis, quid ergo illi cum extraneis? Quod plenius ſuo loco audiet. At nunc ſatis eſt, nullum probari, cuius, nihil probatur. Sicut enim creator, ex hoc & Deus, & indubitatus Deus, quia omnia ipſius, & nihil extraneum illi: ita & alius idcirco non Deus, quia omnia non eius, ideoque & extranea. Denique ſi vniuerſitas creatoris eſt, iam nec locum video Dei alterius. Plena & occupata ſunt omnia ſuo auctore. Si vacat aliquid ſpacii alicuius diuinitati in creaturis, plane falſæ vacabit. Patet mandacio veritas: Tanta vis idolorum, cur non recipiat alicubi Deum Marcionis? Igitur ex forma & hoc creatoris expoſtolo, Deum ex operibus cognoſci debuiſſe alicuius proprii ſui mundi & hominis & ſeculi: 63 Quando etiã error orbis propterea Deos præſumpſerit, quos homines interdum confitetur, quoniam aliquid ab vnoquoq; proſpectum videtur vtilitatibus & commodis vitæ: Ita & hoc ex forma Dei creditum eſt diuinum eſſe, inſtituere vel demonſtrare, quid aptum & neceſſarium ſit rebus humanis. Adeo inde auctoritas accõmodata falſæ diuini-

A tari, vnde præcesserat veræ. 64 Vnam saltem circulam Deus Marcionis propriam protulisse debuerat, vt nouus aliquis Triptolemus prædicaretur. Aut exhibe rationem Deo dignam, cur nihil condiderit, si est: quia condidisset, si fuisset, illo scilicet præiudicio, quo & nostrum Deum non alias manifestum est esse, quam quia totum condidit hoc. Semel enim præscriptio stabit, nō posse illos & Deum confiteri creatorem, & eum quem volunt æque Deum credi, non ad eius formam probare, quem & ipsi & omnes Deum: vt quando hoc ipso nemo creatorem Deum dubitet, quia totum hoc condidit, hoc ipso nemo debeat credere Deum & illum qui nihil cōdidit nisi ratio forte proferatur. Duplex ista videatur necesse est, vt aut noluerit condere quid, aut non potuerit. Tertium cessat. Sed non potuisse, indignum Deo est. Noluisse, an dignum, volo inquirere. Dic mihi Marcion, voluit Deus tuus cognosci se quocunque in tempore? an alio proposito & descendit, & prædicauit, & passus resurrexit, quam vti cognosceretur? Et sine dubio si cognitus est, voluit; nihil enim circa eum fieret nisi voluisset. Quid ergo tantopere notitiam sui procurauit, 65 vt in dedecore carnis exhiberetur, & quidem maiore si falsæ? Nam hoc turpius, si & mentitus est substantiam corporis, 66 qui & maledictū in se creatoris admisit, ligno suspensus. Quanto honestius per aliqua propriæ molitionis indicia cognitionem sui præstruxisset, maxime aduersus eum cognosci habens, apud quem ex operibus ab initio cognitus non erat. Nam & quale est, vt creator quidem ignorans esse alium super se Deum, vt volunt Marcionitæ, 67 qui solum se etiam iurans adseuerabat, tantis operibus notitiam sui armauerit, quam potuerat non ita curasse secundum singularitatis suæ præsumptionem: ille autem sublimior sciens inferiorem Deum tam instructum, nullam sibi prospexerit agnoscendo paratura: quando etiam insigniora & superbiora opera debuisset condidisse, vt & Deus ex operibus cognosceretur secundum creatorem, & ex honestioribus potior & generosior creatore. [68 Ceterum etsi esse eum possemus confiteri, sine causa esse eum deberemus argumentari. Sine causa enim esset, qui rem non haberet: quia res omnis causa est, vt sit aliquis cuius res sit. Porro inquantum nihil oportet esse sine causa, id est, sine re, quia si sine causa sit, perinde est atque si non sit, non habens rei causam rem ipsam: in tantum Deum dignius credam non esse, quam esse sine causa. Sine causa est enim, qui rem non habendo, non habet causam. Deus autem sine causa, id est, sine re esse non debet. Ita quoties ostendo eum sine causa esse tamquam sit, hoc constituo non esse illum: quia si fuisset, omnino sine causa non fuisset. Sic & ipsam fidem dico illum sine causa ab homine captare, aliter solito Deum credere ex operum auctoritate formatum, quia nihil tale prospexit, per quod homo Deum didicit. 69 Nam etsi credunt plerique in illum, non statim ratione credunt, non habentes Dei pignus, opera eius Deo digna. Itaque hoc nomine cessationis & defectionis operum, & 70 impudentiæ & malignitatis adfinis est: impudentiæ, qua fidem non debitam sibi captat, cui præstruendæ nihil prospexit: malignitatis, qua plures incredulitatis reos fecit, nihil fidei procurādo. [71 Quum Deum hoc gradu expellimus, cui nulla conditio tam propria & Deo digna, quam creatoris testimonium præsignauerit, narem contrahentes impudentissimi Marcionitæ conuertuntur ad destructionem operum creatoris. Nimirum, inquiunt, grande opus & dignum Deo, mundus, Nunquid ergo creator minime Deus? Plane Deus. Ergo nec mundus Deo indignus: nihil etenim Deus indignum se fecit. 72 Etsi mundum homini, non sibi fecit: etsi omne opus inferius est suo artifice; Et tamē si quale quid fecisse indignum est Deo, quanto indignius Deo est nihil eum omnino fecisse, vel indignum, quo posset etiam digniorum auctor sperari? Vt ergo aliquid & 73 de isto huius mundi indigno loquar, 74 cui & apud Græcos ornamenti & cultus, non sordium nomen est, indignas videlicet substantias ipsi illi sapientiæ professores, 75 de quorum ingeniis omnis hæresis animatur, Deos pronuntiauerunt, 76 vt Thales aquam, vt Heraclitus ignem, vt Anaximenes aerem, vt Anaximander vniuersa cœlestia, vt Strato cœlum & terram, vt Zeno aerē & ætherem, vt Plato sidera, quod genus Deorum igneum appellat. 77 Quum de mundo, considerando scilicet & magnitudinem, & vim, potestatem, & honorē, & decorem, opem, fidem, legem singulorum elementorum, quæ omnibus gignendis, alendis, conficiendis, reficiendisque conspirant, 78 vt plerique Physicorum formidauerint: initium ac finem mundo constare, ne substantiæ eius tantæ scilicet minus Dei haberentur: quas colunt & 79 Persarum Magi, 80 & Ægyptiorum Hierophantæ, 81 & Indorum Gymnosophistæ. Ipsa quoque vulgaris superstitio communis Idololatriæ, cū in simulacris de nominibus & fabulis veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, & dedecus suum ingenio obumbrat, figuīās 82 Iouem in substantiam feruidam, & Iunonem eius in aerem, secūdum sonum Græcorum vocabulorum, 83 item Vestam in ignem, 84 & Camenas in aquas, 85 & Magnam matrem in terram, seminalia demessam, lacertis aratam, lauacris rigatam. 86 Sic & Osirin, quod semper sepelitur, & in viuido quæritur, & cū gaudio inuenitur, reciprocarum frugum & viuidorum elementorum, & recidiui anni fidem argumentantur: Sicut aridæ & ardentis naturæ sacramenta, 87 leones Mithræ philosophantur. Et superiores quidem situ in statu substantias, sufficit, facilius Deos habitas, quam Deo indignas. Ad humilia deficiam. Vnus, opinor, de sepibus flosculus, non dico de pratis, vna cuiuslibet matis conchula, non dico de Rubro, 88 vna tetraonis pennula, taceo de pauo, sordidum artificem pronunciabit tibi creatorem? [89 At quum & animalia irrides minutiora, quæ maximus artifex de industria ingeniis aut viribus ampliauit, sic magnitudinem in mediocritate probari docens, 90 quemadmodum virtutem in infirmitate secundum Apostolum; imitare si potes apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina: sustine si potes illas ipsas lectuli & tegetis tuæ bestias, 91 cantharidis venena, muscæ spicula, culicis & tubam & lanceam. Qualia erunt maiora, cum tam modicis aut iuuaris aut læderis, vt nec in modicis despicias creatorem? Postremo te tibi circumfer, intus ac foris considera hominem, placebit tibi vel hoc opus Dei nostri, quos tuus dominus ille Deus melior adamauit, propter quē 92 in hæc pauperrima elementa de tertio cœlo descendere laborauit, cuius causa in hac cellula creatoris etiā crucifixus est. Sed ille quidem vsque nunc 93 nec aquam reprobauit creatoris, qua suos abluit; 94 nec oleum, quo suos vnguit, 95 nec mellis & lactis societatem, qua suos infantat, 96 nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat, etiam in sacramentis propriis egens mendicitatibus creatis. 97 At tu super magistrū discipulus, & seruus super dominum, sublimius illo sapis, destruens quæ ille desiderat. Volo inspicere si ex fide saltem, vt non & ipse quæ destruis, appetas. Aduersaris cœlo, & libertatem cœli in habitationibus captas. Despicis terram plane inimice tuæ carnis matricem, & omnes medullas eius victui extorques? 98 Reprobas & mare, sed vsque ad copias eius quas sanctiorem cibum deputas. Rosam tibi si obtulero, non fastidies creatorem. 99 Hypocrita, vt apocartere si probes te Marcionitam, id est, repudiatorem creatoris (nā hæc apud vos pro martyrio affectari debuisset, si vobis mundus displiceret) in quamcunq; materiam resolueris, substātia creatoris vteris. Quanta obstinatio duritiæ tuæ? Deprecias in quibus & viuis & moreris. [100 Post hæc vel ante hæc quum dixeris esse & illi cōditionem suam, & suum mundum, & suum cœlum, 101 de cœlo quidem illo tertio videbimus, si & ad Apostolū vestrum discutiendū peruenerimus. Interim quecunq; substantia est, cum suo vtique Deo apparuisse debuerat. At nunc quale est 102 vt Dominus à XII. Tiberii Cæsaris reuelatus sit, substantia vero 103 ad decimum quintum

B *Deuter.21.* *Isai.40.* Ca. XII. C Ca. XIII. D E F Ca. XIV. G *1. Cor.12.* H *Matth.22.* Ca. XV.